# THESAVRVS
## IVRIS ECCLESIASTICI
### POTISSIMVM GERMANICI
SIVE

# DISSERTATIONES
## SELECTAE
### IN IVS ECCLESIASTICVM

QVAS
IVXTA SERIEM INSTITVTIONVM EIVSDEM IVRIS
A SE EDITARVM
IN ORDINEM DIGESSIT,
ILLVSTRAVIT ANIMADVERSIONIBVS NOVIS,
ADAVXIT LVCVBRATIONIBVS PROPRIIS


## ANTONIVS SCHMIDT

U. J. D. SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
EPISCOPI SPIRENSIS CONSILIARIVS RESPECTIVE INTIMVS ET
ECCLESIASTICVS.


## TOMVS V.

AD PARTEM SECUNDAM INSTITVTIONVM SVARVM.


SVMPTIBVS TOBIAE GOEBHARDT
PROSTAT
HEIDELBERGAE, BAMBERGAE ET WIRCEBVRGI.
MDCCLXXVI.

# CONSPECTUS

## Dissertationum Tomo hoc contentarum, quibus animadversiones novae subnexae sunt.



XII. EN-

XII. Engelhart *Diss. de bonorum Ecclesiastico - dotalium collectabilitate*, *Bamb.* 1771.

XIII. Hahn *Diss. de eo quod justum est circa bonorum immobilium ad manus mortuas translatione*, *Mogunt.* 1746.

XIV. Friederich *S. J. Diss. de eo, quod justum est circa amortizationem*, *Heidelb.* 1747.

XV. Stainhauser *Diss. de Feudis ecclesiasticis*, *Salisburg.* 1756.

# I.

## FRANCISCI LUDOVICI CAROVE
## DISSERTATIO SIVE MEDITATIONES ACADEMICAE
## DE
# ORIGINE PROGRESSU,
## ET JURIBUS CORPORIS EVANGELICORUM IN IMPERIO.

*Treviris* 1755.

## CAPUT PRÆLIMINARE.

Seu

*Delibationes Academicæ ex Jure Natural. & Gent.*

De natura, divisionibus, & juribus corporum politicorum.

§. I.

Quamvis secundum PHILOSOPHUM * fœdera ad jura Majestatis referantur, ex iisdem tamen veluti ex pactionibus alia etiam corpora politica, vel si mavis Societates, collegiave publica ** in civitate oriri & consistere, asserimus absque solœcismo juris Gentium. ***

 * *L.* 4.

* *L.* 4. *politic.* 14. loquitur de pactis liberarum Gentium aut Civitatum publicæ amicitiæ mutui, auxilii, commerciorum gratia initis; versabimur & nos in terminis juris gentium, alias de jure naturæ nomen fœderis pactis etiam privatorum inter se tribuitur, natura nempe sicut ad Societatem simpliciter, ita ad fœdera veluti fortissima securitatis & animorum vincula, tutissimaque societatis præsidia mirum quantum inclinante.

** Joann. Bodinus *de Republic. Libr. III. Cap.* 7. inter corpus, Collegium, & universitatem justas enumerat differentias, quas minime respuimus, promiscue nihilominus dictis utemur nominibus rem potius, quam nomen spectaturi.

*** Siquidem, uti infra demonstrabimus, possunt in eadem Civitate seu Monarchica, seu aristocratica, seu democratica societates quædam publicæ reperiri, penes quas etiamsi proprie non existat Majestas, ipsæ tamen certis ejusdem particulis fruuntur per leges Civitatis fundamentales communicatis.

## §. II.

Societas publica * illam seu corpus, seu Collegium voces, est congregatio plurium in eundem finem, ** eademque media, *** quæ ad finem illum obtinendum sunt necessaria, **** publica authoritate consentientium. *****

* Divisionem Societatis in publicam & *privatam* prætermittimus, cum postremum dividens scopo nostro, qui juris publici est, non conveniat; Societas privata jura sociorum privata directe afficiat, publica vero non levem, eumque quodammodo Majestaticum ad systema civitatis respectum habeat.

** Alioquin *consentire* non videntur & sic vel non esset societas, vel saltem non una, de qua nobis sermo est; quam tamen positionem ita intelligi non volumus, quasi uno dissentiente irritetur societas; sed quod ille, qui eundem cum reliquis finem non meditatur, pro socio amplius haberi non possit.

*** Eleganter Bœclerus diss. de bono cive §. 12. *Societas est inter plures, at hi, quia plures, dissociabiles; opus igitur, ut dictum, unione seu consensu, qui in eo vertitur; societas cum sit finis causa, sociorum est ad finem PARITER moveri.*

**** Media nimirum ad finem obtinendum necessaria privativa adeo aptitudine sunt fini proportionata, ut vel ex natura sua, vel lege positiva sine illis attingi non valeat; dixi: *necessaria*, media enim solummodo conducentia, adjuvantia, facilitantia societatis complexum stricte non ingrediuntur, unde & socius eatenus dissentire potest, ac prout ab initio convenerit, seu amicabili compositioni, seu pluralitati votorum decisivam electionem relinquere.

***** Heineccius Elem. jur. natur. & gent. Libr. II. §. XIV. dixi: *authoritate publica;* nihil enim publicum in civitate proprie dici potest, nisi authoritate summi Imperii civilis, Puffen. *de jur. nat. gent. Libr. VII. Cap. II.* §. 21.

## §. III.

**Societas alia æqualis, inæqualis alia; * utraque communibus societatum regulis**

regulis subest, ** excepto, quod ambæ ratione subjectorum paciscentium & modi, quo communis res geritur, mediaque ad finem impenduntur, inter se differunt ***

* Æqualis consistit inter pares, qui media ad finem assequendum communi consilio & directione conferunt; inæqualis vero, quæ & Rectoria vocatur, uni vel pluribus committit, ut de fine, mediisque soli despiciant. Quod fere evenit, si tanta sociorum multitudo sit, ut communi suffragio media eligi sine confusione non possint, atque hinc corporis fœderati intersit, societatem fieri magis, magisque inæqualem, ne totum factionibus, vel invidia singulorum intereat: apposite Romani de Augusto apud Tacitum Annal. I. *discordantis Patriæ plerumque non aliud remedium est, quam ut ab uno regatur*, & Sapientissimus Seneca Epist. CII. *putas tu, posse sententiam unam esse omnium? non est unius una.*

** Quæ nimirum ex ipso jure naturæ aut gentium inviolabili proveniunt; his enim posthabitis substantialia Societatis evanescunt, consequenter non intelligitur societas, quanquam non raro alteretur demptis naturalibus, quæ etiam in substantialibus radicantur: doctrina hæc proletaria est, fateor, quippe in omni jure notissima, hic insinuanda tamen, ne in tantis variarum Societatum, fœderumque differentiis, clausulis, conditionibus, restrictionibus seu perpetuis, seu temporariis a primis deflectamus principiis.

*** In quibus primario distinguantur, diximus statim; verum ex hac originaria differentia ingentes manant sequelæ; in Societate æquali nemo sociorum unus plus juris saltem positivi prætendere potest, quam alius in electione nec non applicatione mediorum ad finem, sed vel amicabili compositione, vel majorum, prout libuerit, consensu res tota perficitur; in inæquali vero Unus seu pauci præsunt rerum Summæ, sine consilio etiam, placitoque Sociorum, de mediis statuunt, politiam domesticam gubernant, nemini eatenus rationem reddituri, nisi regulas societatis infringant. Plures fœderum *inæqualium* notiones V. apud Grot. *de jur. Bell. & Pac. Lib. II. Cap. XV.* §. 6. & 7. a nobis omissas, ne in alia omnia abire videremur.

## §. IV.

Alia in re, alia personalis: * nobilior reliquis divisio, nam ex membris ejus dividentibus Societas arctior, vel remissior intelligitur ** atque adeo insignes inde effectus circa exercitium Societatis jurium consequuntur. ***

* Prima regni, territorii, fundi, &c. causa initur, nec cum Rectore paciscente exspirat; secunda personis Sociorum inhæret, hisque morientibus statim dissolvitur; illius causa finalis est bonum rei, hujus vero bonum personæ; ad dignoscendum autem, an Societas realis sit, an in personam, concepta fœderum verba meditari oportet, quæ etiam non raro aliunde, ut ex principiis generalibus, regulis interpretationum, observantia &c. dilucidationem, accipiunt. Conferri meretur Schilter *Exercit. ad D.* §. 15 ubi, quæ in dubio semita terenda, disceptat: nec minus Hugo Grotius *Lib. II. Cap. XVI.* per totum.



** Ne-

** Nexum Societatis realis firmiorem esse, nemo negaverit, quia ex natura sua quasi perpetuus est, & casu Sociorum facile adeo non rumpitur, ni aliter expressum fuerit; Conf. Heinn. *Elem. jur. nat. & Gent. L.* 2. §. 211.

*** Quod ex §. seqq. clarius patescet.

## §. V.

Nec tamen propterea subditi ita fœderatorum pro Sociis forent habendi,* quamvis illorum bono, securitati, & fortunis expresse fuerit provisum. **

* Quia nec per se ipsos, nec per Procuratorem contraxerunt, veluti liberæ gentes, aut civitates juris gentium E. G. Athenienses, & Lacones apud THUCYDIDEM *Lib.* 5. *histor*; & quamvis juxta Puffendorffium *de Jur. N. & G Lib. VIII. Cap.* 3. §. 8. Fœdus reale per Rectorem initum totum quoque populum stringere videatur, hæc tamen obligatio neutiquam ex fœdere, sed ex primæva constitutione, naturaque civitatis descendit, vi cujus membra ejusdem pacta, quæ caput pro singulorum bono, securitate, & conservatione compagis salubriter celebravit, servare tenentur, adeoque hoc vinculum non novum in civitate, sed cum ea nativum non inepte appellavero: Egregie Grotius *Lib. II. Cap. XV.* §. 3. quare, inquit, *quod apud Senecam, patrem est:* Imperator fœdus percussit, videtur populus percussisse Romanus, & fœdere continetur, *ad antiquos eos pertinet, qui speciale ejus rei mandatum acceperant, at in regnis regum est fœdus facere.* Atque hinc quemadmodum a cæteris confœderatis subditos etiam juxta leges fœderis censeri oportet, vi pacti non cum ipsis, sed Rectore initi; ita subdito adversus conventa gravato nil remanet, nisi simplex ad Principem recursus, & facta ei de læso fœdere denuntiatio, & hoc obtinet in fœderibus independentium civitatum, a quibus dein fracta fides bello vindicari potest; quid in Imperio Romano-Germanico, utpote ex pluribus quasi civitatibus mixto obtineat, debeatve obtinere, docebit decursus.

** Rectoris officium est, ejusmodi pacta, fœdera, & consociationes cum vicinis præsertim inire, ut prosperitati subditorum, & securæ quieti remedium adferat; Exemplo hic sunt plura Electorum Trevirensium cum confinibus Lotharingis, Luxemburgensibus &c. concordata, quæ magis propter populum, quam Principem erecta conspicimus, quin tamen subdito præter dictum recursus beneficium directa ex iis actio hodiedum e nascatur.

## §. VI.

Quos effectus, quæ jura totius in partes, corporis in membra, Societatis in singulos consocios jus naturale & gentium dictet, rimari, difficilis sparsæ conatus est, cum præscisas in hoc puncto regulas figere, mere conati sint ii, quas antiquitas habuit Philosophos, & posteritas ostentat Grotios, Puffendorffios, Hobbesios, Kemmerichios, Heinneccios &c.; interim imitari illos, consulere hos, de nostro etiam superaddere quidquam, pariter conabimur. *

* Rem

* Rem enim adeo ſpinoſam, prout oporteret, diſcutere, non patiuntur & temporis, quo arctamur, anguſtiæ, & ſcripti cujusdam anonymi ſero nimis facta communicatio, cujus neoterica & inaudita fere principia per rimam *jurium ſocietatis* in publicum protruſa levi ſaltem lance, eaque pure academica perſtringere, ſumus aggreſſi, pinguius eorundem examen aliis curis relinquentes.

## §. VII.

Societas *per ſe*, & *ex natura ſua* nullum imperium, nullam jurisdictionem, aut poteſtatem corporis in membra importat; * niſi ſocii vel expreſſim, vel ſaltem tacite ejusmodi jus toti collectioni detulerint, ** aut obſervantia adjecerit. ***

* Nam a *liberis* initur ſecuritatis, bonique communis in ſingulos redundantis cauſa, nec plus juris habere intelligitur, quam a ſingulis paciſcentibus accepit; cumque nemo libertatem ſuam jactare ſeu abdicare, ſine graviſſimis rationibus cenſeatur, non video, ad quid plus ſe ſocii obligaverint, quam ad cooperandum mediis pro eodem fine; ſi ergo ſocius hanc conditionem infringat, & fœderis, pactique leges non ſervet, nil poterit ultra corpus ſocietatis, quam eundem e ſocietate expellere, & viciſſim ipſi communia denegare auxilia; exemplo Mercurialium & Capitolinorum in M. Furio apud Cicer. ad Quint. fratr. *Lib.* 2. *Epiſt.* 7. aliud foret, ſi ſocius toti ſocietati damnum inferre, attentaret, eo enim caſu, illa defenſionis jure gauderet, aſt rurſus non vi Societatis, ſed ex primis juris naturæ principiis pro ſtatu hominis etiam ſegrege.

** Si expreſſus fuerit conſenſus, res dubio caret, quilibet enim libertatis ſuæ in tantum arbiter, ut etiam acerbiſſimæ ſe poſſit ſervituti ſubjicere; tacitus vero tunc intelligitur, quando ea eſt ſocietatis initæ originaria natura, ut qua talis ſubſiſtere, non valeat, ſine poteſtate aut imperio corporis vel ejus, cui ſumma rerum, & diſpoſitio eſt commiſſa; ſed de hac ſocietatis ſpecie §pho ſequente.

*** Nam ſicuti conſuetudo legum, ita obſervantia fœderum optima interpres dicitur; quatenus nempe conſenſus fœderatorum taciti index eſt, & juſtæ præſumptionis præbet fundamentum. Vid. Heinnecc. *Element. Jur. N. & G. Libr.* I. §. 391. Conjectura *per obſervantiam* extendens eſt, fateor, atque hinc arctæ interpretationis videri poſſet; aſt, cum non minus factis intentionem explicemus, quam verbis, facile noſcitur, peractus obſervantiam conſtituentes nos conſentire, mentemque pandere faciendo id, ad quod agendum, ut nos obligaremus, verbis alias uteremur; Eleganter CICERO pro Cæcinna: *Quid? verbis ſatis hoc cautum erat? minime quæres igitur valuit? voluntas; quæ ſi tacitis nobis intelligi poſſet, verbis omnino non uteremur: quia non poteſt, verba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent voluntatem.*

## §. VIII.

Ex quo Societas alia perfecta dicitur, alia imperfecta, * illa jurisdictionem,

nem, connotat & Imperium, ** hæc communes, *** Societatis limites non egreditur.

* Imperfecta dicitur, quia etsi omnibus de jure naturæ requisitis vestita, caret tamen imperio, quod fortissimum securitatis publicæ munimen est. HOBBES *Elem. Philosoph. de cive c.* 6. §. 6.

** Quæ & alio nomine in disciplina J. N. & G. CIVITAS, a politicis RESPUBLICA appellatur; & definitur: *Insignis hominum multitudo independens & sub communi imperio, summaque potestate securitatis suæ causa certis legibus sociata;* Dixi: (α) *insignis hominum multitudo* non, quod eam inficias, initio minimas etiam fuisse civitates, minimaque imperia, quæ Plerumque patrio solo terminabantur, sed quod hodiedum (ut principia facto propius explicemus) ad tuendam civium securitatem respublicæ creverint vel maxime, & indies augmentari desiderent, oppressis confinibus ampliora aucupando, ut potentioribus vicinis sint viribus magis æquales ad finem securitatis eo facilius assequendum: (β) *sub communi imperio:* summaque potestate seu Regis, seu optimatum, vel populi. Unde Monarchia, aristocratia, & democratia originem trahunt; cæterum nullam rempublicam, civitatemve sine imperio subsistere posse, naturalistarum & politicorum nemo unus diffitetur, nec non regnorum omnium institutiones, & primordia, historia loquente, demonstrant.

*** Licet multifariam alterari possit consensu paciscentium: unde differt a Republica quod hæc *præter universitatem omnium civium & oppidorum multitudinem IMPERII MAJESTATE tueatur.* BODINUS de republic. Libr. III. cap. 7. init.

## §. IX.

Atque ideo societas imperfecta consocium decretis communiter factis * parere nolentem *per se* coërcere non potest, nec mediis coactivis ad paritionem adigere; ** sed tum cognitio fractæ fidei, tum coactio ad civitatis spectat Magistratum. ***

* Ea potestas collegiis seu corporibus communiter inest non tam nativa, quam tolerata per conniventiam Summi Imperii, cum ex regulis politicis præstet collegio, quam aliis relinquere statuendi authoritatem circa ea, quæ ad collegii rationes pertinent, nec sit consultum, societatum arcana cœteris nec percepta, nec cognita omnium exponere naribus. Exemplum habes in collegiis commerciorum.

** Quia est corpus in- & sub civitate, huic subordinatum, summique imperii civilis limitationi obnoxium, ne statum in statu, horrendum illud monstrum, reperire liceat; cum igitur civitas communis sit omnium judex, inconveniens fuerit, jura ejusdem Majestatica per ambitionem infringere. Confer Puffendorff *J. N. & G. Lib. VII. cap.* 2. §. 22. Grotius *de jur. bell. & pac. Lib. I.* §. *XXI.*

*** Confer prædeducta & Bodin. *Lib. & cap. cit.*

§. X.

§. X.

Nisi Jurisdictio, vel Imperium (1.) seu lege publica civitatis, seu Principis privilegio eidem esset concessum; * salvo tamen semper jure eminenti supremæ potestatis: aliisque legibus regni. **

* Ejusmodi privilegia corporibus academicis summi Principes impertiri consueverunt, sic Alma Trevirorum Universitas in suos academicos Imperium mixtum, merumque exercet; sicuti vero, quin Princeps eatenus particulam quodammodo Majestatis totis etiam Sodalitatibus in civitate enatis communicare possit, nemo dubitat; sic iisdem absolutum, & independens jus circa certum negotiorum genus Statum civitatis spectans sine necessitate extrema nemo sanus imperantium contulerit. PUFFEND. *loc. cit.* annotasse hæc, non piget ratione interpretationis in similibus Principum concessionibus faciendæ: subinde per leges Civitatis publicas certis quibusdam collegiis, corporibusve jura peculiaria in collegas & membra conceduntur, veluti mercatorum collegiis, quæ alibi & notionem causæ, & jus executionis habent, idque favore commerciorum, quæ anima status dicuntur, & nervus reipublicæ.

** *Salus* enim *reipublicæ extrema lex esse debet*; unde civitas aut ejusdem Rector per se jus habet supremæ inspectionis in conventus ejusmodi Societatum, ne adunatis consiliis statui publico, ipsique, cui subordinantur, Principi seu Imperio noceant citius, quam machinationes fuerint detectæ, imo vero civitas jure gaudet ejusmodi corpora, scintillante vel eminus pravo quodam conatu penitus extirpandi; atque hinc est, quod MUMMIUS *Romæ Consul concilia omnia singularum Achaiæ nationum, & Phacensium, & Bocotorum, aut in alia parte Græciæ deleverit.* LIVIUS *Libr.* 3. 5.

§. XI.

Aut (2) legitima præscriptione * acquisitum, quæ in Majestaticis respectu subditorum graves patitur difficultates, nec, nisi servato nihilominus civitatis bono, efficacem valet sortiri effectum, ** ne ex fortuna privatorum totius compagis præceps eveniat disruptio.

* Quamvis vero præscriptionem a jure naturæ absoluto ignorari, certissimum sit, eo quod natura soli illi relationi temporis vim dominii translativam neutiquam indiderit; nemo tamen negaverit, eandem a jure naturæ hypothetico curiose spectari. Cæterum an Regalia Principum usucapioni vel præscriptioni subjaceant, anceps est Doctorum controversia; contra Imperium præscribi nunquam posse; acriter defendunt OBRECHTUS *in Tract. de Regal.* HERMAN CONRINGIUS *de fin. Imper.* LUDEWIG *in differt. de dispar. nexu civit.* cum S. R. I. plurimique alii: sed has Virorum clarissimorum sententias ego quidem de ipsa *Majestate*, & regalibus majoribus intelligendas judico, *suprema namque jurisdictio est ipsa forma, & substantialis essentia Majestatis summa, quæ tam inseparabilis est a Majestate, quam essentia rei a se ipsa.* Vid. Covarruv. *pp. qq. c.* 4. *n.* 1. & Carol. Molin. *ad Consul. Par. Tit.* 1. §. 2. in minoribus tamen juribus Imperii decisio præfata adeo non procedit, ut

ut bono reipublicæ etiam utile, nec non necessarium sæpe sit, ejusmodi jura a certis quibusdam, legitimisque corporibus possideri, quo majori studio res administrentur, & celerior reddatur justitia. Confer. P. IGNAT. SCHWARTZ S. J. *Instit. Jur. Univers. J. N. & G. Part.* 2. *Tit.* 2. *pag.* 350.

** Hæc clausula fundatur immediate in principiis JCtorum supra allegatorum; quamdiu enim Civis remanet Civis, commodum civitatis, & felicitatem nullo modo retardare, quin omni studio procurare tenetur, propriisque bonis præferre; ita quidem, ut civis præscriptione nociva contra bonum civitatis usurus publica protectione excidat, & prætensa præscriptio, cum omnis ejusdem virtus a potestate translativa Dominii proveniat, per oppositionem civitatis intermoriatur: ex quo ulterius concluditur, civem obligationi suæ satisfacere, si juribus etiam legitime acquisitis, uti omnibus aliis bonis, exigente sic bono civitatis renuntiet.

§. XII.

Hæc ex fontibus juris naturalis, & gentium levi tubulo delibanda judicavimus, ut circa statum, politiam, & jura corporis Evangelicorum in iis punctis, quibus lex publica Imperii seu observantia nil positivi adjecerit, aut mutarit, primævo & generali quodam tramite progredi possemus, naturæ & gentium principia ac manantes inde conclusiones scopo, quo ferimur, propius appensuri.

# CAPUT II.

## De origine, progressu & statu corporis Evangelicorum usque ad pacem Westphalicam inclusive.

§. I.

Corpus * Evangelicorum fœderibus potissimum coaluit inter Protestantes mutuo erectis, cum enim hi a Cæsare, statibusque Catholicis novorum dogmatum, & bonorum Ecclesiasticorum ergo non leviter premerentur, de communi defensione mutuisque auxiliis serio cogitabant, exteris etiam potentiis in societatem adlectis. **

* Hodiedum ratione hujus nominis inter Catholicos & A. C. addictos aliquatenus convenit, quanquam ejusdem in Cancellaria Cæsarea, & plerorumque statuum Catholicorum rarus usus, nec non fervida desuper disputatio emerserit sub regimine Caroli VI. gloriosissimi Principis notante id speciatim decreto Commissionis Cæsareæ de Anno 1720. Mithin einem jeden erachten zu lassen, ob Sie (Kayserliche Majestät) nicht die gröste Ursach haben ihr Reichs-Vätterliches Leydwesen, und Empfindlichkeit über sothane unnöthige, unruhige, ohngründliche, und ohnordentliche Rathschläge und Beginnen zu äusseren, und sich gegen die Gestalt

Gestalt eines sich so nennenden CORPORIS EVANGELICI, folglich über dessen gebrauchenden modum bey dem gantzen Reich höchstens zu beschweren, und dargegen von Kayserlichen Ambts wegen das behörige zu begehren, und vorzukehren, allermassen ihro der Text de uno Capite & uno Corpore & singulis membris ex art. 5. §. 19, quod unum Imperii corpus, & quid sit, si non pro uno considerari possit, wohl bekandt seye; hanc Imperatoris declarationem exsequebatur alia ad remonstrationes legatorum Protestantium facta responsio de 14. Februarii A. 1721.

** Propriis enim armis non confidentes protestantici status contra ingentem vim Cæsaris Caroli V. fœdus, quamvis, uti prætendebant, mere defensivum cum Franciæ, Angliæ, Daniæque Regibus inire parabant, libertatem sic dictam conscientiæ, & plurium jam bonorum Ecclesiæ possessionem defensuri.

§. II.

Unde variis præhabitis inter se conventibus, * quanquam spe magis, quam effectu lactati, ** tandem A. 1530. Schmalcaldiæ fœdus feriunt, *** cui status, & plurimi, & facile potentiores, attractis insimul liberis imperii civitatibus, alacres dedere manus.

* Uti erat Spirensis de A. 1529. Norimbergensis, ubi concepta quædam fidei formula, Rotacensis, Suabacensis, ubi recitata doctrinæ summa septendecim articulis comprehensa; iterum Norimbergensis de A. 1530. Schweinfurtens. de A. 1532. &c.

** Nempe in re proposita partim divisi opinionibus, partim vel Cæsaris vel potentiorum antiquæ Religionis Statuum periculosam metuentes viciniam in unum, stabileque illud coire vix poterant, nescio, an consilio, an viribus deficientes. Vid. Schleidan. *Lib. VI.* Seckendorff *histor. Luther. Lib. II. pag.* 139. Müller *L. II. Cap. XXII.*

*** Burcard Gotth. Struv. in Corp. histor. German. Tom. 2. period. X. sect. 4. §. 47. *Protestantes igitur vim Cæsaris metuentes eodem anno tertio Schmalcaldiam conveniunt, litterasque ad Reges Franciæ, Angliæ, Daniæ, maritimasque ejus tractus civitates, & ad alias Imperii dant Urbes de fœdere cum ipsis pangendo &c.* ad majorem dein hujus fœderis firmitatem addita formula arctior A. 1536. Confer. Joachim. Camerarii *histor. belli* Schmalc. apud Freherum *Rer. Germ. Scriptor. Tom.* 3. *pag.* 564.

§. III.

Cumque per transactionem Passaviensem, pacemque Religiosam dissensionis turbines sopiti quidem viderentur, * ast novis protestantium querelis resuscitati essent, obstetricante potissimum edicto restitutorio Divi Ferdinandi II, ** novis se pactis ad communia animant auxilia, *** ex quibus tandem sic dicta UNIO resultabat. ****

* MAURITIUS Saxoniæ Elector ob frustratam ejus pro Philippo Hassiæ Landgravio in quintum jam annum apud Cæsarem captivo intercessionem exacerbatus arma in Carolum V. movere cogitat, huncque in finem convocatis ad Locham fœderis Schmalcaldici sociis cum Galliæ Rege de novo fœdere tractat & concludit; bello inde inter fœderatos, Cæsaremque exorto primum Passavii A. 1552 dein August. Vindelic. A. 1555. de pace inter Partes Belligerantes convenit, ita ut pax profana Maximiliani I, constitutis etiam pluribus aliis articulis, ad Religionis negotium, bonorumque Ecclesiæ possessionem saltim interemisticam extenderetur.

** Protestantes ab insequentibus Imperatoribus durius habiti tam de libertate Religionis turbata, quam judiciorum Imperii, præsertim Cæsarii Aulici attentatis proposuere in Comitiis Statuum correspondentium Norimbergensibus de A. 1619. gravamina, quæ tectum, quasi & serpentem adhuc indignationis ignem fovebant, donec tandem emanato Ferdinandi II. Edicto restitutorio in apertas flammas erumperent; hoc Edictum VI. Martii A. 1623. lucem aspexit, quo bona Ecclesiastica a Protestantibus post transactionem Passaviensem occupata sive mediata fuerint, sive immediata, Catholicis restitui jubentur; in recusantes proscriptio decernitur, & executio citra exceptionem confestim facienda; his vero minime acquievit Cæsar, sed fortunæ secundæ viribus fretus iteratis Edictis prioribus, conditisque novis severioribus imperata urgebat. Confer. Londorp. *act. public. Tom. III. pag.* 1048.

*** A. 1623. primo promulgati Edicti anno A. C. addicti Principes Heydelbergæ conveniunt, de legatis ad Cæsarem mittendis, qui abolitionem Edicti urgerent, tractant, de milite conservando, alendoque studiose cogitant, quo alacrius Imperatori dira jam omnia pro executione decreta machinanti communi opera resisterent. LONDORP. *Tom. cit. pag.* 1048. KHEVENHÜLL. *Annal. Ferdinand. Tom. XI. pag.* 681. Gustavum Adolphum Suecorum Regem jam tum A. 1614. invitatum, sed viribus tantæ expeditioni imparem iterato sollicitant, ut in extremo conscientiæ, & libertatis discrimine fluctuantes soletur, & eripiat. PUFFEND. *Rer. Suecic. Lib. II.* §. 1.

**** Rebus cum Sueco nunc validiore prævie compositis in Februario A. 1631. Lipsiæ congrediuntur Protestantes, habitisque plurimis deliberationibus communi consilio 2. Aprilis ejusdem anni fœdus solenne pangunt præsente etiam legato Sueco Philippo Chemnitio, de copiis augmentandis, re militari & tormentaria prolixe statuentes, Recessus iste Vid. in Londorpii *actis publ. Tom. IV. pag.* 144. cui porro subscripsere, Joannes Georgius Saxonum, Georgius Wilhelmus Brandenburgiæ Electores, Augustus Sulsbacensis, Wilhelmus Hassiæ Landgravius, Joannes Philippus Saxo-Altenburgicus cum Coburgico & Vinariensi, Fridericus Marchio Badensis, Augustus Anhaltinus, Saxo-Eisenacensis, Brunswicensium & Lüneburgensium Duces, Marchio Brandenburgo-Berutinus, Bremensis Archi-Episcopus, Abbatissa Quedlinburgica: Mansfeldiæ, Solmensium, Stolbergiorum, Barbiensium, Waldeccensium, Lippensium, Schwartzeburgicorum, Ruthenorum Comites: Civitates Argentoracensis, Francofurtensis, Erfurtensis, Augusta Vindelicorum, Lubecensis, Bremensis, Brunsvicensis, Hildesiensis, Nordhusana & Mülhusensis, quibus dein reliqui Suæviæ, Franconiæque ordinis accessere.

Cæterum perquam apposite nomina paciscentium hic inserenda, judicavi, ut fœderis prætacti amplitudo, & sensim in unius quodammodo corporis formam coalescens protestantium numerus cognosci possit.

## §. IV.

Quanquam vero Imperator hoc veluti apertæ rebellionis fomentum vehementer improbans, datis ad fœderatos litteris dehortatoriis; missisque Commissariis conspirationem dissolvere, intenderet, * impedire tamen non potuit, quin Uniti ** varia tentata belli fortuna tandem etiam Franciæ Regem Ludovicum XIII. pro tuenda tantummodo, *** ut ajebant, conscientiæ pristinaque statuum libertate in communionem Unionis accerserent. ****

* Acta publ. apud Londorp. Tom. IV. Lib. I. cap. 44. n. XIII. Hierumb zu ermahnen und befehlen wir Ew. LL. LL. und euch den obbemelten zu Leipzig vereinigten Churfürsten und Ständen sämptlich, und auch einem jeden in sonderheit, und absonderlich hiemit, daß sie von obangeregter Kriegs-Verfassung und vorhabenden Werbungen gäntzlichen ablassen, und damit inhalten, was dieesfals allbereit ins Werck gerichtet, solches abstellen, das geworbene oder bestelte Volck zu Roß und Fuß, auch darzu angenommene hoch- und niedere Befelchs-habere wieder abdancken, und dimittiren, auch sich darbey gehorsamblich und also bezeugen, wie sie es als unsere und des Heiligen Reichs getreue Churfürsten und Ständt gegen uns als Ihrem höchsten Oberhaupt vermög ihrer geleisten und obliegenden schweren Pflicht zu thun schuldig &c. &c. similia fere reperio in secundo & tertio mandato avocatorio, loc. cit. n. XIV. XV. & XVI.

** Inde vocabantur die Unierte, Unionisten, seu correspondirende Ständt.

*** Quo prætextu & jam antea utebantur in mandatis ordinum Circuli inferioris Saxonici de A. 1626. mense Martio apud Londorp. act. publ. Tom. 3. Lib. 8. cap. 76. pag. 869. Obwohlen höchst- hoch- und wohlgemelte Fürsten und Stände, nachdem aus hochdringender Noth, jedoch in Krafft und nach anleitung des H. Reichs Execution Ordnung und Abschiede- und Reichskündigen unverruckten Herkommens, ein defensions-Verfassung anstellen müssen, nicht allein ausdrücklich dabey verabscheidet, sondern auch alsobald der Römischen-Kayserlichen Majestät unserm allergnädigsten Herrn, und andern zu verhütung mistraulicher Gedancken, Argwohn und wiederwärtigen Impression aus auffrichtigem offenen teutschen Hertzen in Schrifften getreulich avisiert und versichert, daß solche ihre Verfassung ... zu höchst-nothwendiger zulässiger Handthab der theur-erworbenen *Libertät* und *Religion* und *profan* sachen, sambt hergebrachten Exercitio Augspurgischer Confession (als des höchsten Kleynod, so Fürsten und Stände in dieser Welt haben können) -- auch abwendung fernerer angedroheter Einlogierung und Feindlichkeiten solle gebraucht und angewandt werden &c.

**** Francofurti scilicet, anno 1635. mense Octobre; cum nimirum sapientiores protestantium, uti Elector Saxoniæ, rejecto quidem primum fœderis cum Gallo ineundi consilio, re tamen Confessionistarum extremum desperata tandem eatenus consensissent. Schmaussens kurtzer Begriff der Reichs Historie pag. 653.

## §. V.

Rerum Suecicarum post mortem Gustavi Adolphi supremus moderator Oxenstierna tum divisionem ratione doctrinæ inter Protestantes regnantem, tum minus ordinatam fœderis politiam perspiciens, * quo iisdem intensius consuleret, corporis cujusdam politici formam introducere satagebat. **

* De Suecorum enim sat pingui fortuna suspicantes, suisque terris ipsimet metuentes quidam, alii Cæsaris illecti promissis aut sibi pro futuro per gratiam Domus Austriacæ consulturi seu vacillabant seu plane a fœdere recedebant; tractatu præcipue Pyrnensi, paceque Pragensi insecuta. DUMONT *Corps diplomatique Tom. VI. P. I. pag.* 99.

** In Conventu Heylbronnensi: zwar hätte Ihro Königliche Majestät Höchst seeligen Gedächtnus nichts liebers gesehen, als daß sie unter den Evangelischen Churfürsten und Ständen des Römischen Reichs ein allgemeine Haupt-Verfassung machen und stifften, und sie unter ein CORPUS hätte bringen mögen; & inferius: Ihro Majestät hätten bey den Ober- und Nieder-Sächsischen Kreysen in Person zu diesem Zweck arbeiten wollen, damit ins künfftig alles zu einem scopo und intention so wo möglich unter einem CORPORE dirigiert werden könte. Theatrum Europæum Tom. 3. fol. 29.

## §. VI.

Hæc idea & status ordinatio arridebat A. C. addictis, ita ut eandem magis unito jam fervore amplecterentur, * etsi opportunis ad hoc institutum remediis, consiliisque nondum satis muniti. **

* Dudum enim ejusmodi unionem meditantes in conventu jam Heydelbergensi & Aschusano de 1608. commune Unionis Consilium: einen allgemeinen Unions Rath erigere statuebant. imo vero in ipso, qui fuit Lipsiæ, tractatu de A. 1631. mentem declarabant satis in verbis: und weil der sachen Hochwichtigkeit erforderet, es auch in künfftig in acht zu nehmen, und aber die grosse Zusammenkünffte sehr langsam hergehen, kosten Ursachen, auch die Consultationes nicht wenig remoriren und auffhalten; als haben die anwesende Churfürsten und Stände, und der abwesenden Räthe und Gesandten nöthig befunden, daß nach anleitung der weisen vorfahren, welche es in dergleichen Fällen, auch also für gut und heilsam ermessen, ein Ausschus verordnet werden möchte, dergestalten, daß demselben von den anderen Ständen volle Macht und Gewalt gegeben, und heimgestellet würde, sich bey zutragenden Nothfällen zusammen zu betragen, alles reifflich zu erwegen, und wo so dan in einem und andern vor gut und nützlich nach der sachen gelegenheit von ihnen erachtet würde, daß die anderen solches auch Ihres theils allerdings vor genehm halten rc.

** Scilicet aderat nondum illa animorum in eundem scopum conjunctio, seu suspiciosa quædam manebat dissensio, quæ Consilia retardabat, armorum etiam cursui obsistente statuum invidia, & male securi exitus metu; pulchre PIASECIUS pag. 483. *Sed tamen pleræque civitates Imperiales hujusmodi pacificationem Pragensem susceperunt, sufficere sibi ratæ, si ejus præsidio a præsenti calamitate servarentur, nepotibus autem integram relinquerent curam propugnanda-*

*nandarum suarum immunitatum, si post quadraginta induciarum annos majori necessitate urgebantur.* Atque hinc præallegata protestantium conclusa effectu caruerunt usque ad ipsos pacis Westphalicæ tractatus. MOSERS teutsches Staats-Recht zehender Theil pag. 22. CHEMNITZ pag. 707.

## §. VII.

Unde nova ad Mœnum in Francofurto conventione * conscripta non exiguo illuc numero congregantur A. 1634. OCHSENSTIRNA directore, ** qui negotia fœderatorum *** gravi authoritate moderando ampliorem Protestantibus respectum conciliabat, **** dum interim Christianus Daniæ Rex varia de pace cum *Ligistis* ineunda proponeret.

* De hac insinuavi pauca §. 4. ***

** Acta Neoburg. cum statib. in caus. neutralitat. Fürstl. Neuburgisch. Proposition ad Evangelicos. Hoch- und Wohlgebohrner der Königlichen Maj. in Schweden fürtrefflicher Herr Reichs-Cantzler und DIRECTOR, auch Durchläuchtige, Hochgebohrne Fürsten, Hoch und Wohlgebohrne Grafen &c. Nec minus in alia Neoburgici propositione: Hochgebohrner der Königlichen Maj. in Schweden, Herr Reichs-Cantzler, und Evangelischen Bunds DIRECTOR. In consequentibus tum conventus Francofurtensis, tum Principum aliorum ad eundem rescriptis repetita hujus tituli mentio reperitur, splendida sane prærogativa, cum in allocutionis ordine legatus Neoburgicus ante omnes S. R. I. Principes primum appellaret Ochsenstirnam.

*** Quo nomine in literis ad Regem Daniæ, qui se pacis mediatorem obtulerat, datis subscribunt: dienstwillig geflissene und unterthänigste derer Confœderirten Churfürsten, Rheinischen, Fränckischen, Schwäbischen und Ober-Rheinischen Creysen anwesende Fürsten, Stände und Abgesandte &c. Iterum: als von allen Confœderirten Evangelischen Ständen &c. rursus: die abgeordnete Stände, Bottschafften und Deputirte der Confœderirten Evangelischen Frey- und Reichs-Städten &c.

**** Adeo, ut ad eorum conventus etiam querelæ religionis negotium minime concernentes deferrentur in ordine ad congruum iis remedium seu propriis viribus, seu protectione interposita adferendum: sic Wolffgangus Wilhelmus Dux Neoburgicus pro neutralitate impetranda apud fœderatos vehementer instabat, & relicti ab Augusto Palatino pupilli ipsorum implorarunt authoritatem contra injustam, ut prætendebant, usurpationem Ducatus Neoburgici a dicto Wolffgango detenti in verbis: wie nun dieses versehentlich anderst nicht, als die Billigkeit ist, und damit Chur- und Fürsten alt- und vätterlichen Testamenten ein genügen geschicht, also thue dieser Fürstlichen Pupillen gerechte Sach, auch hochbedürfftig und nothgedrungenes anlangen. E. Exc. F. F. F. Gn. Gn. Gn. in Dero protection und zum besten unterthänig und dienstlich recommendiren. Dat. 6. May 1634.

## §. VIII.

Nihilominus Saxoniæ Elector fervidus alioquin rei protestanticæ fautor, * Cæsari

Cæſari ſemper fidus, quascunque A. C. ſtatuum conventiones vehementer increpavit, legibuſque Imperii, obſervantiæ & Cæſareæ authoritati contrarias edixit palam, ** in ipſis demum etiam pacis Weſtphalicæ tractatibus eadem ſequutus conſilia. ***

* In ipſius enim Saxoniæ terris enatam ſcimus novitatem doctrina Lutheranæ, & Confeſſionem Auguſtanam, Authoritate Electoris agente obſtetricem; hic conficiendæ confeſſionis promotor, ejusdem & proteſtationis contra innovationem Edicti Wormatienſis exhibitæ anteſignanus fuit.

** Moser teutſches Staats-Recht. L. 3. cap. 11. §. 28. Ja A. 1594. wolte der Adminiſtrator der Chur-Sachſen nach denen bekannten damahligen principiis dieſes Hoffs gar nicht mit einſtimmen, daß auf dem Reichs-Tag dergleichen Evangeliſche Conferentzien gehalten werden ſollten. Unde Pfanner Libr. II. §. XVI. *inter paucos, aut potius nullos ſolus Saxo Elector Cæſarum domui fidus Regum conſilia in deterius trahebat, quibus non magis quam fortunæ raro ſinceræ, fidendum monebat &c.* Suſpicabatur nimirum Princeps jam tum id, quod triſtis docuit eventus; cum ſtatus libertatem conſcientiæ, miraſque prærogativas quæſituri venerabilem adeo cunctis gentibus Germanorum potentiam nexu vetere firmam, nunc vero prorſus diſruptam exterorum riſui & dominationi exponerent; quamvis vero Suecorum, Gallorumque Conſilia & Machinationes ſubodorarent tandem, ſapuere nimis ſero, rebus ita implicatis, ut neutra pars ſolo Germano cedere vellet, donec nobiliſſimas Imperii terras ab eodem avellerent, ambitionis ſuæ victimas.

*** Atque hæc erat ratio, cur Franciæ, Sueciæ, omniumque Proteſtantium in ſe diffidentiam attraheret: *infeſtus Regibus inviſuſque, neque Religionis ſuæ ſociis multum gratus, quibus Evangelicæ rei incommodare videbantur, qui moderatiora ſuadebant, . .* *Etiam SERVIENTIUS Galli* (ad pacem Weſtphalicam) *Orator privatis colloquiis inhumanitatem ejus inſectabatur, qui ſociis Religionis, quos juvare debuerat, pejora intulerit, quamque ab hoſtibus timeantur; immemor nempe eorum, quæ in Catholicos Galli patrabant.* Pfanner. Loc. cit.

## §. IX.

Quamvis inter fluctuantes Oſnabrugæ, & Monaſterii Weſtphalorum tractatus conventiones Proteſtantium frequentiores fierent, * ita ut corporis cujusdam politici figura indies appareret clarius, manifeſto argumento, corporis ſic dicti Evangelicorum natales *politiæ hodiernæ* in diebus pacis Weſtphalicæ reperiri, ** quippe ubi ſe ejusdem vis & energia potiſſimum exſeruit. ***

* Confer. acta pacis Weſtph. apud Mayern, Isaaci Wolmari Baron. de Rieden diarium ſive protocoll. actor. Inſtrum. pac. Michael. Caspar. Londorpii acta public.

** Varios, eoſque non paucos Proteſtantium jam tum ab incunabilis novæ Religionis fœderatorum conventus recenſui ſupra; aſt in ſimul monui, illos effectu caruiſſe, quia rectus ordo, media, conſiliaque deficiebant, nec una omnes,

omnes, sed modo illi, modo hi deliberationibus intererant, donec viribus exhausti desperato fervore coalescerent, æternum jam libertatis suæ fundamentum posituri.

*** Moser St R. zehender Theil. Libr. 3. cap. 11. §. 21. bey diesen äusserte sich die Form und Würckung des Corporis Evangelicorum auff eine ausnehmende Art die ganze zeit deren Tractaten hindurch, massen die Evangelische Stände über ihre Gemeinschafftliche angelegenheiten so wohl zu Osnabruck als Münster ihre eigene solenne conferentien hielten; qua vero ratione quibusve in punctis se exseruerit, docebunt sequentia.

## §. X.

Quo pertinet (1.) libera & conjuncta gravaminum exhibitio, * quæ tum [illegible]aratis ** omnino in conventibus conceperant protestantes, tum sub collecti- subscriptione fecerant expediri, nulla facta inter causas Religionis, politicas- e differentia. ***

* Qualis illa de 15ta Decemb. A. 1645. apud Londorp. Tom. V. Lib. II. Cap. CXIV. wie sehr die Evangelische zuwider dem Passavischen 1552. auffgerichteten Vertrag, und dem A. 1555. verglichenen hochbedaurlichen Religions-Streit 2c. item illa de eodem anno apud Lond. loc. cit. cap. CXV. quibusque dein Catholici in extenso respondebant, atque hoc modo utriusque Religionis fœderati invicem communicabant usque ad amicabilem.

** Prout ex compluribus Sessionum protocollis in propatulo est: veluti ex Protocollo Osnabrug. de 14. Decemb. 1645. in ingressu: *Directorium* erinnert, es seye ohnlängst beliebt die Gravamina denen Kayserlichen, Schwedischen und Maynzischen durch bereits benante Deputatos zu exhibiren: Nun seyen sie beysammen, also die Frag, wan es vorzustellen? Collectis demum votis *Conclusum:* die Gravamina morgen zu exhibiren und Chur-Sachsen und Brandenburg ihre Nothdurfft zu reserviren Nec minus ex protocollis Osnabrugensibus de 17. Decemb. ejusd. anni. de 16. & 17. Januar. 1646. & Monasteriensi de 8. Junii ac Julii ejusd. &c. &c. quibus lucem ad fundit ipsa historia pacis apud Mayeren Westph. Fried. Handl. Lib. X. §. 13 in verbis: nach also exhibirten Gravaminibus Berahteten sich die Evangelische Fürstliche Stände so fort weiter wie? wan? und wo? dein Lib. XXXIII. §. 31. Donnerstag den dritten Februarii fasseten sämbtliche Evangelici den Schluß bey Schweden per Deputatos zu vernehmen, was bey gestriger Conferentz mit den Kayserlichen vorgegangen seye 2c. Rursus libr. & §pho cit. pag. 980. in conventione publica apud legatos Cæsareos die Evangelische nahmen hierauff einen Abtritt in das Vorgemach, und ward nach gepflogener Unterred, und Eintritt in das Audientz Gemach zur Antwort gegeben 2c 2c.

*** Tractabant enim de comitiis post singula triennia a Cæsare indicendis, de redintegratione matriculæ, de jure belli & pacis, fœderum, collectarum præscriptionum, vectigalium, de ordinariis & extraordinariis Imperii deputationibus, de titulo *Excellentiæ* legatis Electorum concedendo vel non, de modo votandi curiatim aut viritim &c. &c. de his omnibus serio deliberabant, & quatenus excessus circa ea commissos esse, opinabantur, gravatos se

se dicebant, quin etiam plurima, quæ hactenus non interruptæ erant observantiæ, abrogari, dictatorie postularunt.

## §. XI.

(2) DIRECTORIUM* proprium corporis, quod etsi diu eoque adhuc tempore fuerit ambulatorium,** modo est perpetuum, ac uni, eique soli inhæret principatui *** controversiis desuper quondam exortis omnino compositis. ****

* Ochsenstiernam Sueciæ Cancellarium ante pacem Westphalicam fœderis Protestantici egisse directorem, vidimus supra §. 5.; in ipsis etiam protocollis conventuum frequens *directorii* mentio reperitur; & speciatim in iis, quæ §. præced. Produximus, siquidem omnium ingressus per directorii propositionem exorditur: *Directorium proponiret*: porro ad directorium pertinet jus indicendi, die Ansag, proponendi, vota colligendi, die Umbfrag, per dictaturam communicandi &c. &c. Cæterum A. 1647. vehemens inter Moguntinum & corporis Evangelici status disceptatio efferbuit ratione dictaturæ in politicis, quæ demum sopita fuit.

** Rem scilicet protestantium jam inde a nascente dogmatum novitate curabat potissimum Elector Saxoniæ, & quamvis *Directoris* nec nomen nec vices proprie tulerit, præcipua tamen quadam sollicitudine circa Religionis negotium versabatur: in pacis Westphalicæ tractatibus jam Magdeburgicus, nunc Saxo-Altenburgicus, alias Brandenburgo-Culmbacensis ad directorii sedebant gubernaculum, quin Saxo Electoralis se ullatenus immisceret. Confer. acta pac. apud Mayerum locis §pho 10. citatis.

*** De directorio moderni temporis hic differere minus appositum videri posset, cum puncta hujus Capitis pace Westphalica limitentur; nihilominus de illo præmonere pauca constitui, ne ad jura corporis Evangelicorum in membra veluti imparatus prorumperem; porro directorium illud hodiedum stabile est & Electoratui Saxonico annexum, prout notoria docemur observantia; unde & Exemplar unum instrumenti pacis & recessus executionis de 1650. nec non aliorum inter Catholicos & Protestantes, quando in partes eunt, erectorum in suo custodit Archivio.

**** Augusto II. Electore nimirum A. 1697. ad sacra Catholicorum reverso Protestantici status Directorio ejusdem quippe Principis Catholici resistebant, donec tandem variis hinc inde ventilatis, & inceptis jam pacis Ryswicensis tractatibus, acquiescerent, spe potissimum lactati, Electoralem filium nunc sensim adolescentem in ipsorum communione esse perstiturum; Cum vero & hic A. 1717. ad gremium Ecclesiæ rediret, exacerbata contentio est, quæ demum certis conditionibus subsidit. CONFER HENNIG *meditat. in instrum. pac.* passim. An Evangelici in Collegio Principum jus habeant peculiaris directorii, non est decisum, nec hujus loci.

## §. XII.

(3) ARCHIVIUM COMMUNE, in quo omnes Scripturæ, instrumenta, & chartæ, quæ vel rem corporis domesticam, * vel inita cum Catholicis, alius-

aliisque pacta, ** vel missas nomine fœderatorum, receptasque litteras *** concernunt, sub custodia Directoris **** asservantur.

* Veluti originalia projectorum, quæ pro conservatione, commodoque corporis quandoque fabricantur opportunis in casibus usui ventura, nec minus assecurationum litteræ, quibus confœderati Reges exteri assistentiam, subsidiaque pollicentur: de arcanis, quæ in conferentiis tractantur, nonnunquam citius propalatis, conqueritur MOSER im teusch. St. R. zehend. Th. Lib. 3. cap. 11. §. 160.

** E. g. Instrumentum pacis Westphalicæ, & recessus Executionis Norimbergensis, Haupt-Friedens executions-recess zu Nüremberg de An. 1649. & 1650. cujus exemplar a compaciscentibus subscriptum cum legatus Saxonicus ad Archivium Corporis extradi, peteret; restitit Moguntinus, consensit tandem, sed reversales postulans, hanc extraditionem esse factam nudæ informationis Gratia, quin ejusmodi exemplar, uti reliqua Archivii Moguntini, vim probandi contineat; verum has clausulas rejecere protestantes, eoque demum res recidit, ut in dictis reversalibus plane omitterentur: An autem Directorio Moguntino jus suum eatenus salvum non manserit, alterius est discussionis: hoc certum, plura tum temporis, quæ substantiam pacis non ingrediuntur, contigisse per conniventiam, quam positivam juris cessionem.

*** Puta supplicationes ad Corpus: remonstrationes ad Imperatorem, hujus rescripta responsoria, litteras imploratorias ad fœderatos exteros, & præcipue Suecorum Regem, quem perpetuum mediatorem venerantur Protestantes, rescripta corporis, uti vocant, dehortatoria ad status singulos, quasdam etiam informationes legatorum ad Principales, & receptas desuper instructiones, litteras communicatorias tractatuum & conclusorum corporis ad correspondentes, protectoria &c. &c. Cæterum prolixius differere de Politia corporis, de modo tractandi, votandi, periculosum foret; cum ipse horum omnium sedulus investigator Moserus satis ambigue scribat, pro exemplo sit passus sequens: Jeder bey einer Evangelischen Conferenz erscheinender Gesandter hat, einigen Berichten nach, nur ein Votum, wan er gleich in denen Reichs Collegiis deren mehrere zu vertretten hat. Teutsch. St. R. zehend. Th. L. 3. cap. 11. §. 153.

**** Vid. §. 11. *** & hujus §phi signum **. Conf. Moser loc. cit. §. 136.

## §. XIII.

(4.) INTERCESSIONALES, dum Corpus Evangelicorum pro confœderatis, vel eorum subditis, quos contra Instrumentum pacis, seu alias Imperii sanctiones, seu observantiam læsos prætendit: * Imperatoriam Majestatem implorat, ** ut veluti supremus Judex & pacis Executor opportunis adversus refractarios remediis animadvertere dignetur. ***

* Prout nimirum prætensæ sæpius pressuræ a querulantibus denunciantur, non raro enim vel falsa veris miscentur, vel magnus Clamor est sine causa, uti pluribus posset exemplis demonstrari, adeoque perperam adversus Cæsarem que-

queruntur DD. Protestantes, si non illico ad eorum querelas mandata dehortatoria, cassatoria, aut executorialia decernat, sed rem suis circumstantiis vestitam accuratius examinet: Unde Evangelicorum legatis ad Comitia Ratisbonæ non immerito objicit Cæsar in decreto Commissionis d. d. 12. April. 1720. und darinnen vielleicht die gantze Schuld seye, daß es gleichsam in dem Heiligen Reich scheinen, und daraus krafft der Schrifftlich übergebenen so genanten anderweiten Vorstellung dahin getrieben werden wolle, als ob Ihro Kayserliche Majestät als dem Ober-Haupt und dero Höchsten Reichsgerichten obliege, so bald eine Parthey A. C. Verwandten theils seye, daß man weder via ordinaria processuum verfahren, oder gleichsam alle Leges überführen müsse, oder diesen weniger, als anderen Reichs-Gliederen und Unterthanen die probatio juris aut legalitas rerum & temporis obliege :c. :c. nec minus recte Catholici in reflexionibus super monitis Ecclesiasticis protestantium ad Capitulationem Caroli VII. declarant: daß in Religions-Sachen die klagende Partheyen an das so genante Corpus Evangelicum, um Vorstellung, und intercession sich vielmahlen gewendet, ist niemahlen verwehrt, wohl aber gewünschet worden, wie noch zu wünschen wäre, daß gedachtes Corpus die an dasselbe kommende öffters gantz ungegründete Beschwerden. ohne theil daran zu nehmen, gleich zuruck weisete, und sonderlich die Casus distinguirte, wo die höchste Reichsgerichte secundum nudum factum possessionis simpliciter die Execution zu decerniren oder aber theils über bemeltes factum possessionis, theils über das darin obwaltende Recht die ex ipso instrumento pacis nöthige Erkentnis vorzunehmen haben.

** Stylo equidem quandoque minus decente & dictatorio: uti insinuat præallegatum Decretum Commissionis Cæsareæ his verbis: worüber man sich dan selbsten bescheiden mögte, ob solche Ding in genere & folle, und ohne benahmsung einiger besonderen Sache einem Römischen Kayser auff offentlichem Reichs-Tag wider dero glorwürdigiste Vorfahrer gantz obenhin unter die Augen zu sagen, zu schreiben, und zu drucken, der Gebühr und Respect gemäß, und ob es eine Art seye, sich so zu beschwähren oder einige sache, welche sie auch seyn möge, solcher gestalten ordentlich zu Ende bringen zu können :c.

*** Quod fit per mandata inhibitoria, cassatoria, aut etiam executorialia ad Circulos Imperii. Plures protestantium intercessionales legi possunt in der Reichs-Fama passim.

## §. XIV.

Hæc de origine, progressu & statu Corporis Evangelicorum usque ad pacem Westphalicam monuisse sufficiat, & quamvis de sistemate ejusdem etiam moderno postremis lineis non pauca notaverimus, atque hinc videri posset; limites Rubricæ fuisse superatos; hæc tamen præfigere operæ pretium fuit, ut quandam illorum jurium notitiam capere liceret, de quibus in sequenti non erit quæstio.

CA-

# CAPUT III.

## De juribus Corporis Evangelicorum in membra seu constatus Protestantes.

### §. I.

Extra dubium est, non modo Protestantibus, * sed & omnibus Imperii Statibus jus competere pangendi fœdera tam inter se, quam cum exteris, ** communis defensionis ergo, quin tamen hæc confœderatio contra Cæsarem sit, aut Imperium. ***

* Nihil hi prætendent præcipui, cum *exacta inter utriusque religionis status, mutuaque debeat servari æqualitas*, Instrum. pac. art. 5. §. 1. & alias etiam Catholici in anterioribus imperii recessibus, ipsisque pacis religiosæ tabulis vocentur status *antiquæ religionis* R. A. zu Augspurg 1530. §. 3. Vertrag zu Passau §. 9. Religions-Fried §. 16. 18. 21. 27. quæ scilicet hactenus fuerat *Religio regni.*

** Jus illud jam dudum ante pacem Westphalicam asseruerat JOANNES FRIDERICUS Saxoniæ Elector in tertia apologia sub dat. Torgaw 4. April. 1551. apud Hortleder von Ursachen deß Teutsch-Kriegs Tom. 1. lib. 4. c. 22. §. 53. darzu so ist der Obrigkeit von Gottes und Rechts wegen in ihrem Ambt zu gelassen Defensiv-Bündnis und Verständnis mit andern zu machen, zu Schutz und Schirm ihrer Landte und Unterthanen, und zu förderst in Sachen, die Gott und sein Wort belangen &c. huic & aliorum statuum voto suffragatur instrumentum Pacis artic. VIII. §. gaudeant 2 in verbis: *Cumprimis vero jus faciendi inter se, & cum exteris fœdera pro sua cujusque conservatione ac securitate singulis statibus perpetuo liberum esto.* Nec minus capitulationes Cæsareæ LEOPOLDI, JOSEPHI, utriusque CAROLI, & FRANCISCI I. gloriosissime regnantis art. 6. §. 4. So viel aber die Ständ des Reichs belangt, solle denenselben allen und jeden das Recht-Bündnus unter sich, und mit auswärtigen zu ihrer Sicherheit und Wohlfahrt zu machen frey bleiben. Præluserunt his antiquitus Uniones Electorum die Chur-Verein.

*** Instrumentum pac. art. & §pho cit. *ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem, & Imperium, pacemque ejus publicam, vel hanc imprimis transactionem, fiantque salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est:* & capitul. novissim. loc. alleg. dergestalten, daß solche Bündnus nicht wider Uns den regierenden Römischen Kayser, und das Reich, noch wider den allgemeinen Landtfrieden, und Münster- und Osnabrückischen Friedens-Schluß seye, und daß dies alles nach laut desselben und unverlezt des Ayds geschehe, womit ein jeder Stand dem regierenden Römischen Kayser, und dem H. Römischen Reich Verwandt ist. Radicem inveniunt hæc in Aurea bulla tit. XIV. & speculo Saxonico Lib. 2. art. 1. wo Fürsten und Herren mit Ayden zusammen schwören, sie scheiden da das Reich daraus, so haben sie wider das Reich gemishandelt.

 §. II.

§. II.

Ex quo principio Corpus Proteſtantium firmius coaluit & hodiedum conſiſtit, * hoc tamen modo, ut communibus ſocietatum legibus regatur, ac etiam limitetur, ** donec ſeu de conſenſu expreſſo, vel tacito paciscentium, ſeu lege publica, ſeu obſervantia regulam alterante *** evidenter **** docuerit.

* Cap. præced. §. 1. ** & §. 9. ſeqq.

** Cum notorie non ſit ſocietas perfecta, ſeu civitas, ſed corpus in civitate, & ſub Imperio; gentis namque Germanicæ populi dudum civitatis ſchema conſtituerant, & populis univerſis, præcipue in nota fœdera adlectis venerandum coaluere nexum cum eo, qui caput mundi dicitur, priusquam diſſectis in privata conſilia membris corpus quoddam miræ adeo compacturæ exſurgeret. Nec usque huc corpus Evangelicorum ſe a corpore univerſo unquam disjunxit, ſed in iisdem, in quibus omnia Imperii negotia tractantur, comitiis, ſuis conſulit domeſticis, ne a communi nexu deflectens ſibi male provideat. Confer. cap. 1. §. 3. **

*** Naturalibus demptis, aut aliis adjectis alteratur æque collegium in civitate, ac ipſa civitas: conſenſus ſtatuum fœderatorum efficit, ut Corpus Directorio dictatura, & archivio gaudeat, ipſum fœdus, & naſcentes ex eo conventus lege publica conceduntur, interceſſionales obtinuere per obſervantiam. Vid. cap. II. §. 10. & ſeqq. quamvis autem inſtrum. pac. art. 5. §. *& cum de majore* 41. A. C. ordinibus facultas fuerit re ſervata *apud Cæſaream Majeſtatem ulterius demiſſe intercedendi*, hæc tamen conſtitutio non eſt intelligenda de caſu, quo corpus pro ſingulis conſtatibus, ſed ubi ſinguli intercedunt pro ſe ipſis, vel corpus ipſum pro toto.

**** Contra LIBERTATEM enim & IMPERIUM clare docere oportet ſive Principi tota Majeſtas ſine limitatione Exercitii fuerit commiſſa, ſive hæc penes Civitatem ſaltem ita reſideat, ut per leges Reipublicæ ſpeciales certa jura Majeſtatica ſine conſenſu populi aut ſtatuum a Principe exerceri non poſſint. Confer. cap. 1. §. 7. & ſeqq.

§. III.

Cum igitur Corpus Proteſtanticum nec unam harum conditionum implere valeat, recte concludo, illud in membra ſeu conſtatus fœderatos nullam omnino poteſtatem aut jurisdictionem * prætendere poſſe, inattentis iis, quæ temere de hoc puncto & ſine ſolido fundamento profert ** anonymus.

* Etenim jurisdictio pars eſt ſummi Imperii & nobiliſſima quidem, maximeque neceſſaria, quæ *cum ſuprema poteſtate* redigatur in actum, unde facile concluditur, illam ex ipſa ſocietatum natura minime oriri, ſed propriam eſſe civitati, in cujus manu gladius juſtitiæ ſplendet, alioquin ſtatum in ſtatu exſurgere, manifeſtum foret, cujus tamen ſtructuræ triſtes ſequelas & fluentes inde Rerumpublicarum interitus civitas ſenſit non una in æternum opprobrium: *mihi, quanto plura recentium ſeu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obſervantur.* TACITUS Annal. lib. III.

** In

** In opella inscripta: Betrachtung über des Herren Grafen zu Wied-Runckel verstatteten Catholischen Closter-Bau zu Dierdorff; §pho meditationum 18. ita discurrit: so lang aber dieses noch nicht geschehen, und mithin das corpus Evangelicorum eigentlich nicht als Parthie gegen den Herrn Grafen anzusehen ist, stehet er noch in allen denjenigen Pflichten und Verbindlichkeiten, welche die jura societatis mit sich bringen: Dein clarius pandit sistematis sui ideas §. 22. diesem nach hat es (Corpus Evangelicorum) auff alle seinen eintzelen Mitgliederen androhende Gefahren ein wachtsames Auge zu haben, die Ihm beschehende Vorstellungen und Anzeigen zu prüfen, zu untersuchen; seine Mitglieder hierüber zu constituiren, zu dehortiren, sich gemeinsamer Principiorum, und Maß-Regelen hierüber zu vergleichen, die schwachen zu unterstützen, und in ihrem Besitz rechtens zu erhalten, auch allenfals zu solchem endt die Creys-ausschreib-Aembter ihres Officii zu errinneren 2c. Egregiam corporis Imperii pulchritudinem, habitumque conformem! sed apparebit per decursum, quam solide hæc a bicipite quodam recenter excocta primis, iisque fundamentalibus Juris publici Universalis, & Imperii Germanici principiis cohæreant.

## §. IV.

Nam (1) nulla corpori Protestantium jurisdictio competit ex consensu tacito vel expresso * statuum confœderatorum, quippe qui jugo, uti prætendunt, Papæ, & cleri excusso humeris imponere nolent, aliud quoddam peregrinum, ** a quo in exercitio jurium, quæ iis per leges imperii publicas sunt attributa, turbentur. ***

* De non existentia consensus expressi notorie constat; tacitus pariter desideratur; quamvis enim socii consensisse in ea omnia censeantur, sine quibus vel finis obtineri, vel societas subsistere non potest, fallit tamen hæc positio respectu Corporis Evangelicorum, siquidem pede magis firmo consistet, si ad ductum legum fundamentalium Regni, & Pacis publicæ judici supremo Imperii jurisdictionem & executionem relinquat, quam si nexum cum Capite dissolvens propria authoritate prorumpat, constatibus forsan inaudito ejusmodi attentato se se opposituris; Et quid si consensus membrorum etiam expressus adesset, possetne præjudicare systemati & legibus fundamentalibus Imperii? Ex quibus pronum est judicare de reflexionibus Anonymi §. 19. in verbis: bey dem corpore beruhet die Gewalt, den statum pacis und anni decretorii Handzuhaben, und sich selbsten neben anderen ihren Glaubens-Genossen in der wohl-hergebrachten Possession nach denen Natürlichen, Göttlichen, und Weltlichen Rechten zu schützen; eine Gewalt, die zu erhaltung des gantzen unentbehrlich ist 2c. hos Anonymi dictatus refellere superfluum existimo, quæ enim pure allegantur, negare sufficit. De cætero argumentum a collegiis opificum §. 21. ab ipso desumptum nil evincit, cum ejusmodi collegia vel ex privilegio, vel ex observantia longinqua de rebus domesticis solitarie decernant; adeoque manifesta hic apparet petitio principii, in quo est modo laborandum.

** Jurisdictio Papæ, & Episcoporum peregrina non erat, sed longo sæculorum cursu stabilita, quam nihilominus suspensam volebant Protestantes, fœdusque il-

illud solemne, ex quo forma corporis moderna promanavit, pepigere cum in finem, ut jugo quod vocant Cleri, Papæque dominatui prætenso unitis viribus resisterent; ac proin ipsis arridebit sane nunquam, ut dictatorio hujus corporis, in quod *libertatis* tuendæ causa coierunt, spiritui se se submittant; nunquid omnes & singuli status A. C. addicti sunt pares inter se quoad negotium religionis & jurium ex pace Westphalica? nemo unus plus juris, aut prærogativæ obtinuit, quam alter, & si etiam in exercitio juris ejusmodi a statu committatur Excessus, qui se judicem ostentabit? Corpus Protestanticum? neutiquam, in instrumento Pacis altum de hac præeminentia silentium est. Recte Moser Th. St. R. zehender Th. cap. 13. §. 4. ipse protestanticus: die Evangelische Reichs-Stände seynd qua tales **einander alle gleich**, so weit sie auch sonsten **an Würden und Macht** von einander unterschieden seyn mögen, mithin haben auch weder einzele, noch auch das gantze Corpus einem ihrer Evangelischen Mitglieder so wenig in Religions, als Politischen Sachen, das allermindeste zu befehlen, noch sich auch nur einigen Scheins der Gerichtbarkeit über dieselbige anzumassen. Qua jam ratione Anonymus ejusdem cum Mosero confessionis potuit asserere quandam distinctionem inter status potentiores, & minus potentes §. 13. Es ist wahr, daß nach dem toleranten und friedfertigen Geist unserer Kirchen verschiedene Evangelische Regenten denen in ihren Staten und Landen sich niedergelassenen Catholischen Unterthanen, die theils offentliche, theils privat Ubung ihrer Religion, mit vorübergehung des endscheids Jahres, neuerlich bewilliget haben. Wan aber in einem Punct zutrifft: duo cum faciunt idem, non est idem, so trifft es gewiß zwischen diesen mächtigen Monarchen, und dem in keine Vergleichung kommenden Herren Grafen zu Wied-Runckel zu. Factum scilicet, quod in Comite de Weda improbare aggressus fuerat, inutilibus phrasium tricis palliare studuit in aliis, qui tamen plus *superioritatis Territorialis* non habent, quam status minus potentes, licet plus *territorii* possideant: Cæterum si calamus ipsi paulo alacrior videatur, non gravate meminerit verborum asperitatis; qua catholicos, clerumque catholicum in publico scripto contra instrumentum pacis traduxit: speciatim §. meditationum 11. aus unlauteren Absichten, mit verdrehung, des nur zum Schutz, nicht aber zum Ruin der Evangelischen vestgestelten Juris reformandi, einseitig gegen ihren willen eine andere, und was noch mehr ist: die Catholische Religion auff irgend einige weise einzuführen, acerbius invehere author non potuisset, si D. Comes de Weda Turcicam quandam Mosqueé cum exercitio Paganismi erigi permisisset.

*** Per media a scriptore der Betrachtung §. 22. subministrata.

## §. V.

Nec (2) ex lege publica Imperii E. g. tabulis pacis Westphalicæ, in quibus quemadmodum jura peculiaria protestantium, uti libertas conscientiæ, possessio bonorum Ecclesiæ, suspensio juris Diœcesani &c. continentur, ita singulis statibus A. C. * eorumque subditis ** non vero cuidam *corpori* *** provisum fuit.

* Nimirum in instrumento pacis Osnabrugensis, quod potissimam Religionis negotiorum partem complectitur, *de statibus utriusque Religionis* sermo, aut *status*

*tus Catholici opponuntur illis de Confessione Augustana*, ita ut singulorum habita ratio divisim, quamvis sub eodem nomine propter eandem rationem comprehendantur; & grammaticis notum est, has voces *status Catholici*, *status A. C. addicti* non esse nomina collectiva, sed potius distributiva, saltem tam diu, donec aliunde argui possit, collectionem intelligi, non singulos: porro ante tractatus Amnestiæ generalis satis manifestum fuit, unumquemque statum pro se, suisque laborasse, suam, suorumque conscientiæ libertatem propriam affectasse, quin ad cæteros constatus ejusdem Confessionis alium respectum haberet, quam ut vi fortiore & unita suæ securitati consuleret. Confer. VOLMARUM *de Rieden protoc. actor. public. instrum. pac.* puncto ducatuum Pomeraniæ, Magdeburgici, Bremensis &c.; nec minus huc facit admissio reformatorum, uti vocant, ad pacem publicam, quæ ad defensionem, tutumque præsidium omnium & singulorum egregie videbatur conducere.

** Non, quasi subditi in fœdere, ac proin in corpore ipso essent comprehensi, sed quod status subditorum suorum conscientiæ libertati sic dictæ provisuri legis Imperii publicæ munimen, & communem aliis protectionem pro illis expeterent, ita ut in casu læsionis subditorum his vel ad Dominos territoriales, vel pro re nata ad supremum Executorem pacis salvus maneret recursus Confer. Cap. 1. §. 5. cum not.

*** Amicabilis quidem, sed innumeris objectionibus, retardata, tandem vero labore improbo erecta inter utriusque Religionis status compositio ne verbulum insinuat de corpore quodam seu Protestantico, seu Catholicorum, nec eatenus suffragatur art. pac. 5. §. 52. in verbis: *in causis Religionis, omnibusque aliis negotiis*, ubi status tanquam unum corpus considerari nequeunt, *ut etiam Catholicis & Augustanæ Confessionis statibus* in duas partes euntibus *sola amicabilis compositio lites dirimat non attenta votorum pluralitate &c.* Etenim nullo inde ratiocinio inferri poterit, in ipsis instrumenti tabulis Corporis cujusdam qua talis rationem fuisse habitam, ast legitimæ magis consequentiæ opus est, si dixero, textum allegatum intelligi de casu, quo status religionis ergo vel aliorum punctorum eo vergentium fuerint disparati, ita ut Catholici *unam*, A. C. addicti *alteram* occupent *partem*, quin tamen utraque pars in duo se corpora dividat ex sensu pacis Westphalicæ, cujus sin minus plane authenticam, præscisam saltim interpretationem super hoc puncto dedit Carolus VI. Imperat. in rescripto ad commissionem Cæsaream de 14. Febr. 1721. was aber in dem §. in causis religionis art. V. pacis Westphalicæ in verbis: *ubi A. C. cum Catholicis tanquam unum corpus considerari nequeunt*, enthalten, solches widerhohlen wir nochmahlen, daß wir es wohl wissen, und darwider nichts in den weg zu legen vermeinen, glauben aber nicht, daß weder aus denen Worten, noch aus dem Verstand des vorbesagten §. so viel erscheine, wie deßwegen in denen Fällen, ubi A. C. addicti cum Catholicis tanquam unum corpus nicht considerirt werden können, eine Zertrennung in verschiedenen Corpora, sondern allein das jenige erfolge, was insgemein bey allen Corporibus von dergleichen Arth in casu dissolutionis vel totalis, vel temporariæ zu geschehen pflegt, nehmlich: daß die vorhin in universo corpore gewesene vis repræsentativa, oder Majoritas votorum, wenigstens so viel den Punctum quæstionis betrifft, auffhöre, und man mit dem von den eigentlichen Corpore abgehenden Theil, qua singulis zu tractiren habe.

§. VI.

## §. VI.

Nec magis (3) ex obſervantia, utpote cujus nec initium ſcitur, nec progreſſus, * ut adeo vel maxime effictum, & tumultuarium ſit Anonymi principium, ** cui nulla conditio communes ſocietatum regulas alioquin extra ordinem efficiens ſuffragatur, quamvis non diffitear, Corpus Evangelicorum ſic dictum ſe multoties ſeu conſtatuum, ſeu ſubditorum A. C. cauſis *** tantopere immiſcuiſſe, ut præſciſas ſuper negotiis informationes, præſertim a liberis civitatibus A. C. **** expoſceret.

* Cujus eo minus umbra quædam a DD. Proteſtantibus poterit demonſtrari, quod, cum Principum legati in *Offenbach* confidentes in Monitis Eccleſiaſticis ad Capitulationem CAROLI VII. inter alios insererent hunc articulum: der regierende Kayser soll, und will nicht hindern, daß Evangelische Churfürsten, und Stände ihre, und ihrer Religions-Verwandten, nach dem Regions- und Westphälischen Friedens-Schluß hergebrachte Religions-Rechte, und Verfassung einander garantiren, und sich einander haben selbsten schützen, hoc monitum ad conferentias Electionis nequidem fuerit admiſſum, imo vero etiam jam ante per reſponſiones Catholicorum omnino rejectum, in quibus ſcilicet latens in monito præcedente periculum concutiendæ pacis publicæ proponebant: die hier angemerkte Reichsständische particular gravamina aber nur Anlaß geben könten, für sich selbst das Recht sprechen, nach eigenem willen, und Vortheil einseitig auszudeuten, so fort auch etwan mit Gewalt und Thätlichkeiten behaupten zu wollen, welches doch besonders in §. 7. des erstgenannten Art. 17. bey Straf des Friedens-Bruch verbotten und alle Controversiæ zur Kayserlichen Erkenntnis, Ausspruch, und Execution verwiesen werden.

** De illo ſaltem publice tuendo hactenus nemo cogitaverat, priusquam Anonymus cenſor typis illud, quanquam ignotis committeret. Fateor equidem; legati Principum jam A. 1741. ſimile ſyſtema tentabant in monitis, ſed conſilio defuit effectus. Temerarius minime forem, ſi ſuſpicarer, corpus Proteſtantium ipſum principia ab Anonymo venditata meditari tempore præſertim, quod credit, critico, quale pariter fuit A. 1741. ac proinde ſcriptum illud Anonymum veluti pro Exploratore eſſe conſtitutum, an res facilem apud eos, quorum intereſt, ingreſſum habitura ſit; quanta fors deſuper renitentia, quantusque clamor futurus, antequam ſuo loco & tempore ſolemnis fiat propoſitio.

*** Ad curam rei proteſtanticæ ſpectant *Intercessionales*, de quibus Cap. præced. actum; prius tamen, quam expediantur, non raro in caſus, objectique ſubſtantiam & circumſtantias inquiritur, quem in finem ſeu a querulantibus ipſis, ſeu a vicinis ſtatibus A. C. litteræ informatoriæ expetuntur, quæ potiſſimum etiam inſerviunt dehortatoriis, quorum omnium longum texuit ordinem FABER in der Staats-Canzley.

**** Potentior nimirum ſtatus ægre ferret informationes ejusmodi; Hamburgum A. 1720. talem commiſſionem a corpore accepit, neceſſariamque etiam deſuper informationem tranſmiſit; Ravenſpurgorum autem civitas, cum corpus projecti cujusdam ſermonis Eccleſiaſtici communicationem ab ipſa præten-

tenderet, huic petito non detulit, cui civitatis declarationi Domini de corpore etiam acquieverunt. Nec minus se graviter immiscuit in causa des Pfarrer Helmunds, quæ supinum in Wetzlaria tumultum excitaverat. Conf. Moser Teutsch. St. R. zehender T. cap. 13. §. 7. seqq.

## §. VII.

Ex quo indubitanter efficitur, causas Religionis vel ad Cæsarem qua supremum uti omnium Imperii legum, * ita præcipue Pacis Westphalicæ Executorem, ** vel ad comitia, corpusque regni *** sine differentia pertinere, ne totum imperii σχίσμα corruere, pacisque publicæ tantis curis erectæ munimenta infringi experiatur inclita natio. ***

* Etsi nunc Imperator leges sine Comitiali statuum consensu condere haud possit, nec conditas authentice interpretari, A. VIII. instr. pac. O. §. 2.; promulgatio tamen legum concluso capitis, membrorumque facto sancitarum sub nomine proprio, ac earundem executio ad majestaticum ejus officium pertinent, nexu tantopere necessario alioquin disparituro: recte LAMPADIUS ad tractatus Osnabrugenses Domus Brunsuico-Lüneb. lineæ Calenbergensis legatus de Republ. Roman. German. part. 3. C. 13. §. 5. *quæ ad dignitatem, solus constituit Cæsar, ut colligere licet ex analogia Capitulationis & recessibus, & aurea bulla, quæ argumentum suppeditant, omnia scilicet Cæsareæ Majestatis esse propria, in quorum communionem Electores & cæteri proceres per superiores leges non concesserunt.*

** Instrum. Pac. Monast. §. 100. *Imprimis quidem Imperator per universum imperium Edicta promulget, & serio mandet eis, qui hisce pactis & hac pacificatione ad aliquid restituendum vel præstandum obligantur, ut sine tergiversatione, &c.* Quando pacificationi Westphalicæ contravenitur seu consilio, seu ope, vel mandatis Cæsareis non obtemperatur, pax publica censetur infracta, I. P.O. art. XVII. §. 4., atque hinc Imperator injungit *tam directoribus* ausschreibenden Fürsten, *quam Præfectis Militiæ Circularis* Creyß Obristen, ut juxta ordinem executionis pro justitiæ conservatione procedant. I. P. M. §. cit. cui pacis articulo conforme Edictum conclusis quamprimum tractatibus promulgavit Ferdinandus III. 7. Nov. 1648. V. Neue und Vollst. Sambl. der R. A. part. III. pag. 621. concordat Capit. Novifs. art. 1. §. 11. wo auch selbige (Protestantes) sich gegen das Instrumentum pacis Nürnbergischen Executions-Recess, arctiorem modum exequendi, und andere Reichs Constitutiones beschwärt erachteten, sollen und wollen wir uns auff ihre deren Augspurgischen Confession-Verwandten Churfürsten, und Ständt (die Reichs-Ritterschafft mit einbegriffen) sambt oder sonders an uns thuende Vorstellungen ohne allen Anstand obgedachten Reichs-grund-gesetzen gemäß endschliessen, so fort sothane unsere Endschliessung denenselben zu wissen thuen, solche auch ohngesaumbt zum würcklichen Vollzug bringen ꝛc ꝛc. & art. XVI. §. 4. Wir wollen die Justitz nach Inhalt des instrumenti pacis beym Cammergericht und Reichs-Hoffrath unpartheilich administriren, anbey verfügen lassen ꝛc. Hæc nimirum indubitata est, & universalis imperii praxis, ac nunquam interrupta observantia, quam Anonymus convellere aggressus est.

*** Ubi scilicet de interpretanda, aut declaranda lege imperii, paceque religionis vertitur quæstio, si enim interpretatio antiquissimarum etiam Imperii Sanctionum per statuum comitiale conclusum fieri debeat. I. P. O. a. 5. §. 56. & art. 8. §. 2. pro declaratione P. W. id multo magis obtineat, necesse est, cum sit vera transactio & pactum, quæ ab ipsis paciscentibus interpretationem sortiri oportet: Re jam in comitiis proposita per majora non concluditur, sed status in partes eunt, nihilque efficitur, nisi per amicabilem: adductum instrum. pac. art. V. §. 50. *Sed si dubii quid hinc aut aliunde incidat, aut ex caussis pacem religiosam, aut hanc transactionem tangentibus resultet, de eo in comitiis, vel aliis imperii conventibus inter utriusque religionis proceres non nisi amicabili ratione transigatur.* Qua ratione causæ Religionis ad suprema Imperii tribunalia pertinent. Vid. VITRIAR. illustrat. Tom. IV. lib. 4. Tit. 6. pag. 507. & Schmaussens Compend. Jur. publ. L. II. Cap. XI., §. 22.

**** Anonymus in der Betracht §. 24. Die Catholische Geistlichkeit würde nach solchem Beyspiel einen gebahnten weg vor sich finden Evangelische durch Evangelische zu ruiniren, und die sonst unüberwindliche Mauerburg des Westphälischen Friedens zu zerstören ꝛc. sane Clerus Catholicus, nullam vel saltim non tantam subruendi munimenti hujus ansam, aut consilium unquam dedit, quantam scriptor, qui causam Protestantium inverso ordine defensurus totum imperii systema, totamque pacem ejus publicam mavult disrumpi, quam corporis Evangelicorum somniatam jurisdictionem, recenter conceptam nunquam, si Deo de natione Germanorum cura, generandam respui, reclamante jam a centum & septem annis Instrumento Pac. O. art. XVII. §. 7., *nulli omnino statuum imperii, liceat jus suum vi vel armis prosequi, sed si quid controversiæ, sive jam exortum sit, seu post hac inciderit, unusquisque jure experiatur, secus faciens reus sit fractæ pacis.* Confer. cap. 1. per tot. & huj. §. III.

## §. VIII.

Ut vero apertæ Anonymus injustitiæ convincatur, jurisdictionem quandam, talemque, qualem ipse optat, CORPORIS tantisper supponamus; nihilominus in præsenti casu WEDANO insulsum est scribere, Corpus Evangelicorum in Illustr. Comitem mediis coactivis posse animadvertere. *

* De *Simultaneo* enim introducendo hic non agitur, quamvis super dubio eatenus pacis Westp. textu nulla adhucdum legalis interpretatio fuerit insequuta; ex ipso non minus ædificii apparatu, quam litteris patentibus super concessione ejusdem impressis sufficienter patescit, nullam D. Comiti mentem esse, fundandi cujusdam simultanei, adjectis variis clausulis restringentibus, expressaque protestatione de illo nullatenus introducendo; poteritne nunc contra Illustr. Comitem veluti pacis publicæ infractorem justo ordine procedi, expediri mandata, dehortatoria ingratas sequelas ni pareat, minitantia vibrari, Executio circulis demandari? quanta foret hoc pacto publicæ pacis, & systematis acerbis adeo laboribus stabiliti concussio! applicemus hic exclamationem Anonymi §. 24. in fin. vor dem Unheyl solcher Grund-verderblichen Anschlägen wird GOtt das Reich und teutsche Nation bewahren.

§. IX.

§. IX.

Hæc pro modulo & temporis, quo impedimur, angustiis festinante Typo annotasse sufficiat, materiæ quidem dignitate curas prolixiores exposcente. Porro præsentem Opellam publico minime exponimus veluti Censoriam, sed ut pure academicam; privato namque calamo ulterius meditari non licet, ne regulas spiritus pacifici excessisse, methodumque scriptilandi, quo utitur Anonymus, vel eminus imitari videatur.

## Animadversiones Editoris.

Lucubrationes recentiores Cel. MOSERI de hac materia jam recitavi Tom. IV. in Animad. ad Diss. *de Modo agendi in causis, in quibus Status in duas partes eunt*, *N. XVIII.* ibidemque pro fine atque scopo meo de sensis scriptoris hujus breviter mentem meam exposui; subjungere nunc juvat, quae ad dicta ejusdem Autoris de hoc eodem argumento in Tract. recens edito **von der teutschen Religions-Verfassung** 1774. **Zweytes Buch von denen Evangelischen ins besondere.** *4. Cap.* **Von denen Evangelischen Reichsständen als einem eigenen Staats-Cörper** *p. 338. seqq.* notanda occurrunt.

1) Membra corporis hujus constant ex Statibus Imperii Protestanticis tum Lutheranae tum in specie Reformatae ita dictae Religionis; singulare est, quod Dux Holsato-Gottorpiensis hodiernus, Haeres simul Imperii Russici, Graecae licet Religioni addictus Corpori huic adhaereat: Principes olim ad Catholicos reversi, uti Elector Palatinus se a Corpore hoc segregarunt; hodie sua ratione alii eidem adgregati manent, uti Elector Saxo, Wurtembergicus, Hasso-Cassellanus, Palatino-Bipontinus, immo vero teste MOSERO l. cit. §. 6. Protestantes praetendunt, vota territoriis affixa esse, quae cum juxta annum normalem 1624 Protestantica manere debeant, Catholico cuidam Statui ne quidem integrum esse, discessum ab hoc Corpore moliri: atenim inprimis subditi integrorum territoriorum atque ita integrae provinciae, cum libertate Religionis gaudeant, sine dubio ad Catholicos quam liberrime redire possunt; aut praetendet fortassis Corpus Evangelicorum, avitos hic inquilinos etiam invitos, etiam sub Domino jam Catholico expellendos esse, substitutis Protestantibus? quid vero de ejusmodi praetensione demum dicendum erit? Vota dein territorio cohaerent, id est, ejusdem possessor jure voti ob territorium gaudet, de voto propterea aut Protestantico necessario aut Catholico nil ex Legibus Imperii eruundetur: Demum unionem illam inter Protestantes liberae associationi debe-

ri ipsemet MOSERUS inquit, qua re et §. 8. ait quemlibet ex ipsis Protestantibus ab hoc Corpore libere sese segregare posse, atque vicissim invitum, si vel ad Catholicos transgrederetur, vel alia ex causa gravi ab ejus congressibus excludi posse.

2) De Conferentiis ita dictis aut congressibus Corporis hujus postquam ex Actis etiam antiquioribus plura uberius adduxisset MOSERUS, inquit jus ejusmodi conventus celebrandi probari a) ex jure eundi in partes, quare et cuilibet Corpori integrum esse debere de eodem exercendo instituere deliberationes. b) ex Capit. Caesar. Art. 13 ubi dicitur: „so soll auch in und ausserhalb „der Reichstäge denen Reichs- und Crayßständen unverwehrt seyn, so offt es die „Noth erfordert, entweder circulariter oder collegialiter oder sonsten, unge- „hindert männiglichen zusammen zu kommen, und ihre Angelegenheiten zu „beobachten;„ c) ex jure foederum Statibus tum cum exteris, tum inter sese competente, unde et de mutuis necessitatibus deliberare queant; d) conventus Evangelicorum niti jamdum diuturna Imperii observantia, et cum ii hujuscemodi conventus Catholicorum ratos habeant, vicissim et illorum congressus legitimos habendos esse; e) hos ab aliis etiam Principibus immo et ab ipso Pontifice, qui suos eo Nuntios aliquoties ablegarit, agnitos fuisse.

Jus inter sese congressus separatos habendi tum ratione Protestantium, tum Catholicorum omnino ex dictis argumentis evinci mihi quoque videtur, quare hac in re sola gravamen Catholicorum nullum esse: atenim ex eo minime consequitur, igitur etiam a Catholicis agnosci debere *Vota* Protestantium ita dicta *communia*, quae nimirum ex majoribus solum Collegii sui conflantur et nomine communi Catholicis obtruduntur; id enimvero jam insignem in totum Imperii Systema influxum habet, jus eundi in partes ultra justos limites extendit, quare sine expressa Imperii Lege, quae tale quid concedat, a Catholicis immo et Protestantibus, uti ostendi in *Animad.* ad *cit. jam Differt.* merito rejicitur, et quodsi ex natura Corporis aut Collegii praetenditur, hoc sensu Protestantes efficere Corpus separatum, sub hac forma, cumque hoc effectu a Legibus Imperii agnitum, eadem ratione negatur; praecipuumque semper erit, cur quaestio Status Corpori Protestantium a Catholicis moveatur.

3) Directorium est penes Electorem Saxonicum, qui jam jam ab initio Reformationis ita dictae Protestantium caput praecipuum fuit. Anno 1608. Directorem egit Palatinus teste BUDER in *Amoenitat. Jur. Publ. p. 127*: plura de hoc Directorio Palatino, Saxone ob doctrinam Reformatorum in specie ita vocatorum palam jam in Imperio sese efferentem non satis contento vide apud STRUV. Pfälzische Kirchenhistorie in indice, voce *Directorium inter Evangelicos.* Anno 1653. Directorium denuo Saxoni delatum congressu prius apud

apud Magdeburgicum habito, quod dum et acceptasset, conventus 22. Jul. eodem anno apud eum haberi coepti sunt. Cum anno 1697. Elector Saxoniae Rex Poloniae electus ad Catholicos transiret, declaravit Protestantibus, mutationem Religionis personam tantum suam concernere; res Religionis Protestanticae aeque ac antea ab Agnato Duce Saxo-Weissenfelsensi et Consilio intimo Protestantico curandas esse, quare et a Protestantibus Directorium hoc modo Saxoni relictum fuit. Recruduit controversia, cum anno 1717. Princeps Electoralis se publicae Catholicum profiteretur: etsi pristinam declarationem Rex repetiisset, scriptis tamen ultro citroque de Directorio Brandeburgico deferendo, aut de Condirectore designando res agitata; cum conveniri non posset; facto saltem Directorium Saxonicum hucusque agnitum retentumque fuit, quanquam non sine controversiis, quae apud MOSERUM l. cit. videri possunt.

Directorium quoddam inter sese pro negotiis suis domesticis a Protestantibus constitui agnoscique, quamdiu inde Catholicis praejudicium nullum creatur, neque alius effectus Legibus systematique Imperii contrarius praetenditur, nil habet gravaminis, uti si ad alium quendam finem foedus quoddam Status certi inirent, atque quoad capita foederis curanda Directorem ipsi inter sese nominarent; quemadmodum ferme ante Pacem publicam ad normam hodiernam universim constitutam, dum Status complures auspice etiam ipso Imperatore *Treugam conventionalem* ita dictam inirent, constitutis etiam pro ea conservanda *Irenarchis*, *Paciariis*, *Pacis Conservatoribus*, aut uti in documentis Germanicis occurrunt, Fridens-Richter, Bunderichter, Mundmänner, verordnete über den Landfriden, Hauptmänner des Fridens ꝛc. Neque etiam Catholicorum interest, quis illud Directorium gerat, an ipsi adimi denuo queat, an Condirector adjungi, aut Directorium interim alteri deferri, an detur Directorium speciale Principum in specie, inter Protestantes, et quae alias adhuc apud ipsosmet controversa sunt; agnito autem sua ratione Directorio isto Protestantico denuo non sequitur; igitur Catholici *Corpus Evangelicum* in ea universim, quam praetendit forma, atque praecipue cum iis, quos Protestantes eidem tribuunt, promiscue effectibus juridicis agnoscere debent, quamdiu merito statuunt, praetensos ejusmodi effectus a Legibus Imperii, atque ita hoc sensu quoque hoc Corpus non agnosci.

4) Acris in specie controversia in Palatinatu quondam extitit de jure Legandi Corporis hujus, cum invito Electore de *Reckium* quendam tanquam ablegatum suum in terras Palatinas mitteret, eodemque reluctante ibidem subsistere juberet: exasperata fuit lis isthaec, cum Elector subditis vetaret communionem in causis Religionis cum *Reckio* habere, quod Protestantes mutuo amicoque praecipue circa gravamina Religionis componenda inter Status Imperii

commercio inimicum putabant: ex parte Palatina ita replicabatur l. cit. apud MOSER p. 405. „Vom Legatorum jure legandi seye weder in denen Reichs„satzungen, noch in dem Stylo Imperii etwas ordentlich wissend: als lang auch „die bisherige forma et Stylus Imperii communi omnium Statuum consensu et „accedente Caesarea ratificatione nicht verändert würde, wollten Ihre Chur„fürstliche Durchlaucht sich ad normam Legis praesentem und denen Ihrer „Kayserlichen Majestät und dem Reich geleisteten Chur- und Fürstlichen Pflich„ten allein halten: dahero auch zu Ihrer Chur- und Fürstlichen Rechten und „Praeeminentien Nachtheil nichts gestatten, oder ferners mehr dulten, was „sie keinem anderen von ihren Mitständen zumuthen möchten, und dise in ih„ren Landen sicherlich nicht erleiden würden. Mehrhöchstgedachte Ihre Chur„fürstliche Durchlaucht ignorirten im übrigen gar nicht, was zu thun seye und „sich gebühre, da jemand aus dem Mittel Dero Mitständen sie mit einer „Abschickung beehren wollte: daß man aber in diselbe mit dergleichen Abschi„ckung et Legato Legatorum, wie die jetzige von solchen, welchen kein Jus Le„gandi gebühret, und die sich wenigstens darzu biß dahin nicht legitimiret, mit „denen sie auch dermahlen nichts abzuhandlen, am allerwenigsten aber sich da„von vorschreiben oder einreden zu lassen, und dahero Ihren Gesandten, „von denenselben nichts mehr in forma Corporis ab una parte anzunehmen, „befohlen haben, dermahlen dringen wollte, solches könnten sie nicht begreif„fen, verseheten sich jedoch, man würde Ihro damit um so weniger ferner „beschwerlich fallen, als Sr. Churfürstliche Durchlaucht recht zu thun sich er„boten, und in dessen würklichen Begriff wären.„

Varia hic mihi tum notanda tum rite discernenda esse videntur. Jus in primis Legandi tum Statibus singulis, tum communi etiam quodam foedere conjunctis denegari non potest, quippe quod pluribus Imperii Legibus agnitum confirmatumque fuit: atenim secundo aliud est, an alius quidam Status Legatos ejusmodi invitus in terris suis immo ipsa Aula tanquam personas publico hoc charactere insignitas tolerare debeat; id enimvero ex principiis Juris Naturae et Gentium desumendum est, quibus hic, cum legibus Imperii nil speciatim sit definitum, inter se Status utuntur: ego hic adsentiendum putem Ill. *de* MARTINI *de Jure Civitatis* §. *662*. ubi ait: „Neque enim admissio Legati „semper est voluntatis, ut docet *Gundling*, nec semper necessitatis, ut vult „*Daries*, scilicet a cujusvis pendet arbitrio alterum domi suæ recipere, cum eo „colloqui, deliberare, pacisci: et sine injuria impediri nequeunt, ne caussam „suam exponant, qui agunt de avertenda laesione, veluti si de re dubia cupi„unt transigere, rem repetunt ex fœdere &c.„

Tertio eum, qui mere a Legatis subdelegatur, ut ita dicam, quin ab ipsis Statibus hoc Charactere sit insignitus, nemo tanquam Legatum agnoscere aut ha-

habere tenetur, unde enim tam paradoxum jus probabitur? Quemadmodum quarto ſingulis Statibus Proteſtantibus, ita et foedere quodam junctis jus legandi competit, ita et eo uti procul dubio hoc ſenſu poſſunt: non tamen ea ratione, ut propterea effectus, quos Catholici Corpori huic Proteſtantium denegant, agnoſcere teneantur, uti ut, ſi *voto* ſolum ita dicto *communi* Legatus ejusmodi deſignatus eſſet, aliis Proteſtantibus ipſis reluctantibus, habendus ſit pro Legato etiam illorum Statuum, qui in eo mittendo diſſenſerunt, cum Catholici *vota* ejusmodi *communia* tanquam unanimia Proteſtantium conſideranda eſſe et alias merito negent, quod tamen hujus loci non eſt uberius declarare.

De Guarantia Corporis Evangelicorum egi in Diſſ. *mea de Guarantia pactorum Religionis in Germania* hic 1772. *Tom. 1. Theſ. hujus N. XIII.* De ejus Caſſa, Concluſis, Curialibus et aliis, ſi plura deſideras, vide MOSERUM l. cit.

II. JO-

# II.

## JOANNIS MICHAELIS DAHM

U. J. D. in Univ. Mogunt. Prof. P. O.

DISSERTATIO

DE

# JURE COMITIORUM IMPERII CIRCA SACRA.

*Mogunt.* 1747.

## *CONSPECTUS DISSERTATIONIS.*

I. *Vetus Imperii R G. forma & Statuum Origo.*

II. *Origo Comitiorum.*

III. *Incertum adhuc, quænam negotia Comitialia, quæ soli Imperatori reservata?*

IV. *Jura & Negotia Comitiorum circa politica.*

V. *Transitio ad Negotia Comitialia sacra.*

VI. *Res Sacræ & Ecclesiasticæ ad Comitia delatæ sub Imperatoribus Carolingicis.*

VII. *Causa Henrici IV. a Gregorio VII. excommunicati.*

VIII. *Causa investituræ per baculum & annulum sub Henrico V. & aliæ Ecclesiasticæ in Comitiis pertractatæ sub Friderico I. &c.*

IX. *Causa Ludovici Bavari a Joanne XXII. & benedicto XII. P. P. excommunicati.*

X. *Causa Schismatis, Reformationis Ecclesiæ, ac Gravaminum contra Sedem Apostolicam sub Sigismundo &c.*

XI. *Avisamenta Constantiensia & Moguntina.*

XII. *Comitia Moguntina de A.* 1440. *circa eadem objecta.*

XIII. *Co-*

## §. I.

*Vetus Imperii R. G. Forma, & Statuum Origo.*

Germania nostra variis olim populis, liberisque Gentibus habitata, jam tum patiebatur magnum libertatis detrimentum, cum vicina Romanorum potentia in Societatem, & fœdera non solum coire jussit; sed potentioris Germanorum Regis Ducisve Imperio saltem bellorum tempore obsequi coegit. In-

Indomita deinde Romanorum armis Germania, quin Romanis per varios Germaniæ Populos trans Alpes fugatis, ac in ipso Latio attritis refloruit superstitum in Teutonia Gentium libertas, Thuringorum præsertim Bojorum & Saxonum. Novam vero Patriæ nostræ faciem Carolus M. dedit, qui omnes Germaniæ populos ad Albim usque sibi subjecit, neque erit, qui dubitet Monarchicum eundem ejusque filium & Nepotes Imperium gessisse. Prisca hæc fuit rerum Germanicarum forma: quibus autem post Carolingos Imperatores gradibus moderni Principes Imperii ad sublimem illam, qua hodiedum coruscant, dignitatem ac potestatem ascenderint, id uno verbo hic indigitandum, non pro rei dignitate excutiendum est. Sunt qui nudo Cæsarum beneficio, (a) sunt, qui eorundem negligentiæ, (b) sub qua invaluerit Magnatum authoritas, moderna Principum Jura adscribunt, alii Augustiores illorum Natales invenisse se putant, causantes: superioritatem territorialem pristini Juris esse reliquias: Francos Reges non subjecisse sibi Veteres Germaniæ Principes, sed clientelari solum Jure obstrinxisse, ac lege imparis fœderis addixisse Carolum quidem M. eosdem Germaniæ Principes Thassilonem præsertim Bavariæ & Wittikindum Saxoniæ Duces bello superasse; sed exarescente stirpe Carolina Jure postliminii pristinos Germanorum Duces denuo surrexisse, resumpsisse habenas Ducatuum suorum, inde septem præcipuos Germaniæ Ducatus exortos Bojoariæ, Sueviæ, Saxoniæ, Thuringiæ, Bohemiæ, Vandaliæ Brandenburgicæ, & Provinciæ Rhenensis, quorum Duces Imperatoribus sequentibus Ottonibus & Henricis non alio quam Clientelæ & fœderis imparis vinculo subditi fuerint. (c) Nobis credibilius videtur, quod pedetentim, non vero simul ac semel Imperii Principes ac status ad modernum superioritatis gradum conscenderint adjuvantibus adminiculis prædictis, accedente partim liberalitate, partim negligentia Cæsarum, partim pristini Juris Specie, publicis turbis, temporum lapsu præscriptionis nomine occasiones titulosque suppeditantibus. (d)

(a) Ita præcipue putarunt Veteres Juris publici Doctores.

(b) Ita LEHMANN *in Chron. Spirens. l. 2. c. 21.* PUFFENDORFF *in Monzambano c.* 3.

(c) Doctrinam hanc præ reliquis tuetur LUDEWIGIUS in Commentario suo ad Auream Bullam, & aliis Scriptis passim, Duces illos Archi-Principes nominans, præcinentem habuit Personatum FURSTENERIUM *de suprematu c.* 15. *seqq.* & COCCEJUM *in Jurisprud. pub. c.* 9. §. 23. Sed totum hoc commentum egregie refellit. D. *Joan. Frid.* KAYSER, *Prof. Giessensis dissert. de æquali Statuum Imperii origine & progressu.*

(d) Veritas asserti nostri patescit ex iis, quæ collegit PFEFFINGER *ad Vitriarium l. 3. Tit. 15. §. 1. a Fol.* 1056. *usque ad Fol.* 1118.

§. II.

Origo Comitiorum.

Neque etiam in illa diutius lubet immorari ætate, qua ad discutienda Imperii negotia, Principes admitti cœperunt, aut Origines Comitiorum Imperii profundius scrutari, id saltem notasse sufficiat: Germanos nunquam non Libertatis suæ studiosissimos quasdam ambiisse Imperii partes, & ne mores populi nostri a CÆSARE & TACITO relatos recoquamus, sub ipsis Carolingis Imperii Status in partem Concilii vocati sunt. Norant quippe sapientissimi imperantes libertatis æmulam gentem multo libentius iis parere, quæ non tam imperio constituta, quam necessitate ita flagitante utili consilio placita essent. (a) Uti porro extinctis Carolingis Principum crevit potentia, ita illorum in Curiis Imperatorum solemnibus, quæ pristina fuere Comitia, Statuumque conventibus authoritas loquendi major, jus tandem suffragii iis acquisitum, ac Imperium & Comitia, quod hodie conspicimus systema accepere, novissimis legibus nostris publicis clarius adumbratum.

(a) Vid. PFEFFINGER *ad Vitriarium. l. 1. Tit. 2. §. 10. Lit. D.*

§. III.

Incertum adhuc quænam negotia Comitialia, quæ soli Imperatori reservata?

Uti vero nil indecisum magis in jure Imperii Publico, quam quod nomen formæ regiminis patrii dare debeamus, an Monarchiæ, vel qualecunque demum, ita nemo adhuc fuit, qui gloriari possit, se sua decempeda limites designasse certos & securos potestatis Imperatorum supremæ & Statuum tam eminentis & insignis. Finis utriusque adhuc regundi sunt: frequens sub judice lis extat, quid solus Imperator in Imperio possit, quid sine Statuum Comitiali consensu non possit, quid ipsi demum sine Cæsare Status, aut singuli, aut plures; aut omnes in Imperio agere jure queant? Ipsa proinde Comitiorum Imperii Jura non usque adeo liquida, aut contradictionis expertia existunt. Id vero tam domesticis legibus publicis quam fœderibus cum exteris etiam initis constat, insignia illa esse, atque ut viam materiæ propositæ sternamus, alia sunt *Comitiorum Jura circa politica*, alia *circa Sacra & Ecclesiastica.*

§. IV.

Jura & negotia Comitiorum circa politica.

Illa compendiosius recitare non possumus, quam afferendo verba Legis Imperii summa accuratione, ac prævia longi temporis deliberatione huic rei in pace Westphalica scriptæ, sic vero ibi: „Gaudeant sine contradictione Sta„tus: Jure suffragii, in omnibus deliberationibus, super negotiis Imperii, præ„sertim ubi leges ferendæ vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa in„dicenda, delectus aut hospitationes militum instituendæ, nova munimenta in„tra Statuum ditiones exstruenda nomine publico, veterave firmanda præsidiis, „nec non ubi pax aut fœdera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint,

„rint, nihil horum, aut quidquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, „nisi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu. „Habeantur autem Comitia Imperii intra sex menses a dato ratificatæ Pacis, po„stea vero quoties publica utilitas aut necessitas postulaverit. In proximis ve„ro Comitiis emendentur inprimis anteriorum conventuum defectus; ac tum „quoque de electione Romanorum Regum, certa constantique Cæsarea Capitu„latione concipienda, de modo & ordine in declarando uno vel altero Statu in „bannum Imperii, præter eum, qui alias in Constitutionibus Imperii descri„ptus est, tenendo, redintegrandis Circulis, renovanda Matricula, reducen„dis Statibus exemptis, moderatione & remissione collectarum Imperii, refor„matione Politiæ & Justitiæ, taxæ sportularum in Judicio Camerali, ordina„riis deputatis ad modum & utilitatem reipublicæ rite formandis, legitimo „munere Directorum in Imperii collegiis, & similibus negotiis, quæ hic expe„diri nequiverunt ex communi Statuum consensu agatur & statuatur.„ (a) Varia hujus legis capita in sequentibus Imperatorum Capitulationibus præsertim in novissima Augustissimi Francisci I. explicata, ac extensa extant in quovis fere articulo E. G. Cap. Noviss. A. I. §. 3. 5. 7. A. II. §. 4. 5. & plerisque aliis. (b)

(a) I. P. W. a. 8. §. 2. & 3.

(b) Scopi nostri non est fusius de his differere, amplissimos ea omnia commentarios desiderant, variosque jam pepererunt.

## §. V.

*Transitio ad negotia Comitialia Sacra.*

Circa sacra non omni plane Jure Comitia Imperii destituuntur, nec minima illorum hac in parte est Authoritas, si præsertim modernam Germaniæ faciem intueamur. Ab ovo rem exordiri, filo temporum trahi, & facta præmittere juvabit, dein quid Divino humanoque Juri conforme sit, dispicere licebit. Ut clarius loquar, si non omnia præcipua saltem negotia Sacra & Ecclesiastica in Germaniæ Comitiis publicæ consultationi exposita afferam, ac quid ibi recte quid minus legitime factum, quid Jure fieri adhuc possit soleatve deinceps indagabo, libertate Academica haud iis deneganda, qui solis suis nemini quidquam detractum, neminem læsum volunt.

## §. VI.

*Res Sacræ & Ecclesiasticæ ad Comitia delatæ sub Impera-*

Ac primo occurrunt nobis celeberrima Regum Francorum ac Imperatorum Carolingicorum Capitularia non ab iis solum, sed ex consilio Magnatum in solennibus Curiis hoc est illius ævi Comitiis promulgata. Germania scilicet nostra Magna fidem Christi recenter Carolo præsertim M. Occidentalis Imperii non minus quam Ecclesiæ restauratore edocta, Christianis etiam, ac Ec-

toribus Carolingis.

clesiasticis legibus erudiri debebat; illa igitur Caroli ac Ludovici Pii potissimum auspiciis concinnatæ ac in brevissima capitula digestæ CAPITULARIUM nomen acceperunt. Hisce, ne quid dissimulare videar, præter varia, quæ ad negotia civilia pertinent, insertum quidquid fere ad Christianam Populi pietatem, ad Ecclesiarum regimen, ad Ecclesiasticam disciplinam spectat. (a)

(a) Præter antiquas editiones nitida est illa, quam Stephanus BALUZIUS adornavit: fragmenta extant in HARDUINI Tom. IV. Concil. Col. 823. seqq.

## §. VII.

Causa Henrici IV. a Gregorio VII. excommunicati.

Lites Henrici IV. Imperatoris cum Pontificibus, & causam excommunicationis in illum a Gregorio VII. vibratæ ad Imperii Comitia delatam esse testantur scriptores suppares. (a) In Comitiis plane Wormatiensibus A. 1076. de depositione Pontificis Gregorii VII. actum atque ad Pontificem epistola exarata est, ut Pontificatu se abdicaret. Triburiæ in vicinia nostra Moguntina nobili tunc villa de depositione Henrici a Principibus cogitatum. In Comitiis Forchemensibus Henricus ex eadem causa excommunicationis reapse depositus, Rudolphus Sueviæ Dux A. 1077. electus Imperator fuit, Brixiæ dein A. 1080. Moguntiæ A. 1106. eadem causa in Comitiis reassumpta fuit.

(a) Vid. LAMBERTUS SCHAFFENBURGENSIS, OTTO FRISINGENSIS, HERMANNUS CONTRACTUS ad annos prædictos.

## §. VIII.

Causa Investituræ per baculum & annulum sub Henrico V. & aliæ Ecclesiasticæ in Comitiis pertractatæ sub Friderico I. &c.

Negotium investituræ Episcoporum inter Pontifices & Imperatores Paschalem II. & Henricum V. præcipue controversum cum Statibus Imperii pariter communicatum, in Comitiis Francofurtensibus A. 1109. Ratisbonensibus A. 1110. Fuldensibus & Quedlinburgensibus A. 1120. ac in Comitiis demum Wormatiensibus A. 1122. celebre illud concordatum inter Calixtum II. & Henricum V. compositum est. (a) Extat quoque constitutio quædam a Friderico I. in Comitiis Constantiensibus A. 1152. edita de pactis inter Imperium & Ecclesiam servandis, & aliæ ejusdem circa res Ecclesiasticas. (b) Similiter Ottonis IV. Decretum de bonis Ecclesiasticis in necessitatem publicam erogandis, in Comitiis Valentiensibus A. 1212. (c) Friderici item II. de libertate Ecclesiastica & similes aliæ. (d)

(a) Videantur OTTO FRISINGENSIS, CONRADUS URSPERGENSIS &c. Concordatum ipsum passim extat. Conf. *Dissertatio Jo. Guilielmi* HOFFMANN *ad prædictum Concordatum*, cujus tamen invectivis bene respondit P. Ignatius Schwarz Colleg. Histor. part. 6.

(b) Apud GOLDASTUM *tom.* 3. *Constitutionum Imper. pag.* 331.

(c) Apud GOLDASTUM *tom.* 1. *Constitut. Imp. pag.* 289.

(d) Nu-

(*d*) Numerat easdem PFEFFINGER *ad Vitriarium Tom.* 1. *Lib.* 2. *fol.* 67. Varia huc pertinentia in Archivii sui spicilegium Ecclesiasticum retulit LÜNIGIUS.

## §. IX.

*Causa Ludovici Bavari a Joanne XXII. & Benedicto XII. Pontificibus excommunicati.*

Dissidia Ludovici Bavari cum Pontifice Joanne XXII. ejusque Successore varia in Imperio excitarunt Comitia. Ratisbonæ A. 1314. edictum Ludovici contra Joannem, vel potius appellationis diploma emanavit. (*a*) Speciali nota digna sunt Comitia in Rense ad Rheni prope Lohnstenium ripam adversam coacta, in quibus æmuli dignitatis Imperatoriæ & Imperii Principes sancivere: Imperatorem illum habendum esse, qui ab Electoribus Romani Imperii electus sit, licet a Pontifice coronatus, aut consecratus non esset, reum vero Majestatis illum, qui contradixerit, fore. (*b*) Pontifice insuper Benedicto XII. Avenione Sedente, tum Philippi Galliarum Regis metu, tum Gallorum Cardinalium persuasionibus in Ludovicum Bavarum paulo acerbiore, hac occasione Imperii Electores primum Electoralis Unionis fœdus pro sua Juriumque suorum tutela pepigerunt (*c*) Scriptis ad Pontificem litteris causam Ludovici excusantibus. (*d*)

(*a*) Extat apud GOLDASTUM *Constitut. Imper. tom.* 1. *pag.* 325.

(*b*) Extat apud ALBERICUM DE ROSATE *ad leg.* 3. *Cod. de quadrien. præscript. & multos Recentiores.*

(*c*) Videatur MÜLLERS Reichs=Tags=*Theatrum* unter *Friderico V. tom.* 1. Erste Vorstellung *cap.* 24. §. 1.

(*d*) Extant litteræ apud HENRICUM REBDORFFIENSEM *ad A.* 1339. & MÜLLERUM loc. cit.

## §. X.

*Causa schismatis reformationis Ecclesiæ ac Gravaminum contra Sedem Apostolicam sub Sigismundo &c.*

Novam materiem Ecclesiasticarum deliberationum Cæsari & Imperio præbuit magnum illud schisma, quo Ecclesia post obitum Gregorii XI. scissa fuit, qua cura Sigismundus Imperator eidem extinguendo studuerit, ejus res gestæ & Concilii Constantiensis acta (ubi fere Status Imperii omnes simul convenerant) docent. Sed novæ post Concilium Canstantiense lites. Caput reformationis Ecclesiæ in Concilio Constantiensi examinandum ac decidendum ad Basileense Concilium delatum erat, in quo ipso novum schisma exarsit Concilio Basileensi Eugenium IV Summum Pontificem deponente, ac Amadeum Sabaudiæ Ducem Felicem V dictum eligente Sess. 34. & 39. (*a*) Tempora tam turbulenta variis Imperii Comitiis occasionem præbuere Principes Electores imprimis coactis Comitiis Electoralibus novam unionem inivere eum in finem, ut schisma prædictum componerent, casu autem, quo non, mutuo se auxilio, consilioque juvarent, reliquos item Imperii Principes hoc exemplo præirent, publi-

publico simul instrumento contestati, se nec Eugenii nec Concilii partibus accessuros, sed in hac discordia neutrarum partium futuros esse. (b)

(a) Conferantur *Hermanni* von der Hard acta Concilii Constantiensis ac Tomi Conciliorum Harduini.

(b) Unionem hanc Electoralem de A. 1438. Jovis post Dominicam Oculi, nec non Instrumentum solenne susceptæ neutralitatis de eodem anno & 17. Martii, uti & confirmationem prædictorum per novam Unionem Electoralem de A. 1439. Festo S. Martini exhibet MÜLLER, *im Reichs : Tags : Theatro Tom.* I. *Cap.* 4. §. 8. *seqq.*

## §. XI.

Avisamenta Constantiensia. & Moguntina.

Circa id tempus per deputatos Nationis Germanicæ in Concilio Constantiensi exhibita sunt quædam circa res Ecclesiasticas præsertim beneficiales capita, quæ nomen acceperunt AVISAMENTORUM CONSTANTIENSIUM (a) quibus quoddam remedium allaturus, interimisticum cum eadem Natione Concordatum iniisse dicitur Martinus V. (b) Successerunt deinde avisamenta Moguntina, ejusdem, cujus priora, fere tenoris Moguntiæ A 1440. a Principibus Electoribus confecta, ac ad Concilium Basileense missa (c)

(a) Apud GOLDASTUM *Tom.* I. *Constit. Imp. pag.* 391.

(b) Concordatum exhibet LEIBNIZ *Cod. dipl. J. Gent. p.* 384. Relatum quoque conspicitur in editionem novissimam Recessuum Imperii p. I. N. 32. pag. III. quæ prælum propediem deferet.

(c) Extant apud MÜLLERUM Cit. *Tom.* I. Erste Vorstellung *Cap.* 4. §. 13. Ac in Cit. Edit. Corporis Recess. Imp. p. I. N. 44. pag. 166.

## §. XII.

Comitia Moguntina de A. 1440. circa eadem objecta.

Celebrantur Comitia a Friderico V. Moguntiæ A. 1441. habita, ubi de extinguendo Schismate deliberatio inita, invitato ad eundem Conventum Galliarum Rege Carolo VII. In Comitiis hisce Imperator Ordinum Authoritate, consensuque edidisse dicitur a LUDEWIGIO (a) proscenia Evangelicæ reformationis, quo indigitare videtur scriptum, quod sub nomine reformationis Friderici III. in lucem edidit GOLDASTUS (b) non unius fœtus spurii, etiam suorum testimonio, Parens fœcundus, provocans ad Palatinum, Saxonicum ac præcipue Moguntinum Archivium. Continet revera scriptum istud atroces in Clerum calumnias, mendacia & ineptias circa civilia etiam negotia tam manifestas (c) ut mirum. qua ratione schediasma hoc tam insigni titulo honorare voluerit LUDEWIGIUS: fatetur insuper ipse GOLDASTUS consarcinatum hunc libellum famosum non a Cæsare, & Principibus aut eorum jussu, sed in Civitatum conventu, Cæsari vero oblatum, denique vim legis haud accepisse; ve-

verum, uti ex his sequitur pessime a GOLDASTO inscriptum esse *nomen reformationis Friderici*; pessime item ac falso dici a LUDEWIGIO *ab Imperatore Ordinum Authoritate, consensuque editum*, ita ex innumeris aliis momentis, si immorari liceret hisce quisquiliis, probari posset famosum hunc libellum a sapientissimo piissimoque Imperatore neutiquam in Comitiis propositum fuisse, multo minus probatum.

(*a*) LUDEWIG. *Dissert. de Principum S. R. I. Pot. in Sacris ante P. R. Cap.* 2. §. 8.

(*b*) Reichs-Satzung Fol. 166. unde exscripsit idipsum MÜLLERUS loc. Cit. Cap. 5.

(*c*) Exempli loco sit ejusdem egregiæ, si Diis placet, Reformationis, Articulus V. hujus tenoris: alle Doctores der Rechten, sie seynd geystlich oder weltlich, im heyligen Römischen Reich teutscher Nation, sollen, nach laudt der fürgenommenen Reformation, an kaynem Gericht, bey kaynem Rechten, auch in kayns Fürsten, oder anderen Räthen mer gelitten, sunder gantz abgethon werden. Sie sollen auch fürbaßhin vor Gericht oder Recht nicht weitter reden, schreiben, oder Rath geben. Seitmals GOtt den Menschen mit seyner aignen Weyshaidt begnadet oder vorsehen hat, (præclara ratio!) so mag er in der neuen fürgenommen Ordnung seines Rechtens selb wohl warten.

## §. XIII.

Comitia Noribergensia, & Unio Electoralis.

In Comitiis subsequentibus majori Studio, extinguendo Schismati operam navarunt. Ex Norimbergensibus A. 1442. missi Basileam qui Concilium Generale indubitatum peterent. (*a*) A. 1444. ex aliis Norimbergensibus missus Romam ad Pontificem Eugenium Æneas Sylvius Friderici Imp. tum Secretarius, ut novum in Germania Episcoporum Conventum Pontificia Authoritate & consensu cogendum suaderet. At regerebat Eugenius: hoc modo Ecclesiæ pacem non quæri; sed novam seditionem. (*b*) Interim crevit discordia, deposuerat Eugenius Theodoricum Coloniensem & Jacobum Trevirensem Archi-Episcopos ceu Concilii Basileensis assertores; (*c*) coiverunt propterea Electores Francofurti ad Mœnum A. 1446. ac Unione Stabilita convenerunt: ni Eugenius irritam depositionem hanc decerneret, Nationis onera tolleret & Authoritatem Conciliorum, ut Constantiæ, Basileæque asserta fuerat, profiteretur, se Eugenii depositioni Basileæ factæ adhæsuros; additum porro: fœdus duraturum, si vel maxime Imperator Fridericus illi non accederet, sed a partibus Eugenii staret, quin in Unione Electorali A. 1446. in legem transivit; Were es auch, daß einiger Unglaube oder ein ander Scisma hernach in der Christenheit entstünde, do GOtt vor sey, so sollen, und wollen wir uns darum zusammen fügen, mit unseren gelerten Pfaffen und Freunden, uff einen Tag gegen Meintz, Franckfurt oder Aschaffenburg, denn dann ein Bischoff zu Meintz,

der in Zeiten ist, an der Stedte eine darum beschreiben soll, und bey einan der verbleiben, und die Sache handlen. (d)

(a) Videatur MÜLLERUS *loc. Cit. Cap.* 15. *Fol.* 203.

(b) ÆNEAS SYLVIUS *Epist.* 98. BROWERUS *Annal. Trevir. Lib.* 19. *pag* 282. *N.* 70.

(c) RAYNALDUS *ad h. A. Tom.* 18. *pag.* 319.

(d) GOBELINUS PERSONA Vicarius Bonnensis postea Pii II. Secretariu *Commentar. Pii II. l.* 1. *p.* 11. *N.* 10. Unio Electoralis extat apud MÜLLERUM Cit. Cap. 23. Fol. 305. & alibi.

## §. XIV.

Comitia Francofurtensia, & Concordia Nationis Germanicæ cum S. P. Eugenio IV.

Ægre tulit Imperator hæc Electorum placita, indignum atque impiur dicens, nisi Papa, quæ petuntur, concesserit, ab eo descire; missurum tame se ad Eugenium, ac rogaturum, ut justis, quæ viderentur, postulatis consen tiret. (a) Misit porro Romam Æneam Sylvium, missis eo pariter Electorur Legatis, ac cum res novo schismati aut veteris augmento ansam dare videretur Eugenius, ut malum id præcaveret, ac sublata etiam neutralitate (§. 10.) Na tionem Germanicam ad suam obedientiam perduceret, ad Conventum Franco furti Calendis Decembris conscriptum (b) misit Thomam Episcopum Bononien sem (qui postea Nicolaus V. P. M. Joannem Carvajalem, qui postea Cardinali S. Angeli, & Nicolaum Cusanum similiter postea Cardinalem eruditione cla rum. In hisce Comitiis dexteritate potissimum Æneæ Sylvii in has pacis lege itum per majora. I. Ut Concilium generale ad pacandam Ecclesiam indicere tur in Germania loco a Pontifice designando. II. Authoritas Decretorum Conciliorum præcedentium firmaretur. III. Gravaminibus Nationis Germa nicæ remedium ferretur IV. Archi-Episcopi Coloniensis & Trevirensis sui sedibus restituerentur (c) missa dein vigore Comitialis Decreti Legatio Nationi Germanicæ solennis, Legationis capite Ænea Sylvio, obedientiam Pontific sub his conditionibus præstitura: quæ demum reipsa præstita fuit, ac pacis con ditiones a Pontifice acceptatæ. (d)

(a) GOBELINUS loc. cit.

(b) Notavit hæc vir clariss. D. BARTHEL *Dissert. prælim. ad Concordata Ger man. Sect.* 6. §. 6. *seqq.* ubi & enumerat Principes in Comitiis præsentes Uberius vero JOANNIS *Rerum Mogunt. tom.* 1. *in Theodorico* §. 5 *N.* 4. & 5.

(c) GOBELINUS *loc. cit. p.* 11. 12.

(d) Testis oculatus obedientiæ præstitæ S. ANTONINUS *hist. p.* 3. *tit.* 22. *cap.* 11. §. 18. Bulla Confirmationis Eugenii, quæ incipit: *inter Cætera*: extat in *Bullario* CHERUBINI *editionis Lugdun.* 1692. *inter Bullas Eugenii IV.* *N.* 29. *Conf.* MÜLLER *loc. cit. c.* 26.

## §. XV.

Diæta Aschaffenburgensis & Concordata Germaniæ.

Eugenio e vivis mox abeunte, successor Nicolaus V. in primis curis habuit, ut prædictæ Concordiæ articulus tertius executioni daretur; misit itaque in Germaniam prædictum Carvajalem nunc Joannem S. Angeli Cardinalem, qui in Diæta Aschaffenburgi ab Imperatore indicta A. 1447. præsentibus ex parte Cæsaris Ænea Sylvio, & Jurisconsulto Hartungo, opera præsertim Electoris Moguntini Theodorici (*a*) celeberrima illa circa Beneficiorum collationem & annatas Concordata cum Germanica Natione composuit. (*b*) Equidem haud omnes in Diæta Aschaffenburgensi præsentes erant Status, quin aliqui etiam concordatis illis contradixisse dicuntur, insuper quædam Ecclesiæ particulares Germaniæ aut ea non receperunt, aut observantia contraria iisdem derogarunt; interim Concordata & Ecclesiasticæ, & Publicæ Imperii legis nihilominus vim habere, atque ad supremam legis hujus Custodiam Cæsarem ab Electoribus in Capitulatione adstringi notum est omnibus.

(*a*) GOBELINUS *l. cit. p.* 14. JOANNIS *loc. cit. N.* II. MÜLLER *loc. cit. cap.* 27. §. 7.

(*b*) Extant passim apud MÜLLERUM loc. cit. & alibi. Bulla Confirmationis quæ incipit: *ad sacram*: & Concordatorum nomine potissimum venit apud CHERUBINUM cit. inter Bullas Nicolai V. est ordine 1ma.

## §. XVI.

Depositiones Præsulum Germaniæ ad Comitia delatæ &c.

Post Concordata, quæ super manserunt lites, (*a*) vel ad Comitia plane non, vel sine effectu delatæ sunt, (*b*) adeoque hujus loci non sunt. Alia tamen tunc etiam Negotia Ecclesiastica Comitiis materiam præbuere. Depositio Dietheri Archi-Episcopi Moguntini, quam probare videbatur Imperator totum Germaniam in partes traxit, in qua non tam de Adolpho ac Diethero agebatur, quam de Pontificia & Imperiali Authoritate, quam factio altera oppugnabat, altera asserebat (*c*) summo rei Moguntinæ damno. Huc etiam pertinent causa decimæ redituum sacrorum in bellum Turcicum impendendæ ad Comitia delata. (*d*) Causa attentatæ depositionis Archi Episcopi Salisburgensis Joannis ob denegatum spolium supellectilis defuncti Archi-Episcopi (*e*) Controversia Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quam nimium extendi quidam querebantur in Comitiis Lindaviensibus A. 1496. & 1497. (*f*) Abusus item quæstionariorum, de quibus in iisdem Comitiis conventum, ne nimii terminarii aut stationarii regiones pervagentur, aliique abusus committantur. (*g*) Causa novi schismatis tempore Conciliabuli Pisani præcavendi &c. (*h*)

*a*) Legi possunt hac super re Martini Mayeri Cancellarii Mogunt. mutuæ cum Ænea Sylvio litteræ præsertim Responsum hujus ad Gravamina nostræ Nationis *in Tract. de ritu, situ, &c. Germaniæ*, excerptum a Bzovio *Annal. Eccles. Tom.* 18. *pag.* 186.



*b*) Vel

(*b*) Vel enim quorundam inquietorum motus, vel pia desideria fuerunt, quæ in Comitiis Lindavienſibus expoſita ſunt.

(*c*) RAYNALDUS *Tom.* 19. *ad A.* 1462. *N.* 26. MÜLLER *Tom.* 2. Vierte Vorſtellung. *cap.* 20.

(*d*) Frequentia exempla in Comitiis poſt A. 1450.

(*e*) Vid. MEZGER *Hiſtor. Salisburg. ad A.* 1487. *cap.* 44. *pag.* 508.

(*f*) Vid. MÜLLER *l. c. T.* 3. *f.* 72.

(*g*) Idem *l. c. f.* 75.

(*h*) *R. I. Trevir. & Colon. A. I.* §. 4.

## §. XVII.

Lutherus in Comitiis Wormat. proſcriptus A. 1521.

Exortis feralibus in Germania religionis diſſidiis, à nemine non, bono Imperii Cive, deplorandis, fertilis ſeges negotiorum Comitialium in materiis ſacra concernentibus excrevit. Jam initio turbarum iis componendis remedium quæſitum fuit in Comitiis Auguſtanis A. 1518. Accerſitus illuc Lutherus, ſed nil Cajetani Cardinalis Legati Apoſtolici commotus precibus, aut perculſus minis, alea ſemel jacta, qua cœperat via progreſſus eſt. (*a*) Carolus V. neo-Imperator in primis curis habebat, flammam hanc in ipſo ortu extinguere. Indicta eam in rem Comitia Wormatienſia A. 1521. quæ ibi peracta enarrant alii, nobis notaſſe pro ſcopo noſtro ſufficiat: Lutherum irritis ſelectorum Principum, quorum caput erat Richardus de Greiffenclau Elector Trevirenſis, laboribus, publicis privatisque monitis, doctrinæ ſuæ tenacem ex Imperiali & Regia Authoritate nec non *conſilio & aſſenſu Electorum & omnium S. R. I. Principum*, *Ordinum*, *& Statuum* una cum aſſeclis & fautoribus ſolenniter proſcriptum, ac ejus doctrinam damnatam. (*b*)

(*a*) Conf. UHLENBERGIUS *in Vit. Luther. c.* 2.
SLEIDANUS *de Stat. Rel. & Reipub. l.* 1. *init.*
PALLAVICINUS *Hiſt. Conc. Trident. l.* 1. *ſeqq.*
FLEURI *Hiſtoire Eccleſiaſtique L. CXXV.*

(*b*) Edictum proſcriptionis extat in LUNIGII Reichs-*Archiv part. gen. cont.* 1. *p.* 437. & in
GOLDASTI. *Conſtit. Imper. Tom.* 1. *F.* 441.

## §. XVIII.

Comitia ſequentia in hac cauſa, & centum gravamina Norimbergenſia.

Quæ coacta abhinc Comitia fere ſimul Rerum Eccleſiaſticarum fuere examina. Caroli V. edictum plus fragoris quam ponderis habuerat: abibat ille in Hiſpaniam novo bello non cum Gallis ſolum, ſed poſtmodum cum ipſo, quem oppugnabat Lutherus, Pontifice colliſus, capto Clemente VII. direpta Roma. Addebant hæc animos iis, qui blando libertatis veneno jam ineſcati erant.

erant. Hæc inter Comitia convenerant Norimbergæ Annis 1522. 1523. 1524. Adrianus VI. P. Germanico non ortu solum sed & candore notus eo miserat Cheregatum Nuntium, qui Religionis dissidia componeret: hic ipsummet suum mandatum, Instructionem vocant. (a) Statibus exhibebat, quin jussu Pontificis urgebat, *ut Status* Pontificiis litteris honorati *ipsum informent, quibus mediis eorum judicio videatur huic pessimæ sectæ commodius obviari posse*, verbis, queis multum Comitiis deferebat Pontifex, neque tamen revera Sacrarum Rerum decisionem addicebat. Hanc Pontificis benevolentiam, rependebant Protestantes libello Centum gravaminum, Nationis Germanicæ, tantum ab illis celebrato, *omni auro cariore* ut ait LUDEWIGIUS (b) quem post discessum Legati Pontifici mittebant, quibus continebantur quædam Nationis Germanicæ querelæ, sub Maximiliano I. circa res beneficiales & annatas jam propositæ, reliqua vero omnia contumeliosa in Ecclesiasticos generatim, nominatim vero in Romanam Curiam, incrustata veri bonive specie nata non ad dissidia componenda, sed ad novas turbas excitandas. Hanc ob rem Clemens VII. Adriani Successor alium Norimbergam Legatum Campegium Cardinalem misit, sed variis actitatis id solum conclusum à Comitiis: (c) I. Edictum Wormatiense executioni dandum. II. Poscenda a Pontifice liberi in Germania Concilii indictio. III. Cogendum Spiræ novum Conventum, ubi gravamina prædicta Laicorum Principum contra Sedem Romanam, & contra Ecclesiasticos discutienda sint. IV. Evangelium a probatis Doctoribus in sensu orthodoxo prædicandum, interim vero Doctrinas controversas discutiendas a Theologis &c. Ex quibus id saltem patescit reverentem supremi Ecclesiæ Capitis Germaniam hic fuisse, nec tum adhuc Lutheranæ doctrinæ multum propitiam. Denique sæpe memorata Centum gravamina ad ulteriorem adhuc quæstionem ac deliberationem remissa sunt, adeoque inepte dicuntur: *Systema Canonum a Statibus compositum.* (d)

(a) Extat *apud* GOLDASTUM *Constit. Imper. Tom.* 1. *Fol.* 450. ac agnoscitur a Cardinali PALLAVICINO *Hist. Conc. Trid. lib.* 2. *c.* 6.

(b) *Cit. differt. Not.* 67. Extant plurimis vicibus a Protestantibus prælo excusa apud HORTLEDERUM GOLDASTUM, SCHILTERUM.

(c) *Vid.* Reichs : Abschied *de A.* 1524. §. 28. *seqq.*

(d) Nimium insolentiæ, ut verbo Ludewigiano utar, habet, dum cum aliis idem asserit, centum illa gravamina a Catholicis etiam Statibus concinnata, *Ordines S. R. I. Authores novi Juris Canonici adversus abusores veteris fuisse, quod non dubitarint Cæsari tradere in manus, & commendare ad promulgandum, & observandum in Germaniæ Ecclesiis, natum inde Systema centum novorum Canonum esse* &c. Ut enim omittam momenta illa, quibus evidenter probat Vir solertissimus *P. Ignatius* SCWARZ. *Colleg. Histor. p.* 6. *q.* 3. Centum illa gravamina consuta a Protestantibus, non a Catholicis Principibus, adeoque vere gravamina Protestantium, non Nationis Germanicæ fuisse, non possum saltem non mirari gravamina Catholicis illa imputari, & ab

& ab iis Pontifici, Cæsarique exhibita dici, quæ Lutheranizare, doctrinas Catholicas manifeste rejicere, adeoque suos Authores prodere nemo non videt. Vid. COCHLEUS testis coævus *in Act. & Script. Lutheri ad A.* 1523.

## §. XIX.

Comitia in causa Religionis usque ad 1530.

In Comitiis Augustanis A. 1525. de iisdem summi momenti negotiis uno solum verbo mentio facta. (*a*) Egregiam vero vulneri medicinam invenit Conventus Statuum Spirensis, in quo conventum; ut usque ad Concilii celebrationem ita quisque vivat, imperet, sentiat, prout Deo, Cæsarique desuper reddere rationem se posse confideret (wie ein jeder solches gegen GOtt und Kayserliche Majestät hofft und getrauet zu verantworten. (*b*) An hoc ipso quidlibet credendi, audendique libertas non concessa? quiquis sanus judicet. Improbavit merito Carolus V. omnia ea, quæ neglecto Wormatiensi Edicto tam segniter gesta essent a Fratre Ferdinando; seriora itaque neque tamen magis utilia fuere Comitia A. 1529. Spiræ coacta, conclusum illic: I. Cogitandum ante omnia de Concilio Generali vel Nationali. II. Cum antea relata facultate credendi agendique, quæ quis coram Deo & Cæsare tueri se posse confideret, abutantur multi, ac hoc prætextu omnis generis horrenda dogmata, & sectas procudant, dispergantque, standum esse iis in locis Cæsaris Edicto Wormatiensi in Lutherum vibrato usque ad futurum Concilium, ubi edictum acceptatum, ubi secus, & mutata doctrina esset; nec Edictum illud absque publica rerum perturbatione executioni dari posset, res quiesceret usque ad futurum Concilium. III. Proscripti Sacramentarii, vetita Missæ abolitio, jussum, ne Catholici ibi etiam, ubi Doctrina nova exorta, Missæ interesse prohiberentur. IV. In Anabaptistas severissimum Edictum Capitali pœna munitum contortum est. V. Statutum, ut Evangelium modo recepto ab Ecclesia, & probato explicetur, prædiceturque, cæterum (*b*) Religionis ergo nemini molestiam inferendam esse. (*c*) Hæc utcunque moderata essent, interposita tamen a variis Statibus Protestatio, ortumque in Germania tum *Protestantium* nomen. (*d*)

(*a*) R. A. Zu Augsburg. *A.* 1525. §. 1.

(*b*) R. A. Zu Speyer. *A.* 1526. §. 4. Conf. COCHLÆUS *in Act. Lutheri pag.* 147. & 148.

(*c*) R. A. Zu Speyer. §. 1. *usque ad* 11. & adjectum ibi Edictum contra Anabaptistas.

(*d*) Nomina Statuum tum Protestantium narrat COCHLÆUS, SCHLEIDANUS & reliqui. Causam tueri student MÜLLER in Evangelischer Stände *Protestation*; STRAUCHIUS *de Causa Protestationis Ord. Protest.* Iidem Scriptores eorum appellationem, Legationem ad Carolum Cæsarem, Conventum Schmalcaldiæ habitum narrant, quæ non sunt hujus loci.

§. XX.

## §. XX.

Comitia Augustana A.1530 Confessio Augustana, ac Decretum Imperatoris.

Comitia Augustana A. 1530. fuere celeberrima tum præsentia Cæsaris, omniumque fere Imperii Ordinum, tum præcipue exhibita Augustana Confessione non sic dicta, quod hic nata esset, sed quod ea a Melanchtone composita, a Luthero revisa ibi exhibita Cæsari fuerit. (a) Lecta ibidem famosa hac Confessione, lecta itidem ejus refutatione a Catholicis Doctoribus brevi tempore confecta, modis pluribus tentata a Cæsare Concordia sed irritis conatibus fuit; tandem consentientibus (præter Saxonem Electorem, Principes quinque, Civitates sex, qui prædictæ Confessioni subscripserant) Statibus omnibus edictum a Cæsare: Habeant Protestantes usque ad 15tam Aprilis anni sequentis 1531. deliberandi tempus, velint, nolintne in capitibus controversis assentiri Pontifici ac Cæsari? Nihil præterea novi comminiscantur, aut typis evulgent, Catholicis etiam subditis antiquum sacrorum usum impunem permittant; quos suam in tutelam Cæsar recipit, nullos ex iis persuasionibus minisve in suas partes trahant. Cum Zwingliani pariter Confessionem quandam Cæsari exhibuissent, eadem similiter refutata ac rejecta, decretum insuper, ut Protestantes opem Consiliumque in Sacramentarios atque Anabaptistas per Imperium coërcendos Cæsari conferant, injunctum simul, ut Ecclesiastica bona a Protestantibus occupata restituantur sub pœna Banni, promittente Cæsare: laboraturum sese, ut Concilium Generale intra semestre indicatur. (b) Denique in Comitiali Recessu (c) relatis novis erroribus, avita Catholica fides tam luculenter ac nervose asserta, & Imperiali mandato ita inculcata fuit, ut meliori modo vix possit. Ex quo apparet, quam vana gloriandi causa Protestantibus hæc Comitia fuerint olim, & sint hodiedum.

(a) Comitiorum horum varias circumstantias notatu dignissimas hic recitare pagellarum harum angustia non patitur. Qui præsens fuit, has recenset COCHLÆUS *in Act. Lutheri A.* 1530. ex Protestantibus illorum Titus Livius, SCHLEIDANUS L. 7. Recentiori stylo ex Catholicis MAIMBOURG *Hist. du Lutheranisme L.* 7. FLEURI *Hist. Eccl. L.* 133. *a* §. 9. ex Protestantibus COELESTINUS *in Hist. Conf. Aug.* aliique.

(b) R. A. *A.* 1530. *a* §. 1. *usque ad* §. 11. §. 61. 64. *& passim.*

(c) *a* §. 11. *usque ad* §. 57.

## §. XXI.

PrimæReligionis Induciæ concessæ Protestantibus in Comitiis.

Prædicto deliberandi tempore Protestantes non aliter usi sunt, quam ad firmandum propagandumque suum fœdus, quod contra Cæsarem, ac rem Catholicam jam pepigerant, opportunam cavillandi occasionem nacti ex Electione Ferdinandi in Romanorum Regem, quam Aureæ Bullæ contrariam, adstipulantibus etiam Catholicis Bavariæ Principibus causabantur. Solimanno insuper

Norimbergensibus An. 1532.

super Turcarum Imperatore Germaniæ finibus exercitu plane formidando incumbente, auxilia omnia contra Turcas abnuebant; neque nisi concessa religionis libertate se Ferdinandum Regem salutaturos profitebantur. Ut utrumque obtineretur a Protestantibus, exoptante Cæsare & Ferdinando, missis Mogono & Palatino Septemviris a Cæsare pacis Conciliatoribus primæ cum Protestantibus Religionis induciæ Norimbergæ ad finem Julii natæ & initio Augusti A. 1532. a Carolo confirmatæ fuerunt hujus tenoris: Carolus ut supremum Caput Imperii inducias usque ad Concilium Generale, vel in hujus defectu usque ad ulteriorem deliberationem cum Statibus Protestantibus concedit, Ecclesiasticorum bonorum possessionem eo usque contra intentatas in Judiciis Imperii lites indulget, vetatque religionis causa cuiquam molestiam creari. (a)

(a) In Recessu Imperii Ratisbonensi hac de re nihil, ipsa vero transactio ejusque confirmatio extat apud GOLDASTUM *Tom.* 2. *Constit. Imp. pag.* 172. Varia hujus Conventionis arcana edidit PALLAVICINUS *Hist. Concil. Trident. lib.* 3. *cap.* 9. Conf. D. KOEHLER *Dissert. de prima pace Religionis Norimberg.*

## §. XXII.

Colloquium de religione &c. in Comit. Ratisbon. An. 1541.

Quis Carolo, Germaniæ, reique Catholicæ inde fructus excreverit, eventus docuit. In Comitiis Wormatiensibus A. 1535. extirpatio fanatici Anabaptistarum Monasterii Westphalorum Regni decreta, in Comitiis vero Ratisbonensibus A. 1541. præsente Legato Pontificio Card. Contareno Colloquium Catholicos inter & Protestantes Theologos habitum, electis a Cæsare collocutoribus, quin fidei quædam formula exhibita sub iis verborum involucris, ut acceptanda ab utraque dissidentium parte crederetur, irrito plane effectu, nam nec Romæ, nec Catholicis pluribus aliis placuit, veritatem sub ambiguitate delitescere, Eckio ipsomet ajente, formulam hanc Melanchtonizare. (a) Is porro Comitiorum finis: (b) Cæsar Concilium in Germania pollicetur, interim vero in doctrinis persistendum esse jubet, novas invenire vetat, Reformationem morum a Card. Contareno propositam Ecclesiarum Prælatis commendat, Augustanum Edictum una tamen cum induciis Norimbergensibus illibatum manere statuit, adeoque forensibus litibus ex causa religionis (consequenter & bonorum Ecclesiasticorum) ortis usque ad Concilium supersedendum esse.

(a) Vid. ejus declaratio apud GOLDASTUM *Tom.* 2. *Constit. Imp. fol.* 233. *aliaque huc pertinentia ibidem fol.* 183. Confer. PALLAVICINI *Hist. Conc. Trid. lib.* 4. *c.* 13. *seqq.*

(b) R. A. zu Regenspurg. *A.* 1541. *a* §. 12. *usque ad* 32.

§. XXIII.

## §. XXIII.

Comitia Spirensia An. 1544. Catholicis nociva.

Comitia Spirensia A. 1544. præsente Cæsare, Statibusque fere omnibus celebrata nimis famosa sunt, quam ut hic eorum mentio fieri non debeat, neque tamen est, cur rerum gestarum seriem, modos, rationes narremus. (a) Indigna rei Catholicæ, nec ipsa Pace Westphalica hodie permissa, Cæsare dictatore constituta sunt; præterquam quod Ecclesiarum Prælati gravarentur variis iisdem impositis collectis, (b) Augustanum contra Protestantes edictum suspensum, Bona Ecclesiastica possessoribus relicta a prisca religione devianti-bus, Cameralis Judicii Assessores sine religionis discrimine recepti, Ministris Ecclesiarum & Scholarum Protestantium ex bonis Ecclesiasticis reditus assignati &c. (c) Catholici restitere ab initio Decreto huic, sed postmodum tamen Cæsari aut assensum præbuerunt, aut resistere noluerunt. Magis adhuc Pontificem, & Catholicos offendit, quod Carolus per utriusque partis Theologos annis seqq. Wormatiæ & Ratisbonæ fidei ac morum reformationis formulæ consuendæ allaboraret, arcanis tamen forte Caroli rationibus. (d)

(a) Præstiterunt id historici Coævi: JOVIUS, BELCARIUS SCHLEIDANUS, & *Recentiores.*

(b) *R. I.* §. 11. & *passim.*

(c) *R. I. Spir.* §. 77. *ad* §. 95. Rationes politicas tantæ in Carolo facilitatis, odium erga Franciscum Galliæ R. putant omnes, acerbius MAIMBOURG *Hist. du Lutheranisme. l.* 3. *ad A.* 1544.

(d) Vid. MAIMBOURG *l. cit. ad A.* 1546.

## §. XXIV.

Libellus Interim Caroli V. in Comit. Augustan.

Exarsit hæc inter bellum Schmalcaldicum, quo feliciter confecto, in Comitiis Augustanis A. 1548. Status plerique se quoad articulos Religionis controversos Concilio Tridentino futuro submisere (a) cum vero id Bononiam translatum, & varias ob tricas (b) ejus eventus incertus esset, Cæsar Decretum interreligionis edendum ratus, cui interea in Germania adhærendum esset, famosum illud INTERIM compilari jussit, quod, si concessum Laicis Calicem Eucharisticum, Clericis (iis qui tum uxores jam duxerant) Matrimonium exceperis, fere Catholicum, in variis tamen loquendi formulis ambiguum, plurimos Protestantium Theologos acriter offendit, multasque iis sectas peperit, nec satis Pontifici ac Catholicis placuit, nec rei Christianæ profuit. (c) Non tamen contradixere in Comitiis Status Catholici, nec A. C. addicti. (d) Edita simul a Carolo Reformatio Ecclesiastica. (e) In Comitiis Augustanis A. 1551. de Concilio Tridentino continuando promulgata a Pontifice bulla recitata, (f) Concilium vero acceptatum est, votis Ordinum etiam Protestantium. (g) Quin

varii Protestantium Legati Tridentum missi, an vero serio hæc acta, & illor ibidem propositiones, & eventus docuere. (*h*)

(*a*) *R. I. ibidem.* §. 5.

(*b*) Vid. PALLAVICINUS *Hist. Conc. Trid. lib.* 10. & 11.

(*c*) Confectum fuit a JULIO PFLUGIO Episcopo Naumburgensi, a Protest tibus sede pulso, a MICHAELE HELDING Episcopo Sidonio Suffra neo Moguntino Catholicis, ac JOANNE AGRICOLA Islebio qui c Melanchtone & Brentio Confessionem Augustanam concinnarat & Joachimo Electori Brandenburgensi a Concionibus erat. Extat Germanice in Corp Recessuum Imp. Latine apud GOLDASTUM *Tom.* 1. *Constit. Imp. fol.* 5 *Conf.* §. 35. *infra.*

(*d*) *R. I.* §. 14.

(*e*) Extat in GOLDASTI *Constit. Imp. Tom.* 2. *fol.* 326.

(*f*) *R. I. Aug. A.* 1551. §. 3.

(*g*) *Vid. R. I.* §. 4. & *fin.*

(*h*) Vid. PALLAVICINUS *l. cit. l.* 11.

## §. XXV.

Transactio Passav. & Pax Religiosa in Comit. Augustanis An. 1555.

Latuit scilicet ignis sub cinere doloso, exspectante tantum Mauritio xone, Electoratu a Cæsare recenter donato, tempus opportunum, quo Pr stantes in libertatem ab obsequio Synodo Tridentinæ, quam semper abhor rant, præstando assereret. Non diffitentur hanc belli causam Protestan licet alias belli a se suscepti rationes, ceu fieri solet, præ se tulerit Mauri ipsa belli series & fugati Oeni-Ponto Cæsaris Historia omnibus narratur. I arma transactionem Passaviensem extorserunt, qua, ut breviter dicamus om inter Ferdinandum & Saxonem Conventum, intra sex menses Comitia indi tur, quibus de Religionis dissidio componendo agatur, usque ad hanc com sitionem, nec ii, qui veteri fidei, nec ii, qui A. C. addicti ullo modo reli nis ergo turbentur, aut quid molestiæ in personis bonisve iis inferatur, Can Im[illegible] Spirensi non excludantur &c. (*a*) Comitia ipsa A. 1555. Augustæ ind fuere, ubi de componendis Religionis dissidiis vix cogitatum, tranquill solum externæ Ferdinandus Rom. R. studere potuit. Igitur Transactio P viensis Comitiali Consensu firmata fuit (*b*) in hunc tenorem: I. Nemo anti Religioni, aut Augustanæ Confessioni addictus religionis ergo molestiam pati II. Hac concordia excludantur, quotquot alterutrius Religionis non fuerint. III neant Bona Ecclesiastica penes eos, qui illa tempore Transactionis Passaviensis sederunt. IV. Jurisdictio Ecclesiastica adversus A C addictos in rebus ad reli nem spectantibus suspensa esto, in rebus eo non spectantibus porro a Præsuli quibus competiit, exerceatur. V. Catholicis census, redituśque Ecclesia

ex alienis etiam Territoriis solvantur, Bona vero Ecclesiastica ante Transactionem Passaviensem ad alios pios usus conversa, modo illa ad immediatos Imperii Status non pertineant, hisce usibus deinceps addicta maneant. V. Nemo subditorum, aut quispiam alius, vi, aut arte ad Religionem pertrahatur, concesso tamen subditis Jure emigrandi. VI. Qui a veteri Religione descifcit Ecclesiasticus, ejus quodcunque Beneficium vacasse statim censebitur, illudque aliis Catholicis conferendi potestas Capitulis aliisque, [illegible] de Jure competit, conceditur. (*c*) Dissidia Religionis per Concilium Generale aut Nationale, Colloquium, aut Conventum Imperii componantur, sin vero id fieri non possit, usque ad amicabilem Controversiarum Religionis compositionem pax ita conclusa nihilominus duret. (*d*) Desideraverant Protestantes, ut simul Catholicis liceret juxta formulam fidei interimisticam vivere, adeoque Calice Laicis uti, & Cœlibatum abjicere Clero, quia vero hæc formula solis Protestantibus (vid. §. 35.) scripta erat, nec ipsismet arridebat, hinc ad permittendam illam suis subditis Catholicos adigere nequiverunt.

(*a*) Vid. Transactio ipsa in Corpore Recessuum Imperii & passim prostans.

(*b*) Licet ipse Cæsar nunquam aut transactioni, aut Paci Religionis Augustanæ subscripserit, & Otto Truchsesius Cardinalis Augustanus protestatus fuerit.

(*c*) Vocatur hoc RESERVATUM ECCLESIASTICUM quod §. 18. R. I. per hæc verba: Demnach haben wir in Krafft hochgedachter Römischen Kayserlichen Majestät uns gegebenen Vollmacht und Heimstellung erkläret und gesetzt rc. insertum fuit.

(*d*) *Vid.* R. A. zu Augspurg. *A.* 1555. *a* §. 14. 30.

## §. XXVI.

*Colloquium Wormatiense Religionis, lites aliæ circa Religionem usque ad bellum tricennale & P.W.*

Cum per hæc vulnus sanatum non esset, facile recruduit. Protestantes, licet Ferdinandi arbitrio ea in re se submisissent, Reservati Ecclesiastici abolitionem petebant; Ecclesias etiam Metropolitanas & Cathedrales cum Principatibus, innumeras item alias minores sæcularibus usibus suis addicebant, Catholicorum subditis Protestantibus liberrimum religionis exercitium indultum volebant. Catholici, ut parta tuerentur, unice laborabant, quod ipsum, uti & Gebhardi Truchsesii Coloniensis Electoris ad Protestantium sacra deficientis exauthoratio, rigor Cæsaris in causa Aquisgranensi, & Donawerthensi, lites circa successionem Juliacensem, Electio Friderici Palatini in Bohemiæ Regem, Protestantium Unionem, & oppositam Catholicorum Ligam, ac demum tricennale Bellum peperere. (*a*) Sed, ut pro scopo nostro Comitiorum filo insistamus, in Comitiis Ratisbonensibus A. 1557. viam colloquii pro componendis Religionis dissidiis ingredi placuit. (*b*) Quod ipsum Wormatiæ inchoatum, magna dissensione & confusione Protestantium Theologorum abruptum, ac (*c*)

vanitate hujus remedii cognita, postremum fuit, quod publica Imperii Authoritate indiceretur. Ad Comitia Augustana A. 1559. 1566. 1582. & Ratisbonensia A. 1575. 1576. 1594. 1608. & 1613. quam plurima ab utraque parte Religionis gravamina delata fuere, de Reservato Ecclesiastico, de Autonomia Religionis, de interpretatione Pacis Religiosæ, & extensione ac sic dictos Reformatos, de Bonis Ecclesiasticis &c. Verum litibus tempus perditum, & belli tricennalis [illegible]es accensus est.

(a) Quæ huc pertinent, Lehmannus in suis Actis de Pace Relig. collegit; videbis ibi Comitia Imperii senatum fuisse, in quo partium de Religione dissentientium exceptiones, replicæ, duplicæ triplicæ &c. recitatæ.

(b) *R. I. ibidem* §. 9. 10. *seqq.*

(c) *R. I. ibidem. A.* 1559. §. 3. *seqq.*

## §. XXVII.

Negotia Ecclesiastica post P. W. ad Comitia usque ad hæc tempora delata.

Bello hoc per Pacem Westphalicam extincto, varia adhuc Ecclesiastica Negotia Comitiali deliberatione agitata sunt, tam de parte in partem, quam inter ipsos, ceu Catholicos, ceu Protestantes: de exequendis P. W. tabulis Norimbergæ & Ratisbonæ varia peracta. (a) Circa Articuli quarti Ryswicensis celebrem clausulam multo fervore disputatum fuit A. 1698. controversia recrudescente A. 1714. tempore Pacis Rastadiensis & Badensis, ac A. [illegible]36. tempore Pacis Viennensis. (b) Materia Calendarii plures in Comitiis motus excitavit, adhuc hodiedum haud compositos, ut sileamus innumera gravamina, ut dicuntur, Religionis ad Legatos Comitiales Protestantium Statuum, cum illorum, ut sperare licet, & Catholicorum nausea opportune & importune delata, (c) alia inferius nobis occurrent.

(a) Collegit hæc *Joh. Godefrid. de* MEYERN *in Act. Pacis executionis Norimbergens.* 2. *Tomis.*

(b) Vid. D. MOSER *Tract. de Clausula Articuli IV. P. Ryswic.* Stipulatus est eandem sibi Rex Galliarum quoad loca hoc fœdere Imperio, ejusque Statibus restituta, sub hac conditione: *Religione tamen Catholica Romana in locis sic restitutis, in Statu, quo nunc est, remanente.*

(c) Cui lubet illa perlustrare & in iis Ludi Magistrorum, Æditnorum lamenta, lacrymas & lugubres nænias legere, consulat præter STRUVII Historie der Religions-Beschwehrden, Voluminosum CORPUS GRAVAMINUM RELIGIONIS ab eodem compilatum.

§. XXVIII.

## §. XXVIII.

Acta Comitialia jus non faciunt, unde alii unde de Jure Comitiorum circa Sacra Judicandum.

Atque hanc Rerum Ecclesiasticarum in Comitiis seriem paulo prolixius recitare oportuit, tum pro rerum dignitate, tum, ut præcipui nihil in materia proposita omitteremus, tum denique, quod in hisce rebus, quid factum sit olim, præcipue indagari soleat. Interim, quæ hucusque ex genuinis fontibus adduximus Comitialia circa res Sacras acta, exempla sunt, non leges. Jus illa neutiquam efficere certum. Non enim exemplis, sed legibus standum esse docemur, nec observantiam Imperii universalem inde evincas, hæc enim, ut justa & valida sit, plura concurrere oportet, nec Catholici, nec Protestantes omnia laudabunt quovis tempore, vel ab universis Comitiis comitialiter conclusa, vel a parte in partem statuta. Comitialem Lutheri in Comitiis Wormatiensibus A. 1521. (§. 17.) proscriptionem me hercle hodierni A. C. addicti haud probabunt, ipsorummet Protestantium parva manus in Comitiis Spirensibus A. 1529. contra Comitiale Decretum protestationem interposuit. (§. 19.) Neque igitur & mihi probanda omnia, aut facta pro Jure tradenda sunt, sed divinis humanisque & publicis Imperii legibus quid conforme, quid difforme sit, atque ex hac norma, quæ Comitiorum circa Sacra jura fuerint, & sint hodiedum nunc perscrutandum.

## §. XXIX.

Principi supremo jus circa Sacra I.N. aut Div. non competit.

Primo autem loco duobus verbis tangenda est quotidiana illa non minus, quam gravissima quæstio: an Naturali Divinoque Jure Jus in Sacra Principi Christiano, adeoque in Imperio nostro Imperatori, saltem in Comitiis, competat? Protestantes adolescente doctrina sua id statim asseruere; GOLDASTUS & SCHARDIUS eam in rem suos *de Jurisdictione Imperiali Scriptores* in volumina compegerunt. (*a*) HUGO GRODIUS *Lib. de Imperio summarum potestatum circa Sacra.* CONRINGIUS *Dissert. de Constitutione Episcoporum Germaniæ, & Dissert. de Conciliis & circa ea summæ potestatis Authoritate.* PUFFENDORFFIUS Tract. *de Habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem*, ut alios minoris famæ dissertationum Scriptores, ac in Jus publicum Commentatores Protestantes omnes sileam, eandem opinionem viribus omnibus propugnarunt. (*b*) At Catholici uno ore omnes discretos a Deo Sacerdotii & Imperii fines agnoscunt, aliam scilicet Societatem Civium, cui Princeps præest, aliam Christianorum, cui Apostolos & Apostolorum Successores Christus præfecit, Regum esse tantum credunt fidem & Ecclesiam tueri, utriusque incrementum quærere &c. Atque hanc sententiam celebri Sermone jam exposuit Sæculo IV. HOSIUS magnus ille Cordubensis Epis opus ad Constantium Imp. Arianum ita scribens: (*c*) „Tibi Deus Imperium commisit, „Nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit: & quemadmodum, qui tuum Im-



„perium

„perium malignis oculis carpit, contradicit Ordinationi Divinæ, ita & tu
„ve, ne, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius
„date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo. N
puto Imperatorem vel Principem Christianum unicum a Constantino M.
que ad Henricum VIII. Angliæ Regem, primum illum, ex causis orbi
tissimis axioma Capitis Ecclesiæ sibi asserentem, adduci posse, qui, licet l
multi Jura circa Sacra usurpare attentarint, varii bellis litibusque cum
Pontificibus concertarint, revera tamen supremum Jus in Sacra ex asse
vendicarit, aut Ecclesiæ regimen Clero abjudicarit, & sibi penitus addix
Hanc vero veritatem Catholicam invictis argumentis probarunt, & Adv
riorum argutias refutarunt (*d*) Pighius, Constant. Cajetanus, Turre
mata, Eckius, Sanderus, Bellarminus, Thomas Cajetanus, aliique in Bi
thecam maximam Pontificiam relati. Suarez in Libris adversus R. An
Becanus de Primatu Regio, Eugenius Lombardus in Regali Sacerdotio, ac
alios prætercam, recentius clare & nervose Franciscus Schmier Jur. p
Universal. Lib. III. C. 1. per totum, D. Barthel in Dissert. quam insc
de Jure Reformandi Veteri &c.

(*a*) Ex quibus tantum sequitur olim quoque fuisse Ecclesiasticæ Potestatis os
Pontificum Romanorum hostes, & Schismaticos.

(*b*) Sibi tamen haud constantes sunt, sed valde variant assertores illi, qu
plus, minus alii, nimium omnes, quidam hoc, alii alio titulo Jus
Principi adscribunt. Ita HOBBESIUS *in suo Leviathan. c.* 26. eg
delirat, dicens: Cives obligari, ut pro lege Divina habeant, quidquid a
Civili pro lege Divina declaratur. Et HOUTUYN *in Polit. Con*
§. 63. Principem Sacra regere, ut profana externa & lege Divina nor
finita. Refutatur hic a PUFFENDORFFIO *in appendice lib. cit.* q
simili tamen errore hæret. Alii Jus Sacrorum, Jus Episcopale tantum di
contra quos frequens D. BOEHMERI *in J. E. Protestantium* que
alias lites refert idem L. I. Tit. 2. §. 82. & passim. Vid. D. Mo
Teutsches Staats-Recht. *Lib. II. c.* 19. *seqq.*

(*c*) a S. ATHANASIO *in Ep. ad solitar. vit. agentes relatus.*

(*d*) Collegit eas PFEFFINGER *Lib. III. Tit.* 2.

## §. XXX.

Multo minus Statibus Imp. in suo Territorio.

Quodsi vero supremæ in Republica potestati Jus circa sacra Nat
Divinoque Jure non competat, qua ratione id ipsum nostris Germaniæ P
pibus, Cæsari, & Imperio nunquam non subjectis asseri poterit? Sunt ni
minus DD. Protestantes, qui Principibus Germaniæ ante exortum etiam L
rum Jus in sacra competiisse jactitant, adeoque hanc civilis, ut ipsi pu
Imperii partem ab iisdem in Comitiis quoque exerceri potuisse, subinfer

dentur. (*a*) Sed ficulneis profecto fundamentis nixi, quid enim? Prisci Germaniæ Duces (ut arguit LUDEWIGIUS &c.) Theodo I. Bojoariorum Rex, Henricus Leo pariter Bojorum & Saxonum Dux, aliique Paganismum proscripsere, Episcopatus, Cœnobia & Collegia sacra condiderunt, Episcopos ipsos nominarunt; an inde Sacrorum potestas iis asseri debet? Idololatriam Princeps quivis, sicut alia scelera proscribere potest & debet, Episcopatus aliasque Ecclesias fundare, præsentare, aut nominare Episcopos, aliosque Beneficiatos, Laicis privatis, ne dum Principibus hodiedum licet. Sed inquiunt: Principes Germaniæ, synodos coëgerunt, ut Thassilo II. Concilium Dingolfinganum in Bavaria & Arnulphus aliud ibidem: Episcopatus e loco in locum transtulerunt, ceu Henricus Leo Episcopalem Sedem Lubecam ex Civitate Aldenburgensi: Episcopi illorum Landsassii fuerunt &c. Verum & hodiedum quam plures Episcopi Principum Landsassii sunt in Terris Austriacis, & alibi, ac nostro etiam sæculo supremi Ecclesiarum Præsules ægre non ferent, aut tanquam usurpationem Juris sacri non accusabunt, si Principes Piissimi & Ecclesiæ Nutritii Munifici, ceu Henricus Leo & Thassilo: Conventus Episcoporum, non tam Imperio cogant, quam monitis concilient, Ecclesias item præconsulta Ecclesiastica Authoritate transferant. Sin vero secus fiat, factumque sit, Jus inde non fluit. Miror vero LUDEWIGIUM, ut causæ suæ inserviat, pessima plane adducere Principum gesta: E. G. Theodo IV. Bavariæ Dux S. Emeranum Ep. Ratisbonensem cruento carnificio trucidari jussit; ergo legitimam in illum & consequenter alios Episcopos Duces habuerunt Jurisdictionem aut potestatem? Insigne revera argumentum! Hujus furfuris sunt & LUDEWIGII reliqua, partim refutatione indigna, partim paulo post tangenda.

(*a*) Præter minorum Gentium scriptores id affirmat SCHILTERUS *de Pace Religionis c.* 3. §. 15. *Item Dissert. de Condominio circa sacra.* PFEFFINGER *ad Vitriarium. L. III. Tit.* 19. §. 26. *lit. A.* RHEINHARD *Meditat. de Jure Principum, cum primis Saxoniæ, circa sacra*, totus in eo desudat LUDEWIG *Dissert. de Principum S. R. I. potestate in sacris ante Paces Religionis*, at omnes contenti sunt, si Exempla quædam corraserint Principum, qui connivente Summo Pontifice quædam circa Ecclesiastica disposuerunt, aut eorum, qui limites suæ Jurisdictionis via facti transgressi sunt, quo me hercle intentum suum haud probant. Longius aberrat D. EVERHARDUS OTTO Profess. Ultrajectinus *Tractatione de Jure Imperat. & Statuum circa sacra. fol.* 66. illa verba *I. P. A. V.* §. 30. Jus Reformandi ex communi per totum Imperium *hactenus* (id est ab initio dissidii Religionis) *usitata praxi* cum Jure territorii Statibus competere, de jactitato prisco illo jure Germaniæ Ducum, de quo nec somniarunt quidem paciscentes, accipiendo.

## §. XXXI.

Quodsi proinde Cæsari & Statibus, adeoque Comitiis Juris circa sacra, quid-

niæ Legibus publicis determinandum Jus Comitiorum circa sacra.

quidquam superest, cum nullum in Naturalibus & Divinis legibus subsidium, id solum ex domesticis Imperii legibus petendum erit. Publice testari oportet: hic loci derogatum me nihil Pacis Religiosæ & Westphalicæ legibus velle, quas, ceu vinculum Concordiæ & Unionis Germanicæ, ut basin modernæ Imperii formæ suspicio, Catholico tamen mihi nemo ægre feret, si simul asseram, & hic præ primis notandum ducam: neutiquam omnia iis contenta a Catholicis Pasciscentibus probata esse, aut probari adhuc, sed permissa tantum, permittenda tamen tamdiu sancta & inviolabili fide, donec exoptata & ab omnibus exoptanda dictorum fœderum conditio resolvatur, & existat, scilicet amicabilis de dissidiis Religionis transactio. Alterum non minus hic probe advertendum est, quod argumentum a potestate & Jure Principum in suis territoriis ad Jus Statuum in Comitiis haud procedat: distincta sunt etenim illa, ac ampliora Jura Statibus, ut singulis, in suis territoriis competunt, quam in Comitiis respectu Imperii Universi, unde nobis unica restat regula, juxta quam quæstiones adhuc proponendæ exigendæ sunt, scilicet: uti in Negotiis Politicis, ita in Sacris, id tantum Juris Comitiis competere, quod scriptis Imperii legibus, aut observantia legitima illis datum est.

## §. XXXII.

In Comitiis condi nequeunt leges Universales Ecclesiasticæ.

His itaque suppositis sua sponte sequitur: Comitiis Imperii non competere potestatem ferendi leges circa Sacra universales; cum enim nec Jure Divino & Naturali, nec ipsis Imperii legibus, aut observantia Imperatori & Statibus, aut seorsim, aut in Comitiis conjunctim, Jus circa Sacra competat; Legum quoque sacrarum ferendarum potestas, quæ primus supremi hujus Juris effectus est, illis desit necesse est. Profecto, si modernam Imperii faciem intueamur, hæc omnia certiora evadunt; Legibus enim recentioribus frequenter inculcatum: in causis Religionis (quo Sacræ quælibet referri possunt) inter partes dissidentes controversis legislatorem non dari, sed solam amicabilem compositionem legis loco fungi debere. Præterea, quæ Comitiali Decreto sanciuntur, ab Imperatore tanquam supremo legislatore vel maxime vim accipiunt; at ex una parte Augustissimi Imperatores nostri ii non sunt, qui Catholicis Sacras leges dando, falcem in alienam messem mittere velint. Ex altera parte Protestantes in causis Religionis Imperatorem recusant legislatorem, ac in iisdem superiorem nullum agnoscunt. (a) Unde ex his principiis jam ante Pacem Westphalicam leges circa Religionem in Comitiis ferri posse negavit ARUMÆUS (b) & alii Protestantes.

(a) *Per P. R. in Recessu Imp. Aug.* 1555. §. 15. CONRING *Dissert. de Præcipuis Negotiis in Comitiis Imperii* §. 14.

(b) *De Comitiis cap. ultimo. N.* 7. *seqq.*

§. XXXIII.

## §. XXXIII.

Nec pro Protestantibus, nec pro Catholicis; Licet ibi præsentes adsint plerique Germaniæ Præsules.

Neque etiam Comitiis Jus competit, particulares dissidentibus in Religione leges ferre. Protestantes ex rationibus datis sibi leges dari a Comitiis haud patientur, sed in partes casu eveniente ibunt, & si majora etiam Protestantium vota in legem quandam pro suis Ecclesiis convenirent, singuli quilibet status, se quoad causas Religionis in suo territorio solum Deum judicem revereri, dicent. De Catholicis arguit nonnemo: „in Comitiis præsentes esse plerosque Germaniæ Episcopos, quibus tota in Spiritualibus Germania subsit, in Comitiis leges Imperii ferri per modum pacti cum Principibus Sæcularibus, Ecclesiarum Advocatis natis, & fundatorum Successoribus, nil interesse, sive hæ leges ferantur in Synodis Nationalibus per modum Canonis, sive in Comitiis Imperii per modum Conventionis, cum utrobique sint iidem legislatores Episcopi, qui sint causa socia Recessuum Imperii; nec referre, quod istæ Ordinationes promulgentur Authoritate Sæculari Cæsarea, id enim nullo Jure prohibitum, ac olim factum, non itaque temnendas esse Imperii de Sacris Constitutiones &c. Sed fucum hæc faciunt, & nihil omnino Juris Sacri Comitiis evincunt; in his enim licet compareant Principes, qui simul sunt Episcopi, persona tamen Episcopi ibi plane quiescit, sola persona Principis se exserit, quæ per administros rerum politicarum, quam Sacrarum tenaciores ad normam prudentiæ civilis negotia administrat, quis igitur comparationem fieri inter Synodos Nationales, & hæc Comitia patietur? Sed age: an Comitiis secundum se spectatis, & quatenus Rempublicam nostram repræsentant, Constitutiones Sacras sancire licet? ac proinde, an cuivis Principi Sæculari pars legislationis Sacræ competit? an cujusvis votum in rebus Sacris valet? an vero solorum in rebus Sacris Episcoporum? Sin hoc posterius: ad quid prodest palpum obtrudere? Sin vero primum: clarius & aperte dicamus, supremam potestatem civilem Sacras leges dare posse, & Protestantes etiam nobis Catholicis in Germania. Scilicet status Sæculares duabus tertiis votorum, & integro Collegio Civitatum Ecclesiasticos in Germania excedunt. Verum est quidem, quod arguitur: Episcopi sunt causa socia Recessuum Imperii; sed vereor: ne Author Crisis supra dictæ societatem Leoninam non satis timeat. Verum itidem, quod leges illæ Ecclesiasticæ in Comitiis sancirentur per modum pacti, sed hoc ipsum in quæstione est, an eas per modum pacti ferri in Comitiis aut oporteat? aut deceat? Episcopi potestate legislativa Sacra gaudent, licet Principis nomen fronti mandatorum præfixum non radiet, licet in Comitiis regnorum sedem non habeant. Legislatores in Sacris sunt, in Cathedra sua sedentes, vel more Apostolorum primorum Christianorum, & omnium Ecclesiæ Sæculorum in Synodis congregati, haud vero in Regum Curiis, & populorum conventibus, ubi libertas rarior esse solet, quam majoris potentiæ metus.

Omnes igitur ego leges Ecclesiasticas temnendas judico, prævalente Authoritate Sæculari latas, conniventibus licet, aut ad consensum compulsis Episcopis præsentibus.

## §. XXXIV.

Respondetur ad varia argumenta ab exemplis petita: Capitularia quomodo confecta in Regum Francorum Curiis?

Specie veri magis apparente ex supra (a §. 6.) relata observantia Imperii, in cujus Comitiis leges Ecclesiasticæ variæ latæ videntur, nobis objicitur: ipsi diximus Capitularia Caroli M. Compendium fere Canonum esse. At: utinam nemo magis, quam piissimi Capitularium Conditores thus adolere, ac Jus in Sacra usurpare vellet. Capitularia quatenus Ecclesiastica continent, non leges Francorum Regum sunt, sed veterum Conciliorum Canones, collecti quidem ab ipsis Episcopis, promulgati una cum Civilibus Principum placitis, Germaniæ Populis Imperatorum nomine præfixo, ut reverentia iisdem, & obsequium facilius conciliaretur; quis autem abnuit inculcari Canones a Principe posse? (a)

(a) Patescit veritas dictorum inspicienti Capitularia, ac meretur adduci vel sola illorum præfatio apud HARDUINUM *Tom. IV. Concil. col.* 823. ibi Carolus: *Considerans una cum Sacerdotibus - - - placuit vestram rogare solertiam o pastores - - - sciat certissime sanctitas vestra, nostram vobis cooperare diligentiam; quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis Authoritate, una vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent - - - ne aliquis quæso hujus pietatis admonitionem esse præsumptuosam judicet &c.* Quod vero hic de Caroli M. Capitularibus, idem de Caroli V. Reformationibus dici potest, de quibus supra, quæ insuper potissimum Legatorum Apostolicorum curis concinnatæ erant.

## §. XXXV.

Qua ratione libellus Interim in Comitiis?

In celebri Caroli V. declaratione Religionis, vel ut dicitur, libello Interim plane fidei formula præscribitur. At nemo magis, quam Protestantes, hac in parte Cæsareæ & Comitiorum Authoritati restitit. (a) Docent hi hodiedum fidei controversias a Principe decidi non posse; (b) ac simul hic bene advertendum est: famosum illud Interim neutiquam Catholicis præscriptum, ejus observationem illis haud præceptam, sed solis Protestantibus, tanquam minus malum, permissum fuisse, hac lege vivere, non vero dogmata ritusque a veritate, ac disciplina Catholica magis alienos sequi (c)

(a) Extat in Bibliotheca quadam Moguntina volumen satis grande Impressorum & Manuscriptorum famosorum contra prædictum Interim, ejusque compilatorem Joannem Agricolam Islebium, a Protestantibus confectorum, quorum aliquos titulos adduxisse sufficiat: Wider den spöttischen Lügner unverschempten Verleumbter M. Islebium Agricolam nöthige Verantwortung, und ernstliche Warnung wider das Interim. Apologia M Casparis Aquilæ Bischoff zu Salfeld A. 1548. Antwort auff das schöne und liebliche Interim Niclasen

sen von Amsdorffs des verjagten Bischoff zu Naumburgk. Wider den schnöden Teuffel, der sich jetz abermahls in einen Engel des Liechtes verkleidet hat, das ist wider das neue Interim. Extat ibidem Schreiben Ertzbischoffs Sebastiani zu Mayntz an Statthalter und Räthe zu Cassel, in qua epistola iis tanquam dioecesanis receptionem libelli Interim commendat, ac Theologorum Cassellanorum Responsum, quo se excusant.

(*b*) Vid. D. BOEHMER Jur. Eccles. Prot. Lib. I. Tit. I. a §. 20.

(*c*) Vid. PALLAVIC. *Hist. Conc. Trid. lib.* 10. *c.* 17. MAIMBOURG *Hist. du Lutheranisme t.* 5. *fol. m.* 168.

## §. XXXVI.

Quomodo causa Lutheri in Comitiis discussa?

„At causa Lutheri Reformatoris non alibi, quam in Comitiis S. R. I. „ventilata est, ait LUDEWIGIUS (*a*) ergo sententias legesque de religione „ferre Comitiorum est; ergo, ut infert, Sacrorum momenta a Germaniæ Or„dinibus pendent, cum universim, tum sigillatim, pro cujusque territorii por„tione, aut portiuncula. Nisi enim in Sacrorum Jure S. R. I. Ordines fuis„sent in Imperii Societate, non opus fuisset Carolo V. vocare Comitia, vel „coactis dare hoc genus argumenti ad decernendum.„ Quam belle! videamus: ad quid Comitia in causa Lutheri coacta? quid ad *decernendum* Ordinibus datum? quomodo causa Lutheri ibi ventilata? Lutherus ipse non tam vocatus ad Comitia Augustana A 1518. quam ad Card. Cajetanum, coram quo, ceu Judice a Papa delegato, se sistebat, nec tam ad Comitia Wormatiensia, ut ibi ejus doctrina sub examen revocaretur, verum conquerentibus Lutheri asseclis, Lutherum injuste a Papa damnatum, & ideo solum, quod Romanæ Curiæ abusus corriperet, ad instantiam Friderici Saxonis (*b*) Carolus Lutherum evocavit, ut certior ipse de Lutheri doctrina ex ejus ore fieret, & hominem ad meliorem frugem reduceret; non igitur ipsa doctrina Lutheri discussa, sed decretoriis duabus quæstionibus hic solum interpellatus, primum: an libros suo nomine evulgatos pro suis agnoscat? alterum: an tueri illos, vel retractare velit? cumque affirmasset Lutherus primum, negasset alterum, ac frustra ad concordiam & fidem pristinam illum reducere laborassent Principes, tanquam hæreticus a summa Sede jam damnatus, pariter a Cæsare proscriptus est. (*c*) Si postea Lutheri doctrina per Confessionem Augustanam &c. ad Comitia delata fuit, pacis id tantum componendæ causa factum. (*d*) Ipsa semper controversiarum decisio ad Synodum Generalem vel Nationalem remissa, ac non semel a Cæsare cautum fuit: das auff dem Reichs-Tag in Sachen den heiligen Christlichen Glauben und Religion, auch die Ceremonien, und wohl hergebrachte Bräuch der heiligen Christlichen Kirchen belangend kein Neuerung oder DETERMINATION geschehen oder fürgenommen werden sollen. (*e*) Quid amabo clarius?



(*a*) *Cit.*

(a) *Cit. Dissert. cap.* 2. §. 8.

(b) SCHLEIDANUS *initio Lib. III.*

(c) SCHLEIDANUS *ibidem*: „Eccius Jure Consultus mandatu Cæsaris verba „facit, & duæ sunt, ait: causæ, cur Cæsar de consensu Principum omnium „& Ordinum te jussit accersiri. Martine Luthere, de quibus, ut ex te cog- „noscam, mihi mandavit. Primum, an hos libros abs te conscriptos esse „fatearis & pro tuis agnoscas? Alterum, an retractare quidquam in iis, an „vero, quæ scripta sunt, velis tueri?

(d) *R. I. August. A.* 1530. §. 1. Ibi, sicut & in innumeris aliis locis Recessuum: damit Fried und Einigkeit erhalten möchte werden. §. 37. Daß sich diejenigen, die solche Neuerung fürgenommen haben, mit uns und berührten gemeinen Churfürsten und Ständen, bis zu einem nächst-kommenden Concilio vereinigen und vergleichen ɩc.

(e) *R. I. Spiren. A.* 1526. §. 1.

## §. XXXVII.

Quomodo in Comitiis receptæ novæ fidei formulæ? & an adhuc aliæ recipi possint?

Fateri tamen oportet in Comitiis, præsertim Augustanis A. 1555., novæ fidei formulæ Jus Civitatis in Germania ab Imperatore & Statibus concessum esse, sed inde Comitiorum circa Sacra potestas nulla fluit: notum quippe, qua ratione transactio, & fœdus cum Protestantibus initum, a Catholicis Scriptoribus excusetur, qui demum in eo conveniunt omnes neutiquam Doctrinam hoc modo probatam, aut decisam, nec in rebus sacris sententiam dictam, sed ex duobus malis necessariis & inevitabilibus, quod minus erat, permissum fuisse & quidem Protestantibus a Cæsare, & Catholicis, a parte parti. Alia quæstio est: an novam sectam, a toleratis in Germania plane alienam, recipiendi Jus Comitiis competat. Hæc vel decidenda est juxta Divini & Naturalis Juris principia, & tunc eadem est: an, & quatenus Princeps tolerare mala possit? nec hujus est loci. Vel decidenda est ad normam Constitutionum Imperii, atque sic arbitramur, salvis hisce Imperii legibus, alienam a tribus receptis, novamque Religionem admitti in Imperium, a Comitiis, vel in territorium, a Statibus haud posse; licet enim quidam recentiores Protestantes (a) in alia omnia abeant, doceantque, recipi salvis legibus alteri Religioni addictos posse, modo illis publicum suæ Sectæ exercitium non concedatur, sic enim Religionem aliam non tolerari, sed solas personas; imo licet alii adhuc generalius loquantur, ipsumque publicum exercitium iis concedi posse putent, eo quod libertas conscientiæ Pace Westphalica stabilita tantopere sit, ac necessitas tolerandi Religiones tres imposita, non autem facultas ademta, tolerandi plures, præsertim cum in Catholicorum favorem tantum stipulatum, quod illi plures, quam tres Religiones, tolerare non cogantur; non itaque illis Jus quæsitum esse, prohibendi id ipsum Protestantibus, cui praxis favere videtur, cum

non

non pauci Menonistæ, Anabaptistæ, Sociniani, separati Pietistarum cœtus in territoriis Protestantium conspiciantur. Nihilominus, uti hæc exempla legem haud tollunt, nec Cæsari supremo legum vindici, & Judici, transgressiones cohibendi, Jus eripiunt, ita benignos illos quibusvis sectis viros hac sua opinione vim manifestam legibus Imperii facere arbitror. Verba I. P. W. *(b)* clara sunt: *Sed præter Religiones supra nominatas* (Catholicam Lutheranam & sic dictam Reformatam) *nulla alia in Sacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur.* Sensus clarissimus est, ac ex rerum gestarum serie evidens. Enimvero ab exortis in Religione dissidiis primum Imperii votum fuit easdem componere, in sacris, & politicis Pacem & Concordiam restituere, & stabilire, quod, in Civitatem admittendo multiplices Sectas, impossibile merito creditum. Tandem ergo soli Augustanæ Confessioni addicti per Pacem Religionis tolerati, sed statim additum. *(c)* Doch sollen alle andere, so obgemeldten beyden Religionen (Catholicæ, & Augustanæ Confessioni) nicht anhängig, in diesem Frieden nicht gemeynt, sondern gänzlich ausgeschlossen seyn. Notum porro, quanto labore post sæculares lites eadem receptio sic dictis Reformatis constiterit, qua ratione Paci Westphalicæ Articulus VII. ad instantiam Electoris Brandeburgici, & fœderati Belgii, protestante tamen Saxone, insertus fuerit. Quis ergo æquus rerum arbiter ex relata ejusdem articuli clausula: *Sed nulla alia Religio recipiatur, vel toleretur*, aliud quidquam inferre poterit, quam alias omnes ex Imperio, adeoque ex cujusvis Status territorio, exulare debere. Libertas conscientiæ permissa, sed tribus tantum Religionibus toleratis. Quid opus fuisset istis ambagibus, si cujusvis pagi Domino immediato revocare, quæ, nescio sectarum monstra, si erigere blasphemantibus Dei filium Arianis, si Macedonianis templa liceret. Quodsi etiam privatam solum tolerantiam Sectarum novarum permittere paciscentes voluissent, cur duo verba *privati exercitii*, quorum toties meminerunt Pacis tabulæ, non addunt? At lex non distinguit, neque nos igitur distinguere debemus, aut syncretismum privatum permittere, Divinis humanisque legibus prohibitum, ac vero Reipublicæ bono e diametro contrarium, sed potius Imperii & Comitiorum erit, eundem penitus evellere & extirpare. *(d)*

(a) HENNIGES *Meditat. ad J. P. A. VII.* §. 2. *pag.* 866. ICTI HALLENSES *in Responso apud & cum* BOEHMERO *I. E. P. Lib.* I. *Tit. I.* §. 58.

(b) *A. VII.* §. 2. *in fine.*

(c) *Pax Rel. in Recessu Aug. A.* 1555. §. 17.

(d) Videatur hanc in rem egregie discurrens D. BARTHEL *Dissert. de Jur. Reform. novo A. VII. N.* 2. afferens simul ex DECKHERO a Camera Imperiali citationes decretas, ad videndum, se incidisse in pœnam banni, ob hospitationem Sectariorum, a quo haud abludit LUDOLFF in Jur. Cam. Sect. I. §. 6. N. 14. qui simul adducit in appendice N. 81. decretum Camerale, quod senten-

tentiam nostram confirmat. Quin, quod zelosi Protestantes ubique de nimia facilitate, quosvis incertæ Religionis subditos recipiendi, conquerantur. Consentit LEYSER Meditat. ad ff. Specim. DLXVI. Meditat. XIII.

## §. XXXVIII.

Leges publicas circa Religionem innovat & inculcat novis Edictis solus Imperator, abrogare nequit, nisi Comitiali Consensu.

Cum interim Transactio Passaviensis, Pax Religiosa, & Westphalica legum Imperii publicarum nomine censeantur, & robore gaudeant, Cæsar vero supremus legum custos sit, leges easdem absque Comitiali Statuum consensu, novis edictis inculcare, ac innovare valet. Ipsi Protestantes non semel hoc Cæsaris officium implorarunt (a) adeoque etiam, quæ statuta sunt legibus, vi Judiciariæ potestatis supremæ executioni dare ipsum posse, dubium nullum habet. (b) Uti vero innovare leges istas sine, ita abrogare, non, nisi cum Comitiali Statuum consensu potest. (c) Ab iis denique, qui sibi has mutuo leges dixerunt, utique abrogari possunt eædem, mutuo nempe & Catholicorum & Protestantium consensu.

(a) Exemplum extat in edicto Caroli VI. d. d. 18. Julii. A. 1715. quo ad instantiam ipsorum Protestantium impugnationem legum Imperii, subdolam in sensum reprobum earundem contorsionem, libellos famosos contra Religiones toleratas &c. graviter prohibet, ad normam Pacis W. Extat edictum in CORPORE GRAVAM. RELIG. *Tom.* 3. *in celebri Cæsareo Decret. Commiss. d. d.* 12. *April. A.* 1720. Beylag N. 20. Hanc Cæsaris potestatem sugillare ausus fuerat anonymus quidam Author des neuen eröffneten Staats-Spiegel, qui ut ait LUDOLFF. *in Jur. Cam. Sect. I.* §. 6. *N.* 16. *Immodestiæ, & arrogantiæ nullos habere videbatur terminos.* Sed merito Fiscus Imperii contra illum excitatus fuit. Aliud exemplum memoria dignum, quod tamen ad Advocatiam potius Ecclesiasticam Imperatoris supremam spectat, exhibuit omni præconio major Caroli VI. Zelus, quo A. 1737. impiam illam Bibliorum Wertheimensem editionem damnavit, exemplaria, fisco, tenebrisque addixit, ac editorem carceri, ac inquisitioni ulteriori tradi mandavit. Conf. D. Moser, Teutsches Staats-Recht P. 3. L. 2. c. 19. §. 30. Plura alia in hanc rem suppetere possunt exempla.

(b) Ita juxta dicta §. priore in verbis Moser in teutschen Staats-Recht. l. c. §. 29. Kan der Kayser wieder dessen, so sich von allem im Reich erlaubten Religionen dem Grund nach trennet, Person und Schrifften sich seines Ambts gebrauchen. Dann weilen in dem Westphälischen Frieden, und sonsten die Verordnung des Religions-Friedens, das alle andere, so denen beyden Religionen nicht anhängig seynd, in besagtem Religions-Frieden nicht gemeint, sondern gäntzlich ausgeschlossen seyn sollen, so gar nicht auffgehoben worden, daß dergleichen Secten vielmehr nach dem Reichs-Abschied de A. 1566. §. 5. und Instr. Pac. A. VII. §. 2. in fine nicht geduldet, sondern allenthalben gäntzlich abgeschaffet werden sollen, so muß ja der Kayser, als Supremus Custos legum Imperii auch befügt seyn hierüber zu halten.

(c) Verba Capitulat. noviss. queis integrum assertum nostrum probatur, exstant. A. II. §. 4. Deßgleichen auch andere des Heiligen Reichs-Ordnung und Gesätze --- erneuer

erneueren, und dieselbe mit Consens Churfürsten Fürsten und Ständen - - - besseren, keines weegs aber, ohne Churfürsten, Fürsten und Ständen auff Reichs-Täg gleichmäßig vorgehende Bewilligung änderen.

## §. XXXIX.

Comitiis competit Jus interpretandi authentice Leges Imp. circa Religionem.

Interpretatio Legum Imperii omnium authentica Comitiis Imperii luculenter asserta est. (a) Singulariter vero interpretatio Instrumenti P. W. & Pacis Religiosæ iisdem reservata fuit (b) quas leges praxis sequitur. (c)

(a) J. P. W. A. VIII. §. *gaudeant* 2. *Capitulat. Noviss. A. II.* §. 5.

(b) J. P. A. V. §. 50. §. 52. §. 56. ibi: „Si quæ vero dubia circa interpretationem „constitutionum ac Recessuum Imperii publicorum occurrunt - - - remittun„tor ad Comitia Imperii universalia. vid. HOFFMANNI *Differt. de ratione interpretandi leges Imp. c.* 5. *per tot.* Protestantes haud quieverunt, donec in eas pacis leges itum, cum causarentur Cæsares, ac Imperii judicia, in interpretandis legibus fines suos transgressos esse, Ferdinandum I. celebri declaratione de Reservato Ecclesiastico, & Ferdinandum II. edicto suo de restitut. bonorum Ecclesiasticorum. A. 1629.

(c) Exempla habent Cameralistæ, affert aliud, speciali nota dignum, in causa, inter Comitem Hanoviensem & Civitatem Francofurtanam, puncto redituum Monasterii albarum Dominarum, ex territorio Hanoviensi percipiendorum, controversa, & cum dubium videretur, utrum hic casus, inter Protestantes solos litigiosus, sub Articulo V. J. P. §. *quæcunque Monasteria:* contineretur, nec ne? ad Comitialem interpretationem per sententiam Cameræ Imperialis remissa HENNIGES *in Medit. ad J. P. pag.* 1734.

## §. XL.

Modo lex vere dubia sit, & authentica Interpretatione indigeat.

Sic igitur cuicunque apparebit, harum legum interpretandarum causa, vel prætextu, varia ad Comitia deferri, ac Comitialium deliberationum ob jectum effici posse. Duo tamen hic advertenda veniunt: primum: ut ad Comitia res deferenda sit, vere dubiam esse debere legem Imperii; id enim verba tabularum Pacis Westphalicæ (§. præced. cit) innuunt, dubium vero non est, quod quis in dubium vocat, nulla veritas tam certa est, quæ liti exposita non fuerit, nulla lex tam clara, quæ cavillandi ansam non dederit, laudari oportet verba viri rerum usu expertissimi, licet ibidem Catholicis haud faventis, Assessoris Cam. Imp. de LUDOLFF: „Quodsi, inquit, ex quacunque in Imperio exorta disputatione, aut privata Instrumenti Pacis interpre„tatione, ipsius legis incertitudinem, & obscuritatem, pro ratione, allegare „foret licitum, & sententiam hujus, illiusve, causæ suæ inservientem sequi, „contra expressam Sanctionem Articuli V. I. P. §. 50. facile est intellectu, ni„hil plane in legibus certum exstiturum, sed omnia regulæ cereæ similia, quod „absit, ut in mentem veniat, nedum in sermones profitentium Jurispruden„tiam

„tiam veram, non simulatam.„ (a) Equidem Catholici non negarunt, neque negant, in legibus Imperii dubii quidquam, aut obscuri reperiri, conqueri tamen possunt, dubia reddi, quæ talia non sunt, atque hoc prætextu ad Comitia deferri Fatetur ipsemet HENNIGES (b) cum ratione Protestantibus objici posse: ipsos aliquando studio partium a prima paciscentium intentione abire, dum verba securius sectantur. (c) Alterum proinde notandum est, tamdiu Comitialem & authenticam interpretationem legum Imperii circa Religionem & annexa cessare debere, quamdiu Judiciali locus est, sicut enim id defacto circa leges Imperii politicas usu quotidiano obtinet, ita, ni cursus Justitiæ omnis interrumpi velit, id ipsum circa leges de religione & annexa obtinere debet, quamvis igitur res ad Judicium delata, litigiosa statim fiat, lex tamen ipsa, quam pars pro se allegat, litigiosa statim, & dubia haud evadit, sed quivis Princeps in suo territorio, etiam in causis circa religionem, uti Judicem, ita & interpretem agit; ipsa deinde Imperii Judicia, ad quæ omnium ore causæ Ecclesiasticæ inter Religione dissidentes deferri certo modo possunt, citationibus super fracta Pace Religiosa, & Mandatis de non contraveniendo P. Rel. reos coërcebunt, eo usque vero præpostere Causæ Religionis ad Comitia deferentur.

(a) *De Jur. Cam. Sect. I.* §. 4. *fol.* 36.

(b) *Meditation. ad J. P. A. V.* §. 50. *fol* 736.

(c) Atque hinc judicandum Lectoris sinceri arbitrio relinquimus, an omnes casus illi, qui dubii a Protestantibus habiti fuere, quosque refert novissime *D. Joan. Carol.* KOENIG *Profess. Marburg. in sua Disquisitione de modo & Jure intercedendi Corporis Evangelicorum, tam in causis religionis, quam politicis append. N.* 2. revera dubii sint? nos quamplures illorum Imperii legibus satis clare definitos arbitramur, quod tamen fusius deducere, pagellarum harum angustia haud patitur.

## §. XLI.

De Recursu ad Comitia in Causis Religionis.

Inde pariter fluit, quid de Recursu ad Comitia in Causis Religionis (in politicis enim hujus loci haud est:) (a) sentiendum sit, qui illius causam defendendam susceperunt, ac quotidianas fere Protestantium in Comitiis querelas, seu Religionis Gravamina, ut, vocant tuentur, hisce fere fundamentis nituntur: ajunt I. Causas Religionis hucusque obvias, plerumque interpretationes legum publicarum respexisse, adeoque II. Easdem Causis Status, concurrentibus præsertim aliis circumstantiis, annumerandas. III. Modum hunc ipsa Pace Westphalica A. XVII. §. 6. probari, in quo mutua evictio guarantia fundata, ac statutum sit, ut reliqui compaciscentes in auxilium properent, *a passo, vel læso moniti*, læsis proinde Jus monendi, vel implorandi Comitia competere. Demum IV. in his Causis Religionis recurri ad Comitia, non tam

deci-

decisionis, quam intercessionis habendæ gratia. (*b*) Verum, uti Imperator, Status Catholici omnes, ac privatus quisque, publicæ in Germania quietis amans ultro fatetur, Causas Religionis legibus publicis non determinatas, ad Comitia deferri posse, scilicet, ut supra dictum, si (α) res vere dubia, ac authentica interpretatione legum indigeat. I. P. A. V. §. 50. (β) Causæ, revera & proprie Religionis, ac inter partes diversæ religionis Catholicos & Protestantes sint controversæ; I P. loc. cit. §. 22. (*c*) insuper: (γ) si in dijudicandis Causis Ecclesiasticis, vel politicis paritas votorum utriusque Religionis, in pleno etiam Senatu summorum Imperii Tribunalium, Catholicis in unam, Augustanæ vero Confessionis Consiliariis, vel Assessoribus in aliam partem abeuntibus, reperiatur. I. P. loc. cit. §. 56. (*d*) ita Augustissimus ac Justissimus Imperator Corolus VI. ad antea relatum fundamentum Protestantium verbis energicis conquestus est: Gravamina Religionis undecunque conquisita ad Legatos Protestantium Comitiales deferri, quæ nullatenus eo pertineant; multo minus, ad II. Causæ Status dici possint, cum causæ tantum Justitiæ sint, quibus alibi remedium, quam in Comitiis ferri debeat, ac paritate Religionis inter Judices servata sine omni partium studio possit, in Imperii Tribunalibus, lædi alias supremam Cæsaris Judiciariam potestatem, interrumpi cursum Justitiæ, &c Ad III. sponsores Pacis Westphalicæ tam diu neutiquam implorari posse, quam diu parti, quæ læsam se putat, Justitia administratur, & non denegatur, alias ansam dari turbis publicis & infractionibus Pacis. Ad IV. Intercessiones Statuum Comitiales quæri, ac fieri coram Cæsareo Throno posse sed ea, qua decet reverentia, ea, quam omnes Imperatoriæ Majestati debent, vi Juramenti, quo illi adstricti sunt, subjectione &c. Ut de meo temere nihil addam, non pigebit, ipsa Imperatoris optimi verba hic subjuncta legere & ibi plura adhuc Causæ momenta videre. (*e*)

(*a*) Videri possunt præter varia Acta publica circa Recursum ad Comitia, ab Authore der Staats-Canzley collecta Dissertatio HAPPELII de Recursu ad Cæsaream Majestatem, vel ad Comitia, ab Assessore Cameræ de LUDOLFF. notis illustrata *in suo Jure Camerali append.* 3. D. MOSER. Betrachtung des *Recursus &c. D. Joannis Georg.* ESTOR *Dissert. de Judicio Principum &c.*

(*b*) Argumenta hæc fusius deduxere Legati Comitiales Protestantes in litteris ad Cæsarem d. d. 25. Maji A. 1716. & d. d. 16. Novemb. A. 1720. Conf. TREUER. *Tr. de Comitiis Corporis Evangelici. C. I.*

(*c*) Vid. D. de ICKSTATT *Dissert. de Causis Relig. a Jure majorum exempt.* §. 35. *seqq.*

(*d*) Conf. cit. D. de ICKSTATT *Dissert. V. de Causis in quibus Status Imperii in partes eunt. per tot.*

(*e*) Sic ille im Kayserlichen Commissions-Decret, betreffend die Kayserliche Ahndung, wegen

wegen auff dem Reichs-Tag zu Regenspurg vorkommenden, dahin aber nicht gehö-
rigen Rechts-Sachen. Dictat. Ratisbonæ 6. Septemb. A. 1715. „Obwohlen
von Ihro Kayserlichen Majestät glorreichsten Herrn Vorfahrern am Reich, wie auch
von Deroselben selbsten die heilsame Gerechtigkeit einem jeden, so wohl hohen, als
niedrigen Standes, jedesmal sorgfältig gern ertheilet worden; so hätten Dieselbe
dannoch, zu deren nicht geringen Verwunderung, verschiedentlich wahrnehmen müs-
sen, daß einige Reichs-Stände, oder ihre Unterthanen, in dero Nahmen, oder vor
sich selbsten, in ganz besonderen, offt geringen Rechts- und Streit-Sachen, welche
zwischen Gegentheilen bey dero Kayserlichen Reichs-Hoff-Rath, denen Reichs-
Satzungen gemäß, anhängig gewesen, und noch seynd, sich von solchen, gegen die
Rechte, und gerichtliche Ordnungen ab, und mit einseitigem Vorstellen, und unbe-
suater Klage, alsdann zu der allgemeinen Reichs-Versammlung, oder dero
besondere Glieder öffters gewendet haben, wann wider dieselbe richterliche Gesätz
und Ordnungs-mäßige Bescheide, Urtheil und Verhängnusse ergangen seynd, oder
zu besorgen wären; worauf es dann bey bemeldter allgemeiner Reichs-Versamm-
lung, oder einigen da befindlichen Räthen, Bottschafften, und Gesandten, so weit
getrieben und gekommen seye, daß selbige sambt oder sonders, in ein- und anderen
dergleichen, obschon nur Parthey-Sachen, und besonderen Strittigkeiten, mit sol-
chen gemeinsamen Schlüssen, oder besonderen Vorschrifften hervorgegangen, welche
nicht in denen Schrancken ehrerbietsamer Vorstellung, oder Vorschrifften, sonderen
in mehrmahligen Vorwürff- und Eingriffen, nicht ohne Anzüglichkeiten, und gleich-
sam mit Abhandel- und Urtheilsprechung verfasset, und durch offentlich- oder beson-
dere in solchen Fällen so unzuläßig- als ungewöhnliche Berathschlagungen und Dicta-
turen gemein gemacht, so dann offen, oder heimlich an Dieselbe abgelassen wor-
den. - - - Alldieweilen aber durch sothane neuerliche Unternehmungen und bishe-
rige Vorwürffe allzu weit gegangen würde: so hätten Dieselbe die Sachen und alle
deren Umstände, auch die Absichten derer, welche solche Dinge ins besondere am
mehresten regen und hegen, nebst dem Verfahren dero Kayserlichen Reichs-Hoff-
Raths, ordentlich untersuchen, und Ihro all solches ausführlich gehorsamst vortra-
gen lassen, mithin allergnädigst reifflich erwogen, von denen vielen Beschuldigungen
aber nichts, sonderen aus denen ordentlich allerseits verhandelten Rechts-Noth-
dürfften und Schrifften, auch beyderseitigen Vor- und Anbringen das gerade Wi-
derspiel, und mehreren Theils befunden, daß durch solche Einmischung das Recht
selbsten nur gehemmet, dessen ordentlicher Lauff und Vollzug verlängert, wo nicht gar
verweigert, Mühe und Kosten deren Partheyen vergrössert. - - - Anbey
in mehrere Wege dero Kayserlichen Allerhöchst-Richterlichen Ambt ungegrün-
deter Dinge widerstrebt oder vorgegriffen worden, zu geschweigen, daß nicht
zu begreiffen seye, wie gegen Ihro Kayserlichen Majestät, da Dieselbe selb-
sten vermög dero Kayserlichen Wahl-Capitulation Artic. XVI. §. wir sol-
len etc. denen Kayserlichen höchsten Reichs-Gerichten keinen Einhalt thun, noch
von anderen solches Mittel- oder unmittelbar gestatten können, sollen, noch wollen,
nun durch andere sothane unverantwortliche Hemmung, ordentlich erkannter Urtheil
und Rechte, ohne Grund und Noth, einseithig gewagt, und unternommen werden
dörffte, gestalten nun, bevorab von denen Augspurgischen Glaubens-Bekanntnuß-
Verwandten, eine weil her vielfältig geschehen, und bey Ihro Kayserlichen Majestät
auf antworten fast mit Heffrigkeit, getrieben worden. Ihro Kayserlichen Majestät
vermögten eben so wenig abzusehen, wie der Churfürsten, Fürsten, und Stände,
fürtreffliche Räthe, Bottschafften, und Gesandte an- und auf einen, nicht zu Ver-
hörung

hörung der Partheyen, Erkennung, Urtheil und Rechts, oder Abthuung gerichtlicher Sachen verpflichteten, sondern zur Berathschlagung der offentlichen Geschäfften, und Nothfällen des Vatterlands, der Reichs-tåglichen allgemeinen Eigenschafft nach, lediglich gewidmeten Ort und Gewalt, sich in die besondere Rechts-Händel, mit so vielfältigen und gleichsam definitiv-Sprüchen einmischen, und zumahlen nur auf eines theils anbringen, ohne die Gegen-Parthey gehöret, oder die völlige Handlung gesehen, und recht oder gerechtlich, wie sich von rechts und Gewohnheit wegen gebührte, erwogen zu haben, in denen Reichs-Collegiis, oder besonderen Zusammenkünfften der Catholischen, oder Augspurgischen Confessions-Verwanden eintuen, und zwar solchen Schluß darüber fassen mögen, wodurch Deroselben, als allerhöchsten Richter im Reich, in lauter Rechts-Händeln ausserordentlich Ziel und Maaß vorgeschrieben, folglich die Richtschnur, derer auf einen ordentlichen Reichs-Tag gehöriger Geschäfften übertretten, mithin und endlich die Art der höchsten Reichs-Gerichten umgekehrt, und bey nahe aus lediglichen Rechts-gantze Glaubens-Sachen und Geschäffte gemacht, und eingeführt werden wollen. Gleichwie aber Ihro Kayserliche Majestät nun nebst deme, was Deroselben geschiehet, und dieselbe weder in Ihro selbsten, noch in dero Ihrigen, um das Reich insgesamt, noch um dessen besondere Reichs-Tags-oder Glaubens-Verwandten verdient zu haben, sich nicht zu entsinnen wissen, dererley so weit gehend, und des Vatterlands Grund-Gesätze, dessen Regierungs-Form, Einigkeit, und innerliche Ruh und Wesenheit bey nah untergrabende Ding solcher massen fortschleichen zu lassen, gegen GOtt, das heilige Römische Reich, und dero Nachkömmling nicht würden verantworten können. --- Als thuen Ihro Kayserliche Majestät --- hiermit der Churfürsten, Fürsten, und Ständen fürtreffliche Räthe, Bottschafften, und Gesandte erinneren, sich oberwehnter Unternehmungen, ihrer Weißheit, und der Sachen Eigenschafft nach, so wol, als auch geziemender Ehrerbietung, und Vertrauen gegen den von GOtt angesetzten Obristen, und nachgeordneten allerhöchsten Richter im Reich, sonderlich aber aus Lieb zu der Gerechtigkeit selbst, führohin um so mehr zu enthalten, und Ihro Kayserliche Majestät bey dero obhabenden schweren Regierungs Last und Reichs-vätterlichen Obsorgen, oder dero Kayserlichen Reichs-Hoffrath, auf solche einseitige Vorgeb-und Einstreuungen mit unbegründeten ohnverdienten Vorwürffen, oder Ziel und Maaß setzenden, und denen Ihrer Art nach, auf einen Reichs-Tag nicht gehörigen Dingen, zu verschonen, als Dieselbe ohne dem nicht unterlassen, dero allerhöchste sonderbare Sorgfalt darinn unaufhörlich zu setzen, und zu bezeigen, daß die GOtt-gefällige und gemeinnützige unpartheyische Gerechtigkeit, ohne Unterschied der Personen und Sachen bey dero Kayserlichen Reichs-Hoffrath, und Cammer-Gericht, zufolg der heilsamen gemeinen und Reichs-Rechten, unablässlich besorget, eingesehen, und ertheilt werde; gestalten Dieselbe auch eben so wenig die an Ihro in vorkommenden Reichs-Händeln etwa beliebige Vor-und Bittschrifften ihrer, und der Sachen gründlich und bescheidentlicher Art und Beschaffenheit nach, auf einigerley Weiß zu hindern oder zu untersagen, als auf den Fall, da Deroselben einige erhebliche Beschwerden wider dero höchste Reichs-Gerichte, oder deren besondere Glieder, mit rechtem Grund geziemend beygebracht werden wollen, darunter denen Reichs-Ständen oder sonst jemanden, Ziel und Maaß oder Inhalt zu geben gemeint seyn, sondern keines wegs ermangeln werden; solchenfals befindenden Umständen nach, das Gehörige allergnädigst gern zu verfügen. Licet vero longa epistola d. d. 23. Maji A. 1716. Se excusarent Legati Protestantes, conqueritur tamen adhuc Imperator in celebri Decreto Commissionis dictata Ratisbonæ 12. April A. 1720.

I 2 Daß

Daß es dahin getrieben werden wolle, als ob Ihro Kayserliche Majestät, als dem Oberhaupt, und dero höchsten Reichs-Gerichten obliege, so bald eine Parthey A. C. Verwandten theils seye, daß man weder Via ordinaria Processuum verfahren, oder gleichsam alle Leges überfahren müsse, oder diesen weniger, als anderen Reichs-Gliedern und Unterthanen die probatio Juris, aut legalitas rerum & temporis obliege, wiewohlen in denen Reichs-Abschieden, Reichs-Friedens-Schlüssen, Reichs-Hoffraths, und Cammer-Gerichts Ordnungen circa materias Religionum, aut circa res & personas unius vel alterius de toleratis Religionibus alles Ziel und Maaß deutlich vorgeschrieben, sonsten aber nach der gemeinen Rechts-Regul, wo kein Klager, da kein Richter seye, dieser aber anderst nicht als nach der Eigenschafft und Art des Beklagten verfahren könne.

Cum denique huic etiam Decreto Commissionis longissimas ad Cæsarem litteras d. d. 16. Novemb. A. 1720. reponerent Legati Protestantes, gravissime id tulit Imperator ac per Rescriptum ad Commissionem Comitialem Cæsaream d. d. Wien 14. Februar. A. 1721. declaravit: Was die verschiedene hin- und wider, durch das gantze Reich durch erlassene Excitatoria zusammen getrieben, noch zur Zeit weder untersucht, noch zulänglich dargethane Particulär- und andere Religions-Beschwerden betrifft, können wir nicht finden, was überall nöthig gewesen, deßhalber nur ein einziges Wort zu verlieren, nachdem endlich alles dieses an den Reichs-Tag, theils würcklich verwiesen, theils durch ein und andere nach der Hand an unsere Kayserliche Principal-Commission, und die Partheyen selbst erlassene Verordnung dergestalt regulirt worden, daß dadurch alle etwa besorgte Hindernüssen völlig hinweg fallen, und an einem friedlichen Ausgang im geringsten nicht zu zweiffelen seyn wird, wann anderst die auf allen Blättern der übergebenen Vorstellung an Tag gelegte fast unerträgliche Bitterkeit, Haß und Mißtrauen gegen die Catholische Religion, und alle, so derselben zugethan seynd, sambt eigensinniger Auslegung derer Reichs-Gesetze unter denenjenigen, mit welchen man hierunter ferner zu handelen haben möchte, der Eintracht und Billigkeit noch einigen Raum verstatten wollen. Concludit denique Imperator verbis gravissimis se Jura sua Majestatica, supremæ potestatis jus dicendi, & Custodiæ legum publicarum, quæ fulgentissimas Cæsarei diadematis gemmas nominat, a quopiam violari, vel bello solum litterario subjici, nullatenus passurum, atque post has lites aliquantulum deferbuit æstus ille circa gravamina Religionis ad Comitia delata vehementer commotus. Scripta adducta non in Fabri & Lunigii solum collectionibus, sed & in Corpore Gravamin. Relig. & passim extant.

## §. XLII.

[Qu]ando [l]ocus [si]t? Ex his colligere & notare varia liceat, Primo nimium generale & falsum esse, quod ait KOENIGIUS (a) recursum ad Comitia in Causis Religionis legitimum reddi, si Jus intercedendi Corporis Evangelici non attendatur, ex illo enim, quem allegat. A. V. §. 52. J. P. de quo nos paulo post, id ipsum haud sequitur universaliter, ac si propositio tam indefinita admittatur, Legatis Protestantium Comitialibus ansa daretur, quasvis causas Religionis ad Comitia pertrahendi. Secundo causas Religionis Catholicæ non aliter ad Co-

mitia

mitia pertrahi posse, quam quatenus ad antiquam Catholicorum possessionem contra Protestantium turbationes, aut pacis infractiones defendendam id necesse foret; neutiquam autem causas circa Religionem & annexa inter Catholicos ipsos controversas, tum quod Catholici distinctos Sacerdotii & Imperii limites agnoscant, adeoque haud passuri sint, lites suas circa Ecclesiastica ad Comitia deferri ipso Imperatore promittente: (*b*) se curaturum, ut causæ Ecclesiasticæ in suo foro Ecclesiastico judicentur, tum quod ratio legis, quæ Protestantibus indulsit, ut causæ Ecclesiasticæ inter nos & illos controversæ in Comitiis sola amicabili transactione deciderentur, fuerit, quod Pontificem Romanum illi detestentur, Concilia pristino more habita declinent, Cæsarem & Comitiorum majora vota suspecta habeant, adeoque judicem alium non agnoscant, quæ inter Catholicos cessant. Tertio ex eadem ratione raro causæ Religionis inter solos Protestantes controversæ eo deferri ex analogia legum Imperii poterunt. (*c*)

(*a*) *Cit. Disquisit. de modo & Jure interced. Corp. Evang. fol.* 58.

(*b*) *Capitulat. Noviss. A. XIV.* §. 5.

(*c*) Confer REICHARD; *Dissert. de termino a quo restit. bonorum Ecclesiasticorum subjectam Meditationibus Hennigesii ad J. P. &* §. 39. *h.*

## §. XLIII.

*In causis Religionis comitialibus non obtinet votorum pluralitas.*

Extra rhombum quidem vagari videmur, attamen paucissimis tangere debemus modum tractandi causas Religionis ad Comitia delatas, licet enim sanæ rationis, adeoque Juris Naturæ & Gentium principia persuadeant, in iis negotiis, quæ in tanta ingeniorum humanorum, & opinionum diversitate a pluribus decidenda sunt, plurium votis standum esse. Cum frustra plerumque speretur omnium concors sententia, licet etiam in negotiis Imperii publicis hæc regula semper valuerit, valeatque adhuc in omnibus haud exceptis, nihilominus exortis in Germania Religionis dissidiis, jam in Comitiis Spirensibus A. 1529. Protestantes causati sunt: Sie liessen sich durch die Majora davon nicht abwendig machen, denen sie, weilen es eine Gewissens- und Glaubens-Sach, nicht statt geben könten. (*a*) Solas quidem, in quibus majora obtinere nolunt, causas conscientiæ & fidei hic excipiunt Protestantes, neque tamen Imperatori & Statibus reliquis vel hæc insolita, & nova exceptio ab antiqua regula placuit, acriter hi semper restiterunt, (*b*) donec post multas lites & post varias in Pacificationis Westphalicæ congressu deliberationes (*c*) plus, quam olim desiderabant Protestantes, iis indultum, in aliis quoque Imperii negotiis, quam conscientiæ & fidei, votorum pluralitati locus denegatus, & in hæc fœderis verba, iniquitate temporum sic jubente, conventum est: „*In*

*„causis Religionis, omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum Corpus consi-„derari nequeunt, ut etiam Catholicis & Augustanæ Confessionis Statibus in duas par-„tes euntibus, sola amicabilis compositio lites dirimat, non attenta veterum plurali-„tate.* (*d*)

(*a*) Videantur gravamina Protest. apud MÜLLERUM *in Histor.* deren Evangelischen Ständen *Protestation pag.* 57.

(*b*) Seriem disputationis exhibet D. de ICKSTATT *Dissert.* 2. *de fundament.* & *histor. Exceptionum a Jure Majorum.*

(*c*) Refert illas MEYEREN *in Act. P. W. Tom. præsertim IV.* & *V.* Ac in Compendio *Author Sacræ libertatis anchoræ.* §. 7.

(*d*) *J. P. A. V.* §. 52.

## §. XLIV.

De Corpore, quod dicunt, Evangelicorum.

Quandoque igitur Catholici & Augustanæ Confessionis Status in partes eunt, hoc est cum antea unum Imperii Corpus constituerant, duas jam ejusdem Corporis partes, & duas quidem sententia contrarias sæpius efformant. Deplorandus Religionis dissensus in has partes Imperium scidit. Res ipsa Religionis in Germania controversiis coæva: in partem jam iverunt Protestantes celebratis A. 1529. & seqq. Schmalcaldiæ alibique conventibus, ictis fœderibus ac unionibus, recentius rerum Suecicarum in Imperio post Gustavi Adolphi cædem Moderator Oxenstierna A. 1633. unioni Protestantium ita stabiliendæ laboravit, ut Systema aliquod & CORPUS Protestantium efformaretur, in verbis propositionis suæ factæ in conventu Heilbronnensi a Protestantibus celebrato: (*a*) Zwar hätte Ihro Königliche Majestät höchst-seeligen Gedächtniß, nichts liebers gesehen, als daß sie unter den Evangelischen Churfürsten und Ständen des Römischen Reichs eine allgemeine Haupt-Verfassung machen und stifften, und sie unter ein CORPUS hätten bringen mögen. Et inferius Ihro Majestät hätten bey den Ober- und Nieder-Sächsischen Kreyssen in Person zu diesem Zweck arbeiten wollen, damit ins künfftig alles zu einem Scopo und Intention, ja wo möglich, unter einem CORPORE dirigirt werden könte. Atque exinde nomen *Corporis Evangelici, vel Evangelicorum,* sibi assumpsisse videntur Statuum Protestantium Legati in Comitiis congregati, quod antea ignotum fuit. Displicuit non tantum hoc nomen, sed multo magis Legatorum illorum agendi ratio Imperatori longe Clementissimo Carolo VI. A. 1720. Conquerebatur Imperator, (*b*) daß man nicht allein erstlich unter sich, hernach unter dem Nahmen eines Corporis, von einem Theil des Reichs zusammen gegangen, sondern auch, wie es scheinet, ohne Einsehung, und mit Verschweigung eines Theils, des nach Vergiessung so vielen beyderseitigen Christen-Bluts, und am

End

End für auswärtige Hülff noch darzu zu bezahlen gehabten vielen Millionen baaren Gelds, und mit der noch heutiges Tags zum Denckmahl an vielen Orten im Römischen Reich vor Augen habender Verheerung der herrlichsten Reichs-Landen, errichteten Oßnabrück- und Münsterischen Friedens, unter sich beständige, bis zu verbottenen unzeitigen Unionen, oder Bündnüssen gegen ihre Mitständ, und nach Ausweisung ihrer eignen Schrifft- und mündlichen Vorstellungen, bey nahe gegen die Kayserliche Maiestät, und dero höchstes Ambt selbst gerichtet, und angezielten Extremitäten, Waffen und Drohungen, Ihren Herrn Principalen einzurathen, sich nicht entsehen. Et postea: Ihre Kayserliche Majestät wolten niemanden, und keinem Religions-Verwandten, Stand, oder Unterthanen des Reichs seine Meynung und Principia beschrencken, oder benehmen, in so weit nemlich selbige denen gemein bindigen Reichs-Satz, und Ordnungen wahrhafft und vollkommen gleichförmig seyen, doch müsten sie dahier und dermahlen nicht verbergen, daß sie gleichsam gegen ihre eigene Kayserliche und Oesterreichische Mildigkeit nun ohnumgänglich genöthiget seyen, aus Reichs-vätterlich ohnpassionirten Hertzen, zu des allgemeinen Wesen besten, Churfürsten, Fürsten und Ständen vorgemeldter Sachen bisherigen wahren Verlauff, und deren eigentlichen Stand mit seinen Wahrheits-Gründen und eigenen Farben, wie man mit Ihro umgehe, deutlich vorzustellen, mithin einen jeden erachten zu lassen, ob sie nicht die gröste Ursach haben, Ihr Reichsvätterliches Leydwesen, und Empfindlichkeit über sothane ohnnöthige, unruhige ohngründlich und ohnordentliche Rathschläge und Beginnen zu äusseren, und sich gegen die Gestalt eines sich so nennenden Corporis Evangelici, folglich über dessen gebrauchenden Modum, bey dem gantzen Reich höchstens zu beschweren, und dargegen von Kayserlichen Ambts wegen das Behörige zu begehren und vorzukehren, allermassen Ihro der Text de uno Capite & uno Corpore & Singulis membris; ex Art. V. §. 19. quod unum Imperii Corpus, & quid sit, si non pro uno considerari possit, wohl bewust seye. „Cum vero in suis ad Cæsarem litteris d. d. 16. November ejusdem anni, *Corporis* nomen, conquisitis undequaque rationibus, præsertim ex eo tuerentur Legati Protestantium Comitiales, quod hoc prædicatum ab ipsis Catholicis illis attributum fuerit, reposuit Cæsar: (c) Was aber die denominationem Corporis betrifft, darinnen haben die A. C. Verwandte selbst declariret, daß ihnen gleich gelte, ob man sie cæteris nimirum paribus, pro Corpore, Societate, Collegio, Universitate, oder auch vor einen Theil des Reichs benennen, oder unter sich benennen lassen will; und eben so gleich gilt es auch uns, in dem endlich nichts neues ist, daß verschiedene Ding durch den langen Gebrauch oder Mißbrauch eine solche Benennung bekommen, darzu sie sich ihrer eigentlichen Natur und Beschaffenheit nach auf keinerley Weiß qualificiren können; daß aber

aber wir aus unserer geheimen Reichs-Hoff-Cantzley mit dergleichen Titulatur, ausgenommen, was ein oder andersmahl aus Irrthum geschehen, etwas sparsamer umgangen, und noch umgehen werden, darinnen haben wir über die vieljährige Observanz die allgemeine Eigenschafft derer so genannten politischen Corporum vor uns, davon das erstere in der letzten Vorstellung selbst nicht gelaugnet, und daß man Ihre Schreiben nicht anders, als unter der Rubric derer sämbtlichen A. C. Verwandten, Räthe, Bottschaffter und Gesandten, ad acta registrirt habe ꝛc. eingestanden wird, manifesto indicio, wie weit man eben dadurch von der Eigenschafft eines politischen Corporis annoch entfernt geblieben seye, indem ja jedermann weiß, daß zu dergleichen Corpore eine Repræsentanz und Vereinigung derer Meynungen, entweder sub forma Monarchica, oder sub Aristocratica, derer Majorum gehöre, und vermittelst dieser die facta Corporis, von denen actibus singulorum unterschieden werden, da hingegen unter denen Sociis oder Unitis, (wofür sich die A. C. Verwandten bishero unter der Benennung eines Corporis in der That gerirt haben,) einem so viel, als dem anderen zu denen Sachen zu reden gebühret, folgbar von denen gesambten Unitis zu dem gemeinsamen Entzweck viritim, und keines wegs sub figura Corporis beygetretten werden muß.

Was aber in dem §. *in Causis Religionis* Art. V. Pacis Westphalicæ in Verb. ubi A. C. cum Catholicis tanquam unum Corpus considerari nequeunt, enthalten, solches wiederholen wir nochmahlen, daß wir es wohl wissen, und darwider nichts in den Weg zu legen vermeinen, glauben aber nicht, daß weder aus denen Worten, noch aus dem Verstand des vorbesagten §. so viel erscheine, wie deßwegen in denen Fällen, ubi A. C. addicti cum Catholicis tanquam unum Corpus nicht considerirt werden können, eine Zertrennung in verschiedene Corpora, sondern allein dasjenige erfolge, was insgemein bey allen Corporibus von dergleichen Art, in casu dissolutionis vel totalis vel temporariæ zu geschehen pflegt, nehmlich, daß die vorhin in Universo Corpore gewesene vis repræsentativa, oder Majoritas votorum wenigstens so viel den punctum quæstionis betrifft, aufhöre, und man mit dem von dem eigentlichen Corpore abgehenden Theil, qua singulis zu tractiren habe. Ex quibus advertendum, primo Statibus Protestantibus Jus fœderum cum exteris & inter se, quam diu hæc contra Cæsarem & Imperium ejusque systema & leges non fiunt, negari haud posse, exinde tamen non sequi, per tale fœdus Corpus quoddam speciale, ac proprie tale Legum Imperii Authoritate munitum constans & perpetuum efformari in Republica nostra, ac quendam quasi Statum in Statu, multo minus id agnosci a reliquis Imperii membris debere. Secundo noluisse Imperatorem de nomine quæstionem movere, an Protestantes in partem euntes

Cor-

Corpus, Collegium, vel pars dici debeant, sed conquestum de modo deliberandi, vota Communia ferendi, intercedendi in quibusvis obviis negotiis Tertio vel raro vel nunquam adhuc hodiedum iisdem Protestantibus Legatis Corporis Evangelici axioma ex Cancellaria Imperiali, aut Catholicorum Principum attribui.

(*a*) In THEATRO EUROPÆO *Tom.* 3. *fol.* 29. *Acta Conventus extant in* LONDORPII *Tom.* 4. *pag.* 300. seqq.

(*b*) In *supra cit. Decret. Commissionis. d. d.* 12. *April. A.* 1720.

(*c*) In *cit. Rescripto ad Commissionem Cæsaream d. d.* Wien 14. *Februar. A.* 1721.

## §. XLV.

*Quæ illius Jura circa sacra? & de Jure intercedendi.*

Sed ne longius abripiamur, hic nobis videndum est, prædictum Protestantium in Comitiis Corpus, quo Jure circa sacra fruatur. Quod par in parem, pars in partem Jurisdictionem nullam habeat, certissimum illud: nullo proinde Jure Protestantes se immiscebunt, si inter solos Catholicos lites Ecclesiasticæ exoriantur, prout Catholici vicissim bello protestantium syncretistico, aliisque se haud immiscuerunt. (*a*) Ipsi igitur Scriptores Protestantes, duo solum ac potissimum Jura circa res sacras suo Evangelicorum Corpori adscribunt, ad quæ reliqua reduci possunt, quæ addunt alii. Primum est Jus intercedendi in Causis Religionis & politicis. Alterum Jus eundi in partes. De Jure intercedendi Legati Protestantes Comitiales in cit. litteris ad Cæsarem d. d. 23. Maji A 1716. De Jure eundi in partes ipsæ tabulæ Pacis Westphalicæ. (§. 43. & 46.) Intercessio submissa grammaticis vox est, ac, ut Priscianum haud consulamus, Jus intercedendi tale, quod ipsis etiam subditis adscribunt in litteris citatis prædicti Legati A. C.: Euere Kayserliche Majestät selbsten dero Oesterreichischen Land-Ständen dergleichen unschuldige Intercessiones und gehorsambste Bitte, um Erleuterung auf ein oder das andere nicht zu versagen, am allerwenigsten aber vor unbefugte Eingriffe zu halten pflegen. Dubio proin caret omni, hoc sensu Jus intercedendi Protestantibus competere, intercedendi apud Status Imperii, Principes exteros & Cæsaream Majestatem. Imo: si Jus intercedendi definiatur: (*b*) potestas gravamina Protestantium libere exponendi, & medelam *legibus congruam* postulandi, nemo erit, qui huic Juri contradicat. Id enim gravamina *vera* supponit, & medelam *legibus solum congruam* a supremo Judice, legum Custode, & Pacis Religiosæ executore Cæsare Jure flagitat; modo tamen primo non statim credatur inquietorum subditorum querelis, secundo minæ desint, ac intercessiones non potius declarationis belli (*c*) speciem præ se ferant, & de cætero stylo decenti ac reverenti fiant. Sub quibus conditionibus Intercessiones illæ nec Imperatori displicent (§. 41.) quin ulterius adpromittit Cæsar in Capitulatione noviss. (*d*) Wo auch selbige (die Augsburgische

sche Confessionsverwandte Stånd) sich gegen das Instrumentum Pacis, Nürnbergischen Executions-Recess, arctiorem modum exequendi, und andere Reichs-Constitutiones beschwert zu seyn erachten, sollen und wollen wir uns auf Ihre, deren Augsburgischen Confessions-Verwandten, Churfürsten, Fürsten und Stånden (die Reichs-Ritterschafft mit einbegriffen) sambt oder sonders, an uns thuende Vorstellungen ohne allen Anstand, obgedachten Reichs-Grund-Gesåtzen gemåß, entschliessen, so fort sothane unsere Entschliessung denenselben zu wissen thuen, solche auch ohngesaumbt zum würcklichen Vollzug bringen, keines wegs aber in Causis Religionis Processe verstatten, sondern darunter lediglich oberwehnten Reichs-Grund-Gesåtzen nachgehen, nicht weniger daran seyn, damit die bishero angebrachte, zur Zeit noch unerledigte Religions-Beschwerde des fordersambsten Reichs Gesåtz-måssig abgethan werden, wie wir ihnen Churfürsten, und sambtlichen ihren Religions-Verwandten, ein gleiches aber auch jenen der Catholischen Religion, Krafft dieses versprechen, und uns hiermit zu einem wie anderen verbinden.

(a) An proinde excusari valeant variæ epistolæ Protestantium Legatorum ex Comitiis ad Cæsarem in Causis inter solos Catholicos controversis exaratæ, vel exceptione, *tua non interest*, rejici debeant? Judicium meum suspendo. E. C. controversia erat circa Præposituram Ecclesiæ Cathedralis Monasteriensis, S. P. Innocentius XII. eandem B. de Nesselroth contulerat, Capitulum Cathedrale B. de Vehlen & hoc mortuo, B. de Plettenberg elegerat. Legati Protestantes sine mora litteras ad Cæsarem d. d. 18. Aprilis A. 1703 concipiunt, quibus licet fateantur, Concordata ad Protestantes haud spectare, adeoque revera causam suam non egerint; instant tamen, ut, cum Pontifices Concordata infringere soleant, Cæsar eadem cum Statibus aboleat. Qua in re intercessores profecto sibi non expetierat Clerus Catholicus Legatos Comitiales Protestantes, qui favorabilia sibi Concordata esse satis bene agnoscit. Extant litteræ apud Cortrejum Observat. ad Concordat. C. 5 N. 14. & alibi.

(b) Prout fit a D. KOENIG *Disquisit. cit. de Jur. Interced. fol.* 40.

(c) De quo frequenter conqueritur Imperator in Scriptis supra allegatis.

(d) Capit. *Noviss. A. I.* §. 11.

## §. XLVI.

*De Jure eundi in partes. quibus, & quando competat?*

Jus eundi in partes hic loci nominatur facultas Statuum Imperii a placito votorum majorum Comitialium in casibus lege publica expressis recedendi, ita quidem, ut eo ipsi non obligentur, quam diu suo etiam calculo accedere nolunt. Competit Jus illud Statibus tam in Comitiis Imperii universalibus, quam particularibus, aut etiam circularibus. (a) Neque tantum Protestantibus, sed ob legum generalitatem, & Jurium æqualitatem pariter Catholicis, si alicubi voto-

rum Proteſtantium numero ſuperarentur, (*b*) non tamen in omnibus negotiis, ne more Polonorum unanimia ſemper vota in Germania quoque requiramus, ſed in iis ſolum Cauſis, quæ a regula generali Jure Naturali & Gentium, non minus, quam Imperii legibus ſtabilita (§. 43.) per Pacem Weſtphalicam excepta reperiuntur, ſcilicet I. in cauſis Religionis. II. In negotiis, in quibus Status tanquam unum Corpus conſiderari nequeunt. III. Quando Catholici & A. C. Status in partes eunt. (*c*)

(*a*) Probat id D. de Ickſtatt Diſſertatione de Cauſis, in quibus in partes itur a Jure Majorum exemptis §. 36. & Diſſert. de Cauſ. Relig. a J. Major. exempt. §. 38 ex Actis Pacificat. Weſtph.

(*b*) Idem locis cit.

(*c*) Vid. §. 52. A. V. J. P. a nobis adductus, ſupra §. 43. Non abs re erit, tanquam optimum Commentarium, Auguſtiſſ. Imperatoris verba in citat. ſæpe reſcripto ad Commiſſ. Cæſar. d. d. 14. Februar. A. 1721. hic apponere: Was aber das Jus eundi in partes und davon abhangende vota communia anlange, dabey haben wir ebenfalls anders nichts zu erinneren, als daß man ſich darunter in ſolchen Terminis halte, wie eben in dieſem ſvo und ſonſten in den Reichs-Conſtitutionibus hin und wieder der Länge nach zu ſehen iſt, geſtalten nehmlich amore quietis publicæ, & ex ſingulari odio contra pruritum eundi in partes, mit reiſſem Vorbedacht verordnet, und durch eine vieljährige praxin Imperii beſeſtiget worden, daß dererley Trennung nicht anderſt geſchehen können, oder ſollen, als wan die A. C. Verwandten, post vota ſc. comitialiter & viritim dicta einerley Meynung ſeynd, und entweder eine materia Religionis, oder quæcunque alia Cauſa, jedoch von ſolcher Beſchaffenheit, vorhanden iſt, wo die partes tanquam unum Corpus nicht zu conſideriren ſeynd, oder welches eben ſo viel heiſſet, ſolche in pactis wohlgegründete ſeparatas rationes vor ſich haben, die ſie ſich von dem gröſſeren Theil abmajoriren zu laſſen, nicht können gehalten werden; alſo wollen wir jederman, bey dem noch eine Billigkeit, und Liebe vor das Vatterland wohnet, urtheilen laſſen, was daraus vor eine Beſchwehrung zu machen, oder wohin es im Gegentheil mit der ganzen Verfaſſung des Reichs hinaus kommen werde, wann man nach der Meynung einiger neugieriger ingeniorum gantz extra circulos Pac. Weſtphal. in quacunque materia privatim zuſammen tretten, ein ſo genanntes votum Commune errichten, dadurch die Majora ſtopffen, und ſo fort die unionem voluntatum ac virium (als das einzige Mittel, den nexum Imperii beyſammen zu halten,) völlig zerrütten und aus einer imaginaria anchora libertatis eine realem anchoram omnium confuſionum, ohne Noth und Urſach höchſtgefährlicher Weiß in dem Reich errichten will, oder auch ratione modi, wie ſeithero geſchehen, unter ſich, eher etwas zur Umfrag kommt, zuſammen gehen, und, ohne daß man weiß, ob es per majora, oder a ſingulis geſchehen, eine Meynung extra comitialiter abfaſſen, und ſolche denen Catholicis pro voto Communi abſque ulla legitimatione aut legalitate aufdringen will, über welches, falls es bey dem alten Glaiß nicht wolte gelaſſen werden, wir billig zu ſprechen haben.



§. XLVII.

## §. XLVII.

Competit etiam in Causis Religionem indirecte tangentibus.

Ex Causis itaque Religionis, quæ solæ hic nobis considerandæ sunt, in partes ire licet. Sunt & quædam, quæ Religionem indirecte tangunt, in quibus, cum pluralitas votorum pro sola etiam urbe Augustana excludatur, (a) potiori Jure de toto illud Imperio dicendum; difficile autem est, causas has, Religionem indirecte tantum, revera tamen tangentes, determinare, quod enim HENNIGES (b) innuit: toties, quoties Catholici votis suis Majoribus in negotiis etiam civilibus in quoddam præjudicium Protestantium uterentur, semper illud ex odio Religionis fieri, adeoque sic ex causa civili causam Religionem indirecte tangentem effici, illi haud placebit, qui minus acerbe de Catholicis loquitur, & magis benigne de illis sentit, hoc enim imputatum odium Religionis neutiquam profecto de Imperatore, Statibusque Catholicis præsumi, sed probari debet: undenam vero? an Statim imputare licebit Protestantibus odium Religionis Catholicæ, si illi Catholicorum vota majora, eundo in partes, enervent, & eludant? Possunt illi frequenter uti Jure sibi concesso; possunt tamen & Catholici uti majoribus suis votis sine odio Religionis adversæ, licet inde per accidens præjudicium quoddam A. C. addictis nasceretur. Multo minus satisfacit idem HENNIGES, dum toties indirecte Religionem tangi (c) dicit, quoties Catholici & A. C. addicti in partes eunt, vel, ut unum Corpus considerari nequeunt, id enim præprimis est petitio principii, si dicam: ideo licet in partes ire, quia causa directe, vel indirecte saltem Religionem tangit, ideo vero indirecte Religionem tangit, quia licet in partes ire. Ipse deinde ob plures alias causas secessum in partes admittet, quam ob causas Religionis. In partes ibant Legati Protestantes Comitiales in causa moderationis Matriculæ Civitatis Coloniensis, votum Comitiale commune minus propitium edentes, sed nec Argus quispiam in hac matricula causam, quæ Religionem vel indirecte tangat, deteget. (d) Optassem Catholicos Scriptores hic paulo clarius, nec terminis adeo generalibus loqui, sed illi quoque, aut vage nimis, aut obscure causas Religionem indirecte tangentes explicant. Conformius itaque loqui legibus ego mihi videor, si dicam Religionem indirecte tangi non tantum, si circa annexa Religioni V. G. circa Ministeria Ecclesiæ, & Scholarum, bona Ecclesiastica, reditus, fundationes, hospitalia &c. quæstio suboriatur; sed etiam, si causa quidem pure sit politica, & civilis, ideo tamen per majora V. G. Catholicorum decideretur, ut Protestantibus, qua talibus, adeoque ipsimet illorum Religioni damnum aut injuria inferretur, adeoque Protestantes contra Jura ex legibus ipsis quæsita læderentur. Exempla in Pace Westphal. varia extant: (e) aliquem a mercatura, aut civium numero, vel opificum tribu excludi, causa est Religionem directe non concernens, at concerneret indirecte, si in loco, ubi exercitium publicum alicujus Religionis viget,

ger, adeoque ejus asseclæ prædictis Juris communis beneficiis cum cæteris alterius Professionis gaudent. Nihilominus tamen per majora vota E. G. Senatus contra Jus suum quæsitum inde excluderentur. Similiter emigratio subditorum res mere politica est, quod si vero subditis Religionis ergo jubeatur illa, vel ab iis propterea petatur, causa Religionis per indirectum efficitur, atque hujus generis causas, Religionem hoc modo tangentes ad Comitia deferri posse, ac in iisdem ire licere in partes haud dubito.

(a) *J. P. A. V.* §. 9.
(b) Henniges *ad cit.* §. *fol.* 219.
(c) *Idem loc. cit. fol.* 218.
(d) *vid.* Staats-Canzley. *Tom. XXIX. Cap.* 6.
(e) *J. P. A. V.* §. 35. 37. &c.

## §. XLVIII.

Non in omnibus tamen Causis Religionis.

A regula prædicta, quod in causis Religionem directe, vel indirecte concernentibus ad Comitia delatis in partes ire liceat, & majora vota non obtineant, aliquæ exceptiones notandæ sunt. I. Si quæstio de nova Religione in Imperio toleranda ad Comitia devolveretur, majoribus votis locum dandum, quoad hoc enim punctum nil in Pace Religiosa vel Westphalica statutum, adeoque pristina Jure valere porro debent, (vid. §. 37.) ac licet initio turbarum Protestantes visi fuerint in rebus omnibus, quæ conscientiam, & fidem tangunt, majora vota excludere, (§. 43.) in suum tamen solummodo favorem ita ratiocinati, ac tandem sibi solis, non V. G. etiam Anabaptistis, Socinianis &c. securitatem stipulati sunt. II. Id ipsum asserendum est, si ex Protestantibus nova quædam exsurgeret Religio, quæ nec cum Augustana Confessione, nec cum Reformatorum substantialibus Doctrinis conveniret. Enimvero cum eadem Religio non maneat, si fundamentales articuli mutentur, adeoque beneficia Protestantibus Pace Westphalica concessa non possint extendi ad novam talem Professionem, de qua non cogitarunt Paciscentes, si de illius tolerantia sermo esset, res eodem modo, ut ante, scilicet per majora decidi debet. Equidem notatu digna est, inserta Capitulationibus Novissimis Caroli VII. & Augustiss. Imperatoris Francisci clausula, (a) qua Cæsareo librorum Commissario censura, & Judicio Imperiali Aulico omnes Processus inhibentur, über neue Editiones deren Augspurgischen Confessions-Verwandten librorum symbolicorum, so sie vor, oder nach dem Religions-Frieden dafür angenommen, oder noch annehmen mögten, at ex eo non sequitur, novam fidei formulam fabricare cuicunque demum permissum esse, sed tantum, quod Protestantibus liceat in suis, quos adhuc habent, de veterum librorum symbolico-

rum numero antiquis controversiis declarare, quosnam pro symbolicis habeant, E. G. an solam Confessionem Augustanam, an simul ejusdem Apologiam, Librum Concordiæ, Articulos Schmalcaldicos (*b*)? &c. Quin a Judiciis Imperii, aut librorum Commissario Cæsareo horum librorum editiones impediantur. Neque quis urgeat Protestantium Principum Jus reformandi; id enim ad tres Religiones in Imperio toleratas restrictum est, nec ad introductionem novæ extendendum. (vid. §. 37.) In eadem porro quæstione, num Religio quædam, aut doctrina nova sit, aut V. G. conveniens cum A. C. cognitionem Catholicis quoque competere, quam certissimum puto, nec sine manifesta injuria, & quin fraus legi fiat, dici posse: Catholicos omnes acquiescere debere, si Protestantes talis Professionis homines pro suæ Religionis consortibus & fratribus agnoscant, prout docent HENNIGES (*c*) & SCHWEDERUS optime refutati a Nostratibus. III. Juri eundi in partes renuntiari posse, dubium non est, præsertim, si bonum publicum id postulet. Qua de causa excusari poterunt non Catholici solum, sed Protestantes etiam illi, qui clausulæ Pacis Riswycensis Art. IV. metu gravissimo continuandi belli impulsi subscripserunt. Sed de hisce rebus alii.

(*a*) A. I. §. 8.

(*b*) Aliam mentem non esse Capitulationum Novissimarum patet inde, quod mota Editori Articulorum Schmalcaldicorum, Ministerii Francofurtensis Ecclesiastici Seniori Münden, Anno 1737. hac super re quæstio, occasio unica fuerit clausulæ hujus Capitulationi inserendæ. Vid. D. MOSER, *ad cit. Art. Capitulat. Caroli VII.* HISTOR. INTERREGNI *post obitum Caroli VI. II.* Theil 5. Abschnitt. *fol.* 408.

(*c*) HENNIGES *in Meditat. ad J. P. A. V.* §. 52. *pag.* 651. SCHWEDERUS *in Dissert. de Jure eundi in partes.* §. 10. Vid. D. de ICKSTATT *Dissert. de Causis Relig. a Jure Major. except.* §. 29.

## §. XLIX.

*An Comitiis competat Jurisdictio in Causis Matrimonialibus Statuum Protestantium?*

Volunt quidam (*a*) Cæsarem, & Imperium, adeoque Comitia Judicem competentem esse in causis Matrimonialibus inter Principes Statusque Protestantes controversis. Casus frequentius jam contigerunt, inter solos conjuges Protestantes & conjuges diversarum Religionum Catholicæ & A. C. (*b*) Lis pariter ad Comitia delata, nec non a Protestantibus ibidem Legatis frequenter Intercessiones ad Cæsarem exaratæ sunt; nihilo secius tamen adhuc hodiedum super competentia hujus fori matrimonialis valde disputatur: multi Cæsarem, & consequenter Judicium Imperiale Aulicum, multi Cameram Imperialem, Austrægas aliqui, hac in quæstione Judices agnoscunt, alii rem per Commissarios a Cæsare dandos, conficiendam putant, multi denique Principem

pem litigantem, five actorem, five reum, ob superioritatem territorialem in Ecclesiasticis soli Deo subjectum, adeoque eveniente casu sibi ipsi Judicem esse, ac litem per arbitros electos partium consensu componendam. (c) In tanta sententiarum varietate id solum certum est, ipsa Imperii Comitia nondum sibi asseruisse hanc Judiciariam in Causis Protestantium Statuum matrimonialibus potestatem, nec forte unquam ob suas causas assertura, adeoque temere illis non attribuendam, sed decisionem hujus dubii iis, quibus competit, relinquendam.

(a) Apud PFEFFINGER *ad Vitriar. Lib. III. T.* 2. *p.* 292.

(b) Exempla varia refert PFEFFINGER *loc. cit. pag.* 290. STRUVIUS *Corp. J. publ. c.* 25. §. 29. *seqq.* habet recentiora. Speciali nota digna sunt exempla Christiani Principis Megapolitani, Lineæ Swerinensis, a conjuge sua Christiana Margaretha Gustroviensis Lineæ Principe, & Samuelis Leopoldi Comit. Palat. Bipontini, a Conjuge Dorothea Veldentina separatorum, quod ob consanguinitatis impedimentum matrimonium Jure Canonico ab initio nullum fuisset.

(c) Sententiarum illarum Patronos & momenta referunt LINK *Dissert. de Immediatorum Imperii Protestant. foro in Causis matrimonialibus.* LUDOVICI *Dissert. de Judice in Causis Principum Protestant. matrimonialibus.* Ex recentioribus pro Imperatore pugnat LYNCKERUS *Comment. Jurid. de Superiorit. sacra* §. 17. & in *Tr. de Gravamin. Extrajud. C.* 6. §. 27. *N.* 2 *seqq. ac alibi,* Pro Camera Imperiali LUDOLPH *in Jure Cameral. Sect. I.* §. 14. *Memb.* 2.

## §. L.

*An ad Comitia pertineat materia Calendarii?*

Emendatio Calendarii antiquæ litis materies fuit: Protestantes eo tempore, quo Gregorius XIII. saluberrimo consilio pristinos Calendarii Juliani errores expunxit, ac suum Gregorianum edidit, tam acerbo illud odio insecuti sunt, ut non vererentur, Papam Anti-Christum dicere ex bella ratione, quod per novum Calendarium dies & annos immutaret, quæ Anti Christi nota sit juxta Prophetas. Dicebant eo tempore Magistratus Civilis officium, imo exemplo Julii Cæsaris, Romanorum Imperatoris esse, Calendarium emendare. At licet Cæsar non semel iisdem receptionem Calendarii Gregoriani tanquam Cæsarei, Cæsaris consilio ac instantia adornati, ac tanquam rem, quæ nec fidem, nec conscientiam concernat, commendaret. Ipsi tamen A. 1664. in Comitiis Ratisbonensibus opinati sunt, negotium hoc simul Causas Religionis aliquo modo concernere. Graves motus eadem Gregoriani, & Protestantium Calendarii differentia in Comitiis A. 1723. & 1724. Graviores vero in Camera Imperiali eodem A. 1724. excitavit. Lis ipsa principalis adhuc superstes: an Pascha juxta Calculum Astronomicum Æquinoctii, & Plenilunii Vernalis? ut

ut volunt Protestantes: an vero juxta Cyclum Gregorianum celebrandum sit? hujus loci non est, sed tantum dicendum, an, & quatenus Religionem illa concernat? adeoque an, & quatenus ad Comitialem ceu decisionem, ceu transactionem spectet? Sic vero variæ quæstiones distinguendæ sunt. Vel enim quæritur I. de numero dierum, horarum, ac momentorum anni solaris naturalis, & sic quæstio illa Religionem profecto non concernit; neque in computu anni Solaris lis superest inter Catholicos, & Protestantes, cum & hi Gregorii XIII. emendationem, omittendo dies, qui superabundabant in Calendario Juliano, probarint &c. Aut vero quæritur II. de determinando Paschate, aliisque mobilibus festis, juxta Concilii Nicæni præscriptum, juxta Æquinoctia & Plenilunia verna, adeoque de calculatione, seu Astronomica Protestantium, seu Cyclica Catholicorum ejusdem Æquinoctii & Plenilunii Verni, atque hac ratione sacras Ceremonias, ritus Ecclesiasticos, adeoque Religionem, quæstionem, in se spectatam, indirecte tangere arbitramur. Fatemur enim Catholici feriarum sacrarum institutionem, & determinationem ad curam Religionis, ac potestatis Ecclesiasticæ munus spectare, quam etiam ob causam ab initio hujus controversiæ quibusvis Statibus Protestantibus per Cæsarem licuit, suis in territoriis, vigore Juris supremi circa Sacra, quod exercent, Calendarium quodcunque demum recipere, vel celebrare Pascha, quo luberet tempore. Dixi tamen quæstionem *secundum se spectatam* Religionem tangere, nam si eam in hypothesi, ac simul consideremus, non hic quæri an novæ feriæ sacræ instituendæ, sed solum, an illæ feriæ sacræ, quæ a Protestantibus æque, ac a Catholicis pro suis agnoscuntur, his, aliisve diebus affigendæ, & ob rationes quidem mere Astronomicas, cernemus illos Principes Catholicos, qui quæstionem nostram mere politicam putarunt, suo fundamento haud destitui. Vel denique III. quæritur de Feriis Judicialibus in Comitiis Imperii, in Camera, in Judicio Imperiali Aulico juxta normam Calendarii Gregoriani, vel illius Protestantium ordinandis, & quæstio magis adhuc anceps redditur. Olim duplices ferias Judiciales, juxta duplex Calendarium esse observatas, constat; at hac duplicitate respectu feriarum majorum, quas dicunt, in Camera Imperiali per Recessum Visitationis novissimum sublata, & Calendariis A. 1724. a se diversis de novo lis recruduit. Imperator variis argumentis motus, easdem duplices ferias tunc inhibuit; Legati vero Protestantes Comitiales modis omnibus desiderarunt, Assessores Cameræ A. C. tandem Cæsareis mandatis paruerunt, lis vero adhuc sub Judice, ac sapienti Consilio A. 1744. quo anno similis casus contingebat, determinatis certis in Camera feriis, quibus utrinque Pascha cum festis mobilibus celebrari poterat, feliciter evitata fuit; quæ Consilia pacifica, si casus, qui hoc Sæculo non continget, (Annis enim 1778. & 1798. nobiscum Pascha celebrabunt Protestantes, ne cum Judæis celebrent) extiturus denuo sit, rursum, ut speramus,

mus, placebunt. Optimum vero, si non ab Astronomorum, quoad hoc, calculo & opinionibus revera haud infallibilibus dependere vellent Protestantes, sed sepoſita æmulatione, fixum, certumque, juxta Cyclum Gregorianum Æquinoctii vernalis, diem, adeoque Paschatis etiam tempus, nobiscum statuerent, ac unanimi id placito Comitiali definirent. (*a*)

(*a*) Conf. D. MOSER Teutsches Staats-Recht *p*. 3. *l*. 2. *c*. 38. *per totum*.

## §. LI.

Comitia recte student evitando vel extirpando schismati Ecclesiæ.

Longius abiisse me adverto, postquam hucusque visum, quatenus Comitiorum Imperialium Authoritas circa sacra, juxta præscriptum Legum Imperii se se exserat, fons alius Comitialium circa sacra Jurium adhuc perscrutandus venit. Est Imperator Romano-Germanicus Ecclesiæ Christianæ Jure, & titulo speciali, tutor & Advocatus supremus; (*a*) in sua vero Capitulatione singulariter Advocatiam Ecclesiæ Romanæ spondet. (*b*) Denique Advocatum Ecclesiarum Germaniæ se profitetur. (*c*) Principes non minus Advocatos Ecclesiæ natos, in suis esse territoriis, nemo negabit, congregati porro cum Cæsare in Comitiis, uti multa cum Imperatore Jura participant; ita & curas suas cum eodem, ad tuendam Ecclesiam extendere possunt, & tenentur. (*d*) Præsertim, si Leges Imperii Universales vigore Advocatiæ Ecclesiasticæ Comitiali Statuum Consensu ferendæ sint. Optime igitur Comitiorum Authoritas, juxta supra (§. 10. seqq.) narrata, in Causa Schismatum interposita fuit, cujusvis enim in suo territorio Principis multum interest, Unitatem Ecclesiæ & fidelium conservari, multo vero magis integræ cujusdam Nationis. Laudandæ sunt illæ veterum Comitiorum curæ, non minus, quam Electorum etiam solorum hac in re conventus, & consilia (Vid. §. 13. seqq.)

(*a*) Ab illis temporibus, quo ad Germanos Imperium Occidentis translatum est, id professi sunt Imperatores, ac denuo recentius profitentur in variis Imperii Recessibus. *Vid. R. I. Trevir. & Colon.* A. 1512. *part.* 1. §. 4. *Wormat. A.* 1518. §. 1. *&c.*

(*b*) Cujusvis Imperatoris Capitulationi *A. I.* inseritur obligatio ad eandem Advocatiam Sedis Rom. & Pontificis, quam sæpius ipsi Pontifices in litteris ad Cæsares agnoverunt.

(*c*) Vid. *Capitulatio Noviss. A. XIV.*

(*d*) Electores sui muneris esse, ut tuendæ Ecclesiæ & ipsi curam impenderent, non tantum semper putaverunt, sed plane inter causas exauthorationis Wenceslai Imp. retulerunt, quod Advocati & defensoris Ecclesiæ munus ille haud impleverit, pacem Ecclesiæ non promoverit &c. *Apud* GOLDASTUM *Const. Imp. Tom. I. pag.* 140.

## §. LII.

Nec non componendis dissidiis Religionis.

Neque etiam improbandam duco operam illam, quæ in Comitiis, (§ 17. seqq.) turbis circa Religionem, vel statim in ipso ortu sedandis, vel postmodum saltem componendis, collocata fuit; neutiquam suæ potestatis fines hoc modo egrediuntur Principes, sed, quod Tutorum Ecclesiæ & Advocatorum munus est, exequuntur. Nec ipsi Pontifici, cujus Legati præsentes ut plurimum erant, tam diu labor iste displicuit, quam diu in Comitiis dissidentes auditi, illisque, ut ad concordiam redeant, monitis solum, precibus, minis inculcatum est. Ast alius dissidia Religionis componendi modus, si quasdam in decidendis fidei controversiis partes sibi Comitia sumant, si in Colloquiis de Religione Judices constituere, aut agere velint Jure proprio, hic inquam modus, fines Comitialis Potestatis egreditur, & hucusque semper vanus fuit omnis labor sic impensus. Quotquot Comitiali decreto instituta sunt de Religione Colloquia, graviorum fuerunt litium semina; in Comitiis quippe non tam pondere Sanctuarii rem dimetiri, quam ad politices & convenientiæ leges exigere solent. Ac nunquam ideo Ecclesia Christi in conventu populi tribunal illud suspexit, ad quod causa fidei vel morum Christianorum deferri debeat, sed ab Ecclesiæ incunabulis, si necessitas Diœceseos, Provinciæ, aut Nationis id poposcit, Diœcesanæ, Provinciales, Nationales Præsulum Synodi coactæ fuerunt, Generalis vero, si necessitas totius Reipublicæ Christianæ id efflagitavit, ibi nempe solum Apostolica formula dicere licet: *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

## §. LIII.

Similiter conservandæ Paci externæ inter dissentientes.

Exinde pariter sequitur, Imperium in Comitiis congregatum, optimo Jure paci externæ Religionis servandæ curam impendere, ne novis turbis involvatur Patria, quæ Reipublicæ non minus, quam Ecclesiæ nocent. Licet enim in Imperio tres vigeant Religiones sibi plane contradicentes, & perpetuo interno fidei, & opinionum bello collisæ, externæ tamen pacis norma stabilita est. Promittit Imperator omnibus Imperii civibus æqualem protectionem, quod sibi Status Protestantes stipulati sunt (*a*) Præterea ex eminentibus non solum Statuum Juribus Jus illud curandi pacem externam Religionum in Germania; sed insuper ex mutua Pacis Westphalicæ Guarantia paciscentibus omnibus asserta (*b*) prono id alveo fluit, Laudanda proin Comitiorum attentio & cura, qua turbas omnes præcavere student, quando enim advertunt, inquietos quosdam discordiæ semina spargere, mutuas civium injurias Religionis ergo illatas ad bella spectare; circa ea omnia leges in Imperium universales ex Comitiis emanare posse, ac pro publicæ rei bono debere, nemo negabit. (*c*) Nemo pariter dubitabit, media quæpiam alia legibus definita & opportuna, eundem in finem, servandæ Pacis Publicæ, & Religiosæ adhiberi posse. (*d*)

(*a*) Ca-

(a) *Capitulatio Noviss. A. I. §. 10.*

(b) *J. P. W. A. XVII. §. 5.*

(c) Ita merito Universali e Comitiis Imperii lege prohiberentur injuriosae illae Protestantium cantiones: Erhalt uns, HERR, bey deinem Wort, und steur des Pabst, und Türcken Mord, die JEsum Christum deinen Sohn, stürtzen wollen von seinem Thron. Item alterius Cantiunculae Stropha: Ob wolten gleich Papst, Kayser Reich, sie und dein Wort vertreiben ꝛc ꝛc Uti enim easdem a Principe Catholico subditis Protestantibus prohiberi posse, aequanimiter fatetur D. BOEHMERUS J.-E. P. Lib. I. Tit. 2. §. 104. ita Universali Imperii lege id salubriter fieri posse, haud negandum erit.

(d) Nostrum non est, inquirere in media illa. De repressalibus circa A. 1720. vehementer disputatum, Imperatore hoc medium gravissimis verbis, ac litteris dehortatoriis improbante, quin variis etiam Protestantium Scriptoribus tam violenta consilia non defendentibus. Modus vero procedendi in caussis Religionis a Protestantibus Legatis Comitialibus Caesari cum litteris d. d. 16. Novemb. A. 1720. sub litt. S. porrectus, multis indigeret glossis, quibus tamen haec folia replenda non sunt.

## §. LIV.

*Recte tuentur Jura Ecclesiarum, Particularium.*

Uti Augustissimus Imperator conservationem, ac tutelam rerum ac Jurium Germaniae Ecclesiis competentium pollicetur, (a) ita & Statuum Imperii, consequenter Comitiorum curae Jure optimo in idem objectum feruntur. Interest quippe totius Illustris Nationis Germanicae, ab antiquo parta Ecclesiis privilegia, ac Jura sarta tecta servari, nec a quopiam infringi. Sed Imperio per Religionis dissidia in duas partes scisso, in Comitiis, suarum quaevis pars Ecclesiarum Jura, praecipue tueri solet. Cujus rei illustria etiam Catholicorum exempla adducere non erit inutile: Contulerat S. P. Innocentius XII. cuidam illustri familia nato, sed propter pedem nervorum contractione incurvatum, & turpem claudicationem corpore vitiato, praebendam Ecclesiae Cathedralis Constantiensis, addita dispensatione in eodem vitio corporis, & quidem ex potestatis plenitudine. Sed cum Episcopus & Capitulum Constantiense, quererentur, non tantum hoc modo in Jure communi dispensari, sed & Concordatis Germaniae, praesertim vero Statutis & observantiae Ecclesiae Constantiensis contraveniri, quae corpore vitiatum excluderent, ac ministerium in Ordine Sacro exigerent, quod Provisus hic Apostolicus obire non posset, non tantum Caesar per Oratorem suum Comitem de Martiniz apud Pontificem intercessit, sed & Statuum Catholicorum Legati Comitiales hac super re litteras ad S. Pontificem exararunt. (b) Idem Innocentius XII. Capitulo Cathedrali Wormatiensi receptionem Jacobi de Boville sub Excommunicationis & Interdicti poena praeceperat. Caussabatur Capitulum, praedictum de Boville non esse Nobilem Germanum; sine violatione Juramenti, quo ad Statuta obser-

 vanda

vanda teneantur, recipere se Candidatum hunc non posse, nec exterum quempiam de Statu Nobilitatis Germanicæ Judicare valere. Itaque non solum Eminentissimi Electores Lotharius Franciscus Moguntinus & Joannes Hugo Trevirensis, sed & Legati Catholici Comitiales apud S. Pontificem intercessere. (c) Denique in causa supra Jam memorata (§. 45.) Præposituræ Monasteriensis iidem Legati Comitiales Principum Catholicorum conquesti de violatione Concordatorum ad S. Pontificem scripserunt. (d) Nemo autem Germaniæ Principibus Catholicis, ceu Ecclesiasticis, ceu Laicis Jure poterit succensere, si illi propria Jura tot sæculis quæsita, hi vero privilegia a Majoribus suis ac Ecclesiarum fundatoribus data vel acquisita justis modis tueantur.

(a) *In Capit. Noviss. A. XIV.* §. 1.

(b) Extant in FABRI Staats-Canzley. *Tom. II. &* CORTREJI *Observat. ad Concordat. c.* 1. *N.* 9. *Litteræ Legatorum Catholicorum sunt d. d.* 5. *Junii. A.* 1696.

(c) Extant litteræ A. 1699. & 1700. exaratæ apud Authores citatos.

(d) d. d. 28. Julii. A. 1702. extant litteræ apud CORTREJUM *loc. cit. Cap.* 5. *N.* 13.

## §. LV.

Atque hæc sunt, quæ de Comitiorum Jure circa sacra, temporis, qua coarctor, brevitas, ac citior, quem fata jubent, ab Academia discessus meditari permiserunt; veniam inde pagellis istis spero, si gratiam publici eædem haud mereantur: conatus in illustri themate excutiendo nemini opinor poterit displicere, quod si exhaustum non sit, tetigisse tamen juvabit. Det Deus ter optimus Maximus, ne ullis circa sacra negotiis, aut turbis amplius comitia occupentur, tunc enim pari fruetur Ecclesia pace & Respublica felicitate.

# Animadversiones Editoris.

Ad §. *VIII.* Præter constitutionem *Friderici I.* hic ab Auctore commemoratam quam maxime notandum est ejusdem Imperatoris pactum cum *Alexandro III.* 1176. initum, ex quo inprimis ea verba adducit *Auctor Observat. Historico-juridicar.* in *Concordata* cum *Sede Romana Obs. XIII.* D Imperator . . . omnem „possessionem & tenimentum sive Præfecturæ, sive rei alterius, quam Ecclesia „Romana habuit, & ipse abstulit per se vel per alios bona fide restituat ei (sc. „Pontifici) salvo omni jure Imperii, ex quo infert territorium Pontificis, etsi „per pactum *Calixtinum* remissa fuerit obligatio renovandæ investituræ manere tamen

tamen feudum Imperii; at enim verba illa sat firma non sunt, nam ex *Goldasto* & *Dumont* legendum putat: salvo jure Romanæ Ecclesiæ *Harzheim.* Obs XIV. „idem ait: idem *Concordatum* continere etiam hunc memorabilem Articulum: „universi Clerici, qui sunt extra Teutonicum Regnum, dispositioni & judicio „D. Papæ *Alexandri* successorumque ipsius, & Romanæ Ecclesiæ relinquentur; unde infert omnes Clericos quidem extra Regnum Teutonicum dispositioni & judicio Papæ relictos, hoc ipso autem Pontificiam de Clero disponendi auctoritatem præcipue quoad jus Appellationum ad Clerum non Teutonicum restrictam. Sed pace Viri hujus Clarissimi dixerim hanc interpretationem textus genuinam non esse, cum perspicue ex contextu eluceat, conventum ibi speciatim esse, quid de Clericis & Episcopis tempore schismatis ordinatis, aut Imperatori contra Pontificem adhærentibus sit statuendum, ubi quidem quoad Germaniam transactum, ut nullus, exceptis quibusdam praesertim Episcopis, de quibus specialiter dispositum fuit, ob praecedentes turbas exauctoraretur; in Italia Clerus Pontifici permissus fuit exceptis duodecim, pro quibus Imperator intercesserit.

*Ad §. IX.* De celeberrima hac *Unione Electorum* basi atque fundamento subsequentium omnino conferendus est HORIX in Diss. *de Unione Electorali* **von der Chur-Verein** *Mog. 1754. §. 5. ita scribit:* „dum ita nulla plane ra„tione Pontifex ad *Ludovicum Bavarum* pro legitimo Rege et Imperatore agnos„cendum adduci posset, licet hic ubique pro tali coleretur: Electores Imperii „hic rem suam agi intelligebant. Quamvis enim Pontifex verbis protestaretur, „se Electorum juri nullatenus derogare velle; videbant tamen protestationem „hanc facto esse contrariam. Nam reipsa Pontifex intendebat Antecessorum „suorum principia effectui dare, quae unice eo collimabant, quo crederetur, „integrum electionis negotium a mera Pontificis gratia dependere, et unice in „hujus arbitrio positum esse, num ab Electoribus electus Rex videatur appro„bandus, num vero tanquam minus idoneus Ecclesiae Advocatus sit rejicien„dus, Pontificisque Vicariatus eo usque continuandus, donec Rex ad palatum „Papae proveniret. In literis, quas etiam *Auctor* commemorat, Electores „ad Pontificem ajunt: ut sententias, quas *Johannes XXII.* de facto contra „Deum et justitiam et juris ordinem fulminavit contra Dominum *Ludovicum* „Imperatorem ac fautores et adhærentes sibi tanquam in praejudicium Imperii „et jurium ipsius prolatas casset et annullet. Addendum quoque Auctori Unionem hanc *Rensensem* in Comitiis deinde Francofurtensibus ratihabitam, atque celeberrimam illam constitutionem conditam fuisse, in qua declaratur, dignitatem potestatemque Imperatoriam immediate a Deo descendere; electum a majori saltem parte Electorum eo ipso Imperatorem habendum esse, regimen Imperii capessere posse, quin opus sit consensu aut approbatione Pontificis, ei-

 que

que ab omnibus Imperio subjectis obediendum; Legem hanc perpetuo inviolatam retinendam, quique contra illam quicquam attentarit, bonis, quae ab Imperio habet, privandum laesaeque Majestatis reum habendum esse. Publicatae item tres aliae Constitutiones Imperatoriae 1) Nequis in posterum Bullam Pontificiam recipere atque sine venia Archi-Episcoporum effectui dare praesumeret: 2) juramentum, quod Imperatores Pontificibus praestarent, esse solum juramentum obedientiae et Advocatiae intuitu fidei Catholicae, nequaquam autem, uti *Clemens V.* praetendisset, juramentum fidelitatis. 3) declaratum vacante Imperio Vicariatum Comiti *Palatino Rheni*, non autem Pontifici competere. Conf. HAEBERLIN *Hist. Tom. 3. p. 323. seqq.* ubi et scriptores tum coaevos tum recentiores huc spectantes offendes.

*Ad §. XII.* Reformationem *Friderico III.* a *Goldasto* adscriptam sublestae fidei esse eruitur ex eo, quod *Goldastus* ipse de ea nil sat certi afferre in medium possit, cum modo eam a *Friderico* Imperii Proceribus oblatam, modo a Germaniae Civitatibus productam in Comitiis inquiat; accedit quod præter *Goldastum* nullo satis idoneo Auctore nitatur, neque iis concepta sit verbis ut ait EISENHART in *Opusc. jurid.* varii argumenti in *Orat. de Friderico III. ab odio in Jureconsultos vindicato p.* 393. quae scribendi generi, quod in componendis Imperii decretis adhiberi solet, parum conveniant. Quod de JCtis in specie excerpsit Auctor, in cit. Oratione etiam ex eo refellitur, nimirum ex factis indubitatis palam esse, *Fridericum* non solum prolixum honorem eis habuisse, sed et ipsummet ad gravissima negotia adhibuisse. HAEBERLINIO *Tom. 6. Histor. p.* 103. videtur merum, ut inquiunt, projectum a Civitatibus Imperii conceptum & Legatis Regiis exhibitum, quin de eo quid in Comitiis decerneretur, atque ita Legem Imperii nulla ratione evasisse.

*Ad §. XVIII.* Recte *hic Ludewigium* carpit Auctor, quod famosa illa centum gravamina passim & sine discrimine Ordinibus etiam Catholicis tribuat; „*Cochlaeus* sane loco ab Auctore citato de iis inquit: proposuerunt quidem Prin„cipes Imperii quaedam gravamina, quibus utique gravari videretur Natio „Germanica, non solum a Curia Romana sed etiam ab Episcopis et Praelatis „Germaniae . . . at Lutherani omnia ad sinistram & iniquam intentionem de„torquentes ac depravantes sumpta inde occasione ediderunt Librum tum latine „tum germanice, cui titulum fecerunt: Centum Gravamina Germaniae: in qui„bus sane recensendis non solum maligne omnia in odium Papae et Cleri ex„augebant, et in pejorem partem interpretabantur, verum etiam impie ple„risque antiquissimis Ecclesiae ceremoniis derogabant, et abrogatas volebant. Haec eadem cum *Febronio* recte objecissent ejus Adversarii, quippe qui etiam sine discrimine haec gravamina in rem suam traxit, malam hac in parte causam pejus defendit *Tom. 2. p.* 161. ubi ad *Bzovium* et *Spondanum* provocat: de „cen-

„centum Norimbergensibus Germanicae Nationis gravaminibus . . . sic habe „ex *Bzovio*, qui ad annum 1522. n. 35. in illis nonnulla summae aequitatis vi„deri poterant, quod saepius a Curiae Romanae Ministris veluti impositis sa„crarum rerum vectigalibus Germani avarissime premerentur, et ex *Spondano* ad annum 1523. n. 7. non pauca continent haud rejicienda, quin potius audienda. Quam parum bona fide ad hos Auctores appellet *Febronius*, ex toto illorum contextu liquido elucet: et *Bzovius* quidem ait: enimvero proposita „tunc ab iis (Principibus Germanis) sunt centum postulata, quæ Gravamina „Germaniae appellaverunt: in quibus, NB. tametsi nonnulla summae aequi„tatis videri poterant, quod saepius a Curiae Romanae Ministris veluti imposi„tis sacrarum rerum vectigalibus avarissime premerentur; ceterum multo plu„ra iniqua, enormia et non flagitanda numerabantur, quibus et Pontificiam „Majestatem et Apostolicae Sedis auctoritatem et Cleri obedientiam et Eccle„siasticum Ordinem deprimere miscereque conabantur. *Spondanus* porro in„quit: quo etiam tempore proposita sunt quaedam postulata, quae Gravamina „Germaniae appellarunt centum capitibus constantia: auctoribus praecipue „(ut apparet) Lutheranis, quo nihil intentatum relinquerent ad conflandam „invidiam Pontifici et Ecclesiasticis. Quippe quae etiamsi non pauca conti„neant, haud rejicienda, quin potius audienda et exaudienda; multo tamen „plura sunt, quibus et Pontificiam Majestatem et Apostolicae Sedis auctorita„tem et Ecclesiasticum Ordinem deprimere, omnemque disciplinam Ecclesiae „et antiquas receptasque consuetudines tollere voluisse videantur &c. Scriptoris ingenui est textus sistere integros, non vero truncatos omissis iis, quae ad rem ejus facere non videantur, in quibus tamen cardo controversiae haeret.

*Ad* § *XXXVII.* Quod hic Auctor inquit de prohibita tolerantia aliarum Religionum in Germania praeter Catholicam, et utramque Protestanticam, uberius deduxit ex Protestantibus MOSER in den Abhandlungen aus dem teutschen Kirchen-Recht 1772. N. 2. Von denen in Teutschland erlaubten Religionen. p. 59. Adde N. 3. von denen Personen, so nicht zu denen in Teutschland erlaubten Religionen gehören. N 6 Wie weit sich die Freyheit derer Evangelischen in Teutschland in Lehrsachen nach denen Reichs-Grundgesetzen erstrecke oder nicht? Varia MOSERO opposuit SCHOTT Unpartheyische Critick. 5. Band. *p. 434.* SCHOTTIO, uti et BIEDERMANNO in Diss. *de Jure Reformandi territoriali ad tres Religiones in Imperio R. G. receptas haud restricto, ad verba finalia Art. 7. P O. Halae, 1771.* respondit nunc MOSERUS in *Tract.* von der teutschen Religions-Verfassung *1774. Lib. 1. C 3.* von denen in Teutschland erlaubten Religionen. *Biedermannum* quidem ait l. cit. p. 28. fundamento plane ruinoso molem suam inaedificasse, cum Jus Reformandi, a jure tolerandi Religionem a tribus in Impe-

Imperio toleratis aliam non satis discernat; de priori agi Art. 5. de posteriori Art. 7. atque uti a posteriori ad prius illud concludi nequeat, ita nec a Jure Reformandi ad illud posterius; cumque haec duo plane diversa sint, ab uno loco Pacis ad alium idque ne quidem ex Analogia argumentum fieri posse. *Schottio* autem, qui vult discerni debere inter tolerantiam intuitu Imperii universi, et ratione singularum provinciarum: priorem non competere nisi tribus Religionibus P. W. Consortibus, uti v. g. qui alterutri non sit addictus, Assessor supremi cujusdam Dicasterii esse nequit, propterea posteriorem tolerantiam, quae hanc relationem ad universum Imperium non habeat, prohibitam non esse, huic inquam reponit idem p. 30. *a*) a nemine negandum Leges interpretandas de casibus ordinariis et quotidianis; insolitum esse illum, dum de receptione Assessoris cujusdam in Camera nulli trium Religionum in Imperio addicti ageretur; quotidianam vero quaestionem, an praeter tres illas Religiones aliam tolerare liceat? *b*) quodsi Lex ita concepta esset: *sed praeter monetas supra nominatas Imperatoris et Statuum Imperii, nulla alia in S. R. I. recipiatur aut toleretur*: neminem profecto hunc sensum verbis istis attributurum, monetas ejusmodi quidem in cassa Imperii recipi prohibitas, caeterum in provinciis singulis liberum illarum commercium permitti posse; *c*) Risuros Anglos, si v. g Judaeorum ibidem tolerantia Lege publica prohibita esset, siquis id eo sensu intelligeret, Judaeos membra Parlamenti esse non posse, eorum caetera tolerantiam communitatibus, Nobilitati prohibitam non esse; *d*) plane paradoxum videri debere talia asserere, siquis serio Acta Imperii inspicere velit, quid in iis inter utramque partem de hac materia actum fuerit, quis finis, quae mens, quae verba paciscentium fuerit, ita R. I. 1566. dici: „daß solcher Secten und irrigen Opinionen, so sich von beyden der alten Religion und A. C. absondern, „oder denselben zuwider seyn, vermög des Religionsfriedens, keine gelitten noch „geduldet, sondern *NB. NB.* allenthalben der Gebühr, und dem Religionsfrieden gemäs *NB.* gänzlich abgeschaffet werden sollen.„ Hac ratione Sectas ejusmodi manifeste ex toto Imperio excludi, quod certe ex singulis Provinciis conficetur, nullibi autem illas tolerari Lex clarissimis verbis praecipiat. Plura vide apud eundem locis citatis.

III. LU-

# III.

## GEORGII CHRISTOPHORI NELLER U. J. D. &c. DISSERTATIO DE IMPERATORIBUS PRAEBENDATIS REGIIS, AC, QUOD PRIMO PONENDUM ERAT, LOCO CANONICIS NONNULLORUM CAPITULORUM PRAESERTIM AUTEM ECCLESIAE REGIAE B. V. MARIAE AQUISGRANI.

*Treviris* 1750.

### §. I.

Quamvis, primum omnium, satis constet, ex sacro Codice, * Moysen & Aäronem, præcipiente *Summo Numine*, formulam Imperii, populi Israëlitici, semetipsos inter, ita fuisse partitos, ut huic incubuerit cura Status Ecclesiastici, illi vero moderamen status civilis, fuerit demandatum, sicque bipartitum exstiterit regimen, cum Ecclesiasticum, tum civile; tam certum tamen est, quam quod certissimum, Moysen omni cura rerum Ecclesiasticarum nequaquam fuisse exutum, sed rationem illarum habuisse, vel maxime, tam respectu cultus *interni*, quam *externi*. **

* Videantur Exodus, Leviticus, & Deuteron.

** Id quod patet ex inscriptione tabulis lapideis, & promulgatione Decalogi, jubente Deo, per Moysen factis; ut & ex legibus cæremonialibus, interprete Moyse, cum populo Israëlitico communicatis. Exod. 20, Leviticus totus.

## §. II.

Deinde ſacræ, nos edocent, paginæ, Judicis officio junxiſſe Sacerdotale, Samuelem; * Davidem autem Regem, ſaltantem, ante arcam fœderis, reducem, fuiſſe accinctum *Ephod*, lineo, ** & ſtola, *** Byſſina, **** ſicque indignitate voluiſſe, in ſemetipſo, Sacerdotium, cum dignitate Regia, indiſſolubili, junctum eſſe, nexu. *****

* Judicem fuiſſe Samuelem, patet ex L. I. Regum, c. 6. 7. Sacerdotem autem, conſtat ex eo, quod accinctus fuerit, *Ephod*, veſte Sacerdotali Lib. I. Reg. c. 2.

** Lib. 2. Reg. c. 8. v. 18. Paralip. L. I. c. 15. v. 17. *Ephod* erat ſuperindumentum, ſeu ſuperhumerale Summi Pontificis. Exodi, c. 39. v. 2. 3. & 6. Braunius, de veſtitu. Hebr. 5. 6. Nicolai, ad Sigonium, de veſtitu Hebr. 5. 2. pag. 17.

*** *Stola*, apud Hebræos, & Romanos erat genus ſubuculæ manicatæ, ad terram profluentis. Rubenius de re veſt. 1. 17.

**** Byſſus erat genus lini ſubtiliſſimi, quam Achaja, prope Elim, gignebat, qua veſtiebantur Reges & Magnates. Ferrarius, de re veſt. 1. 4. 12.

***** Per Byſſinam Stolam & *Ephod* indigitabantur Regia, & Sacerdotalis dignitas, unitæ.

## §. III.

Veſtigia Davidis, Regis ſimul, atque ſupremi Sacerdotis preſſerunt etiam Imperatores Romani, Auguſtali dignitatum faſtigio, annectendo quoque Pontificatum Maximum; ita, ut penes illos fuerit ſupremum arbitrium, tum cultus Deorum, cum Regiminis politici. Gaviſi ſunt geminatis hiſce honorum prærogativis, ac titulis, non modo Imperatores Romani, Gentili adhuc ſuperſtitione, ſordibusque, contaminati, * ſed, quod mireris, Imperatores etiam, Chriſtianis, jamjam, imbuti ſacris; ** non, ut miniſterio, & officio Sacrificuli hujus gentilis, Maximi, actu defungerentur, ſed eum tantummodo in finem, ut ſumma, Pontificis Maximi, & auctoritate, & poteſtate, in regendo uterentur, ac moderando frenandoque populo Romano. ***

* Vid. Tacitus, Suetonius, ſcriptoresque Hiſt. Aug. ut & inſcriptiones, hoc probantes, apud Gruterum, Corp. Inſcriptionum, T. I.

** Gruterus, lib. cit. T. I.

*** Pitiſcus, T. 2. pag. 466. ſequ.

## §. IV.

Inſequenti tempore, Chriſtiadumque rebus magis firmatis, Imperatores qui-

quidem, & Reges, Christi sacra profitentes, propudioso Pontificatus Maximi gentilium, aliisque superstitiosis Paganorum, abstinuerunt, honoribus, sed, ad exemplum coronati vatis, ac supremi Sacerdotis, Davidis, quamvis regiminis politici gubernaculo gravati, vel maxime, curam tamen sacrorum, & cultus *externi*, Ecclesiæ, * tanquam hujus Advocati, & Protectores, minime gentium deposuere. Exercuerunt enim & Imperatores, & alii Reges, Christi sequentes castra, speciem juris circa sacra, vel constituendo, vel confirmando, investiendoque Episcopos, ** convocando Concilia ***, hisque suo modo præsidendo, **** & reliqua.

* Eusebius, in vita Const. M. L. 4. c. 24.

** vid. Pfeffing. in Vitr. illustrato, L. 1. Tit. 20. p. 1325. sequ. vid. etiam Walthramus, Episcopus Naumb. apud Schardium, de jurisd. Imp. q. 713. De Regibus Franciæ Merov. hoc testatur Gregorius Turon. hist. L. 3. c. 2. & 17. De Regibus Italiæ, Sigebertus Gembl. apud Pistor. Script. R. G. T. I. p. 810. le Pere Daniel, T. 1. 2. 3. De Regibus Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, & Hungariæ, vid. Walthramus, libro, & loco cit; de Regibus Daniæ, & Poloniæ, vid. Adamus Brem. de Situ Regni Daniæ, ac Okolski Orbis Polonicus passim.

*** De Imp. Rom. Orientis, & Occidentis, ut & de Regibus Franc. Merov. hanc super rem, consulantur Harduini acta Concil. T. 1. 2. 3. Baronii Annal. Eccles. & Pagii, in illos, Critica, T. 1. 2. 3. item Baluzius, Capitul. Reg. Francic. T. 1. De Carolingicis Ducibus, Regibus, & Imperatoribus, vid. idem Baluzius, l. c. T. 1. & 2. De Sigismundo Imp. convocante Concilia Constantiense, & Basileense, vid. Trithemius noster, ad a. 1413. & ad a. 1432. De Carolo V. autem, & Concilio Tridentino vid. Paulus Sarpius, in Hist. Concilii Tridentini, L. 5. p. 489. & Petrus de Vargas, in Epistolis suis, itemque Sfortia Pallavicinus, in historia Concilii Tridentini.

Præmonitum volumus, benevolum lectorem, convocationes hasce, omnes & singulas, nostro quidem, quali quali judicio, factas esse, ab Imperatoribus, & Regibus, consentientibus, aut, saltem non contradicentibus, Summis Pontificibus, aut etiam tempore schismatum, quæ, proh dolor! Ecclesiam, sedemque Pontificiam, plus semel, afflixere, vel maxime.

**** De præsidio, & directorio Regum, ac Imperatorum in Conciliis, Synodisque, *quoad externa*. vid. Nicolaus Cusanus, nostras, de Concordantia Catholica, L. 3. c. 12. apud Schardium, de jurisd. Imp. p. 366. 370. 386. vitam Const. M. L. 3. c. 10. edit. Vales. p. 488. Baronius, Annal. Eccles. T. 6. ad a. 451. videatur etiam Philippi Labbei, S. J. Conciliorum omnium collectio maxima, una cum Harduini Actis Conciliorum.

## §. V.

Cum autem extra omnem, positum sit, dubitationis aleam, optimam

 quan-

quandoque, pulcherrimamque matrem, progenuiſſe peſſimas filias, ac deformes vel maxime: ita cura ſacrorum, quam ſibi, ſaltem *quoad externa*, una cum regimine politico, vindicare adnitebantur, Reges, Principes, ac Proceres, Chriſtianis addicti ſacris, paulatim deflexit, in injuſtam, ſceleratamque libidinem, invadendi bona Eccleſiaſtica; ita, ut, ſub obtentu, juris circa ſacra, aut precariarum Epiſcopalium, & Abbatialium, ad inſtar harpyarum, Eccleſiaſticas poſſeſſiones, piis deſtinatas, uſibus, raperent, & in proprios, profanoſque, converterent uſus, tum Imperatores, & Principes, cum alii quoque Proceres. Sub initium, jamjam, ſeculi octavi, improbus hic, inter laicos, gliſcere cœpit abuſus, & uſurpatio bonorum Eccleſiaſticorum. Provoco ad exemplum duorum fratrum, Galli, & Rioldi. Hi enim, bona Epiſcopatus Trajectenſis, ad Moſam, vexabant, ac depopulabantur, omnia ſibi ſolis vindicare conantes. Quorum, & crudelitati, & rapacitati, juſta indignatione commoti, obviam ituri, amici S. Landeberti, ſeu Lamberti, Epiſcopi Trajectenſis, Apoſtolique Toxandrorum, incolentium ripam, Moſæ fluvii, uſque dum huic committitur Vahalis, interfecerunt utrumque. Quod autem Dodo, ſeu Dado, Comes Ardennæ, conſanguineus interfectorum, ac domeſticus, Pippini Heriſtallenſis, Franconiæ Ducis, & Principis, fortaſſis, ut aliqui volunt, frater etiam Alpaidis, pellicis Pippini, ultus eſt crudeliſſime, infando, prorſus, ſcelere, trucidando innocuum, ſanctumque Præſulem. * Reum quoque facere volunt nonnulli, Carolum Martellum, Franciæ Ducem, ac Principem, heroemque fortiſſimum, alienationis, & direptionis bonorum Eccleſiaſticorum, indeque ſecutæ relegationis, ad inferos, æternæ. At enim vero excuſarunt illum, imo plane probe abſolverunt, ab hac inculpatione Baronius, Browerus, Annal. Trevir. L. 7. no. 134. Cointius, Henſchenius, Pagiuſque. ** Raguenarium, ſeu Regnarium, longicollem, teſte Butkenio, dans les Trophées de Brabant, T. I. L. 2. c. 3. Ducem, Comitemque Brabantiæ, Hasbaniæ, Hannoniæque, injuſte extorſiſſe Rathbodo, Archi-Epiſcopo Trevirenſi, *ſub titulo precariæ*, Abbatiam S. Servatii, *Trajecti ad Moſam*, *** ſitam, Rathbodoque ab Arnulpho Imperatore conceſſam, **** ſatis conſtat. Ac licet Zwendeboldus, Lotharingiæ Rex illam reſtituere fecerit Rathbodo; ***** nihilo tamen minus, Raguinarius hanc recepit Abbatiam, ab Imperatore, Ludovico Infante; ****** donec tandem Carolus ſimplex, illam denuo conceſſerit Archi-Epiſcopatui Trevirenſi. ******* Henricum, præſertim quartum, quintumque, Romanorum Imperatores, poſſeſſionibus, & bonis Eccleſiaſticis inhiaſſe, perquam avidiſſime, teſtatur reſtitutio bonorum Eccleſ., prioribus Concordatis, inter Calixtum II. Summum Pontificem, & Henricum V., Imperatorem initis, a. 1122. inſerta ********

* Vid. vita S. Landeberti, (Lamberti) Epiſcopi Trajectenſis, &c. auctore Godeſchal-

deſchalco, Diacono Leodienſi, ſec. VIII. in Actis SS. Ordinis S. Benedicti, pag. 59. 74.

Ex Adone Viennenſi, & Notkeri Martyrologio aliam allegant cauſam necis, S. Landeberti, Annales Ord. S. Bened. L. 19. pag. 18. & 19.

** Carolum Martellum excuſarunt præter Baronium ad a. 741. no. 15. Browerum, l. c. Cointium, & Henſchenium, A. SS. Antv. ad diem xx. Febr. in Comment. ad vitam S. Eucharii, Pagius etiam, T. 3. Critic. hiſtor. Chronol. in Annales Baronii, ad a. 741. p. 247.

*** De hac Raguinarii, Uſurpatione Abbatiæ S. Servatii, Trajectenſis, ad Moſam, non Ultrajectenſis, ad Rhenum, ut erronee vult Illuſtriſſimus Bunavius. T. 4. Seiner Kayſer- und Reichs-Hiſtorie, L. 1. p. 156. & 167. vid. Brow. Annal. Trev. L. 9. no. 43. p. 441. Bütkens, Trophées de Brabant, T. 1. L. 2. p. 35. Diploma autem Zwendeboldi Regis, quo teſtatur Abbatiam S. Servatii, *per dolum*, *ſub obtentu precariæ*, ademptam fuiſſe Rathbodo Archi-Epiſcopo, & Archi-Eccleſiæ Trevirenſi, exſtat apud Aubertum Miræum, Op. Diplom. hiſt. T. 1. L. 2. c. 15. p. 252. & apud Bütkens, dans les Preuves de ſes Troph. de Brabant, T. 1. p. 14.

**** Exſtat Diploma Arnulphi apud Aubertum Miræum, Op. Diplom. hiſt. T. 1. L. 2. c. 12. p. 250. apud Brow. Annal. Trev. T. 1. L. 9. p. 435. apud Calmetum, Preuv. de l'hiſt. Eccleſ. & civile de Lorraine, T. 1. p. 321. apud Lunigium, ſpicil. Eccleſ. partis I. Fortſ. p. 195. &, qui primus erat nominandus, apud Reverendiſſimum, & Illuſtriſſimum D. Hontheimium noſtrum, in operis immortalis hiſtoriæ Diplomaticæ Trevirenſis, T. 1. no. CXXI. p. 229.

***** Conſtat de hac reſtitutione, Abbatiæ S. Servatii a Zwendeboldo, Rege Lotharingiæ, Rathbodo Archi-Epiſcopo, ac Archi-Eccleſiæ Trevirenſi, in Conventu Aquenſi facta, ex præcepto Zwendeboldi, apud Brow. Annal. Trev. L. 9. n. 43. p. 441. apud Gold. T. 1. Conſt. Imp. p. 209. apud Aub. Mir. Op. Dipl. T. 1. L. 2. c. 15. p. 252. apud Bütk. dans les preuves, de ſe Troph. de Brabant. T. 1. p. 13. & 14. apud Calmet. hiſt. Eccleſ. & civ. de Lorraine, T. 1. dans les preuves, p. 229. apud Lunig. Spicil. Eccleſ. p. 1. contin. p. 195. & tandem, apud Illuſtr. D. Hontheimium noſtrum, hiſt. Diplom. Trev. T. 1. no. CCXXX. p. 237. 238.

****** Raguinerum, poſt interfectum Zwendeboldum Regem, recepiſſe, a Ludovico Infante, Rege, Abbatiam S. Servatii, ac in filium Giſilbertum transtuliſſe, conſtat ex Bütk. Troph. de Brab. T. 1. L. 2. c. 3. pag. 35. Patet hoc porro ex Diplomate Caroli Simplicis, de quo, inſequenti annotatione, plura.

******* Diploma Caroli Simplicis, Neuſtriæ, & Lotharingiæ Regis, quo Ruttgero, Archi-Epiſcopo Trevir, a. 919. denuo reſtituit Traject. Abbatiam. S. Servatii, extat apud Aub. Mir. Op. Dipl. hiſt. T. 1. L. 2. c. 19. p. 255. apud Brow. Annal. Trevir. L. 9. no. 70. p. 448. 449. apud Bütk. Troph. de Brab. dans les preuves, du L. 2. p. 15. ac apud Illuſtr. D. Hontheimium noſtrum, in hiſt. Diplom. Trevir. T. 1. n. 142. p. 264. 265.

******** Præter alios Imperatores, & Reges Germ. qui bona Eccleſiaſtica, in

profanos transverterunt usus, cumprimis notandi veniunt Henricus IV. & Henricus V. ejus filius, quemadmodum posterior ipsemet hoc fateri, bonaque ablata restituere, habuit necesse; vid. §§. 2. & 3. Conventionis inter ipsum, & Calixtum II. Summum Pontificem initæ, a. 1122. quæ exstat apud Dumont. Corps Diplom. T. 1. n. 119. p. 66. & 67. apud Lunigium, Spicil. Eccles. P. 1. p. 153. 154.

## §. VI.

Hic bonorum Ecclesiasticorum raptus, præcipua ex causis fuisse videtur, ob quas tam per decreta Conciliorum, quam per Canones ipsos Summorum Pontificum, laici ab omnibus beneficiis Ecclesiasticis præsertim vero a Canonicatibus arcerentur & excluderentur. Provoco ad Concilium Monspessellanum, a. 1224.* habitum, ibi enim laici, Collegiis Canonicorum interesse prohibentur, Canone 8. sequentibus: *Districto mandamus, quod in nulla Ecclesia laici recipiantur in Canonicos, & in fratres, nec etiam ad præbendam canonicalem, quæ consistit in pane & vino, & quibusdam aliis, cum per hoc Ecclesiæ multa damna proveniant. In Concilio Bituricensi, a. 1233. can. 24.* eandem prohibitionem esse iteratam, testantur insequentia: *Districtius mandamus, quod in nulla Ecclesia laici recipiantur in donatos ad præbendam panis & vini, de quorum turpi conversatione scandalum generetur. Quod si qui tales recepti, inventi fuerint fornicatores, adulteri, & alias criminosi, post monitionem competentem, nisi excessus suos correxerint*, perpetuo beneficio careant memorato. Idem Statutum insertum esse Statutis Raimundi, Comitis Tolosani, constat ex Duschesnio, ** qui illum sequitur, ex Thomassino. *** Jam antea hoc sanxerat Eugenius Papa, **** c. *In Ecclesia*, 2. X. de Instit., ad hæc vero scribens, districtius prohibemus, ne, de cætero, laicos in Canonicos accipiatis.

* §. Equidem, & clarissimus Thomassinus, in eruditissimo, de veteri & nova Ecclesiæ disciplina, p. 1. L. 3. c. 64. p. 823. scribit, Concilium Montispessulanum esse, a. 1214. sed in contrariam eunt sententiam, Raynaldus, in cont. Annal. Baronii, ac Harduinus, Act. Conciliorum, T 7. p. 131. anno 1214. substituunt annum 1224. Et recte substituunt, scimus enim, ex Chronico Turonensi, ad a. 1224. Concilium Montispessulanum habitum esse sub Honorio tertio, Summo Pontifice; Honorius autem tertius, anno demum 1216.; in Summum Pontificem fuit electus, ideoque anno 1214. non potuit mandasse Narbonensi Episcopo, ut Raymundum VI. Comitem Tolosanum, Albigensium contaminatum hæresi, audiret, & juramentum ab illo exigeret. Consulatur Harduinus, l. cit. in exordio Concilii Montispessulani, & gesta Ludovici VIII. vid. etiam le P. Daniel, hist. de France, T. IV. & V.

** T. 5. p. 820. Catel, des Comtes de Toulouse, p. 351.

*** Thomassinus, de vet. & nova Ecclesiæ disciplina, P. 1. L. 3. c. 64. pag. 823.

**** Erronee aliqui putant, vel Eugenium II. vel III. Summos Pontifices, hic subin-

ſubintelligi; conſtat enim ex rubrica Capituli: *In Eccleſia*. illud a. 655. eſſe latum, quo anno neque Eugenius II. neque III. ſed I. ſacros gerebat faſces; vid. hac in re Gonzalez, Comment. perpet. in quinque Libros Decret. Gregorii IX. p. 176. in nota A.

## §. VII.

At enim vero, his decretis Conciliorum, ſummorumque Pontificum, non obſtantibus, multum remiſit Eccleſia, in hoc paſſu, a ſeveritate legum canonicarum, pœnaque refractariis minitata. Remiſit, inquam, & non ſine graviſſimis, remiſit cauſis. Quodſi enim ad inveſtigandam, laicorum Canonicorum, originem ulterius progrediamur, in viros incidemus tanta, nobilitatis, antiquitatis, & auctoritatis, gloria, circumfluentes, ut ne ambigere quidem poſſit quisquam, quin Epiſcopales Synodi, Summique Pontifices ipſi, tum Eccleſiæ, cum ſibimet ipſis ſint gratulati, quod tanti nominis, & dignitatis Viri, Optimates, videlicet Sæculi, Principes, Duces, Reges, ac Imperatores, ſederent inter Canonicos, eadem uterentur veſte, eidem incumberent pſalmodiæ. Et hoc, minime gentium, contra decreta Conciliorum, Conſtitutionesque Summorum Pontificum. Licet enim laici ſint incapaces beneficii Eccleſiaſtici, * quia beneficiati ſaltem primam debent habere tonſuram, ut hoc probat Sauſay; ** ex diſpenſatione tamen Summi Pontificis, poſſunt obtinere beneficium, ut, pluribus relatis, docet Petrus Gregorius, *** Barboſa, **** Duarenus; ***** quo caſu, etſi laici, per ſe, non poſſint obire munia, quæ propria ſunt Clericorum, tamen fructus percipiunt, & curare tenentur, ut, per aliquos Clericos, miniſtretur in Eccleſia; quemadmodum hoc contingere quoque aſſolet, quando, ratione non idonei, ad conſequendum beneficium Eccleſiaſticum, diſpenſatur. ****** Calculum his adjicit, Proſper Fagnanus, jure Conſultus celeberrimus, ******* de Regum, Magnatum, ac Nobilium Præbendis in Eccleſia Compoſtellana, Hiſpaniæ, & Turonenſi, Galliæ, ſcribendo, aſſerendoque, ne eas quidem Canoniſtis fuiſſe inexploratas, & ab his minime improbatas: cum nullius in rei, mere ſpiritualis, vocentur communionem, laici, ſed temporalibus tantum impertiantur honoribus, cura ſpiritualium, & miniſterii divini, ut & emolumentis, Vicariis ſuis, relictis. ******** Conſtat enim inter omnes, ac infra oſtendetur pluribus, Imperatores, ac Reges ſolo, Canonicatuum, & Præbendarum Regiarum honore contentos, emolumenta, reditusque beneficiorum ceſſiſſe Vicariis, qui pro ipſis miniſtrant in Eccleſia.

* Cap. *Cum adeo*, 17. ☧ de Reſcriptis. Cap. *Ex litteris*, 6. ☧ de Tranſactionibus.

** Panopl. Clericorum, p. 5. L. 6. axiom. 5.

*** L. 1. paratit. tit. 27. cap. 1.

**** Bar-

**** Barbosa, de potestate Episc. allegat. 72. no. 74.

***** L. 4. de Sacris Eccles. c. 6.

****** Cap. *licet*, XIV. & Cap. *commissa*, XXXV. de Electione, & Electi potestate, in VI. videatur etiam Gonzalez, Comment. perpet. in sing. textus V. Librorum, Decretal. Gregorii IX. Tom. III. ad Libri III. Tit. VII. cap. 2. p. 176.

******* L. 1. Decret. P. 1. p. 154.

******** Thomassini (Ludovici) vet. & nov. Eccles. disciplina, P. 1. L. 3. c. 64. p. 825.

## §. VIII.

Imperatores, & quam plurimos Europæ Reges, jam dudum fuisse, hodieque esse Abbates, Canonicos, Præbendatosque Regios, constabit ex insequentibus. Reges Hispaniæ gavisos esse, actuque gaudere Canonicatibus, edocemur per sequentia: Hugo Cluniacensis, Abbas, ut Alfonsi Hispaniarum Regis munificentiam aliquo vicissim remuneraretur dono, anno 1070. quotidianam, in refectorio, præbendam, illi concessit, ita tamen, ut confestim ejus nomine pauperibus erogaretur. Præterea assignavit nobilissimum quoddam, ex altaribus Ecclesiæ suæ, ut, quæ offerrentur sacrificia, illi (Regi) potissimum essent fructuosa. * Quid istud aliud est, quam Regem Hispaniæ præbenda, & beneficio Ecclesiæ suæ investire? Eo majora fuere beneficiorum emolumenta, quo erant diuturniora, ut quæ, ne cum vita quidem, extinguerentur. ** Reges Hispaniæ præterea Canonicatu investiri Archi-Ecclesiæ Burgensis, *** & Legionensis **** Ecclesiæ, relatum legimus, apud auctores fide dignissimos.

* Statuimus, ut præbendam quotidianam habeat in refectorio, ad majorem mensam, quasi si nobiscum esculaturus sederet, quæ uni pauperum Christi, semper tribuatur, pro salute animæ ejus, tam in vita, quam in morte, & dedimus ei unum altare, de præcipuis in Ecclesia, quam ipse *de propriis facultatibus* exstruxisse videtur, quo divina Mysteria, ibidem celebrata, saluti ejus valeant suffragari. Spicil. T. 6. pag. 447. Thomassinus, de vet. & nov. Ecclesiæ disciplina, P. 1. L. 3. c. 64. p. 824.

** Thomassinus, lib. & loco cit.

*** Posthovel, de Præcedent. sect. 3. c. 7.; Becmannus, notitia dignitatum illustr. differt. 5. c. 2. no. 3. Thulemarius, in deductione, pro matrimonio, Abbatissarum Protestantium, Tom. II. des Fabri Europäischer Staats-Canzelei, Fascic. IV. p. 92. & 93.

**** Laici Principes plerumque præbendas habent honorarias, ut noster Monarcha (Rex Hispaniæ) in Ecclesia Legionensi. Labeta, in historia Legion. fol. 112. Gonzalez L. III. Decret. Tit. VII. Capit. 2. in nota B. pag. 176.

§. IX.

## §. IX.

Regibus quoque Angliæ assignatos fuisse Canonicatus, & præbendas, edocemur per Thomassinum, * cujus verba, notatu nequaquam indigna, hic loci integra, cum benevolo lectore allubet communicare. Ita autem ille: Delibandum hic aliquid, & de Anglia est, ubi Archi-Episcopus Cantuariensis, consilio inito, de Ecclesia sua, in Ecclesiam St. Stephani, transferenda, constituendum sibi primo ibi Capitulum Canonicorum Secularium, existimavit, cujus præbendas adsignavit primarias Regi, ** erat is tunc Henricus II. (Plantagenera, Rapin Thoyras, hist. d'Angleterre, T. 2) Episcopisque Provinciæ (Cantuariensis) omnibus ea lege, ut præbendis, ipsimet & Vicariis, annum proventus (annuos proventus) compararent. Quod ab illo fiebat, eo consilio, ut & Episcopi huic assentirentur Sedis translationi; &, ut Regem & Episcopos Angliæ sibi confœderaret, Regi, ut fertur, unam assignavit præbendam, & Episcopis, Suffraganeis suis, singulis, singulas, sic tamen, ut ipsi præbendis, & Vicariis suis reditus necessarios invenirent. Script. antiqu. Angl. p. 1481. Hinc probabile fit, *non semel Canonicos istiusmodi fuisse fundatores ipsosmet Ecclesiarum, vel Canonicatuum; & dum abessent, Vicarios sibi subrogasse; ad quos proventus præbendarum redirent.* ***

* Libro sæpius allegato, p. 1. L. 3. c. 64. p. 825.

** Verisimile fit vel maxime, hanc translationem Sedis Archi-Episcopalis, Cantuariensis Ecclesiæ, factam esse, aut a Theobaldo, antecessore S. Thomae Cantuariensi, aut ab ejus successore; Inter S. enim Thomam, Archi-Episcopum Cantuariensem, Martyrem, & Henricum II. Plantagenetam, Angliæ Regem, convenit nunquam. Rapin Thoyras, hist. d'Angleterre, T. 2. L. 7.

*** Quod ipsum ad Imperatores, & Reges Germanicos, referendum esse, vel maxime, constabit infra, pluribus,

## §. X.

Galliæ Reges inscribi Abbates sancti Hilarii, Pictaviensis, sancti Martini, Turonensis, Canonicos Cenomanenses, Andegavenses, Lugdunenses, in Provincia Narbonensi, sancti Quintini, & Cleriaci, variæ testantur Chartæ, * scriptoresque quam plurimi. ** Videntur ad Galliæ Reges devoluta esse, jura hæc omnia cum ipsis Ducatibus & Comitatibus, quibus ea adscripta, & diu coalita fuerant. Si Reges autem id in more habent, ut suas, in his Ecclesiis præbendas, aliis conferant, id ex eo profectum est, quod, ut §. antecedente diximus, de Archi-Ecclesia Cantuariensi, qui hujusmodi præbendarum compotes erant, ii, dum abessent, Vicarios sibi substituerent. ***

* Quarum nonnullas nobis exhibent Martenius, & Durandus, in vet. Script. & monum. collectione amplissima, T. 1. 2. 3. 4. sequ. Conferantur etiam Praecepta Ludovici XI. Galliae Regis, qui, veluti *Caput & Abbas*, confirmavit privilegia Abbatiae, S. Hilarii Pictaviensis, atque S. Martini Turonensis, *tanquam primus* (Abbatiae S. Martini) Intitulatus, *post Romanum Pontificem*, Thomassinus, lib. cit. P. 1. l. 3. c. 64. p. 825.

** (1) Thomassinus, vet. & nov. Eccles. disciplina, P. 1. L. 3. c. 64. p. 824. 825. 826.

(2) Reges Galliae, teste Panormitano, in cap. *extirpandae*, 30. §. *qui vero*. ✗, de Praebendis & dignitatibus; & Cenomanensi, Chopinus, L. 2. de sacra politia, Tit. 5. no. 8. Gonzalez, Comment. perpet. in V. Libros Decret. Gregorii IX. L. 3. Decret. Tit. 7. cap. 2. p. 176. in notis.

(3) Pictavia, (Poictiers) inter veteres Episcopos habuit S. Hilarium, qui nunc Patronus urbis est, in cujus honorem, est Statua, in media fere Urbe erecta, cum Inscriptione: Divo Hilario, Urbis propugnatori fidelissimo, assiduissimo, & certissimo, Pictavorum Episcopo: Ab eodem (Hilario) denominata Abbatia, nunc Collegium Canonicorum, cujus Abbas, & Protector ipse Rex est: unde jocus apud Pictavienses: Abbatem S. Hilarii cum Regina concumbere prima nocte; Beimannus, hist. Geograph. c. 6. sect. 1. & 2. no. 4.

(4) vid. Fabri Staats-Canzellei, T. 2. p. 92. & 93.

(5) Lepidum, & ingeniosum, Ludovici IV. hac de re responsum, suppeditat Boileau Despreaux, T. 2. Chant. IV. du Lutrin, p. 333. dans les Remarques: (*Aussi tôt d'un bonnet ornant &c.*) le vers est remarquable par la Critique dont le Roi l'a honoré. Avant l'impression de ce Poëme, l'Auteur le lut à sa Majesté. Il y avoit ici:

> Alors d'un Domino couvrant sa tête grise,
> Déja l'Aumusse en main, &c.

Après la lecture de ce Chant, le Roi fit remarquer à Mr. Despreaux, que le Domino, & l'Aumusse sont deux choses, qui ne vont pas ensemble: car le Domino est un habillement d'hiver, & l'Aumusse est pour l'été. D'ailleurs, continua le Roi, vous venez de dire: Dejeunons, Messieurs, & beuvons frais; cela marque l'Action de vôtre Poëme se passe en Eté. Sur le champ Mr. Despreaux changea le vers dont il s'agit. Le Roi ajoûta en souriant: Ne soïez pas étonné de me voir instruit, de ces sortes d'usages: je suis Chanoine en pleusieurs Eglises. En effet, le Roi de France est Chanoine de saint Jean de Latran, de saint Jean de Lion, des Eglises d'Angers, du Mans, de St. Martin de Tours, & de quelques autres.

*** Quemadmodam hoc hodieque fieri assolet, ab Imperatoribus, in Ecclesiis Bambergensi, Spirensi, Leodiensi, Aquensi, & aliis, Collegiatis etiam Ecclesiis, sicut illud mox ostendetur, pluribus.

## §. XI.

Imperatores nostros in Germania, & Italia quam plurimis gavisos esse Cano-

Canonicatibus, & Præbendis Regiis, (Königs-Pfründen) Scriptores, & historiæ, & juris publici, uno, loquuntur, ore. Nam, cum præter veros Canonicatus, & Præbendas, certis ex causis, vel ob merita, vel quod se, & sua omnia devovissent Ecclesiæ, vel quod ipsi fundassent Præbendas, Præbendæ variæ, laicis etiam, concessæ sint in Ecclesiis; * nequaquam venit mirandum, Augustos, Regesque nostros, tanquam Summos Ecclesiarum defensores, ordinisque Sacri Fautores, Canonicorum nomen, titulumque, ac Præbendas Regias, diversis in Germaniæ, ac Italiæ Ecclesiis, libenter, gratioseque admisisse, ** solisque honoribus contenti, Vicariis cessisse emolumenta, quorum Canonicatuum, & Præbendarum numerum, quantum vires concedunt, & ingenium, cum benevolo communicabimus lectore.

* Antonius Matthæi, manud. ad jus Canon. L. 2. pag. 204.

** Clarissimus D. Buderus, hist. Canonic. Imp. Regumque Germaniæ, sive Præbendæ Regiæ, §. 6. & 7. pag. 4. & 5.

## §. XII.

Ac, ut, ordine servato, a minoribus, ascendamus ad majora, ordiemur Præbendas Regias, Ecclesiarum Collegiatarum, ad Imperatores, & Reges Germanorum spectantes. In Ecclesia Beatæ Gertrudis, Nivellis, Leodicensis Diœceseos, Præbendam Regalem concessit Rupertus Palatinus, Imperator; * ac, licet Henricus IV. Ecclesiam S. Gertrudis, in tres, diviserit partes; ** Imperatoribus tamen, & Regibus Germanis, jus Præbendæ Regiæ, in Ecclesia S. Gertrudis Nivellana permansit integrum, quemadmodum hoc constat; ex diplomate Rudolphi I. Imperatoris, *** a. 1584.

* Literas Ruperti legit & recitat, JOH. SCHILTERUS Instit. J. P., T. 1. Tit. XVIII. §. 3. p. 188.

** Constat hoc ex diplomate Henrici IV. de a. 1059. apud Dumont, Corps Diplomatiques, T. 1. no. 75. pag. 48. & 49.

*** Auberti Miræi Diplom. L. II. sive Supplementi ad Diplomata Miræi. viri clar. Joh. Frid. Foppens, p. 919. no. CXXII. ex le Roy Gallo-Brabantia. Videatur etiam Dn. Buderus, Differt. cit. p. 18. 19. & 20.

## §. XIII.

Jungantur Nivellensi Præbendæ Regiæ, & aliæ hujus sortis, in Ecclesiis, tum Capitularibus, cum Collegiatis, Archi-Diœceseos Trevirensis, videlicet Præbendæ Regiæ ad altare S. Petri, Gregorii, Quirini, Castoris, Florini, & S. Victoris, Andernaci, quemadmodum illas recensent, literæ Præsentationis, Rudolphi II. Imperatoris, ad Johannem VII. a Schœnenburg,

Archi-Episcopum, & Principem Electorem, Trevirensem, de a. 1586. Cum hæ literæ Imperatoriæ, quantum nobis quidem innotuit, paucissimorum terantur manibus, ac illas, Præbendasque Regias, Trevirenses, plane tacuerit clarissimus Dominus Buderus, in Dissertatione doctissima, de historia Canonicatuum Imp. Regumque Germ., sive Præb. Regiæ, aliique, qui de Præbendis Regiis scripsere, illas sicco quoque præterierint pede, operæ, pretium futurum esse, duximus, illas, prout exhibentur a Reverendissimo, atque Illustrissimo Dn. Hontheimio nostro hist. Diplom. Trevir, T. III. no. CXXXI. pag. 157. & 158. hic inserere; in sequentis autem sunt tenoris: *Rudolff der ander von Gottes Gnaden erwœhlter Rœmischer Kayser, zu allen Zeitten, mehrer des Reichs &c. Ehrwürdiger lieber Neve, und Churfürst. Nachdem Weyland unser geliebte und lobselige Vorfaren am heiligen Reich in unser lieben Frauen Pfarr-Kirchen zu Andernach einen Altar zu ehren und gedechtnus der heiligen Martyrer* Petri, Georgii, Quirini, Castoris, Florini, & Victoris, *fundirt, und in solcher Fundation versehen und geordnet, wan und zu welcher zeit derselbig Altar vacirt, das alsdan Ritter, Scheffen, Burgermeister und Rath bemelter Statt Andernach an ein jeden Rœmischen Kayser zur zeit ein fromme darzu taugliche Person ernennen, und furderst wir dieselbig einem Erzbischoffen zu Trier, als* Ordinario, *mit solchem Altar zu investiren, und in einzusetzen, præsentirn sollen und dan uns jetzo bemelte Ritter, Schœffen, Burgermeister und Rath zu Andernach unterthenigst zu erkennen geben, was massen berürter Altar jetziger Zeit durch freie resignation unsers lieben andechtigen Peter Hillesbem, des letzten und nechsten Besitzers beledigt, und darumb uns vermœg bemelter Fundation an sein statt Ludwigen Hillesheim* Diaconum (*als den sie tauglich darzu ermessen*) *nominirt, mit demüttig pitten, denselben forters, wie gebrauchlich und herkommen, zu præsentiren. Derowegen, und in crafft obangezogener unserer gottseligen Vorfahren fundation, thun wir* D. L. *bemelten nominirten Lutwigen Hillesbem hiemit præsentiren, und fürstellen, den weiß* D. L. *fürters mit berürtem Altar der gebür zu investiren und einzuweisen, und wir bleiben* D. L. *mit Freundschafft und Gnaden jederzeit wohlgeneigt. Geben uff unserm Kœnigl. Schloß zu Prag den* 3. Novembris anno 86. *unserer Reiche des Rœmischen im zwœlfften, des Hungarischen im fünffzehenden, und des Bœhmischen auch im zwœlfften.*

Rudolff. (a.)

NOTA

(a.) Hoc exemplum juris patronatus Regii seu Imperialis, de quo Dissertationem anno 1738. edidit Cl. Buderus, sub titulo Historiæ Canonicatuum Imp. Regumque Germaniæ, sive præbendæ Regiæ. Plures ejusmodi præbendas in Archi-Diœcesi Trevirensi fuisse, (*) indubium est; quare Carolus IV. Imp. in Pancharta, anni 1376. Archiepiscopo promisit, se ad hujusmodi beneficia, non nisi personas idoneas ei præsentaturum.

Verba

Verba autem Panchartæ Carolinæ, quorum in nota præcedente fit mentio, apud Rev. & Illuſtr. Hontheimium, Hiſt. Diplom. Trevir. T. II. p. 272. inſequentis ſunt tenoris: (*) „Item volumus, & declarando adjicimus, „quod nos, & noſtri Succeſſores Romanorum Imperatores & Reges, ad „omnes & ſingulas dignitates, perſonatus quoscunque, officia, & quæcunque „alia beneficia eccleſiaſtica, conſtituta infra civitatem, ſeu diœceſin Trevi- „renſem, vacantia, & imposterum vacatura, quorum collatio, præſenta- „tio, vel quævis alia diſpoſitio, ad nos ſpectat, vel ad nos, aut eosdem „Succeſſores pertinuerit in futurum, eidem Archiepiſcopo, ſuis ſucceſſoribus „& eccleſiæ Trevirenſi, tanquam loci diœceſanis, perſonas idoneas legitime „præſentare debebimus & tenebimur, pro inſtitutione canonica obtinenda, „juxta canonicas ſanctiones.

## §. XIV.

Progrediamur nunc ad Canonicatus Italicos, Germanicoſque, quibus Imperatores, Regeſque, olim inveſtiebantur, hodieque condecorantur, tum in ſolemnibus Conſecrationis, cum alio tempore. Agmen ducant duo Canonicatus Romani, videlicet Baſilicæ S. Petri, & Capituli, Eccleſiæ S. Johannis, Imperatoribus, Regibuſque conferri ſoliti. Henrico VII. illos fuiſſe conceſſos, pateſcit ex Raynaldi Annalibus Eccleſiaſticis, ad a. 1311. Ordinem vero totius negotii, quo hoc aſſoleat fieri, relatum legimus, apud *Auguſtinum*, *Patritium Piccolomineum*, inſequentibus verbis: * Nec in S. Petri, tantum, Canonicorum Collegium, ſolemniter fuit receptus, Carolus V. Auguſtus, ſed, teſte Cæremoniarum Magiſtro, a Procuratoribus quoque Capituli Eccleſiæ S. Joannis, in Laterano, qui Cæremoniarum Magiſter, annotavit ritum verbis, in nota **, relatis. Quibus omnibus ſubſcribunt tam Henricus Cornelius Agrippa, ab Nettersheim, *** quam Magiſter Cæremoniarum, qui huic, Caroli V. Coronationi, ipſemet interfuit. ****

* Interim Cardinales, qui ſunt cum Cæſare, ut primum cognoverunt, Pontificem intraſſe Eccleſiam, & ipſi cum Cæſare, & omni ſua comitiva ad Eccleſiam deſcendant, & egreſſi primam Palatii portam, per primas Eccleſiæ portas, quæ ſuper gradus Baſilicæ patent, ingrediantur porticum ad Capellam, quæ vocatur Beatæ Mariæ inter turres, ibi à Canonicis, & Collegio Eccleſiæ occurrenti recipitur. Quo deductus Cæſar, ad altare dictæ Capellæ in manibus primi Cardinalis præſentis, & nomine Pontificis recipientis, Beato Petro, Summo Pontifici, & ſuis Succeſſoribus ſolitum juramentum præſtabit in forma ſubſcripta videlicet: Ego N. Rex Romanorum, adjuvante Domino, futurus Imperator, promitto, ſpondeo, & polliceor, atque juro, Deo, & Beato Petro, me de cætero Protectorem, atque Defenſorem fore Summi Pontificis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus neceſſitatibus, & utilitatibus ejus, cuſtodiendo, & conſervando poſſeſſiones, honores, & jura, ac jus, quantum divino fultus adjutorio fuero, ſecundum ſcire, & poſſe meum, recta, & pura fide. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei

 Evan-

Evangelia. Tum indutus ſuperpellicio, & almucia, recipitur a Canonicis ſancti Petri in Canonicum, & in Fratrem, quos omnes ſtans ante altare dictæ Capellæ recipit ad oſculum pacis. Libro rituum Eccleſiaſticorum, ſive ſacrarum Cæremoniarum S. Romanæ Eccleſiæ.

** Cum Pontifex hora vigeſima tertia in Palatium ſe recepiſſet, Cæſar cum ſuis Proceribus, & Comitiva nobilium, & Prælatorum progrediens ad Eccleſiam S. Dominici, ibi a Laurentino Epiſcopo Signino, & Epiſcopo Anagnino, Vicario, una cum nonnullis aliis Canonicis S. Johannis Lateranenſis, qui Bononiam venerant, & ad hæc, uti Procuratores aliorum Canonicorum S. Joannis de Urbe, in porta Eccleſiæ exiſtentibus, proceſſionaliter cum cruce, & aliis reliquiis obviam venientes, crucem Cæſari oſculandam obtulerunt, & receperunt, procedentes ante eum, Te Deum laudamus intonantes, & cantantes uſque ad Capellam Magnam a manu ſiniſtra, in introitu, quam ipſi Imperiales eligere voluerunt ad infra ſcripta explenda tanquam locum magis ſpatioſum, & aptum; ibi & ſuper Faldiſtorio præparato Cæſar procubuit, & aliquantulum oravit. Tum reſurgens præfati Epiſcopi & Canonici cum aliis Canonicis & Clericis ſuis capitulariter eum receperunt in Canonicum, & Confratrem, & inde Imperator venit ad Faldiſtorium, ſuper quo adhæſit, recepit ſingulos Canonicos prædictos ad oſculum oris, primum Anagninum Epiſcopum, deinde Signinum & reliquos per ordinem. Videatur hac de Raynaldus, in Annalibus Eccleſiaſticis, T. 20. no. 45. p. 572.

*** Cumque jam Cæſar ipſe ad Sacellum uſque (quod diximus ad extremum pontis exſtructum) perveniſſet, a Romanis Canonicis, & Decano divi Petri (qui ad hoc ex Urbe Romana Bononiam venerant) correptus, ductus eſt intra Sacellum ad altare, ubi paratum illi erat pulpitum pretioſo tapeto, & aureo hypocorismate inſtratum, in quod procumbens in genua Cæſar, poſt brevem oratiunculam, jusjurandum Beato Petro, ejuſque Sanctiſſimo Vicario Romano Pontifici præſtitit in manus Salviati Cardinalis, ea forma, qua Ludovicum, Caroli filium juraſſe, decreta confirmant. Tunc per venerabilem Ciceræ Epiſcopum Arioſtum Ferrarienſem, Summi Pontificis Architriclinum, indutus Cæſar Cinoſtolio, quod ſuperpellicium vocant, acceptaque, quæ dicitur, amicia, in Canonicum ſancti Petri inveſtitus eſt. Cui ſic ſtanti ante altare Decanus, & ſinguli, per ordinem, Canonici, exhibita auguſtali reverentia, manus deoſculati ſunt. Hiſtoria de duplici Coronatione Cæſaris, apud Bononiam, Operum Cornelii Agrippæ, P. poſteriori, p. 461.

**** Reverendiſſimus Dominus Caurienſis, Magiſter Eleëmoſynarius Cæſaris, & ego prævenimus in Capellam extra Eccleſiam, in manu dextra, erectam, & diſpoſitam loco Capellæ B. Mariæ inter duas turres, quæ eſt Romæ; in qua Canonici S. Petri de Urbe congregati erant ad recipiendum electum in Canonicum S. Petri, ſicque per ordinem hinc inde diſpoſiti exſpectantes electum reverenter receperunt. Qui in Faldiſtorio ibi ad hoc præparato genu flexus oravit, & illico porrecto ante eum libro uno juramentorum, præſtitit juramentum in forma, ut in libro ordinario cæremoniarum, dicens: Ego &c. conſurgens recepit ſuperpellicium a Reverendo Domino Carolo de Arioſtis, Canonico S. Petri, & aliis quam pluribus ibidem conſtitutis, ac almuciam in humero ſiniſtro; & ſicut Canonicus S. Petri de Urbe receptus, oſculatus eſt

eſt altare ibi conſtitutum, & vertens renes ad altare recepit præfatos omnes Canonicos ad oſculum pacis, juxta ritum Cæremoniarum, de quibus omnibus ſimiliter rogatus. Narrationem hanc, ex Mſcto Bibliothecæ Barberinianæ, inſeruit, Odoricus Raynaldus, Annalibus ſuis Eccleſiaſticis, Tom. 20. ad a. 1530. no. 17. pag. 567.

## §. XV.

Henricus III. Sanctus, ſeu claudus, inter multas alias fundationes, quibus, pia liberalitate, ditavit Eccleſiam, Epiſcopatum, quoque, fundavit, & dotavit, Bambergenſem.* Hujus immediatæ Eccleſiæ Canonicos etiam eſſe Imperatores, multi ſunt, qui affirmant,** quamvis hoc a nonnullis vocetur in dubium.*** Satis tamen conſtat, Henricum II., qui Sodalis Canonicorum evadere, plus ſemel enixe optavit, cum Argentoratenſis, Summi templi, Canonicis, fraternitatem inire, apud animum ſuum conſtituiſſe,**** ac de abdicando Imperio, ſerio cogitaſſe.*****

* Literæ fundationis Henrici II. exſtant apud Lunigium, Spicilegii Eccleſ. P. I. p. 8. & apud D. a Ludewig, in Scriptoribus Rer. Epiſcopatus Bamberg. in vita S. Henrici, cap. 15 pag. 282. 284.

** Limnæus, juris publici, L. 2. cap. 7. §. 39. Struvius, Corp. I. P. c. 7. p. 230. nota 36. Bilderbeck, im teutſchen Reichs-Staate, P. II. cap. 5. §. 12. p. 177. Foppens, in nota 3. capitis XLVI. Tom. II. Auberti Miræi, Op. Diplom. p. 533.

*** Cl. Buderus, Diſſert. de Canonicat. Imp. Aug. ac Præbenda Regia, §. XI. p. 13. Canonicatum Imperatorum Bambergenſem, vocare videtur in dubium.

**** Teſtantur hoc literæ Sigismundi, Archi-Ducis Auſtriæ, ad Præpoſitum Cathedralis Eccleſiæ Argentorat. apud Schilterum, annot. ad Kœnigshovii Chron. Argentor. p. 766. 781. vid. etiam Chron. Kœnigshovii, c. 2. §. 162. p. III. ubi leges inſequentia: Do machte er (Henricus II.) riche Pfründe uf derſelben Stifft, und ordnete, ſût er nit ſelber mochte bi den Tuhm-Herrn bliben, daß aber einer, der dieſelbe Pfründe hette, ſolte an des Kuniges ſtatt, uf dem Chor, für in ſingen und leſen; trum heiſſet noch dieſelbige Pfründe, des Kuniges Pfründe.

***** Niſi a Principibus Imperii, cumprimis Eccleſiaſticis, ægre fuerit retractus. Canonicis Argentoratenſibus aſſociari voluiſſe Imperatorem, Henricum II. conſtat ex Koniasboven Chronico Argentoratenſi, c. 2. §. 143. p 111. Retractum autem fuiſſe ab Epiſcopis, edocet nos auctor vitæ & miraculorum B. Richardi, Abbatis Virodunenſis, Acta SS. Ord. S. Bened. ſeculo VI. P. I. §. VIII. Do geviel ihme die Ordnung, und die Regel der Dhumheren alſo wol, daß er ſelber mit den Herren ir Bruderſchafft und ir Regel wolle halten, wen es hohe Grafen, und Frigen woren. vid. m. Cl. Buderus, Diſſert. cit. p. 19.

## §. XVI.

In Colonienſi Capitulo, Illuſtriſſimo, locum eſſe, Imperatoribus, & Stal-

Stallum in Choro, tacente licet, hac de re, Ægidio Gelenio, * tam certum tamen est, quam quod certissimum, ** in Ecclesia majori Episcopatus Ultrajectini, S. Martino sacra, Imperatores, Regesque Germanorum ab illius fundatione, inter Canonicos *primum* obtinuisse locum, Regiamque hanc Præbendam in eadem (Ecclesia) duos deservisse Sacerdotes, pro Regis salute, & Regni tranquillitate, ac pace Dominum exorantes, constat ex Diplomate Conradi III. Imperatoris, *** non minus, quam ex Diplomate Henrici VI. Imperatoris, Regisque, Siciliæ. ****

* In libro rarissimo de admiranda sacra & civili magnitudine Coloniæ, in quo, licet libro III. Syntagmate I. de Metropolitana Ecclesia Coloniensi, p. 223. 226. prolixe commentetur, de Canonicatu tamen Regio, omnia involvit silentio.

** Constat hoc ex juramento Friderici Austriaci, seu Pulchri, Imperatoris, de 1314. quod, ex Mscto Coloniensi V. Cl. Foppens edidit, in Supplem. Op. Diplom. Auberti Miræi, P. II. c. 122. p. 1015. vid. m. Auberti Miræi, Op. Diplom. T. I. p. 533. & 919. in notis, adjectis a Cl. Dn. Foppens.

*** Apud Aubertum Miræum in Supplem. Op. Diplom. T. 2. c. 122. pag. 1015. & 1016.

**** Apud Wilhelmum Hedam. historia, de Episcopis Ultrajectinis, fol. 150. & 168.

## §. XVII.

In Leodiensis Ecclesiæ primario templo, S. Lamberto sacro, testante Bartholomæo Fisen, S. J. * & Charta Henrici V. hac de re, conscripta, apud Chapeauvillium, ** Henricum V. Imperatorem, venientem Leodium, receptum fuisse Canonicum, *** certum est. In Spirensi quoque Ecclesia Cathedrali, Imperatoribus, ac Regibus Germanorum, in duas Præbendas Regias, seu Canonicatus, competere jus Patronatus Regium, nos edocet Epistola Maximiliani I. Imp. Romani. ****

* Historia Ecclesiæ Leodiensis, L. XI. ad a. 1192.

** De gestis Pontificum Leodiensium, c. XIX.

*** Factum hoc esse, manet verisimile, aut a. 1122. 1123. aut 1125. quibus annis Henricus V. Leodii est commoratus. Foullon, hist. Leodiensi, T. I. L. 4. p. 258. & 259. Bütkens Trophées de Brabant, T. I. L. 4. pag. 99.

**** Quam nobis exhibuit, Melchior Goldastus, in Politicis Imperii, P. XXIII. p. 1042. videatur etiam de his Canonicatibus omnibus, ac singulis. Clar. Buderus, in Differt. de historia Canonicatuum Imp. Regumque Germaniæ, &c. §§. XI. XV.

## §. XVIII.

Jam tandem ad Ecclesiam B. Mariæ Virginis Regiam, Aquensem, se diri-

dirigit Dissertatio nostra, cujus Canonicatus Regius, quia primus omnium, conferri assolet Imperatoribus, ac Regibus Germanorum, primo quoque, ponendus erat loco. At enim vero, cum dignitas hujus Canonicatus Regii primarii, adcuratiorem, & prolixiorem mereatur investigationem, adinstar bellariorum, ultimo illum in medium proferre placuit loco. Fundatam esse Ecclesiam Regalem B. V. Mariæ, a Carolo M. Imperatore, scimus, ex documentis quam plurimis, illisque fide dignissimis. * Canonicum Regium primum, Basilicæ B. V. Mariæ, Aquensis, fuisse Carolum M. ** sæpissimeque interfuisse Choro, & cantibus Canonicorum, quamvis a Viro Clarissimo Budero, *** in dubium vocari videatur, multorum tamen testimoniis, confirmatur. ****

* Vid. Avertissement von der Kayserlichen Stiffts-Kirchen zu Aachen, Lünig. R. A. Spicil. Eccles P. 3. pag. 879. Vid. etiam confirmatio, Caroli M. donationum Ecclesiæ Aquensi factarum. Lünigs, R. A. Contin. I. Spicil. Eccles. p. 1141. Conferatur porro, Friderici II. Imperatoris confirmatio fundatæ a Carolo M. confirmatæque a Friderico I. Imperatore, Imperialis Ecclesiæ Aquensis. Lünig. R. A. P. Spec. Cont. IV. erster Theil, p. 53.

** Hunc (Canonicatum Aquensem) a Carolo M. *fundatore Ecclesiæ*, repetit Franciscus Blondellus, Medicus Aquensis, de Thermarum Aquisgranensium, & Procetanarum descriptione, P. 4. ubi observat, uti ipsius verba sonant: quod ipsemet Carolus M. cum Aquisgrani moraretur, in templo, cum iis, locum & stallum, post Sacerdotes, inter Diaconos, occupans, canebat, & psallebat: voluitque, ut ejus, in Imperio Successores, Canonicorum numero adscribantur, hujus Ecclesiæ juramentum præstent, juraque ad instar Prælatorum, solvant; Cl. Dn. Buderus Dissert. præmem. §. 8. nota ** pag. 7. Vid. etiam Domini Moseri Staats-Recht des H. R. R. Stadt Aachen, pag. 71.

*** Vellem, attulisset Vir doctus, (Franciscus Blondellus) justum testimonium. Cl. Buderus Dissert. & loco, modo citatis. Verum, quod pace tanti Viri, dixerim, facile, fortassis, erat Blondello, justum afferre testimonium, nisi putasset, hanc rem a nemine vocatam iri in dubium, quod insequenti annotamine **** paucis ostendetur.

**** Majori, certe laudi, gloriæque vertisset Lothario (Franciæ Regi, Fulconem III. Andii Comitem, dicteriis lacessenti) si Carolum M. qui cantus Ecclesiastici eam adeptus erat peritiam, ut illum emendare, & emendationem prodire, atque evulgare, ipse curaverit, & nonnunquam, *in Ecclesia cum Clericis Psalmos, palam* decantarit; fuisset imitatus. Testem locupletissimum profero Eginhardum, ita de Carolo M. scribentem: Legendi, atque psallendi disciplinam, diligentissime emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus: quanquam ipse nec publice legeret, nec nisi submissim. NB. *& in communi*, (h. e. cum reliquis Canonicis simul cantaret. Eginhardus de vita Caroli M. apud Duschenium, T. 2. p. 103. 110. & apud Reuberum, veter. script. &c. L. 26. pag. 22.; ex quo libro, & capite addimus insequentia: *Ecclesiam mane & vesperi, nocturnis item horis, & sacrificii tempore, quando eum valetudo permiserat, impegre frequentabat.* In Ecclesia Palatina Aquensi) regi ab eo solita, narrat Gallensis Monachus, apud Goldastum, Rer. Alem. ali-

aliquot Scriptorum vet. T. 1. officia divina ipsum signo quopiam oris, manus, aut Sceptri designasse, illos qui lectiones recitarent. Thomassin. vet. & nova Eccles. disciplina. P. 1. L. 3. c. 64. pag. 825. 826.

## §. XIX.

Accedunt nempe, ut ordinem totius hujus negotii, paucis, delibemus, in solemnibus Inaugurationis Cæsareæ, finito, Sacro, postquam, Imperatori consecrato, de novo benedictum, ipseque ad Oratorium fuerit reversus, duo Canonici Aquisgranenses, togis candidis induti, una, cum Syndico Capituli, atque Urbis (Aquensis) deputatis. Unus ex dictis Canonicis, tenet Capsulam, S. Stephani, sanguine. & reliquiis repletam; alter librum Evangeliorum, & Imperatori, seu Regi Romanorum, aliquid prælegit ex illo, qui etiam, more antiquo, in Canonicum Ecclesiæ B. V. recipitur, pro qua assumptione Imperator, seu Rex Romanorum, gratias agit, osculatur Evangelium, & juramentum præstat, de conservandis, & defendendis Capituli juribus, quod tale est: *Nos, N. Divina favente clementia, Romanorum Rex, nostræ Ecclesiæ, Beatæ Mariæ Aquensis Canonicus, per hæc sancta DEI Evangelia juramus, eidem Ecclesiæ fidelitatem, & quod ipsa jura & bona ejusdem, ab injuriis, & violentiis, defensabimus, & faciemus defensari, ejusque privilegia omnia, & singula, & consuetudines, ratificamus, approbamus, & de novo confirmamus.* * Possent in medium proferri juramenta multorum Imperatorum, ac Regum Rom., nisi temporis obstaret angustia, ac omnia, & singula hæc juramenta, in substantialibus concordarent, ad amussim. Non possumus tamen non, quin Caroli V. attestatum, super hac re, cum benevolo, communicemus, lectore. Diploma hoc Caroli V. ex Archivio Basilicæ B. V. Mariæ Aquisgranensis, nobis communicatum, exstat, apud Lunigium, Spicil. Eccles. P. 3. p. 880. *Carolus, divina favente clementia* electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniæ, utriusque Siciliæ & Hierusalem, &c. Rex, Archidux Austriæ &c. debitum censemus & congruum reputamus, ut prædecessorum nostrorum, Imperatorum & Regum, Divorum, in eorum primordiis, laudabiles observationes prosequamur, & de illis peractis, successoribus vera testimonia relinquamus. Hodie siquidem in Ecclesia nostra Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, Aquisgrani, Coronationis nostræ completis solemniis, per honorabiles, devotos, nobis dilectos, Decanum & Capitulum ipsius Ecclesiæ, in Canonicum recepti fuimus, ac Regali more & laudabili observata consuetudine solitoque præstito juramento, portionem canonicalis præbendæ, quotidiana recepimus ministratione, relictis ibidem, in usum Sacrarii, ac rei Divinæ panno cum pulvinariis, supra quæ, dictam Ecclesiam ingressi, primum nostras Deo preculas fudimus, & postridie panno, strato supra scamnum, in quo ante coronationem nostram oravimus, deinde trabea, seu chlamide regia veste, item

in

in qua consecrati sumus, nec non duabus pallis, seu tapetis aureis, uno strato super sedem, in qua sedebamus ante altare B. M. Virginis, altero, quo solium nostrum regale, in alto Monasterio nuncupato, existens, apertum atque ornatum fuit. Solutis etiam juribus, more prælatorum ejusdem Ecclesiæ, atque propinatis tribus carratis vini optimi, quarum duæ Ecclesiæ nostræ prædictæ, tertia Collegio S. Adalberti, ejusdem Urbis cessere, & distributæ fuerunt, cæteraque omnia & singula effecimus, quæ dicti prædecessores nostri, in suis primordiis, apud eandem Ecclesiam, facere consueverunt, harum testimonio litterarum sigilli nostri minoris a tergo impressi munimine roboratarum. Datum in Civitate nostra Imperiali Aquisgrani, die vigesima tertia mensis Octobris, anno nativitatis Christi millesimo quingentesimo, vicesimo, Regnorum nostrorum, Romani, secundo, aliorum vero omnium, quinto.

CAROLUS

*Ad mandatum Cæsareæ & Catholicæ Majestatis*
*proprium Bannart.*

* Struvius, Corp. juris publ. L. 7. §. 31. p. 229. Buderus, Differt. sæpius allegata, §. 8. pag. 5. 6. & 7. Videantur etiam acta Coronationis, Maximiliani I. p. 17. & Caroli V. apud Schardium Tomo 2. script. Germ. p. 16. ut & Ferdinandi III. & IV. Leopoldi I. ac Josephi I. & Caroli VI. vid. de omnibus Illustr. Dn. Moseri Staats-Recht des H. R. R. Stadt Aachen, pag. 71.

## §. XX.

Ut tamen omnia circa hunc actum, magis illucescant, exhibebimus omnes Ceremonias, & circumstantias, ex Diariis Coronationis Caroli VII, gloriosissimæ memoriæ, p. 61. & 62., ac Francisci I., pag. 116., & 117.; quæ Diaria Coronationis, cum in omnibus conveniant, ne nauseam procreemus lectori benevolo, unicum ex iis, videlicet Diarium Coronationis Francisci I., proferemus in medium. Meretur hoc, eo majorem fidem, & attentionem, quod publica auctoritate sit conscriptum, ac tum cæremonias, & juramentum Imperatoris recenseat, cum adcuratam jurium, quæ Basilicæ, B. V. Mariæ, Dn. Canonicis, & Ecclesiæ S. Adalberti, solvuntur, suppeditet, designationem. *Gleich darnach erschienen, vor Ihro Kayserl. Majestat, der Dechant und Sanger des Kænigl. Stiffts, zu Aachen, und zeigten Allerhæchst-Deroselben, allerunterthænigst, an: wie ein jeder angehender Ræmischer Kænig, gleich nach der Crænung zu ihrem Mit-*Canonico, *aufgenommen zu werden, und, dem uhralten Herkommen nach, das dabey gewæhnliche Jurament zu leisten pflege; mit der allerunterthænigsten Bitte, daß Ihro Kayserl. Majestat, Sich, solchen uhralten Gebrauch gleichfals gefallen zu lassen, auch die Kirch zu Aachen, in allerhæchsten Schutz zu nehmen, und bey ihrer alten Gerechtigkeit zu erhalten, allergnædigst geruhen mæg-*



*ten.*

*ten." Ihro Kayserl. Majestat willigten sogleich darein, und legten solchen Eyd, auf dem, von Aachen mitgebrachten Evangelien-Buch, mit folgenden Worten ab:*

Nos Franciscus, divina favente clementia, Romanorum Rex, Ecclesiæ nostræ, Beatæ Mariæ Aquisgranensis, Canonicus, promittimus, & ad hæc sancta Dei Evangelia juramus, eidem Ecclesiæ, fidelitatem, & quod ipsam, jura, bona & personas ejusdem, ab injuriis, & violentiis defensabimus, & faciemus defensari: ejusque privilegia omnia & singula, & consuetudines ratificamus, approbamus, & de novo confirmamus.

*Diesemnach liessen Ihro Kayserl. Majestat, wegen des-jenigen, was dem Stifft zu Aachen, bey der Kayserl. Crœnung gebühren mag, demselben ein Geschenk absolgen. Die Gerechtigkeiten desselben aber bestehen in folgenden Stücken:*

Pannus cum pulvinariis, super quo Rex Ecclesiam Aquisgranensem ingressus primum suas Deo preculas fundit.

Item pannus stratus super scamnum, in quo ante coronationem suam orare consuevit.

Item trabea seu chlamys, vestis item, in qua Rex coronatur.

Item duo tapetes aurei, unus stratus super sedem ante altare B. Mariæ Virginis, alter, quo solium Regale in alto Monasterio ornatur. *

Solvuntur item pro juribus Ecclesiæ more Prælatorum quinquaginta sex floreni aurei.

Item tres carratæ vini optimi, quarum duæ Ecclesiæ Divæ Virginis, tertia Collegio Divi Adalberti ** Aquensi cedere consueverunt.

* Vor die ober und untere Kayserliche güldene Kleyder aber zahle er 400 Joachims Thaler. Noppius in der Aacher Chronick, L. I. c. XI. pag. 72. & ex illo Illustr. Moserus im Staats-Recht des H. R. R. Stadt Aachen. §§. 59. p. 63.

** Ecclesiam S. Adalberti fundavit, ac dotavit, Henricus S. a. 1018.; Charta fundationis exstat apud Aubertum Miræum, Op. Diplom. T. I. c. 28. pag. 149.

## §. XXI.

Cum insequentia, a fautore atque amico ex Capitulo Aquensi, jurium, & prærogativarum illius, peritissimo nobiscum fuerint communicata, non possumus non, quin illa hic loci inseramus, & exhibeamus verbotenus: Ad quæstiones propositas de Imperatore, seu Romanorum Rege Canonico, Regalis Ecclesiæ Aquensis; pro nuda & generali informatione solius petentis serviant sequentia, videlicet

1) Quod in notis Ecclesiæ Aquensis, & signanter ex descriptione vitæ Caroli

Caroli Magni per Eginhardum ejus Secretarium, legatur, quod idem Imperator Ecclesiam Aquensem ab ipso fundatam, omnibus horis diurnis & nocturnis, uti & sacrificii tempore frequentasset, & in communi quidem, sed submisse cantasset.

2) Quod in antiquioribus Ecclesiæ Statutis habeatur, quod Romanorum Rex sit in Ordine Diaconorum primus & Aquisgrani præsens, vocem habeat in Capitulo.

3) Quod Imperatoris Præbenda in Choro olim administrata fuerit, per unicum Vicarium Regium, ab ipso Imperatore nominari solitum, qui integra ipsius præbenda etiam solus tunc temporis gaudebat, donec auctoritate Ludovici quinti * Imperatoris Bavari, eadem præbenda in duas portiones æquales divisa, ac per duos Vicarios Regios administrata fuerit, qui duo Vicarii, post oppignorationem omnium Cæsaris Regalium in Ecclesiam & Civitatem Aquensem per Carolum quartum, nominati fuerunt, & hodiedum adhuc nominantur, ac Capitulo præsentantur per Regem Prussiæ; & Electorem Palatinum qua Juliæ & Cliviæ Duces, id est, alternando per menses, gaudentque continuo iidem Vicarii inter se integra præbenda ad instar Canonici Capitularis, ac Stallum suum, seu sedem inter Canonicos Capitulares habent in Choro, non autem sessionem, neque vocem in Capitulo, quæ, ut supra, reservata est Imperatori Canonico.

4) In publicis & Imperii actis, æque, ac in notis Capitularibus, notorium est, quod antiquissimis, & hodiernis temporibus, Imperatores sive Reges Romanorum sub ipso actu coronationis suæ recipiantur in Canonicum Regalis Ecclesiæ Aquensis, & speciale eidem præstent juramentum in his verbis: Nos N. divina favente clementia Romanorum Rex, hujus *Nostræ* Ecclesiæ Beatæ Mariæ Aquensis Canonicus ad hæc sancta Dei Evangelia juramus &c. &c. Dicitque inibi Imperator NB. *Nostræ Ecclesiæ*, siquidem in omnibus antiquioribus Ecclesiæ privilegiis & documentis Imperialibus, Imperatores quotquot fuerunt, Ecclesiam hanc Aquensem nominant *Nostram & Imperii Capellam.*

Demum ea, quæ Reges Romanorum in actu suæ Coronationis, & receptionis in Canonicum Regali Ecclesiæ specialiter præstiterunt & præstent, ex annexa hisce copia declarationis Caroli quinti videre placeat, id est, si actus Coronationis Aquisgrani celebretur, si autem alibi, notandum, quod jura Ecclesiæ, cæteraque in illa declaratione expressa per certam pecuniæ summam, Membris Capituli ad actum Coronationis per Collegium Electorale invitatis exsolvantur.

* Dici debebat Ludovici IV. quia Ludovicus Germanicus, & ejus filius Ludovicus Saxo, sine causa, referuntur, in numerum Imperatorum, fueruntque dunta-

duntaxat Reges Germanorum. Vid. Hahn, in der Teutschen Staats- Reichs- und Kayser Historie, T. I. c. 6. & 7. & Tom. V. cap. 7.

Faxit Summum Numen, ut Augustissimus, Clementissimus, justissimus, Coronatusque Canonicus, Regalis Ecclesiæ, B. V. Mariæ, Aquensis, in salutem ac emolumentum, tot populorum devotissimorum, Nestoreos vivat annos, ac ut, ullo non tempore

*Mella fluant Illi, ferat & rubus asper amomum!*

Virgil. Eccloga 3.

Reverendissimumque Capitulum, Basilicæ B. V. Mariæ, Aquisgranense, floreat ac perennet.

*Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,*
*Dumque thymo pascentur apes, dum rore Cicadæ.*

Virgil. Ecloga V.

I. O. H. D.

## Animadversio Editoris.

Ex hisce Imperatorum Canonicatibus derivandum esse fortassis morem illum conjicit, quod iidem vestibus Diaconi induti Evangelium illud: Exiit edictum ab Caesare Augusto etc. solenniter decantare soliti fuerint, HAEBERLIN Hist. *Tom. 8. p. 364*, de ipso hoc ritu vide eundem *Tom. 3. p. 617. Tom. 4. p. 682. Tom. 6. p. 603.* Jus vero conferendi praebendas Regias apud eundem l. cit. Tom. 8. dicitur in Actis publicis sub *Sigismundo* et *Friderico III.* des „Reichs Oberkeit und Gerechtigkeit, item die Lehnschaft der Küniglichen „Pfründe die Uns und dem heiligen Reich gebührt.

Acta recentiora huc spectantia sunt apud MOSERUM *Tract.* von dem Kayserl. Regierungsrechten und Pflichten, *p. 571. seqq. Anno 1755. 30. Oct.* Rescriptum a Senatu Imperiali Aulico, ne Magistratus impediat praesentatum Caesareum, a nominando substituto pro servitio Capellae Caesareae Andernacensis, cum is praeter istam Capellaniam Canonicatum quoque nactus fuisset, exprobratumque fuit Magistratui, quod alium substituere ausus fuisset.

Anno

Anno 1739. 30. April. Rescriptum in causa Vicariarum Regiarum Spirensium, Vicarios Regios nunc adigendos, ut restituto Altari S. Annae in persona, nisi morbo aut simili impedimento laborarent, sacrum celebrent. Anno 1751. 15. Febr. idem confirmatum fuit, adjectumque, ut si iidem impedimentis ante dictis obnoxii essent, sacrum celebrari per substitutum curarent. Porro anno 1753. 17. Aug. in eadem causa alterius conclusum fuit, 1) ut quoad praerogativam retineant interim locum post *Sex praebendarios*, donec ex documentis fortassis aliud eruatur, locus autem in Choro illis in subselliis superioribus assignetur 2) a Capitulo in termino duorum mensium designandum, quo devenerint reditus praebendarum aut Vicariarum Regiarum a tempore suppressionis 3) documenta authentica has praebendas concernentia a Capitulo extradenda 4) denuo jubetur Vicarius Regius *de Montfort* sacrum juxta mentem fundationis singulis diebus in propria persona persolvere. Alia vide l. cit.

IV. JO-

# IV.

JOANNIS ANDREAE BRAND U. J. D.

Reverendiss. et Celsiss. Episcopi Wirceburg. Consil. Eccles. Univers. Wirceb. Bibliothecarii

DISSERTATIO

DE

# JURE CAESAREO PRIMARUM PRECUM.

*Wirceb.* 1749.

## CAPUT I.

### De Origine, progressu, fatis & controversiis ex Jure Primariarum Precum Pontifices, collatores ordinarios inter & Cæsares enatis, atque statu moderno.

§. I.

Quisquis fundate solideque jus quoddam Ecclesiasticum, præsertim, si publicas Ecclesiæ, statusque rationes involvat, quo id fundamento nitatur, quave ratione accipiendum sit, investigare contendit, judicio fere omnium, qui subactiori sunt imbuti doctrina, in ejus tum quoad nomen, tum maxime quoad rem ipsam spectati originem, progressum, ac varias inde lapsu temporum enatas vicissitudines sive controversias inquirat necessum est. *a*) Hoc principio vere irrefragabili probe a me intellecto, idem muneris mihi jus primariarum precum, quod in Imperio Romano-Germanico plurimum viget, rite indagaturo eo magis incumbere animadverto, quo certius illud jus publicis & Ecclesiæ & Imperii momentis est implexum, hinc enimvero tot dubia, horumque explicandorum difficultates offenduntur, hinc tot inter Scripto-

Scriptores ſentiendi diverſitas oborta eſt, hinc demum ſedem Apoſtolicam inter & aulam cæſaream ſemina diſcordiarum nonnunquam jacta deprehendimus, quæ omnia luculenter commonſtrant, me haud tuto inter tot ſalebroſas diſſenſiones, lapideſque offenſionis procedere poſſe, niſi ex hiſtoria, præprimis eccleſiaſtica, lumine mutuato, veram iſtius juris originem, progreſſum, atque ſubortas mutationes liteſque in medium proferam: id quod dum obſervavero, multarum difficultatum elucidatio inde exſurget, neque periculum ullius offenſæ me incurſurum confido.

a) Optime jus quoddam cognoſcitur ex diſquiſitione, quis fuerit ſtatus illius primævus, quis poſtea ſenſim introductus, quæ circa id diſciplina viguerit, quæ conſiliorum ratio, quænam rerum mutatio, quæ recentiora inſtituta, quæ occaſiones hoc vel illud introducendi extiterint: hæc ſane ingentem demum veritati lucem afferunt, quoties de jure diſquiritur, ita ut origines & progreſſus rerum eccleſiaſticarum recte evolviſſe ſit unicum medium ad ſolidam jurium eccleſiaſticorum prudentiam aſpirandi, quod ſi negligitur, ſuperficiaria, imo ſæpe & plerumque falſa inde naſcitur eruditio: Vid. Bœhmeri Diſſertatio præliminaris de neceſſitate & utilitate ſtudii hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in juris Eccleſiaſtici prudentia, obſervationibus ſelectis ad Petri de Marca Libros de Concordia Sacerdotii & Imperii præmiſſa: confer. prodromus meus academicus de vero & laudabili hiſtoriarum Eccleſiæ & Imperii in Sacris & profanis diſciplinis uſu.

## §. II.

Preces vario ſignificatu venire indubium eſt, a) in ſenſu ſacratiori invocationem Dei, qua bona ſive corporis ſive animæ ab eo petimus, vel mala deprecamur, in vulgari appellatione ſupplicationes ſeu libellos ſupplices ab inferioribus ad ſuperiores directos, in propius ad noſtrum Scopum accedente ſignificatione recommendationem aut literas interceſſionales a potentioribus ad alios gratiam quandam ſive beneficium conferendi jus habentes pro perſonis gratis interpoſitas denotant; tales ſolent Imperatores, Reges, Principes ac perſonæ aliæ illuſtrioris conditionis adhibere, dum ſuæ protectioni ac gratiæ commendatum quodam beneficio, vel gratia, cujus conceſſio ad alios de jure ſpectat, condecorare intendunt. Hoc modo Imperatores Germanici ſequioribus temporibus, literis recommendatitiis ad Epiſcopos aliosque beneficiorum eccleſiaſticorum collatores datis, hos demulcebant, ut perſonis nominatis beneficium vacans aut vacaturum conferrent, & quo eæ preces promptiorem ſortirentur effectum, promiſſa gratia & protectione cæſarea eos inducere tentabant: unde jam Seculo XIII. precum nomine cæſares uſi fuere, & deinceps id vocabulum adeo invaluit, ut, licet jus perfectum inde ſit natum, hodienum tamen precum appellationem retineat.

a) Vid. Du Freſne Gloſſar. voc. preces.

## §. III.

Ne autem ejuscemodi preces cæsareæ animos collatorum ecclesiasticorum potius abalienarent, quam consentientes promptosque haberent, iidem sanæ politices ratione ducti, eas tempore peraccommodo alicujus communis lætitiæ, inaugurationis aut coronationis peractæ dandas rati fuere, idque rarissime, unaque vice, ut ne idem collator precibus ejuscemodi cæsareis gravaretur: hinc primæ sunt appellatæ preces cæsareæ, non inde, quod primo petentibus ab Imperatoribus concessæ fuerint: *a*) postquam autem ultra limites precum sive commendationum necessitatem parendi collatoribus inferebant adeo, ut, in cujus gratiam illæ fuerant porrectæ, reliquis omnibus præferri debuerit, primariarum nomen invaluisse creditur *b*) Præterea illas haud con fundas velim cum aliis imperatoriis precibus, quæ lingua germanica efferuntur die Panis-Brieffe, nam hæ ab Imperatoribus personis laicis olim concedi solebant, ut alimenta, quoad viverent, a certo cœnobio vel monasterio acciperent. Ex quo has inter & illas manifestum constituitur discrimen *c*).

*a*) Illam denominationem ex Chronico Abbatis Urspergensis plures autores acceperunt: quos inter est Fritschius de Imperiali primariarum precum jure cap. I. n. 4. Stamlerus de reservatis Imperat. §. 51. Zieglerus in notis ad Lancellotti Inst. jur. can. Lib. I. Tit. 26. in fine: Spenerus in jure publico Imperii Germanice Scripto Lib. IV. cap. V. §. XI. sub not. I. ubi ita inquit: aus deren Zeugnissen einem (hic intelligit testimonium Abbatis Urspergensis) erhellet, daß allerdings erstlich die preces auf die petentes primos sich bezogen: doch ist nicht zu läugnen, daß man den precibus frühzeitig einen anderen Sinn bengeleget, und die preces fast ungereimt auf den Kayser adpliciret: denn die Kayser benennen selbsten ihre præsentationen *precum nostrarum primarias*, begehren die Annehmung des precisten, um unser ersten bethe willen, alios ut taceam autores ejusdem opinionis ab Ayrero in comment. de jure primar. precum cap. I. §. II. not. b. & a Pfeffingero Tom. III. Vitriar. illustr. Lib. III. Tit. II. pag. 87. adductos. Hic tamen ad verba Speneri est observandum, artificiosam ejus esse interpretationem, cum connaturalis sit illa, quæ ex ipsis diplomatibus Cæsarum manifesto constat. Vere illi primitus precati sunt, & collatores rogarunt, ut ut pedetentim mandata adjuncta fuerint, jusque inde promanarit.

*b*) In prima, quam habemus, formula Rudolphi I. Habspurgici jam verba ea leguntur, *precum nostrarum primarias*, sed & ipse tum ex jure antiquæ & adprobatæ consuetudinis eas dirigendi facultatem sibi asseruit. Vid. Wagnereck ad indult. primar. prec. §. 2. V. hujusmodi not. I. Schmalzgrueber tit. de præb. & dignit. § VIII. n. 325. & passim alii.

*c*) Differentiam istam bene notarunt Mulzius in repræsent. Maiest. Imp. P. II. cap. XXXIII. n. 253. Struvius in Syntagm. Jur. P. cap. X. §. XXXI. Spenerus in der teutschen Staats-Rechts-Lehre loc. supra cit. Bœhmerus in Instit. Jur. Can. Lib. III. Tit. VII. & VIII. §. 19. ubi ex Alteserra & Choppino literas primar. precum a literis panis, quas lettres du pain & prebende appellant,

lant, distingui similiter observat. confer. Rebuffus in prax. benef. P. III. Tit. de oblatis & quando regio nomine in monasteriis recipiendi sint: & Espenius Jur. Eccl. P. II. Tit. XXV. cap. IX. §. 36.

## §. IV.

Post nominis notionem atque originem huc allatam recto alias ordine a me adornaretur descriptio, qua, quid reapse sub primariis precibus intelligendum foret, clare evolverem, verum cum in hac materia, de qua inter Scriptores tanta dissensio & diversitas definitionum est, nihil certi queat stabiliri, nisi origine, unde jus tale dimanarit, elucidata, facile a me impetravi, ut prius ortum primariarum precum hocce capite inquirerem, variasque inde obortas controversias recenserem, ac his veram illius juris ac omnimodam descriptionem ac notionem subjungerem. Quod ut rite persequerer, non abs re censui, in memoriam revocare statum Ecclesiæ beneficiorum antiquum, dein, quibus ea conferendi facultas olim competierit, demum qua ratione ad alios, præsertim Imperatores & Reges, aliqua jura circa beneficia ecclesiastica transierint, quibus ceu fundamentis præmissis succinctam juris primariarum precum in Imperio Romano-Germanico usitati historiam inædificare mihi licuit.

## §. V.

Cum ex institutione Christi in Ecclesia certi ministri esse deberent, qui curam ejusdem gererent, ac munia sacra in Societate fidelium obirent, necessarium quoque visum est, ut & bona quædam communia a fidelibus suppeditarentur, & illud Apostoli adimpleretur: qui servit altari, vivat etiam de altari; hinc a primis Ecclesiæ incunabulis symbolam contulere fideles: nulla fuit Ecclesia, quæ non pro facultatum modulo sumptus necessarios ad alendos Episcopos, presbyteros & diaconos suppeditaret, qui in tenui illa & laboriosa Christianorum vita facile suppetebant, omni plura habendi desiderio, & lucri cupiditate persecutionum æstu dissipata, unde tribus primis Ecclesiæ Seculis illius bona consistebant potissimum in rebus mobilibus, quæ facile asportari, abscondi vel distribui possent a) quamvis Ecclesiis quædam bona immobilia Seculo II. & III. jam fuerint propria: ex illorum mobilium bonorum distributione auctoritate Episcoporum facta ministri Ecclesiæ reliqui sustentati sunt, & ita supplebatur, quod beneficiorum dein ratio adinventa effecerat: unde colligere est, tribus illis Seculis beneficia modernorum speciem referentia non extitisse: Episcopi quidem munia sacra reliquo presbyterio & clero imponebant, atque unicuique, ex quo viveret, assignabant: & nondum reditus ita stabiles & certos ex fundis percipiendos iis addixerant: ut quivis in historia illorum seculorum versatus haud ignorabit.

 a) Id

a) Id clare asserit Fleury in institutionibus sui juris ecclesiastici Part. II. cap. X. §. II. & in historia sua ecclesiastica gallice scripta.

## §. VI.

Pace post persecutiones affulgente, cum Imperatores Christiani fierent Seculo IV. libere donatum est Ecclesiis & bona etiam earum immobilia numero creverunt, quorum supremam & universalem administrationem in suis diœcesibus Episcopi gerebant, reditus ex iis perceptos dividentes in clericos suarum diœceseon & pauperes, quamvis non raro Seculo IV. & V. sarcinam illam temporalis administrationis in archidiaconos vel œconomos devolverent, sibi tamen rationem reddituros a) Huic Episcoporum potestati haud quaquam obstrepebant Imperatores Christiani, sed eadem libere quisque in sua diœcesi usi sunt, fundosque Ecclesiæ quibusdam clericis Seculo V. exeunte aut VI. ineunte jam jure usufructuario, etsi nondum usitato beneficii nomine, concessere, post eorum vitam ad Ecclesiam revocandos. b) Huic Episcoporum juri non potuit non consociata esse authoritas beneficia ecclesiastica in suis diœcesibus conferendi, licet aliæ rationes inferius tangendæ eandem potestatem illis competere evincant. Si historiam Seculorum VI. VII. & VIII. perlustramus, nullum offendere erit vestigium, unde eluceat, aliis, quam Episcopis, plenariam eorum collationem competiisse: de Imperatoribus & Regibus nihil memoriæ proditum est, quod se beneficiis conferendis ingesserint. A primordio itaque institutorum beneficiorum potissima ad Episcopos in qualibet diœcesi spectabat omnia beneficia conferendi potestas, nihil sibi in iis Imperatoribus & Regibus orthodoxis juris vindicantibus; & merito sane hæc disciplina viguit in Ecclesia antiqua, eo quod sic melius sanctiusque Ecclesiis provisum fuerit, prædominante Episcoporum Zelo gloriæ Dei amplificandæ & salutis Ecclesiæ promovendæ, ii enim sicut jure optimo c) plenariam conferendorum beneficiorum potestatem exercebant, ita eam ex ductu sacratioris, qua imbuti prisci præsules erant, eruditionis, ad bonum commune diœceseos, bene meritis clericis, & pietate & doctrina sacra conspicuis beneficia conferendo, unice direxere.

a) Vid Fleury loc. cit. cap. X. §. VI. Espen Jur. Eccl. Part. II. Tit. XXXVI. §. 20. 21.

b) Thomassinus Part. III. Vet. & Nov. Eccl. discipl. Lib. II. cap. VII. & XVI. §. 19.

c) Idem jus Episcoporum universale collationis beneficiorum Part. II. Vet. & Nov. Eccl. discipl. Lib. I. cap. XXXIII. IV. V. & VI. præsertim probat, ubi §. I. & II. in hæc verba disserit. „cum Apostoli universas fundarint Ecclesias per sese vel auspiciis suis vel Successores suos, & hanc longe splendidissimam hereditatem ac Successionem ad Episcopos transmiserint, hinc manifeste colligi-

ligitur, Epiſcoporum proprium illud & hæreditarium jus eſſe, ut Eccleſias ipſi omnes regant, vel a quibus regantur, præficiant, 2. cum beneficia tonſuræ & ordini indivulſe cohæreant, ut utriusque unus proprie eſt adminiſter Epiſcopus, ita & ordinarius idem eſt beneficiorum diſpenſator. 3. Denique cum Epiſcopus ſummus ſacerdos in ſua diœceſi ſit, ejus eſt dignitates, officia & beneficia omnia ſacerdotalis imperii ſui diſpenſare, & ex proprio veluti fonte effundere hos omnes ſacerdotii rivulos. Inde eſt, quod ne laici quidem patroni, etſi poſtrema ætate ad longe ſuperius, quam ante faſtigium evecti, nemini tamen quidquam annuere poſſint beneficii, niſi poſt examen & conſenſionem Epiſcopi."

## §. VII.

Equidem non inficias imus, Imperatores orientis jam Sæculo IV. ſeſe immiſcuiſſe Epiſcoporum electionibus, quandoque etiam illos conſtituiſſe, *a*) ſed hoc non tam ex jure circa Sacra, quam ex liberali Eccleſiæ conniventia & jure protectionis & advocatiæ peragebant, cum ex hiſtoriis conſtet, ad evitandas turbas & cædes, ſchiſmataque præcavenda Imperialem regiamve authoritatem in Epiſcoporum electionibus interveniſſe. Quod Græci Imperatores ſibi ſumſerant juris, Reges Francorum pariter uſu exceperunt, eo quod ſub ſtirpe Clodovæi regnante non potuerint Epiſcopi in regno Gallicano ſine aſſenſu regio eligi. *b*) Nihilominus libertatem electionum Epiſcopalium non excluſerunt penitus, teſtantibus plurium conciliorum illo ævo habitorum canonibus. *c*) Aſt hac ex re argumentum depromere nemo poterit ad beneficia minora eccleſiaſtica applicandum; quod iis pariter conferendis ſeſe immiſcuerint, aut ſaltem perſonas ad ea Epiſcopis præſentarint *d*), quippe Epiſcopos octo primis Eccleſiæ Seculis omnium beneficiorum ſuæ diœceſeos extitiſſe collatores, hiſtoria eccleſiaſtica illorum temporum liquido rurſum commonſtrat.

*a*) Sozomenus hiſtor Eccl. L. VII. cap. VIII. & Socrates Lib. V. cap. VIII. referunt Nectarium a Theodoſio Imperatore Epiſcopum Conſtantinopolitanum eſſe conſtitutum: confer. Petrus de Marca libro mox citando cap. IX. §. VI. & VII.

*b*) Id multis probant Petrus de Marca Lib. VIII. de concordia Sacerdotii & Imperii cap. IX. & XI. Natalis Alexander in Hiſtor. Eccleſ. Seculi VI. VII. & VIII. Abbas Vertotus Tr. de l'origine de la Grandeur de la Cour de Rome & de la nomination aux Evechés & aux Abbaies de France pag. 88. & ſeqq.

*c*) In Concilio Arverno de anno 535. damnatæ ſunt electiones, quæ Principum & optimatum favore aut poteſtate fierent: „eminentiſſimæ dignitatis (ſcil. Epiſcopalis apicem electione conſcendat omnium, non paucorum . . . non patrocinia potentum adhibeat." Concilium Aurelianenſe V. anno 549. decrevit, ut electiones Epiſcoporum fierent *cum voluntate regis*. „Sed cum voluntate Regis juxta electionem cleri & plebis, ſicut in antiquis canonibus tenetur ſcriptum, a Metropolitano cum comprovincialibus Pontifex conſe-

cretur." Synodus Parisiensis III. anno 557. Can VIII. prohibuit admitti Episcopos, qui regia nominatione & commendatione grassarentur ad Episcopatus, non a populo, non a clero, non ab Episcopis electi, & religiosissime antiquos canones observari præcepit pro tuenda eligendi libertate. Vid. plura apud Thomassinum Part. II. Vet. & Nov. Eccl. discipl. Lib. II. cap. XIII. §. I. II. III. & seqq.

d) Ayrerus Comment. de jure primar. precum cap. I. prolixe monstrare nititur, Episcopos absque jussione Imperatoria vel regia tum apud Græcos, tum apud Francos non esse creatos: sed quid inde ad jus primariarum precum aptum concludere velit, haud video: aliæ enim rationes tum in disciplina circa electiones Episcoporum, quam circa beneficiorum collationem obveniebant: nam cum votorum populi in iis haberetur ratio, cum major adhuc optimatum, non poterat non haberi magna Imperatorum & Regum Christianorum: dein plurimum eorum intererat, ut fideles haberent Episcopos, qui apud populum tanta tum auctoritatis vi pollebant, ut facile eum ad turbas contra rationes status pertrahere potuissent: præterea tum jam Episcopi ad consilia secretiora aulæ Cæsareæ regiæve advocati & ad comitia regni admissi sunt: insuper bona Episcopatus temporalia, quæ iis committebantur, regia manu vel donata sunt vel protectione defensa, quidni gratitudinis vices Regibus & Imperatoribus ab Ecclesia impendi debuerunt, ut plus iis in electionibus Episcoporum liceret. Non commemoro, quod sæpe factiones, quæ electiones canonicas turbabant, ansam præbuerint Ecclesiæ, ut vel ipsa enixissime regiam opem & advocatiæ munia efflagitaret, aut gratanter saltem acciperet, dum Imperatores & Reges cohibendis ejusmodi turbis sua auctoritate medelam afferebant. Vid. Thomassinus loc. laudato cap. XIV. §. 5. 7. 8. hæ similesque rationes nequaquam ad collationem beneficiorum aut præsentationem regiam adplicari possunt, neque Imperatores Regesque in suis regnis per 8. priora Secula quid hujusmodi tentasse, ex historia fide digna perhiberi poterit.

## §. VIII.

Seculo VIII. exeunte & IX. Imperante Carolo & ejus stirpe regnante in Germania tum orthodoxa & Galliis eadem circa collationem beneficiorum disciplina viguit, cum enim illa ætate, sicut a primæva origine, non aliud essent beneficia, quam ordines & ordinibus indivulse cohærentia officia, cumque beneficiariorum officia non alia magis essent, quam quæ in celebratione & administratione Sacramentorum versabantur, planum fit, tam penes Episcopos fuisse summam beneficiorum omnium, quam ordinum & Sacramentorum administrationem, quemadmodum & ex variis illius ævi conciliis probat Thomassinus a) unde nemo non concludet beneficia tum temporis libera fuisse a præsentatione cæsarea vel regia. Non desunt quidem, quibus placuit natales juris primariarum precum ad tempora Carolina referre, b) verum omni destituti idonea probatione fidem haud merentur: præterea innuit contrarium alia quoque ratio ex historiis illius ætatis deprompta. Compertum quippe est ævo Caroli M. Ludovici Pii & aliorum successorum Imperatorum communem canoni-

nonicorum vitam præeunte Chrodegango Metensi præsule c) in plerasque Ecclesias, etiam Germanicas, invectam esse: hoc vero institutum ita comparatum erat, ut Episcopus vel præpositus clericos canonicorum albo inscriberet d) Canonicos in Capitulum cooptaret e) dignitates omnes in Capitulis constitueret f) haud quidem dubitare fas est, ecclesias regias quasdam tum extitisse, quibus reges Francici clericos sibi gratos præficiebant; sed eæ nihilominus peræque, ut aliæ quælibet, episcopali obnoxiæ erant jurisdictioni, & quod magis rem nostram illustrat, probatæ sunt Synodales Episcoporum constitutiones, queis invitabantur ipsi summi Principes, ut ne regiis adscribi sinerent oratoriis, nisi clericos ab Episcopo examinatos approbatosque. g) Hinc satis pellucet, Imperatores Regesque stirpis Carolingicæ in Germanicis Ecclesiis jus beneficia conferendi aut ad ea præsentandi sibi non adseruisse, multo minus ullam primariarum precum originem inde repetendam esse.

a) Part. II. Vet. & Nov. Eccl. discipl. Lib. I. cap. XXXV.

b) Illius sententiæ sunt Fritschius Tract. de Imper. prim. prec. jure inter ejus opuscula Part. I. Tract V. p. 91. & Hallerus ab Hallerstein exercitatione de jure primar. prec. Augustæ Imperatrici competente. Cap. I. §. III.

c) Chrodegangus Episcopus Metensis, regnante Pippino, clerum suum in unam societatem congregavit, sub unoque claustro ad vitam communem informavit, præscripta ipsi regula, ut testatur Paulus Diaconus in fragmento de Metensibus Episcopis apud Duchesnium Hist. Franc. Tom. II. Et licet ea regula primum solis Canonicis Metensibus scripta sit, ab aliarum tamen diœceseon, quæ Regum Francorum parebant Imperio, Clericis VIII & IX. Seculo suscepta est & servata nonnullis cum additionibus. Edita est a Labbeo Tom. VII. Concil. & a Luca Dacherio in Spicilegio Tom. I. Confer. Synopsis regulæ ex Natali Alexandro Histor. Eccl. Seculo VIII. cap. V. Art. III. §. IV. & seqq.

d) Ita colligitur ex regula Chrodegangi cap. III. & Concilio Aquisgranensi anno 816. habito cap. 118. 119.

e) Vid. Thomassinus Part. II. Vet. & Nov. Eccl. discipl. Lib. I. cap. XXXV. §. XI.

f) A prima ea regula Canonicorum servatam esse constat Episcopo electionem, institutionemque omnium Capituli dignitatum Archidiaconi, Præpositi, Decani, Cellarii, Portarii Vid. regul. Chrodegangi cap. 10 & 11. Concil. Aquisgran. cit. cap. 138. 139. 140.

g) Vid. Concil. Gall. Tom. 2. p. 248. apud Thomassinum loco mox laudato.

## §. IX.

Extincta in Germania stirpe Carolingica pedetentim communio vitæ a Canonicis deserta prædictam non illico mutavit disciplinam, sed tum adhuc Episcopis Seculo X. & XI. collatio omnium beneficiorum in suis diœcesibus sarta tecta permansit. a) Neque ex aliis familiis assumpti Reges aut Imperatores

res Germanici beneficiorum collationem aut jus præsentandi, quod quandam cum jure primariarum precum habuisset consonantiam, sibi vendicabant. Indubium quidem est, a Regibus Germanicis, Conrado, Henrico Aucupe & præprimis a tribus Ottonibus Ecclesias Episcopales & Abbatiales donatas fuisse, donatas & earum per pedum investituras: sed tria sunt, quæ in eo observari conducit. I. Illos ipsos fuisse primos institutores sub Romani Pontificis auctoritate & fundatores complurium Episcopatuum eorum in Regionibus Germaniæ non ita pridem Christo subjugatis. II. Semper fere spectatæ pietatis & sapientiæ viros ab iis ad Episcopatus & Abbatias designatos fuisse. III. Non semper exclusas fuisse ab eis electiones, sed vel permissas vel perpetuo privilegio quibusdam Ecclesiis indultas, denique pro virili operam esse datam, ut regiæ nominationes cleri & populi electionibus permiscerentur *b*) ut hanc potestatem in electionibus Episcoporum exererent Ottones, nova in Imperio tum accesserat prioribus ratio; cum enim sub eorum Imperio feuda & nobilissima & ditissima pluribus Ecclesiis Episcopalibus eorum dono concederentur, Episcopi vasalli Regum effecti sunt, indeque Reges sese horum constitutioni citra injuriam ingerere posse censebant *c*) sed quicquid sit de investitura Episcopatuum, minoribus illi beneficiis & dignitatibus Capitulorum & Ecclesiarum se jure quodam regio non immiscuere, quandoquidem nullum idoneum hujus rei documentum ex genuinis historiis, autoribusque coævis aut supparibus adduci poterit; quocirca rursum concludo, iis temporibus primariarum precum originem alligari non posse.

*a*) Thomassinus Part. II. Lib. I. cap. XXXVI.

*b*) Natalis Alexander Dissert. IV. in Histor. Eccl. Seculi XI. & XII. Art. I. §. II. hæc edisserit. "Investiturarum usus in Germania penes tres Ottones & S. Henricum Imperatores fuit: idque Ecclesia conniventibus aspexit oculis, quamvis interdum fines suos excurrerent, & per traditionem baculi pastoralis, quod Spiritalis potestatis insigne est, Episcopatus concederent, quoniam dignissimos Episcopos Ecclesiis præficiebant, nec electionum canonicarum opprimebant libertatem & novos indies Episcopatus regia munificentia fundabant, dotabantque„ hujus rei probationes prolixe affert idem Autor ex Ditmari Episcopi Merseburgensis Chronico.

*c*) Helmodus presbyter in Chronico Sclavorum Lib. I. cap. 69. & 70. hæc memoriæ prodit: "Investituræ Pontificum Imperatoriæ tantum dignitati permissæ sunt, quæ sola excellens & post deum in filiis hominum præeminens hunc honorem non sine fœnore multiplici conquisivit. Neque Imperatores dignissimi levitate usi sunt, ut Episcoporum domini vocarentur, sed compensaverunt noxam hanc amplissimis regni divitiis, quibus Ecclesia copiosius aucta, decentius honestata, jam non vile reputet ad modicum cessisse subjectioni, nec erubescat uni inclinari, per quem possit in multos dominari.„

§. X.

§. X.

Medio Seculo XI. transacto, ignorantia Ss. Canonum antea invalescente, ac prædominante dein Cæsarum, præsertim Henrici IV. & V potentia, indeque ad pares ausus concitata aliorum laicorum, Principum, comitum & nobilium cupiditate, non parum antiqua circa beneficiorum ecclesiasticorum collationem disciplina labefactata fuit; a) cujus ruinæ magis confundendæ manum applicuerunt tum temporis ingravescens simonia, qua intrusi infectique erant complures Episcoporum & effusa cleri libido, qua non leviter ejus vita commaculabatur. Erant nihilominus non pauci Pontificum, Episcoporum, nec non aliorum e clero, qui reparandæ veteri disciplinæ ratione conferendorum beneficiorum juxta statuta canonum operam omnem dicaverant, testantibus tot conciliis Seculo XI. & XII. habitis, quæ investituras & laicas invasiones beneficiorum penitus exscindere conabantur. b) Cum itaque ea ætate, uti in aliis regnis christianis, ita & in Germania investituræ laicæ in tantos abusus tractæ fuerint, ut Henricus IV. & V. electiones Episcopales proterere, nundinari Episcopatus, Episcopos obtrudere sacro ministerio impares & indignos occeperit, c) Pontifices & concilia illico insurrexere & injuriosum jus laicæ investituræ illis extorsere: sic Zelo tuendæ libertatis & disciplinæ ecclesiasticæ animati Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. Paschalis II. & Callixtus II. cum pluribus conciliis adversus investituras acerrime decertarunt & ubique eas sub censuris prohibuere: d) quibus ex causis id factitatum sit, jam dudum viri eruditi indicarunt. e) Ex hoc autem investiturarum regiarum abusu non potuit non consequi quædam major in beneficia & dignitates alias ecclesiasticas irruptio laicorum, quare concilia quoque & Pontifices non solum investituras Episcopatuum, sed & aliorum beneficiorum ab Ecclesiis eliminare adlaborarunt, Episcopis beneficia conferendi juxta Ss. Canones libera facultate restituta f) Seculo eodem XI. & præsertim XII. iidem Episcopi in pluribus Ecclesiis cum Canonicatus, tum dignitates soli conferebant g) in aliis Ecclesiis Capitula nominabant, aut eligebant sejunctim vel conjunctim cum Episcopo, variis ex causis hac vicissitudine proveniente: h) quæ omnia & singula rite perpensa satis innuunt, Imperatores nihil potestatis in collatione beneficiorum jure sibi vindicare potuisse, nisi iis ex lege fundationis, aut Ecclesiæ conniventia aliquid in nonnullis beneficiis permissum fuit, & ubi in collationem præpostere involabant, id a sacris conciliis tum fuisse prohibitum, diffiteri tamen nolo, illos Seculo XII. vel jam Seculo XI. preces quasdam sive commendationes pro clericis sibi gratis ad collatores ordinarios direxisse, ex quibus deinceps sæpius iteratis tandem consuetudo jusque scaturivit.

a) Illo enim ævo vix non ad modernam beneficiorum formam redacta sunt beneficia, indeque non secus ac temporalia emolumenta considerabantur, cumque

pariter eorum reditus essent opulentiores, facile cupiditate mundana & affectu carnis illudente, a via antiquæ collationis in maximum Ecclesiæ damnum est recessum, Regibus & Principibus commoda beneficiorum in personas sibi gratas conferre volentibus, ut edisserit Onuphrius Panvinius in Histor. Vitæ Gregorii VII. edit. Gretzer. p. 263. "Erat tunc consuetudo, ut ex omnibus orbis latini partibus infinita prope hominum diversarum conditionum millia aulam imperialem frequentarent. In his aderant diversarum congregationum monachi, doctores, viri literati, nobiles & ignobiles, qui omnes eo confluebant, spe ducti, ut ab Imperatore Sacerdotia consequi possent, quemadmodum nunc usus est in Rom. Curia.„

b) Sic cautum est in concilio Pictaviensi anno 1078. hoc canone: "Nullus Episcopus, Abbas, Presbyter vel quælibet persona de clero accipiat de manu Regis vel Comitis vel cujuscunque laicæ personæ donum Episcopatus vel Abbatiæ vel Ecclesiæ vel aliquarum ecclesiasticarum rerum: sed Episcopus a suo Metropolitano, Abbas, Presbyter & cæteræ inferiores personæ a proprio Episcopo„ Vid. plura concilia contra investituras laicorum habita apud Harduinum Tom. VI. P. I. & II. Concilior.

c) S. Anselmus Lucensis Episcopus abusum illum vivis coloribus describit. Lib. I. Sic Antipapam Guibertum Gregorio VII. oppositum compellans: "Rex tuus (Henricus) sine intermissione vendit Episcopatus, edicta proponens, ut nullus habeatur Episcopus, qui a clero electus vel a populo fuerit expetitus, nisi præcesserit honor regius, quasi ipse sit hujus ostii ostiarius, de quo veritas dicit: huic ostiarius aperit. Et infra inquit, "Vos Ecclesiæ Catholicæ, quam invasistis per totum regnum, membra distrahitis & in servitutem redacta, qua vile mancipium, in dominium vestrum redigitis & divini juris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes, omnia Imperatoris juri esse subjecta, Episcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei ecclesias ... Paulus dicit, nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est a Deo tanquam Aaron. In parte tua quis præficitur, nisi quem aut gratia exhausto fœnore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obsequio attraxerit?„ Idem Vid. Lib. II. in exordio.

d) Vid. Natalis Alexandri Dissertatio IV. in Histor. Eccl. Seculi XI. & XII. Art. III. IV. V. VI. VII. & seqq.

e) Vid. Petrus de Marca Lib. VIII. de concordia Sacerdot. & Imper. cap. XIX. §. IX. X. & seq. & Natalis Alexander Dissert. laudata Art. II.

f) Id perhibent Urbani II. Epist. 15. append. Epist. 17. concilium Melfitanum de anno 1089. habitum can. I. Concil. Tom. X. Labbei p. 479. concilium Claromontanum anno 1095. Romanum 1099. & Lateranense anno 1123. can. I. & VII.

g) Patet ex Alexandri III. Papæ Epistola 54. Append. 2. Epist. 21. & commonstratur a Thomassino Part. II. discipl. V. & Nov. Lib. I. cap. XXXVI. §. X. XI.

h) Idem autor §. XI. citato causas adducit mutationis: inquiens: "siquæ Capitula, inconsulto etiam Episcopo, Canonicos eligunt, non potest hic usus canonum normæ tantopere adversus aliunde, ut auguror, irrepsisse, quam vel ex

ex diutino Episcopatus interregno, aut ex frequentiore Episcoporum absentia, aut ex eorum diuturna negligentia, qui præscribi eam consuetudinem passi sint. aut denique ex privilegio, quod Episcopi ipsi concesserint, sicut & eligendi Abbatis privilegio tam multa donarunt cœnobia.„

## §. XI.

Sunt equidem nonnulli publicistarum, qui ad tempora Henrici V. originem juris primariarum precum referant *a*) ea persuasione inducti, quod, postquam pacto Callixtum II. inter & Henricum V. inito Reges Germaniæ jure investiturarum per annulum & baculum pastoralem fuerunt destituti, sub ratione advocatiæ Ecclesiæ, quæ ipsis reliqua permansit, in Ecclesiis & monasteriis per nominationem & præsentationem ab Episcopis, aliisque ordinariis collatoribus exigere cœperint, ut personis ita nominatis beneficia concederent. Verum cum hæc assertio idoneis comprobari nequeat monumentis aut scriptorum coætaneorum testimoniis *b*) in eandem difficulter pertrahor sententiam, quamvis non longe post illam conventionem Callixtinam initia ejusmodi juris introducendi posita fuisse, haud diffitear, quippe eidem seculo videlicet XII. origo facti, unde jus dein enatum est, alligari merito potest. cum Seculo XIII. Rudolphus ab antiqua & a decessoribus approbata consuetudine jus primariarum precum expresse deducat. Primos autem actus in hujusmodi negotiis inquirere & indicare velle, esset sane opus infructuosi laboris, & ineptientis cujusdam eruditionis præsumptio: nam hoc jus cæsareum vix ac ne vix potuit, sicut & aliæ disciplinæ innovationes, in quibus causa vertitur Episcoporum & Regum, abrupte & uno impulsu fieri, invaluit sensim & pedetentim, inopine & præter mentem fere & præter voluntatem, ita enim solet in iis evenire, quæ usu invehuntur: ante consuetudo inolita sentitur, quam sentiretur inolescere; nec enim fere nisi de singulis negotiis & causis expediendis solliciti sumus, an autem ex sæpius iteratis exemplis consuetudo & jus invaliturum sit aliquando, nec providere animo possumus, nec fere in cogitationem venit, quanquam, si actus tales a potentiore exerceantur, provida mentis attentione pensandum sit, an non primis conatibus ab iis, quorum interest, pari firmitate obsisti oporteat, nihilominus sæpenumero hæc animadversio omitti solet: cum ne ab ipsis quidem superioribus potestatibus nascantur exordia hujusmodi jurium, sed ex variis incidentibus causis & occasionibus, quibus mortales coguntur ad ea confugere: sic origo primariarum precum primum orta credi potest ex sollicitatione magnatum, qui pro filiis, consanguineis, aut aliis personis sibi gratis intercessiones & commendationes cæsarum expetiere, ut earum intuitu Episcopi & alii collatores in Ecclesiis cathedralibus aliisque beneficia commendatis conferrent: non potuere sæpe cæsares hisce supplicationibus aurem benignam non præbere, & collatores literas Imperiales commendatitias veneratione quan-

ta maxima non excipere, & data occasione nominatum collatione beneficii beare: dum hoc aliquoties e votis succedere observatum est, alii ad similem petitionem apud cæsares interponendam exstimulati sunt, & non minus sequentes Imperatores iis gratiam suam, datis ad collatores literis intercessionalibus ex rationibus politicis, aut prætextu pietatis & doctrinæ in precista commendatæ impertiti fuere. Non pauci quidem ex collatoribus insidias suo juri inde strui observantes, cæsareæ commendationi haud deferebant, sed illa insuper habita, aliis personis beneficia contulerunt. Id quod ægerrime habebant precistæ, cæsaribus, per se vel per alios suos patronos suggerentes, in majestatis injuriam cedere talem despectum, ex eoque fortiori impetu collatorum reluctantiam esse comprimendam: hinc dein commendationibus mandata adjunxere, sed cum hæc etiam non apud omnes felicem sortirentur exitum, demum executores constituebant, advocata eam in rem Pontificum assistentia, quo facto non infrequenter pro seculi XII. & XIII. præjudiciis obedientiores extitere Episcopi & collatores ordinarii, quamvis alii essent, qui, precibus cæsareis contemptis, pro libertate collationis ceu pro aris & focis decertarent, nihilominus jam Seculo XIII. exeunte cæsares jus primariarum precum ex antiqua & approbata consuetudine acquisitum diplomatibus suis adseruere. Hæc in compendio adducta, nunc paulo fusius elucidanda veniunt.

a) Spenerus in der teutschen Staats-Rechts-Lehre Lib. II. cap. XIV. §. 5. not. b. in eam sententiam hoc modo abiit: "Conrad. Ursperg. ad an. 1122. p. 204. berichtet mit beygefügten Urkunden: qualiter ecclesiasticas investituras, ceteraque Spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici administraverant, quæque ipse (Henricus V.) ne regni diminueretur honor, nunquam vita comite se dimissurum proposuerat, humiliatus pro Christo, coram multitudine maxima, abnegaverit & in manus Domini Episcopi Ostiensis ac per ipsum Domino nostro JEsu Christo, suæque in perpetuum jus Ecclesiæ dimiserit, rursumque qualia sibi (Cæsari) ob honorem regni observandum auctoritas Apostolica concesserit. Hier gebe man acht, wie es geheissen, daß die investitur Christo JEsu selbst überlassen seye. Ferner erhellet hieraus, daß zum Abtrag der Kayserlichen Liberalität der Pabst unterschiedenes dem Kayser zugestanden, oder sich dieser vielmehr selbst vorbehalten: Ich will nicht zweifflen, daß unter solchen Kayserlichen Reservaten obangerechtes Recht der ersten Bitte befindlich gewesen."

b) Nullus præmissæ opinionis autorum tale adfert: quod Spenerus in medium ex Urspergensi producit, generale est, & expressam juris primariarum precum mentionem non facit: quis itaque solidam inde eruet pro illius juris origine conclusionem? deinde plus inde, quam vellent iidem Scriptores, sequeretur, videlicet ex concessione & indulto Pontificis id promanare, loquitur enim clarissime, *qualiter auctoritas Apostolica concesserit*, nec ea verba pro reservatione ab ipsomet Cæsare facta interpretari convenit.

## §. XII.

Postquam itaque beneficia ecclesiastica, canonicis e vitæ communione disce-

discedentibus, auctis Ecclesiarum divitiis, antiquæ disciplinæ ignorantia prævalente, nec non inde propullulante ingenti morum corruptione, vicissitudinem adeo subierunt, ut vix non penitus modernorum speciem Seculo XII. referrent, creverunt non paucorum clericorum & aliorum ad statum ecclesiasticum aspirantium cupiditates, quorum aliqui vel affectu carnis & sanguinis, vel aliis modis, tum licitis, cum illicitis & extra semitam Ss. Canonum aberrantibus, beneficia ab ordinariis collatoribus impetrarunt; aliis consultum videbatur, ut Pontifices Regesque adirent, quo horum literis commendatitiis collatorum voluntatem ad conferenda sibi beneficia expugnarent. Hinc dum seculo XI. investituræ impugnatæ & Seculo XII. ineunte ab Henrico V. dimissæ fuerunt, alia via Imperatores Successores in partem collationis vel præsentationis beneficiorum venire tentabant, alicubi plus juris sibi sumendum, aliquando precibus agendum rati. Non est dubium, Seculo XII. jam commendationes precesque apud ordinarios collatores interposuisse Cæsares *a*) uti eas in aliis regnis Reges, Principesque tum pro Episcopali honore, cum aliis beneficiis a se commendato impetrandis direxerunt. *b*) Verum non ubique parem habuere effectum, nec primum ex repulsa illi succensebant: hinc varia ab iis consilia inita videntur, quo collatores ad suam voluntatem pertraherent. Variæ incidebant circumstantiæ, causæque Seculo XII. quæ proximiorem precum exaudiendarum spem faciebant. Henrici V. successores ejusdem seculi pristina jura investiturarum recuperare moliti sunt *c*) quare præsumere fas est, Episcopos, & collatores prudenti œconomia usos esse, plusque Imperatorum precibus ad se porrectis concessisse, ut ne irritati jus investiturarum omni conatu revocarent. Porro ex pacto Callixtino viguerant quidem electiones, sed turbis sæpius & factionibus infestatæ, hinc ea, quam vi illius pacti Imperatores habuerant, facultate rei dijudicandæ usi sunt, ubi vota Capituli inter duos fluctuarent: ex quo, sicut non parum potestatis cæsaribus in electionibus Episcoporum residuum erat, occasio fuit suppeditata quidlibet, etiam beneficia pro aliis ab illo, cui ab iis causa tam momentosa adjudicata fuit, impetrandi. Quandoque Seculo XII. in electionibus Regum Germaniæ scindebantur vota inter duos, uti constat de Lothario & Conrado, item eodem seculo exeunte de Philippo Duce Sueviæ & Ottone IV. Saxone: in tanta rerum perturbatione divisi erant Episcopi, aliique regni proceres, uni hi, alteri illi adhærentes: at perspicuum est, quantum potestatis exercere possit, qui in ejusmodi circumstantiis potentior evaserit, vel Pontificis favore, vel plurium regni optimatum accessione. Jam sub Ottone IV. consuetudo viguit, juxta quam beneficia, siquæ vacaverant, primis petentibus ab Imperatoribus concessa fuere, *d*) quamvis huic morem non gesserit Otto, sed beneficia inter clericos laicosque in suo famulitio consistentes distribuerit. Fortassis hæc consuetudo

 tudo

tudo (an non corruptelæ nomen mereatur, alii dijudicent) dimanavit ex jure regaliæ, quod ea ætate cæsares necdum dimiserant.

a) Henricus IV. apud Ottonem Frisingensem Episcopum circa annum 1105. pro quodam precibus intercessit, referente Goldasto Tom. I. Constitut. Imperial. pag. 234. §. 13. Verb. " Insuper etiam diligenter te rogamus, ut in præsenti nostram consideres necessitatem, & A, qui nobis est necessarius, concedas beneficium, quod a te postulat, animadvertens, quod modo nos præsens periculum compellit multis supplicare, & eorum voluntatem faciendo, ipsos in nostra fidelitate confirmare, & hac ratione constrictos, de his & de aliis multis oportet nos te rogare aliter, quam vellemus. „ Ex quibus quædam emicant hic observanda: I. Pure commendatitiæ erant hæ literæ, nec ut hodie mandatum involverunt, consequenter obedientia ab eo, ad quem dirigebantur, præstanda non erat. II. Sæpe Imperatores, ad confirmandos in fidelitate & obsequio sequaces suos, preces ad Episcopos porrexerunt, sicuti ad hoc remedium confugerat Henricus IV. in tanto discriminine constitutus III. Præsumendum est, post pactum Callixtinum usum precum cæsarearum, cum & Successores Henrici consimili fere in procella fluctuarent, magis sæpiusque obtinuisse.

b) Abbas S. Memmii apud Catalaunum, ut nepoti suo daretur præbenda ejusdem Catalaunensis Ecclesiæ, Regis Galliæ Ludovici VII. literas accepit ad Episcopum electum, Decanum & Capitulum, verum cum sese hi opponerent, Regi etiam suasit, ut ne causationibus acquiesceret, vel tergiversationibus cederet, sed regia ut potestate uteretur, scriberetque Metropolitano Remensi, ut præbendam ipsemet conferret; unde liquet, quam non fere potuerit non aliquando Regum humanitas & clementia circumveniri præstigiis prælatorum, carnalibus affectibus plus æquo indulgentium, & ea tum in alios cudentium vincula, quibus ipsi aliquando tandem illaquearentur & ingemiscerent. " Nisi, inquiebat Abbas ille, sine dilatione, quod dicimus, feceritis & nostrum erit dedecus & honor vester detrimentum pariter patietur. Absque precibus & supplicationibus sola authoritate vestra facere potestis & debetis. „ Ita refert Du Chesne Tom. IV. Histor. Franc. p. 669. 504. in Gallia Reges jam precibus præcepta adjunxisse Seculo XII. ex literis Hildeberti Turonensis Archiepiscopi Thomassinus Part. II. Vet. & Nov. discipl. Lib. I. cap. LIV. §. IV. probat. qui sequenti §. asserit in Anglia a Regibus tum meras preces esse adhibitas, & exemplum nota dignum adducit de Hugone Lincolniensi Episcopo, a quo cum Rex præbendam vacantem flagitasset, intrepida fiducia respondit: " Non aulicis, sed potius ecclesiasticis personis ecclesiastica sunt conferenda beneficia: habet Dominus Rex, unde tribuat mercedem servientibus sibi, nec debet summo Regi famulantes privare proventibus suis, ut inde servis suis provideri poscat a nobis. „ Id refert Baronius ad an. 1186. n. 18. Surius die 17. Novemb. n. 11. Indignatio, ut assolet, primo Regis animum invasit, at ubi Episcopum audiit, incessit admiratio & charitas in eum propensior.

c) Id constat de Lothario Saxone investituræ restitutionem urgente apud Innocentium II. Pontificem vid. Baron. ann. 1131. n. 7. Pfeffinger in Vitriar. Illustrat. Lib. I. Tit. V. in vita Lotharii p. 564. Martene & Durand. Tom. I. Veter.

Veter. Script. & monum. p. 753. Idem constat de Conrado III. vid. Wilhelm. Heda Histor. Episc. Ultraj. p. 164. De Friderico I. vid. Pfeffinger Lib. cit. Tit. XV. p. 1393. seqq.

d) Abbas Urspergensis in Chronico in vita Ottonis IV. Imperatoris p. 239. hæc suppeditat. " Habebat autem famulos suos de Saxonia & Anglia, seu clericos, seu laicos, quibus omnia beneficia, quæ contigit vacare, studuit conferre. Fuerat autem consuetudo Principum, ut hilariter & prompte beneficia, seu Ecclesias, conferrent primis petentibus, quod iste nequaquam facere voluit. „

## §. XIII.

Quantumvis ea, de quibus mox sermo erat, proximius ad tempora, queis jus primariarum precum jam invalescere cœpit, accedant, nihilominus tum formulam aliquam precum ejusmodi in documentis illius ævi haud reperire est. Perlustret quis excutiatque scriptores omnes rerum Germanicarum, quæ tam in Imperio, quam in Ecclesiis ejus contingere, & non comperiet formulam precum antiquiorem Rudolphina, nulla modo prostat, quæ nomen Lotharii, Conradi III. Friderici I. aut aliorum Imperatorum usque ad Rudolphum I. præseferre dignoscitur, ut ut non pernegemus, jam ante eum Imperatores jure illo usos esse, aut uti voluisse; profecto eas aut edacitate temporis esse consumtas, aut ex negligentia scriptorum posteritati non esse transmissas, credere par est, id quod plerumque in juribus, quæ successive introducuntur, usuvenire solet: tale jus erat facultas primariarum precum, quæ pedetentim in Germania invaluerunt ferme eum in modum, quo preces Pontificiæ in mandata de providendo & jus conferendi beneficia ad collatores ordinarios olim spectantia transierunt: ita sentiunt viri in historia versatissimi a) quorum sententiæ, absque gravissima ratione, refragari esset de se præsumptionis nimiæ indicium. Teste itaque historia ecclesiastica Seculo XII. Pontifices primo bene meritos clericos ordinariis collatoribus duntaxat commendabant ac precabantur, ut his primum vacatura beneficia conferrent, facto Hadriani IV. id perspicue docente b) Eodem ad medium producto seculo preces armatas jam admiscuere c) eo quod eorum preces effectum non sortirentur, sed cum nec mandata Pontificia a collatoribus beneficia extunderent, executores Seculo XIII. constituerunt, qui contra reluctantes ordinarios collatores preces mandatis mixtas executioni darent: d) & quamvis longius hæc res, quam vellent collatores, procederet, ea tamen moderatio tum a Pontificibus adhibita fuit, ut ne preces suas in eadem Ecclesia iterarent. e) Pontificum exempla secuti videntur Imperatores, qui Seculo XII. preces nudas & commendationes ad Episcopos, Capitula aut alios collatores direxerunt, quæ cum ab arbitraria eorum admissione penderent, non infrequenter rejectæ contemtæque sunt, nisi regulæ politices, & prudentiæ, aut commendati virtutes

&

& ſcientia aliud ſuaderent. Neque mirum, ſi enim collatores beneficiorum Pontificibus eo ævo ſumma in veneratione alias habitis reluctabantur, cur Imperatoribus, quorum poteſtas tum multum imminui cœpit, plus deferrent, non comprehendo, præſertim cum non potuerint non reflectere ad tempora non admodum remota, quibus concertatio illa funeſta circa inveſtituras Pontifices & concilia Epiſcoporum inter & Imperatores efferbuit, ac in libertatis eccleſiaſticæ aſſertionem conſopita eſt.

a) Thomaſſinus Part. II. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. Lib. I. cap. LIV. §. I. Eſpenius Jur. Eccl. Part. II. Tit. XXV. cap. IX. §. XX. Bœhmerus Jur. Eccl. Proteſt. Lib. III. Tit. de præb. & dignit. Keuffelius Inſtitut. Vet. ac mediæ Eccleſiæ politiæ Lib. II. c. IX. §. CCCXLVII.

b) Hadrianus enim IV. qui ſedem Apoſtolicam anno MCLIV. conſcendit, Pariſienſem Epiſcopum rogavit Epiſtola 13. ut primum canonicatum aut dignitatem in ejusdem Eccleſiæ Capitulo vacantem Hugoni Regis Franciæ Cancellario conferret: " Fraternitatem tuam, inquit, pro his, qui nobis cari ſunt rogare non dubitamus. . Cancellarius, Regis Franciæ Romanæ Eccleſiæ & nobis quantum devotus ſit & fidelis, prudentiam tuam non credimus ignorare. Inde eſt, quod illum Fraternitati tuæ duximus plurimum commendandum, rogantes attentius, quatenus pro Beati Petri & noſtrarum reverentia literarum primum perſonatum vel honorem, qui in tua vacabit Eccleſia, ei concedas, ut & ipſe noſtras ſibi preces ſentiat fructuoſas & nos de noſtrarum precum admiſſione gratiarum tibi exſolvere debeamus actiones „ perſpicuum hinc eſt commendatitiam eam fuiſſe tantum epiſtolam & precem ſine addito mandato. Primus is Pontificum a Thomaſſino Part. II. Vet. & Nov. diſcipl. Lib. I. cap. XLIII. §. II. dicitur petiiſſe, tandem & præcepiſſe ordinariis, ut beneficia commendatis conferrent.

c) Vid. Epiſt. XXIV. Hadriani IV. Alexandri III. Epiſtol. VII. Appendicis I. Epiſt. XCVI. XCVIII. Append. II. Confer. Natalis Alexander Hiſtor. Eccl. Seculi XI. & XII. cap. VII. Art. VI. §. IV. Eſpen Jur. Eccl. Part. II. Tit. XXIII. §. V. VI. & VII.

d) Vid. Stephani Tornacenſis Epiſt. XCII. & CXIV. apud P. Claudium du Moulinet, qui omnes ejus epiſtolas edidit & notis illuſtravit. Inter alios canonum peritos ſcite obſervat id Franciſcus Florens his verbis " ab initio, ne collatores ordinarii gravius conquererentur, imminui jura ſua, Pontifices non ſtatim & primis literis vel mandato, compellebant eos ad conferendum vacans vel proxime vacaturum beneficium. Primo *monitorias* ſcribebant, quibus ſi non obtemperabatur, ſecundo *Præceptorias*, tertio ſi perſtarent in contumacia, dabant *executorias*, quibus contumaciam ceſſantium collatorum puniebant: ideo executorias appellatas, quia iisdem literis, executorem delegabant, & concedebant, qui recipi faceret impetrantem, & provideret de beneficio, quod tunc vacabat, vel erat proxime vacaturum. Procedente vero tempore, ubi cœpit hujusmodi mandatorum autoritas invaleſcere, non amplius tres literas diverſis temporibus, ſed unas tantum dederunt, etiam addito ſtatim executore, qui ceſſante ordinario collatore conferret, exemplo

plo juris civilis', quo aliquando Prætor, pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis adversus contumaces, ordinem & compendium trium edictorum ita moderabat, ut statim *Peremptorium* daret, quod appellatur, *unum pro omnibus*,, ejusmodi plures literæ extant in Decretalibus Gregorii IX. cap. 30. 37. 38. & 40. de Rescriptis.

e) Communiter Seculo XIII. mandatis Pontificiis hæc clausula fuit inserta: *nisi de mandato nostro eadem Ecclesia foret in alterius receptione gravata:* Vid. cap. 30. de Rescriptis, item cap. 38. eod. Tit. & cap. 2. eod. in quinta compilatione Decretalium Honorii III. per Cironium.

## §. XIV.

Nihilominus cæsares, ad effectum suarum precum facilius impetrandum, varia, eaque tempori aliisque circumstantiis consentanea iniisse, consilia, censendi sunt: siquidem primo ad collatores sibi faventes, gratosque preces suas procul dubio interposuere potius, quam ad eos, qui alioquin reluctandi animum in aliis negotiis prodiderunt, ut earum executione facta, pedetentim aliis collatoribus præjudicia eximerentur, ac sensim ipsi quasi non advertentes ei conatui assuescerent: non raro privilegiorum concessione, aut confirmatione usi videntur ad collatores promptiores reddendos. Sæpe pro diversitate geniorum terrore potestatis, quam gratiæ ostentatione egisse eos, haud vane præsumimus, rursum credere fas est, pluries clericos virtute & doctrina spectabiles & jam alias favore collatorum dignos ab illis commendatos esse, ut eo minus repulsam formidare deberent: demum ubi etiam hoc evicisse judicabant, ulterius quidem progressi, nec tamen limites moderationis prudentis transilierunt, sed semel duntaxat, quoad viverent, & sub auspicia regni in singulis Ecclesiis primis precibus uti intenderunt, sed utrum Seculo XII. postremum hoc tentarint, item si tentassent, imperatoriæ ejuscemodi preces a singulis Ecclesiis executioni mandatæ fuerint, haud satis constat, cum nullum suppetat illius ævi documentum, aut scriptoris synchroni testimonium: at quicquid sit ea de re, in comperto est, cæsares Seculo XIII. majori agere cœpisse auctoritate, ac ex precibus jus quoddam subortum asseruisse, ut memoriæ produnt literæ Rudolphi I. de anno 1273. infra adducendæ. Præterea non est tacendum, forsitan seculum XIII. majorem illius juris, aut introducendi, aut confirmandi occasionem dedisse: magnum quippe & diuturnum Imperii interregnum in illud inciderat, variisque novis juribus & profanis & ecclesiasticis materiam suppeditavit. Certe Reges Germaniæ ab una alterave parte electi, sicut eo in turbulento statu sibi adhærentes privilegiis concessis magis sibi conglutinare quæsierant, ita absque dubio, ut magnates, consiliarios, aliosque viros sibi gratos in fidelitatis obsequio magis firmarent, sæpe pro iis, aut eorum consanguineis, vel personis gratis ad Episcopos, Capitula, aliosque collatores ordinarios, quos partium suarum esse, bene cognoverant, preces di-

rexisse, censendi sunt. Non nunquam Pontificum amicitiam expetiere, u intercedente, tam electionem suam tuerentur, quam assistentiam Pontific ad preces facilius exequendas haberent, & quemadmodum schisma Avei nense mandata Pontificia & reservationes coegit multiplicari a) ita haud v conjectura est, magnum illud interregnum frequentiores reddidisse preces sareas, nam alias Rudolphus I. Habspurgicus, vix per electionem suam, tu Germaniæ ad pacem composito, jus isthoc primariarum precum ex anti & approbata consuetudine derivare potuisset, uti tamen manifeste declarat diploma. b) Non liquet quidem, preces ejusmodi a Rudolpho, vel ad om Ecclesias Germanicas esse directas, vel ab omnibus Ecclesiis admissas, ni tamen minus indubitatum est, id juris tum antiquæ jam consuetudini adl ptum esse.

a) Vid. Thomassinus Part. II. Vet. & Nov. discipl. Lib. I. cap. XLIV. §. V VI. Espen Jur. Eccl. Part. II. Tit. XXIII. cap. I. §. 32.

b) Apud continuatorem Abbatis Urspergensis & apud Goldastum Tom. III. C stitut. Imperial. pag. 406. ejus epistolam vel diploma legere est de primis cibus ad quendam Abbatem directum, cujus hic est tenor: " cum ex anti & approbata ac Divis Imperatoribus & Regibus ad nos producta consuet ne, quælibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam be ficiorum ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione bene precum nostrarum primas admittere teneatur, devotionem tuam rogar quatenus huic clerico beneficio, quod ad tuam collationem attinet, ob verentiam Sacri Imperii, studeas liberaliter providere, „ datum est a MCCLXXII.

## §. XV.

Demortuo Rudolpho altum est de primis cæsarum precibus in histc silentium, simile quid haud referentibus de Alberto I. Adolpho Nasso Henrico VII. & Ludovico Bavaro. Verum postquam Carolus IV. in sol Imperiale sublimatus est, dissimili Rudolphinæ formula usus est in directi precum suarum primariarum, a) cum mandata jam adjunxerit, & dum latores refragati sunt, decretum executoriale dein ad eosdem dederit. b) ternum secutus exemplum filius Wenceslaus jure isto ex ampliori potestate intenderat, namque is insuper hoc jus Ruperto Electori Palatino post cor tionem Germanicam Aquisgrani peractam per diœceses, Spirensem & W matiensem libere exercendum de anno 1376. concesserat. c) Ex hoc ipso plomate facili negotio eruitur I. Wenceslaum non solum per se id juris e cere, sed & aliis quoad certas diœceses concedere voluisse II. persuasum fu eidem, ac sibi, una vice ratione coronationis Aquisgranensis in Regem Ro norum, altera ratione coronationis imperialis primarias preces porrigere l ret: in quo III apparet attentatum Ecclesiis Germanicis non parum præj ciosum: at cum coronam imperialem non susciperet, propter temporum i

rum turbas, tam in Ecclesia, quam in Imperio obortas, conatus ille plane irritus evasit Hucusque de privilegio aut indulto Apostolico a cæsaribus impetrato nullam fecimus mentionem neque quid certi de eo constat. Volunt quidem nonnulli Scriptores, Rudolphi I preces Pontificis Gregorii X. privilegio innixas fuisse. *d*) At cum ipsum diploma Pontificium in forma authentica produci nequeat, id assertum ab aliis commenti potius fabulosi, quam veritatis historicæ loco habetur. *e*) Hujus rei critica pensitatione a me omissa, id observandum censeo, non esse extra omne dubium, usque huc cæsares in pacifica & imperturbata illius juris possessione extitisse, quamvis non nunquam plus auctoritatis exserere vellent, jamque tum ex antiqua consuetudine jus natum absque ulla hæsitantia in suis diplomatibus adfirmarent; quin imo ex parte Ecclesiarum Germanicarum non infrequenter contradictum esse, sequentium temporum historia modo afferenda luculenter demonstrabit.

*a*) Apud Goldastum Tom. I. Constit. Imperial. p. 343. extat Rescriptum Caroli IV. ad Præpositum & monasterium canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Moguntinæ dioecefeos his verbis conceptum: "Cum nobis tam de jure, quam antiqua & approbata consuetudine, a Divis Imperatoribus & Regibus Prædecessoribus nostris hactenus observata, competat, quod ex coronationis nostræ solemniis ad Romanorum Regem, in quolibet monasterio in Imperio constituto unam tantum personam virtute primariarum precum nostrarum ad beneficium ecclesiasticum facere possimus promoveri; hinc est, quod pro dilecto nobis Petro Conradi de Dylle presbytero vobis primarias dirigimus preces nostras... vobis nihilominus per regalia Sceptra mandantes, quatenus præfato Petro, aut ipsius procuratori, ac nomine & vice ipsius de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, quod vacat ad præsens, vel quod primum vacaverit, ad vestram præsentationem, collationem, seu quamvis aliam dispositionem spectans, in quacumque dioecesi constitutum fuerit, auctoritate & virtute primariarum precum nostrarum providere debeatis. „

*b*) Diploma Caroli IV. executoriale super primar. prec. apud Leibnitium Cod. diplom. P. J. n. 98. p. 222. extat his verbis: "Cum ante pro dilecto nobis honorabili, Canonicis & Capitulo Ecclesiæ primarias direxerimus preces nostras, requirentes & hortantes eosdem, ut ex antiquæ & adprobatæ consuetudinis observantia, sicut & de jure potius debitum in eorum canonicum recipiant & confratrem... fidelitati tuæ tenore præsentium seriose committimus & mandamus, quatenus, si quidem Canonici & Capitulum Ecclesiæ, audacia forsitan rebellionis assumta, hujusmodi nostris precibus & mandatis contumaciter obedire differrent, Canonicos seu alios per invasionem temporalium rerum suarum studeas firmiter coarctare, donec ipsi precibus & mandatis nostris prædictis curaverint omnimode obedire. „

*c*) Vid. apud Goldastum Tom. I. cit. p. 375. ubi constitutionis Wenceslai anno 1376. editæ tenor hic est: "Concedimus, quod Tu omnes primarias preces ratione nostræ coronationis in Romanorum Regem, per civitatem & dioecesim Spirensem & Wormatiensem, tam de jure, quam ab antiqua consuetudi-

ne, Romanorum Regibus nostris Antecessoribus & nobis competentes, porrigere valeas & debeas, in singulis tam Cathedralibus, quam collegiatis & conventualibus Ecclesiis & monasteriis utriusque sexus, tam secularium, quam regularium personarum, nec non ad prælatos & alias personas ecclesiasticas quascumque, etiamsi Pontificali, vel alia præfulgeant dignitate, in dictis civitatibus & diœcesibus, sicuti easdem preces per nos porrigere possemus: jus & potestatem porrigendi hujusmodi preces nobis competentes, in tuam personam, omni modo, forma & jure, quibus melius fieri poterit, plenarie transferendo. Et si divina nobis suffragante gratia, ad apicem imperialis culminis fuerimus sublimati, volumus & tibi favorabiliter concedimus tenore præsentium, quod tu preces primarias, ratione susceptionis imperialis coronationis nobis competentes, etiam porrigere valeas & debeas, in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis & monasteriis & apud prælatos & quascunque alias personas ecclesiasticas seculares & regulares dictarum civitatum & diœceseon, omni modo, forma & jure, sicut de primariis precibus ratione regiæ coronationis nostræ est expressum, mandantes sub obtentu gratiæ nostræ, nec non sub pœna privationis omnium & singulorum privilegiorum, jurium & gratiarum & libertatum, quæ & quas a Romanorum Imperatoribus & Regibus Prædecessoribus nostris obtinere dignoscuntur . . . Quatenus dictas primarias preces per te ipsis porrigendas omni promptitudine admittant, sicut tenentur, ac si per nos eis forent exhibitæ seu porrectæ, dantes & concedentes tibi plenariam potestatem, ut rebelles tibi in præmissis, siqui sunt, vel erunt, ad admittendum & exaudiendum dictas preces, auctoritate regali & etiam imperiali, compellere & coercere per te & alios valeas, quemadmodum & nos facere possemus. „

d) Inter eos recensentur Martinus Uranius Tom. 2. Consil. XXI. §. 10. fol. 85. cujus verba Cortreius in observatis ad concordata Friderici III. & Nicolai V. p. 46 §. 50. recitat, Boerius decis. XXXII. §. 7. Petrus Gregorius Syntagm. Jur. univ. Lib. XVII. cap. VII. §. 21. Syringius Diss. de Pace religiosa conclus. 31. Azorius Instit. moral. Lib. 10. cap. 7. Besoldus Thesaur. pract. Voc. *primariæ preces* & alii quos videre est apud Cortreium loc. cit. & Pfeffingerum Vitriar. Illust. Tom. III. Lib. III. Tit. II. pag. 89. omnes hi secuti sunt Wilhelmum Durandum, vulgo speculatorem, qui vixit ætate Rudolphi, & in tit. de præb. & dignit. in 6. hæc habet: " Item nota, quod Imperator habet privilegium, quod ego vidi bullatum, quod in qualibet Ecclesia Alemanniæ possit facere unum recipi „ hæc verba refert Oligenius in Differt. de primariis precibus Imperialibus. pag. 17.

e) Muldnerus Differt. Inaugur. posit. IV. de prim. prec. Imp. §. 7. & Ayrerus comment. Jur. publ. eccl. de jure prim. prec. cap. I. §. XXII. ita inquit. "Sed cum probe monente Muldnero bonus ille speculator multa in speculo suo viderit, nullibi alias extantia, bullæ, quam suis ipse oculis usurpasse gloriatur, tam diu fides haberi nequit, quam diu, nec de tempore, quo prodierit, nec de Pontifice, qui dederit, nec de Imperatore, qui acceperit privilegium, in ipsa contentum, constat: saltem de Rudolpho, uti quidem Oligenius, qui tamen ipse perpetuitatem hujus indulti, a nonnullis adstructam, dubiam reddit, sibi persuasit, illum nequidem cogitasse, inde manifestum est, quod jam anno 1271. adeoque ante electionem Rudolphi anno sci-

licet 1273. electi speculum suum publicarit, pauloque post obierit, uti Freherus Diss. de prim. prec. Imp. §. 63. & Chockierus in procem. Schol. in prim. prec. Imp. testantur. „ Cum his complures sentiunt Scriptores, qui jus primariarum precum indulto Pontificio haud adscribunt. Nihilominus, ut opinor, res extra omne dubium nondum est polita, nec refert, quod non de tempore, Pontifice, & Imperatore ex verbis speculatoris constet, saltem aliquod privilegium esse Imperatori concessum, inde elucet, eique credendum videtur, tanquam oculato testi. In comperto sane est, Ludovico VII. Galliæ Regi ex Palæstina reduci privilegium esse oblatum, quo permittebatur, arbitratu suo primam præbendam in qualibet Regni Ecclesia conferre, quamvis eo uti recusarit, ut refert Valsinghamus Script. Angl. p. 2288. Item constat Bonifacium VIII. Philippo Pulchro anno 1297. concessisse, ut ad præbendam unam ex qualibet Ecclesia Cathedrali & collegiata regni sui unam personam idoneam nominaret, ut testatur Historia Universitatis Parisiensis Tom. IV. p. 28 32. cur non simile privilegium a Pontifice Imperatori concessum esse, conjicere licet? Sed hæc trutinæ critices hic appendere non vacat.

## §. XVI.

In Wenceslai depositi locum surrogatus Sigismundus Rex Romanorum, quemadmodum schismati Ecclesiæ ob tres pseudo-Pontifices afflictæ extinguendo plurimam navavit operam, nec non laboriosa suscepit itinera, ita iis & aliis negotiis publicis detentus, primo vix cogitare potuit de jure primariarum precum exercendo, & dum animum ejus rei cogitatio subivit, sibi non pauca obmotum iri obstacula, haud vane suspicatus est, eo quod suos prædecessores in illius juris exercitio impeditos esse, probe sciret, *a*) hinc aliam sui juris stabiliendi viam ingressus, a Patribus Concilii Basileensis certam & efficacem talis juris concessionem & confirmationem efflagitabat, qua in re & Synodi istius nomine, ejus petitioni benigne est delatum, ita quidem, ut ipse & successores imposterum eo jure libere & plenarie uti possent. *b*) Ast cum isthoc Concilium id statuerit, schismate contra Eugenium IV. Pontificem conflato, vehementer dubitare licet, utrum hæc constitutio liberæ beneficiorum collationi noxia, apud Germanos neutralitatem professos, recepta fuerit: quippe in ea tempora incidebant acerrimæ Nationum christianarum, præsertim Germanicæ, querelæ & gravamina, primo Concilio Constantiensi exhibita, dein Patribus Synodi Basileensis majori certandi studio proposita, queis Germani in Pontificias excessivas reservationes, mandata de providendo & alias exactiones immoderatas, non sine periculo plenariæ ab Ecclesia Romana discessionis, extorta verborum acrimonia, detonabant, & factis ipsis in neutralitate tentatis, collatione beneficiorum a collatoribus libere exercita, nec non aliis libertatibus quæsitis probabant: hic profecto status Ecclesiæ Germanicæ adeo perturbatus executionem ejusmodi juris primariarum precum omnimodam admisisse haud videtur, neque ex historiis illius ævi extundi potest, an Sigismundus jure

illo etiam a Patribus Concilii Basileensis approbato plenarie usus fuerit, aut an non potius contradictio Ecclesiarum & collatorum, ejusmodi exercitium impedierit. Hoc est indubium, testante historia Gobelini, Sigismundum primariis precibus tempore Concilii Constantiensis uti voluisse ex antiqua consuetudine, verum hanc non fuisse admissam receptamque, ut ut non pauci occasione precum primariarum beneficia obtinuerint.

a) Decretum Basileense anno 1437. Sigismundo transmissum ratione primariarum precum apud Lünigium Tom. I. Spicil. eccl. pag. 278. refert petitionem Sigismundi, ubi innuit manifeste, suis antecessoribus jus illud esse interversum & impeditum: " Sane pro parte tuae Celsitudinis nobis oblatae petitionis series continebat, quod, licet ex privilegio antiqua & approbata ac ab olim laudabiliter conservata consuetudine comprobato Rom. Reges ac Imperatores tui praedecessores post ipsorum susceptas per eos Regales & Imperiales infulas singulis collatoribus, & collatricibus, Capitulis, Collegiis & Conventibus per Sacrum Rom. Imperium ubilibet constitutis, pro unico beneficio ecclesiastico cum cura & sine cura, etiamsi canonicatus & praebenda in Metropolitan. aut Cathedralibus, seu collegiatis Ecclesiis foret, ad eorundem collatorum, collatricum, Capitulorum, Collegiorum & Conventuum collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinente, pro singulis personis bene meritis & habilibus, quas ad hoc ducerent eligendas, suas preces sive nominationes, sive personas easdem, pro quibus illae fiebant & porrigebantur, ac beneficia hujusmodi earundem precum obtentu admittere, ac sedes Apostolica & Rom. Pontifices, qui fuerunt pro tempore, ipsis Romanis Imperatoribus & Regibus pro ipsarum precum debita executione & implemento adsistere, atque favere consuevissent, tamen postmodum, sicuti displicenter nobis exponi fecisti, propter gratias exspectativas, aliasque provisiones & reservationes Apostolicas hactenus inductas ac varias derogationum vel irritantis decreti clausulas in se continentes, nonnulli ex dictis Romanis Regibus & Imperatoribus, tuis praedecessoribus, saepius frustrati fuerint, prout & tua Serenitas precum seu nominationum hujusmodi huc usque frustrata est effectu in Sacri Imperii, dictique Imperialis privilegii & consuetudinis, jurisque resultantis ex illis detractionem ac laesionem, non modicam pariter & offensam passa. "

b) Pergit ibidem textus Decreti Basileensis: " Nos igitur ob praemissorum tuorum Imperatorum & Regum Romanorum ac tuae Celsitudinis merita, digne memoranda, postulationibus tuis hujusmodi favorabiliter inclinati volumus & auctoritate universalis Ecclesiae tenore praesentium ordinamus, quod ex nunc Caesarea Majestas tua, semel tantum, quoad vixerit, nec non singuli alii Romani Reges & Imperatores, qui ex nunc in antea fuerint, canonice tamen intrantes privilegio & consuetudine Imperial. hujusmodi quoad preces sive nominationes, ut praefertur, faciendas, perpetuis futuris temporibus libere & plenarie uti & gaudere possint & valeant. "

## §. XVII.

Poſt Sigismundi exceſſum e vivis Alberto II. Regi Romanorum non major ſpes affulſit, fore ut jure a Baſileenſibus Patribus ſpeciali conſtitutione munito libere uti poſſet; quippe adhucdum Germania neutrius; nec Pontificis, nec Concilii partes ſecuta fuit; quamvis Albertus potius huic faveret, quam illi, eoquod reformandæ diſciplinæ in Eccleſia & abuſuum expurgandorum ſpem haud modicam faceret. Quid autem hiſce in turbis pro ſuo jure aut hujus exercitio ab Eccleſiis Germanicis, quæ pro libera beneficiorum collatione tantopere certaverant, extorquere potuerit, facile eſt dijudicare: unde ab ipſo ullas preces eſſe porrectas, aut executioni datas, nuſpiam legere eſt, nec ulla hiſtoriarum illius ætatis, utut oculatiſſima indago, veſtigia hujuſce rei deprehendet. Tandem a Friderico III. Alberti ſucceſſore alia fuere tentata ad perfringendum Epiſcoporum, Capitulorum & aliorum collatorum reniſum: animadverterat ſub auſpiciis ſui Regiminis omnia eſſe in Imperio turbata, durante Eugenium IV. inter & Felicem V. ſchiſmate, hinc ad pacatum Germaniam reducere volens ſtatum, Legatis Eugenii IV. ſollicite & vehementer urgentibus, nationem Germanicam ad neutralitatem deponendam permovit, ideoque Legatis a Friderico & natione Romam miſſis cum Pontifice de tollendis nationis Germanicæ gravaminibus *a*) nec non concordato deſuper ineundo agendum erat: res optata habuit exordia; nam cum inter alia *b*) petitum fuerit, ut omnes electi ad Eccleſias & beneficia, omneſque de iis proviſi in Germania tempore ſuſceptæ neutralitatis, ii quoque, qui Concilio Baſileenſi adhæſerant, priſtinis honoribus & dignitatibus reſtituerentur, eorumque proviſiones diplomate Pontificio validæ declararentur, Eugenius facile id annuit *c*) inſuperque vel ad inſtantiam Friderici, vel ut hujus favorem in negotio concordiæ ineundæ ſibi conciliaret, eidem indultum nominandi perſonas idoneas ad centum beneficia conceſſit, uti conſtat ex diplomate Nicolai V. ſecundo. *d*) Ex quo haud vana elicitur conjectura I. tum temporis primarias preces a Friderico non eſſe porrectas, vix enim id exoraſſet a Pontifice, ſi in univerſo Imperio ad omnes Eccleſias eas dirigendi poteſtate & jure imperturbato gaviſus eſſet. II. Præjudicium tum Fridericum & alios occupaſſe, in Pontificis libertate eſſe, indulta ejuſcemodi concedere.

*a*) Vid. Raynaldus ad ann. 1446. n. 5. pag. 321.

*b*) Idem refert loco mox citato & ad an. 1447. n. 1. & 2. poſtulata Nationis Germanicæ.

*c*) Ad eundem annum idem Raynaldus n. 3. perhibet.

*d*) Verba indulti apud Ollgenium in Diſſert. de jure primar. precum hæc ſunt expreſſa: "Dudum ſiquidem fel. record. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter Vener. Fratri noſtro Epiſcopo Chiemen. reſervandi donationi ſuæ pro centum

tum personis idoneis, quas dictus Fridericus tunc Romanorum Rex duceret sibi nominandas, totidem beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura in terris & dominiis hæreditariis ipsius regis consistentia & nonnulla alia tunc expressa faciend., cum nonnullis prærogativarum, annullationum & aliis clausulis facultatem per quasdam suas literas concessit. „

## §. XVIII.

Interea missus est ad Germanos Joannes Cardinalis S. Angeli diaconus, ut tandem auctoritate & nomine sedis Apostolicæ negotium isthoc arduum perficeret, ac penitus componeret jurgia, quæ tanto tempore occasione reservationum Pontificiarum & aliorum gravaminum Pontifices inter & inclytam nationem Germanicam exarserant. Inita etiam, eodem Legato a latere agente, concordata Germaniæ fuere, in quibus, accedente Nicolai V. constitutione, præter alia in favorem nationis ordinata & conclusa, solenni pacto libertas electionum Episcopalium & Abbatialium, nec non collatio libera beneficiorum per sex menses ordinariis collatoribus concessa fuit, sublatis omnibus exspectativis, & mandatis de providendo Pontificiis. a) Nulla quidem in ipsa Bulla Nicolai V. mentio occurrit de primis precibus cæsareis, an vero non in tractatibus præhabitis, qui hodienum in Archivis Imperii latitant, de illo jure quid actitatum fuerit, non constat: saltem primariis precibus non favisse ordinarios collatores, inde conjicere licet I. si enim Pontificis in collatione beneficiorum potestatem coarctarunt, genus exspectativarum cæsarearum æque libertati collationis præjudiciosum non facile eos admisisse, credere par est, præsertim cum id juris nondum in Imperio pacifice obtineret. II. Si concordata non obessent juri isti cæsareo, ac ante ea hoc jam libere ab Imperatoribus exercitum, atque a Germanis agnitum fuisset, frustra Fridericus post concordata indultum Apostolicum desuper ab eodem Nicolao Pontifice expetiisset, ut mox dicetur, & capite sequenti uberius discutietur.

a) Vid. Concordata Germaniæ apud Lunigium Tom. I. Spicil. Eccles. p. 321. & seq. Leibnitium in Cod. Jur. Gent. diplom. pag. 397. & seq. apud Du Mont dans corps diplomatique du Droit des Gens pag. 163. & seqq. & in Bullario M. inter constitutiones Nicolai V.

## §. XIX.

Vix erant concordata Germaniæ ex utraque parte acceptata & subscripta, suæ rei velificatus Fridericus ab eodem Pontifice Nicolao V. indultum primariarum precum petiit atque impetravit, tum enim ejuscemodi Pontifici suggerere maxime opportunum cæsari fuerat, utpote qui ob concordiam Curiæ Romanæ multum faventem, a se maxime promotam, apud sedem Apostolicam permagnam inierat gratiam, præterquam quod hac sua petitione ansam peraccommodam

modam Pontifici exercendæ amplioris poteſtatis & in Concordata ſupremi arbitrii vindicandi ſuppeditaret, cæſarem id expetentem Pontifex benigne ſuſcepit, ac eidem indultum Apoſtolicum de anno 1451. in perampla forma conceſſit. *a*) Aſt utut hoc indultum ſat claris verbis nominandi poteſtatem Imperatori faceret, utut alias veneranda apud Germanos Pontificiarum conſtitutionum tum vigeret exiſtimatio, ac etiam pluſculum, quam ratio & utilitas publica moresque Germaniæ ferrent, Pontificibus ſibi ſumentibus obſequioſa eorum generoſitas patienter deferret, ordinarii nihilominus Germaniæ Collatores precibus parere noluerunt, inhærentes Concordatis, hæcque expreſſe obſtare dictitantes; aderant etiam exſpectativas aut indulta Pontificia habentes, qui præferri contendebant, & ob leges, poſt indultum cæſari datum, promulgatas, preciſtis opponebant, eos aut non impleviſſe legum illarum formas, aut uti precibus plane non potuiſſe: in hoc rerum diſcrimine conſtitutus Imperator rurſum a Pontifice Nicolao V. expetiit, ut novum, quo & Concordatis derogaretur, & prædicta dubia e medio tollerentur, indultum concederet, id quod perlubenter annuebat, data de anno 1454. decim. Kalend. Octob. Bulla Apoſtolica. *b*) Sed nec hoc ariete perfracta eſt Germanicorum Collatorum reluctandi ratio, utpote Concordatorum tenori inhærentium, nec non literas Nicolai ſub- vel obreptionis vitio laborare dicentium: hinc Fridericus, Nicolao V. paulo poſt rebus humanis exempto, uſu rerum edoctus, ſuas preces audientes non habere omnes Collatores, ad ſucceſſorem Callixtum III. rem detulit, rurſum petens Bullam Apoſtolicam, qua omnia per Nicolaum prædeceſſorem diſpoſita confirmarentur, preces ejusmodi ad beneficia in menſibus ordinariorum vacatura ſeſe extendere, clare exprimeretur, una cum annexa Concordatorum derogatione, aliaque plura in favorem Cæſaris ſtatuerentur, qua in re petitis Imperatoris haudquaquam defuit Pontifex, cum in ampliſſima forma indultum de anno 1455. ſub exordia ſui pontificatus largiretur. *c*) Utrum vero huic Apoſtolico diplomati morem geſſerint Germaniæ Epiſcopi Capitula, aliique collatores, dubitare nos ſinit indultum a Sixto IV. Pontifice, qui anno 1471. cathedram D. Petri conſcenderat, primarias preces Friderici III. rurſum confirmante datum, ut ejusdem mentionem facit in ſua bulla Succeſſor Innocentius VIII. *d*)

*a*) Vid. apud Oligenium in Diſſertat. de jure prim. precum §. XXXVII. & apud Lünigium Tom. I. Spicil. Eccl. p. 337.

*b*) Habetur tenor apud eundem Oligenium loc. cit. §. XXXIX. & Lünigium Tom. cit. p. 340.

*c*) Refert illud indultum Oligenius laudatus loc. cit. §. XL. &. Lünigius inſeruit Tom. cit. p. 343. & ſeqq.

*d*) Ab eodem Oligenio affertur §. XLIII. pag. 49.

## §. XX.

Fridericum III. qui anno 1492. ultimum diem obiit, excepit Maximilianus I. ejus filius, qui cum in vivis agente Patre in Regem Romanorum anno 1486 electus esset, ab Innocentio VIII. consimile indultum primariarum precum accepit; a) ast nec hoc tranquillam habuisse videtur executionem, collatores enimvero Germaniæ, precibus ab eodem in vim dicti indulti porrectis, rursum novis ex causis sese opposuere I. quod is, ut ut in Regem Romanorum electus, patre Imperatore vivente, eo indulto uti non posset: ea enim novitas oculos mentemque Germanorum perstrinxerat, utpote qui, Imperatore Imperii adhuc habenas regente, Regi Romanorum jus porrigendi primas preces nullatenus competere, asserebant, ut ne majus inde præjudicium in libera collatione ipsis immineret, & simul tum adhuc pervulgata erat sententia, post coronationem Imperialem modo cæsarem id juris exercere. II. quod indultum illi concessum, per quasdam Cancellariæ regulas postmodum ab eodem Pontifice publicatas, esset revocatum. III. quod preces cæsareæ nunquam arctarint eligentes, nec beneficia affecerint, quæ Capitula Germanica, prævia electione, conferre solebant, IV. quod eæ adhuc minus eos arctare possent, ad quorum præsentationem beneficia ecclesiastica pertinerent. b) Queis ex causis preces Maximiliani I. Regis sæpenumero insuper habitæ videntur: ad tollendas igitur has difficultates rursus ab Innocentio VIII. aliud petiit indultum, quo, præmissis exceptionibus e medio sublatis, primariæ preces tandem effectum sortirentur; id quod & Innocentius, tum potestatis suæ exerendæ, cum Maximiliani favorem sibi conciliandi ergo de anno 1492. concessit, c) & cum eodem anno pater ejus e vivis excederet, imperatorio titulo facilius executionem suarum precum Maximilianum obtinuisse, credere est.

a) Eruitur clare ex indulto de anno 1492. dato, quod extat apud Oligenium cit. Dissertat. §. XLIII. & Lünigium Tom. I. cit. p. 363.

b) Causæ & exceptiones prædictæ itidem ex eodem diplomate perspicuæ redduntur, ut legenti patebit.

c) Exhibet illud memoratus Oligenius cit. loc.

## §. XXI.

Maximiliano I. anno 1519. vitam & Imperium deserenti surrogatus est Carolus V. qui, sicut alia Imperii jura prudentia & fortitudine pari tuitus est, ita jus primariarum precum haud neglexit, sed ut ne impingeret in varios scopulos, nec sedem Apostolicam offenderet, nec oppositiones Collatorum Germaniæ, exemplo suorum Antecessorum edoctus, experiretur, aut quia necessarium credebat, indultum Apostolicum primo a Leone X. assecutus est a) verum

rum ex ejusdem juris exercitio variis litibus dubiisque enatis, quæ plurimum precum executionem retardabant, *b*) apud Leonis successorem Clementem VII. septimo jam anno Ecclesiæ clavum occupantem instabat, ut novo diplomate Apostolico concesso quæstiones ejuscemodi amputaret; qua in re Cæsari Pontifex consenserat, adeo, ut amplioribus longe gratiis Majestatem cæsaream illustrandam esse, in diplomate de anno 1530. dato edixerit. *c*) An vero istæ ampliationes in Germania receptæ fuerint, vehementer dubitandum est, erant enim istæ, ut ex nota inferius posita elucebit, statutis Ecclesiarum & consuetudinibus adversæ, quibus alias eæ firmissime insistere & non facile permittere solent, tantum suis juribus infligi vulnus, ex quo non nisi systematis sui inversionem pertimescunt.

*a*) Vid. Oligenius in laud. Differt. §. XLV. pag. 51. ubi mentio fit indulti Leonis in Clementis VII. Bulla.

*b*) Ex Bulla Clementis VII. difficultates videntur in eo sitæ fuisse, I. quod preces nonnunquam directæ fuerint ad beneficia generaliter Pontifici reservata. II. quod personæ nominatæ juxta statuta & consuetudines Ecclesiarum Germaniæ beneficiorum eorum capaces haud essent, aut necdum legitimam ætatem attigerint, aut ex illegitimo thoro progenitæ fuerint. III. quod non raro turpis ignorantia eas defædaret, ac propterea ab Ecclesiis, prævio examine facto, reprobarentur, ut mox tenor ipse Pontificiæ Bullæ ostendet.

*c*) Clemens VII. suo indulto loc. cit. pag. 54. hæc sequentia inseruit: "Nos igitur, ut Majestas tua tanto longe præstantioribus gratiis illustretur, quanto Sancta mater Ecclesia tuæ diadematis nostro ministerio susceptionis lætatur, motu proprio & ex certa nostra scientia tenore præsentium volumus; quod quilibet ex personis nominatis prædictis executores & subexecutores, etiamsi presbyteri aut notarii existant, ad effectum nominationis de eo factæ, ac literarum prædictarum quandocumque expeditarum deputare possit, quodque executores vel subexecutores prædicti beneficia prædicta, etiamsi dispositioni Apostolicæ alias, quam juxta constitutionem fel. record. Benedicti XII. prædecessoris nostri, quæ incipit: ad Regimen, dispositioni Apostolicæ generaliter reservata existant, & personæ nominatæ prædictæ juxta statuta & consuetudines Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi fuerint, sive indulta ipsis Ecclesiis concessa, capaces, seu in ætate legitima constitutæ, aut de legitimo matrimonio procreatæ, dummodo alias cum eis fuerit canonice dispensatum, non sint, & absque examinatione prædictorum conferre libere possint." Hic probe observandum, primum inter Pontifices Clementem VII. dedisse facultatem Cæsari, ut ad beneficia personas secundum statuta & consuetudines incapaces nominare posset, cum omnia indulta Antecessorum talem capacitatem in precistis desiderarent.

## §. XXII.

Carolo V. adhuc imperante, Ferdinandus I. ejus frater in Romanorum Regem electus ab eodem Clemente VII. indultum primariarum precum obtinuit,

nuit, & quidem duplex; primi formula non erat tam ampla, ut cum Caroli V. indulto comparari potuerit a) nihilo tamen minus Germani precibus ab eodem concessis obstrepuere, dictitantes, uno eodemque tempore Capitula premi non posse duabus precibus & pro duobus beneficiis, hanc esse novitatem, & moribus Germaniæ præjudiciosam & a mente Pontificis alienam, ideoque indultum ejuscemodi sub- & obreptionis vitio laborare, non enim tam insolite gravare Pontificem voluisse Ecclesias, præsumi potuit: huic difficultati aliæ quoque accesserunt, cum enim personas sæpe Ecclesiarum statutis & consuetudinibus a beneficiorum consecutione perpetuo exclusas Ferdinandus nominaret, adhuc majori impetu Germaniæ collatores insurrexerunt, ac preces regias contemtui habuere, quare ut obedientiam ab iisdem extunderet, rem detulit ad eundem Pontificem, qui alia solenni bulla Apostolica omnia resecare dubia tentavit, ac renisum collatorum penitus inhibuit, irritum declarando, si secus quidpiam a quovis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, dandoque judicibus tam in Curia Romana; quam extra eam juxta tenorem indulti lites dirimendi facultatem. Utrum vero ea omnia, quæ ampliori forma IIdo indulto inserta sunt, a Germanis æquanimiter recepta fuerint, ad credendum ægre inducor: imo suis inhæsisse statutis eos & moribus, ex indole illorum dijudicari poterit.

a) Indultum primum a Clemente VII. anno octavo Pontificatus XVIII. Kalend. Julii impetratum hisce cancellis coarctatum erat, I. ut non posset nominare, nisi personas juxta statuta & consuetudines ecclesiarum capaces beneficiorum II. ut eæ forent personæ, idoneæ in examine prævio repertæ, exceptis officialibus sedis Apostolicæ & in licita facultate graduatis, qui examen executorum subire non tenebantur. III. Ut beneficia sedi Apostolicæ generaliter reservata preces non afficerent, veluti tenor indulti hujus secundo diplomati desuper dato insertus testatur. "Sane dudum sub datum videlicet XVIII. Kalend. Julii Pontificatus nostri anno octavo eidem Celsitudini Tuæ post tuam felicissimam in Romani Regis electionem factam & per nos pro universæ Christianæ reipublicæ salute confirmatam, quodsi per te quibusvis collatoribus, seu collatricibus quorumlibet beneficiorum ecclesiasticorum, sæcularium vel regularium ordinum quorumcunque per Sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutis, super singulis beneficiis ecclesiasticis, cum cura, vel sine cura, etiam certo tunc expresso modo qualificatis, singulis personis, quæ hujusmodi beneficiorum juxta statuta & consuetudines Ecclesiarum, in quibus ea forent, seu indulta ipsis Ecclesiis per sedem eandem concessa, alias capaces essent, conferendi . . , quodque executores per te ad hoc pro tempore deputandi per se vel per alium seu alios beneficia prædicta, dummodo ipsæ personæ, nisi ejusdem sedis officiales, vel cum rigoroso examine in aliqua licita facultate graduati essent, ad obtinendum beneficia hujusmodi per diligentem examinationem executorum prædictorum quorum conscientias oneravimus, repertæ essent idoneæ, & beneficia ipsa dispositioni Apostolicæ generaliter reservata non forent, eorumque collatio non esset juxta Lateranensis statuta con-

concilii ad sedem prædictam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis indecisa penderet, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eisdem personis conferre & assignare valerent . . . concessimus & indulsimus „ Vid. Lünig Tom. I. Spicil. Eccl. p. 440. & seqq.

*b*) Loco mox citato in secundo indulto precum eædem, quæ ex privilegio Apostolico Carolo V. concesso §pho præcedenti adductæ sunt, amplitudines reperiuntur, quæ cum excessivam pontificis concessionem palam faciant, in Germania haud receptas esse conjicere licet, quin imo fortassis ob Ecclesiarum Germanicarum contradictionem in quorundam sequentium Pontificum indultis similes potestatis extensiones omissæ fuerunt.

*c*) Vid. finis indulti præmemorati apud Lünigium loc. cit. p. 441.

## §. XXIII.

Cum Ferdinandus I. Carolo V. subinde curis Imperii sese abdicante, solus Imperio præesset, urgentibus perturbatis, tum in Germania temporibus apud Electores Imperii electionem sui filii Maximiliani II. in Regem Romanorum procurare non destitit, qua ad optatum exitum anno 1562. perducta, is primarias preces ad collatores Germaniæ non illico direxit, observantibus inter sedem Apostolicam & ipsum ob petendam confirmationem & legationem obedientiæ, uti vocant Itali, mittendam gravibus litigiis *a*) queis tamen anno 1564. compositis jure primariarum precum usus est, obtento prævie a Pio IV. anno 1564. 4. Id. Julii indulto *b*) quod tanta concessionum, quanta Carolo V. & Ferdinando I. concessa indulta erant expedita, amplitudine non erat conceptum, ut tenorem ejus legenti indubie constabit, *c*) nihilominus rursum est derogatum Concordatis, Ecclesiarum statutis & consuetudinibus, uti quoque regulis Cancellariæ aliisque indultis, facultatibus & constitutionibus Papalibus, quæ juri primariarum precum obstabant, vis omnis & observantia adempta fuit. Non est hic silentio prætermittendum, quid de primariis precibus in concilio Tridentino eodem tempore ad finem perducto actum fuerit, & quæ ex indulto Pii IV. oborta sit controversia. Cum indubium foret has preces expectativis annumerandas esse, cumque a Concilio Tridentino proscriptæ fuerint expectativæ omnes, in dubium vocatum est, an eo Tridentinæ synodi decreto implicarentur Imperatores, tum potissimum, cum Pius IV. imperatorium hoc jus confirmasset. Cum thesaurariam suæ Ecclesiæ hujusmodi imperatorio mandato Archiepiscopus Cameracensis involatam sibi fuisse, vehementer doleret, Congregationem Concilii consulendam sibi esse, statuit: quæ etiam respondit, cum in eo decreto non fiat expressa mentio Imperatoris, eo illum non constringi; sit enim mentio Cardinalium qui & ipsi eminentissimo continentur illo ordine eorum, qui hujusmodi decretis non continentur, nisi expresse commemorati. Confirmata est a Gregorio XIII. responsio Congrega-

tionis, qui optime se meminisse dixit, in ea sessione Concilii Tridentini, in qua quæstio ista concertata fuit, cum molirentur aliqui Patrum hoc imperatorum jus infringere & abolere, frustra illos fuisse, & communiorem Patrum sententiam vicisse, ut tolleretur precum mentio, sicque non comprehenderentur in dicto cap. 19. *d*) Hæc dum perpendo, nonnullas ex iis observationes colligere est I. in Concilio Tridentino non æquo ab omnibus Patribus animo esse toleratas preces cæsareas, aut rectius indultorum Apostolicorum formulas, per quas genus ejusmodi exspectativarum magis invaluit: II. post quandam desuper habitam concertationem preces, aut indulta non esse a Concilio approbata, sed duntaxat majori Patrum suffragio statutum, ut ne mentio precum, aut indultorum in decreto exspectativas proscribente fieret. III. haud mirandum esse, quod ita res fuerit actitata, intererat enim Pontificis, & eorum, qui ex ejus parte stabant, ut expresse non proscriberentur preces & indulta primariarum precum, sed sedi Apostolicæ Cæsares sibi devinciendi facultas & in beneficia Germanica potestas uberior relinqueretur: demum perpauci Germanicorum Præsulum eidem Concilio interfuerant, & qui primo eo erant missi, domum post breve intervallum redibant, proinde suorum jurium tuendorum occasionem tam propinquam non habuere: si vero plures eidem synodo præsentes fuissent, pro libertate collationum fortassis tenacius concertassent.

*a*) Vid. Pallavicini Histor. Concil. Trid. Lib. 22. cap. VI. n. 6. & seq.

*b*) Extat apud Lünigium Tom. I. Spicil. Eccl. p. 511. & seq.

*c*) Procul dubio moderationem eam suadebant temporum circumstantiæ, ne Germanorum orthodoxorum animi, tum dissidiis religionis in Imperio maxime ferventibus, irritarentur, & sese Pontifici Cæsarique magis opponerent.

*d*) Referunt id Fagnanus in Lib. III. Decret. Part. I. p. 231. Chockier in tract. de indult. prim. prec. Thomassin. Part. II. Vet. & Nov. discipl. Lib. I. cap. LIV. §. X. & Oligenius cit. Differt. §. LXV. p. 96.

## §. XXIV.

Anno, antequam Maximilianus II. jam diu æger obiret, facile impetravit ab Electoribus Ratisbonam ad comitia evocatis, ut filium Rudolphum, nuper Bohemiæ & Hungariæ Regem a patre declaratum, in Romanorum Regem eligerent; hisce votis potitus una cum Patre Rudolphus de exercitio primariarum precum confestim cogitasse non videtur, cum morte patris brevi post Germania fuerit afflicta, insuperque bellum turcicum funestas rei christianæ clades minitaretur: præterea quædam differentiæ aulam Pontificiam inter & Cæsaream ob confirmationem electionis efferbuisse videntur; nam modo post mortem Maximiliani patris indultum Apostolicum paterno simile Rudolpho Gregorius XIII. anno 1577. & Pontificatus sui sexto tradidit *a*) Qui Rudolphum

phum II. in Imperio exceperunt, Imperatores Matthias, Ferdinandus II. & Ferdinandus III. jus primariarum precum, non nisi impetrato a Pontificibus diplomate Apoſtolico *b*) exercuerunt. Sub his Imperatoribus Collatores Germaniæ primis precibus jamjam aſſueti, in quantum earum ſubſtantiam ſpectabat, haud refragati ſunt; ſi quid vero contra ſtatuta & conſuetudines Eccleſiarum a preciſtis tentatum fuit, aut ubi ex antiqua conſuetudine nunquam ejusmodi preces admiſſæ ſunt, preciſtis aditus ad ea beneficia, ab extremum repugnantibus Eccleſiis, interclusus fuit, aut ex ignorantia juris, vel politicis rationibus ad gratiam cæſaream aucupandam, ſive in favorem preciſtæ, aut majoris impetus avertendi cauſa juri quæſito ſponte a nonnullis Eccleſiis renunciatum eſt. Jam demum ex præmiſſis quam luculentiſſime conſtat, a Friderici ævo usque ad Leopoldi I. tempora Imperatoribus a ſede Apoſtolica indulta primarum precum eſſe donata, variantibus nonnunquam ſub formulis, quandoque amplioribus, ſubin magis reſtrictis.

*a*) Lünigius Tom. cit. pag. 521. exhibet illud indultum.

*b*) Idem refert indultum Pauli V. Matthiæ de anno 1612. Ejusdem Ferdinando II. de anno 1620. datum & formulam conſuetam precum Ferdinandi II. ubi mentio fit conſuetudinis etiam authoritate Apoſtolica per Paulum V. roboratæ. Vid. cit. Tom. p. 531. 532. & ſeqq. & Oligenius in cit. Diſſert. §. LII. indultum Urbani VIII. Ferdinando III. anno 1638. conceſſum adducit.

## §. XXV.

Sub Leopoldo Imperatore alia rerum facies inducta fuit circa uſum primariarum precum, cum enim hucusque ſedes Apoſtolica tale indultum non concederet, niſi poſtquam neo-electi Imperatores legatum miſerant, qui eorum nomine obedientiam ſive reverentiam Pontificibus devoveret, & deinde confirmationem electionis (uti Curia Romana prætendit) impetraret: Leopoldus autem, inteſtinis & incertis agitatus bellis, tam ſolennem & maxime ſumptuoſam pro conſervando Imperii decore legationem ad ſedem Apoſtolicam dirigere nequiret, apud Alexandrum VII. tum Pontificem inſtitit per Cardinalem de Haſſia ſuum apud eundem legatum ordinarium, ut ſine legatione ſpeciali & extraordinaria (quæ a Romanis legatio obedientiæ, a Germanis non paucis reverentiæ & obſequii vocitatur) & absque tot ſumptus abliguriente pompa electionem admitteret, *a*) verum Pontifex tenaciſſimus hujus cæremoniæ, timens, ne paulatim hic mos, qui ad inſigne ſedis Apoſtolicæ decus cedere credebatur, in deſuetudinem abiret, ſecuturis imperatoribus eo exemplo, licet res Germaniæ feliciori & pacatiori in ſtatu deinceps eſſent, imposterum uſuris, diploma confirmationis electionis (ut Romani appellant) concedere detrectavit, niſi legatus cæſareus ad hunc ſpeciatim effectum miſſus, conſueta

ſo-

ſolennia exolveret; quod cum ob bella, queis Hungaria, Germania & univ ſum Imperium inundabant, ab uno in aliud tempus dilatum fuerit, Leop dus nihilominus primarias preces, non impetrato a ſede Apoſtolica indul ad collatores Germaniæ direxit, ſed opinione & teſtimonio Oligenii b) adn dum parce eo jure uſus eſt. Comes Lambergius tum Leopoldi principalis M niſter pro indulto ſingulari & pro uno Canonicatu Salisburgenſis Eccleſiæ, quo in favorem filii promiſſionem primarum precum a Cæſare obtinuerat, ſ plicavit, ſed reſponſum tulit, ſedi Apoſtolicæ non eſſe in more poſitum, ſigillatim indulgere, ut conſtat ex epiſtolis Italice ſcriptis, quæ apud Oli nium extant c).

a) Petitionem Cæſaris Cardinalis de Haſſia ad Alexandrum Papam his verbis tulit:

"L'Imperadore mio ſignore ſin dal principio, che fù eletto Rè de' Rom ebbe ſempre un' ardentiſſimo deſiderio di mandare à Roma un' Ambaſciad di Ubbidienza, col mezzo del quale impetraſſe anche la conferma della elezione. . . Ma quanto l'accende à ciò eſeguire la ſua ſingolariſſima pi altretanto la ritengono le continue calamità de' tempi troppo note à tu l' Europa, non che à voſtra Beatitudine tanto informata, in che ſtat trova ora la Germania circa le coſe non ſolamente politiche, ma della r gione Cattolica, ſi miſeramente lacerata & impugnata dagli Eretici ed in deli, à ſegno che non sà vedere ſua Maeſtà, come poſſa trà le turbolen dalle quali ſi aſſorbiſce un' infinità di ſpeſe, paleſar con la dovuta pon d'un' Ambaſciadore il Zeloſiſſimo oſſequio, che deve, e porta à voſtra Sa tà, veriſſimo Vicario di Criſto. . . . Ciò eſſendo, Beatiſſimo Padre, e ſua Maeſtà Ceſarea viene impoſſibilitata di trasmettere un' altro Ambaſcia re ſtraordinario, come il Cardinal d' Aſſia à nome di ſua Maeſtà ne fà river te atteſtatione à voſtra Santità; e che nondimeno ſarebbe di tanta import za per il ben publico e della religione Cattolica, che l'autorità Ceſarea niſſe corroborata con la detta confermazione Apoſtolica. Jo ſupplico la ſ ma prudenza di voſtra Beatitudine à riflettere benignamente à qualche pa colar modo di confermare la detta elezione Ceſarea per Breve, ò in altra niera &c." Ita refert Oligenius cit. Differt. §. LXX. p. 104. & 105.

b) Idem pag. 110. ita differit. "Scimus & palam eſt, quod affirmamus in verſa Germania, eum Auguſtiſſimum Imperatorem ſe abſtinuiſſe ab hiſce cibus porrigendis pluribus atque pluribus ordinariis. Coloniæ Agripp præter Metropolitanæ Eccleſiæ illuſtriſſimum Capitulum plura ſunt inſigni Collegiatarum Capitula, ad quæ nullas à Leopoldo preces perveniſſe c ſtat. De aliis plurimis non loquimur, cum ſatis manifeſtum ſit, parce mis Leopoldum precibus uſum, quod is optime ſciret ſine indulto Apoſt co Germanos Antiſtites & inclyta Capitula non ita facile ſuis precibus o cutura. Imo compertum eſt, plures atque plures imperiales Leopoldi pre vacuas ad eundem rediiſſe."

c) Vid. apud eundem cit. Diſſert. §. LXXI. p. 106. 107. & ſeqq.

§. XX

## §. XXVI.

Josephus Imperator intra hos limites non se coarctandum ratus, ulterius processit, & jus precum ceu sibi proprium magis constabilire voluit, ideoque nec indultum Apostolicum petiit, nec id necessarium judicavit: quocirca primas preces Ferdinando Raesfeld datas anno 1705. die 16. Junii ad Capitulum Hildesiense direxerat, *a*) certior de hoc factus Clemens XI. Pontifex anno sequente ad idem Capitulum literas inhibitoriales dederat, quibus ei injunxit, ut ne precum harum rationem haberet, ac insuper momenta inseruit, ob quæ jus illud ab indulto Papali dependeat, & non nisi hoc concesso exerceri possit *b*) de quibus inferius mentio uberior fiet. Hæc proinde controversia facile Sacerdotium & Imperium in non temnenda litigia pertraxit, & in magis lugenda pertrahere potuisset, nisi, Josepho præmature defuncto, Carolum VI. Imperatorem inter & Apostolicam sedem mitiora consilia agitata concordiam rursum revocassent; idquod ipsius Clementis XI. literæ ad omnia Capitula Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum datæ satis comprobant, uti eas Franciscus Schmier legendas exhibet *d*) erat autem controversia illa sequenti modo, ex lege amicæ conventionis, pro tuendo jure Sacerdotii & Imperii, auspicatissime consopita I. impetravit Carolus VI. indultum primariarum precum ab eodem Pontifice, quamvis id nec aperiret, nec ullam ejusdem mentionem in suis diplomatibus precum faceret, sed duntaxat ex antiqua consuetudine jus illud sibi competere asseveraret II. ad honorem jusque fratris Josephi defuncti Cæsaris servandum preces a Josepho, dum viveret, expeditas Pontifex executioni dari mandavit, ita tamen, ut nullum iis, quibus ab Episcopis, Capitulis aliisque collatoribus beneficia, contemptis Josephinis precibus, durante dissidii hujus tempore, collata fuere, præjudicium inferatur. *e*)

*a*) Referunt id diploma cæsareum Oligenius Differt. de jure prim. prec. p. 3. Lünigius Spic. Eccl. P. II. p. 281. Boehmerus Jur. Eccl. Protest. Lib. III. Tit. de præb. & dignit. §. CXII. & alii.

*b*) Extant eæ literæ apud Oligenium cit. Differt. p. 115. & seq. apud Boehmerum loc. cit. Ayrerum in commentat. de jure prim. prec. Append. document. N. XIII.

*c*) Jacobus de Laderchio Annalium Ecclesiasticorum continuator refert Tom. XXII. ad an. 1567. n. XIV. p. 416. Josephum a Clemente Pontifice indultum primariarum precum post admonitionem factam & petiisse & impetrasse: nam ita inquit: "Quare cum Josephus I. electus Rom. Imperator, præter vetustissimum prædecessorum morem, Apostolica sede inconsulta, neque antea obtento, quod prædiximus, diplomate, ad quædam Germaniæ Capitula nominationes suas direxisset, illaque obstitissent, ubi tandem admonitus fuit, & quod rei erat, intellexit, summa, qua pollebat, pietate, Apostolicum ipsum indultum enixe petiit, & obtinuit, & deinde beneficia, quæ intra tempus, ab eodem diplomate præstitutum, vacantia fuerunt, nemine Ecclesiastico-

sticorum Ecclesiarumque Germanarum reluctante, more majorum conferre liberrime potuit. „ Ast hæc a vero abludere manifestum est, tum ex oratione ejusdem Pontificis anno 1711. in secreto Consistorio habita, ubi inter alia ad Cardinales locutus est hæc sequentia de Josepho: "Decreverat scilicet jam pridem (quod ad defuncti Principis laudem commemoramus) accepto a Majoribus suis more, ea omnia, quæ obedientissimum S. R. E. filium decent, per suum apud nos & eandem sedem oratorem, cumulate nobis præstare; quin imo suas etiam ad id jam literas miserat, ab eodem oratore nobis reddendas, quibus, quidquid olim post solemnem eorundem illius Majorum in Romanorum Reges & Imperatores electionem Pontifices, prædecessores nostri, facere & concedere consueverunt, id totum a nobis similiter fieri, sibique concedi, debita reverentia postulabat. Nec ipsi Josepho hac in re ullatenus defuissent pontificiæ charitatis atque auctoritatis argumenta illa, quæ ejus Majoribus delata fuerunt. Re ipsa tamen, Deo sic disponente (per obitum ejus immaturum) opus istud minime perfectum fuit. „ Tum ex illius literis ad Ecclesias Germanicas datis mox referendis luculentissime comprobatur, hinc colligitur, eum Continuatorem memoriæ lapsum commisisse.

d) Exordium illarum literarum in Jure Canonico universo Tom. II. Lib. III. Tract. I. Part. II. cap. LII. Sect. VII. §. I. n. 590. adductarum ita testatur: " Clemens P. P. XI.

Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Cum jam benedicente Domino, difficultates illæ, propter quas dudum Imperiales preces, quas primarias vocant, minime admittendas esse, ediximus, sublatæ prorsus remanserint, nullumque propterea Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Regi in Imperatorem electo Pontificiæ benevolentiæ argumentum deesse voluerimus, id totum Dilecti filii, vobis nunc notum & perspectum esse, æquum ducimus, simulque vos admonere, ut eas, quas de cætero a dicto Carolo Rege, sive vobis, sive aliis quibusvis collatoribus seu collatricibus quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum, per Sacrum Romanum Imperium existentium, pro beneficiorum hujusmodi, cum primum illa vacaverint, collatione, servatis tamen restrictionibus, & exceptionibus solitis facienda, porrigi seu exhiberi contigerit, omnino recipiendas atque admittendas esse noscatis. „

e) In iisdem literis hæc leguntur: "Præterea cum nobis innotuerit, etiam Clarissimæ memoriæ Josepho, dum vixit, eorundem Romanorum Regi in Imperatorem electo, prædicti Caroli Regis Germano fratri, animum non defuisse, ad rem totam explendam, nisi immaturus illius obitus cuncta turbasset, adeoque per ipsum non stetisse, quo minus eædem difficultates penitus tollerentur, quemadmodum ex authenticis ad nos allatis documentis liquido constitit: idcirco etiam similes primarias preces, ab eodem Josepho Rege, dum viveret, expeditas, quæ vobis hactenus exhibitæ fuerunt, seu imposterum exhibebuntur, suum integrum & plenum effectum habere non abnuimus; citra illorum præjudicium, quos in beneficiorum possessione, sive a nobis, sive a quibusvis ordinariis collatoribus, seu collatricibus collatorum, exclusis prorsus ac nullatenus ad illam admissis iis, in quorum favorem preces prædictæ pro eisdem beneficiis a memorato Josepho Rege expeditæ fuerunt

runt, reperiri contigerit, quibus tamen, ficut præmittitur, exclusis, beneficia primum vacatura conferri debebunt. „

## §. XXVII.

Caroli VI. Imperatoris obitum perturbatus Germaniæ ſtatus excepit, ac aliquandiu hujus libertas inter ambigua Procerum Imperii conſilia factaque titubabat, tandem electo in Imperatorem Carolo VII. e domo Bavarica, ratione primariarum precum nonnullæ inter ſedem Apoſtolicam & ejus aulam quæſtiones videntur eſſe motæ, plus demum Curiæ Romanæ poſtulatis eſt conceſſum, vel ex ſingulari Caroli VII. erga Pontificem & ſedem Apoſtolicam veneratione ac obſequio, vel ob circumſtantias temporis, quæ majorem cum Pontifice tum conjunctionem eſſe ineundam ſuadebant, ideoque non eſt mirum, quod Carolus VII. tenori ſuarum precum inſeruerit, jus iſthoc ſibi ex antiqua conſuetudine, etiam a ſede Apoſtolica approbata, competere. *a*) At hinc colligere eſt, jura Sacerdotii & Imperii, dum ex utraque parte in dubium vocantur, quaſi in bilance poſita, variantibus temporum circumſtantiis, modo ad hanc partem, modo ad alteram plus inflecti, ac dum hoc eo peragitur conſilio, ut pax & concordia ſacerdotium inter & Imperium integra, inviolataque perſiſtat, utrinque laudatiſſimæ & in publicum utriusque bonum cedentis eſt prudentiæ ac politices ſanæ compendium. Carolus VII. vix non inopinato e vivis ereptus locum in Imperio Franciſco I. Lotharingiæ & Magno Hetruriæ Duci fecerat, qui cum in Imperatorem electus eſſet, rurſum quædam differentiæ ſedem Pontificiam inter & aulam Viennenſem enatæ ſunt, ac aliquamdiu primariæ preces a Franciſco I. Auguſtiſſimo Cæſare non ſunt porrectæ, iis litigiis vero e medio amicabiliter ſublatis, indulto a Benedicto XIV. moderno Pontifice conceſſo, jus primariarum precum eſt exercitum, formula Joſephinæ prorſus ſimili adhibita, nullaque mentione de jure a Pontifice per indultum approbato facta *b*) Equidem Pontifex ſuæ cauſæ velificari volens, ante conceſſionem indulti, uti ex relatione fide digna accepi, ad Eccleſias Germanicas, præſertim eminentiores, dedit literas, queis indultum Cæſari necdum a ſe donatum ſignificavit, fortaſſis eo conſilio, ut, ſi preces a Cæſare porrigerentur, eas haud admitterent, inſimulque animum ſuum obſequioſum mentemque de neceſſitate indulti aliis literis Pontifici conteſtarentur: verum re in ſuſpicionem adducta, id ad aulam Cæſaream eſt delatum, ac quid ea in re conſilii capiendum ſit, interrogatum; unde reſponſum fuit acceptum, ab Eccleſiis iis non eſſe Pontificiis literis quidpiam reponendum, ſed totum id negotii Cæſari eſſe relinquendum, qui jam collatis eam in rem aptis conſiliis, difficultates obortas complanare ſciret & poſſet.

*a*) Verba precum Caroli VII. ex copia cum originali rite collata deſumpta ita habent: " Quare cum Nobis ad Anteceſſorum noſtrorum imitationem, ex in-

veterata consuetudine, etiam Apostolica authoritate a Sancta sede & a Sanctissimo in Christo Patre Domino Benedicto XIV. Sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae summo Pontifice roborata, jus competat preces primarias ad omnes & singulos beneficiorum ecclesiasticorum collatores & collatrices ... porrigendi, dandi, concedendi & decernendi pro personis idoneis & nobis gratis."

b) Uti constat ex lectione diplomatum Francisci I. quibus preces suas dirigebat, unum legi ad Ecclesiam quandam Cathedralem datum, ubi adverti, nomine & titulo Caesaris mutato simillimam Josephinae esse formulam adhibitam.

## §. XXVIII.

Ex praemissa hac historica genuinis ex monumentis deprompta serie facile sibi quivis de ipso jure primariarum precum, quid rei sit, ideam veram, saltem generalem formare poterit, namque inde prono quasi alveo fluere observabit, jus isthoc, quo Imperatores gaudent, reapse esse facultatem semel nominandi personam quandam idoneam ad unum beneficium in Ecclesiis immediatis & mediatis Imperii vacans aut vacaturum: si quis vero modum exercendi illius juris controversum, uti historia praefixa testatur, perpendit, difficultatem adhuc sentiet in proximo ejus fonte statuendo, num videlicet id indulto Apostolico, an consuetudini antiquae & a pluribus Imperatoribus approbatae duntaxat adscribere debeat. Item an haec ipsa consuetudo non jus quoddam majestaticum, vel patronatus regii, aut advocatiae ecclesiasticae praesupponat, rursum quid exhis adfirmandum sit, in bivio anceps haerebit; idque dubium magis adhuc crescet, si is in diversas sibique invicem oppositas auctorum sententias inciderit, ex quibus quam sit adoptaturus, prima fronte, primoque intuitu haud sciet, licet pensiculatius expensis illius juris origine & progressu, aliquarum opinionum desuper conceptarum falsitatem haud difficili negotio deprehendere queat. Verum cum in fontem, unde primae preces Imperatoris proveniant, infra pluribus inquirendum sit, hic mihi sufficiat, notionem quandam generalem &, ut ita dicam, substantialem ex historia praemissa deduxisse: nunc autem statuminaturus sententias juri Ecclesiae canonico & publico Imperii conformes, varias ex eo primariarum precum jure promanantes quaestiones indagabo discutiamque, ac primo quidem, utrum Concordata Germaniae juri illi obstent, 2do, quid in P. W. de eo tractatum & statutum fuerit, & qui ejus textus intelligendus sit. 3tio unde Imperatori jus isthoc competat, quando & quomodo illud exercere queat. 4to quae beneficia apud Catholicos primis precibus afficiantur, & quaenam econtra excipiantur: 5to quid ex parte precistarum requiratur, quodnam jus inde habeant & quando eo uti possint & debeant. 6to quibus modis eorum jus exspiret. 7timo quinam executores constituendi sint, quid officii & juris habeant, quae media exequendi ad-

adhibere debeant, & quis controversiarum inde ortarum judex existat. Hæc capita genuinis argumentis ita elucidare adlaborabo, ut variis iisque in praxi non exiguum punctum habentibus quæstionibus faciam satis, ac in omnibus me nulli parti præpostere esse addictum commonstrem.

# CAPUT II.

## Utrum Concordata Germaniæ Juri Primariarum Precum obstent.

### §. I.

In primo Capite jam quædam sunt congesta, queis haud obscure intimatur, Concordata Germanica illi juri obstare, aut saltem tum obstitisse: cum vero hæc momentosi argumenti sedes non temnenda uni alterive parti, Pontifici vel Cæsari, inferre videatur præjudicia, prout in unius alteriusve favorem veritas se apertiorem reddiderit; hinc uberiori ejus rei disquisitioni locum concedere haud supervacaneum erit: Concordatis, siquæ prius recepta fuit, consuetudinem preces primarias dirigendi sublatam esse, autumat, utque probet, omnes nervos intendit Conradus Oligenius larvatus *a*) quem Justum Fontaninum eruditi credunt, Clemens XI. Pontifex literis suis ad Capitulum Hildesiense datis idipsum asseruit *b*) uti & Pauluccius Cardinalis *c*) nec non alii scriptores catholici id insinuant, dum per indulta Concordatis derogari dicunt. *d*) In contrariam vero sententiam alii tum ex Catholicis, cum ex Protestantibus *e*) auctoribus concedunt. Ante utriusque opinionis momenta & primo negantis, deinde affirmantis adducam, quam observationibus & responsionibus, ex mente scriptorum asserentium, argumenta negantium confutaturus sim.

*a*) Differt. sæpius cit, §. XXX. & seq. p. 25. ubi inquit: "Itaque siquæ irrepserat consuetudo primariarum precum tempore, quo Principes Germaniæ contra fas electiones canonicas invaserant & ante jam dictam concordiam; dilucidum fit per pacta jam relata subscripta ab Imperatore, omnibusque Imperii ordinibus, illam fuisse penitus eradicatam; Concordata enim sunt directe opposita precibus Imperialibus; in illis enim cavetur, electores ecclesiasticos in posterum totali libertate gaudere, ut innuunt illa verba: *fiant electiones Canonicæ:* sed vigore precum electores, posthabita libertate electionis, quin nulla electione facta, coguntur precistæ conferre: in illis reservantur ordinariis collatoribus quidam menses, in quibus neque Pontifices Romani, sed tantummodo ordinarii conferre queant, & Capitula eligere; quod jus subvertitur per preces „ &c. Verum, quod habet de electionibus hic Autor, huc non quadrat, sed ignorantiam praxeos in Imperio usitatæ prodit, nam

nam preces Cæsareæ non dirigi solent ad Episcopatus, quippe Episcopos libere Capitula Cathedralia eligunt ex jure per Concordata ipsis stabilito.

*b*) Vid. tenor literarum Clementis apud Auctores citatos cap. I. §. XXVI.

*c*) Rescriptum illius Cardinalis de anno 1709. ad Capitulum Vredense ratione primariarum precum datum exhibet Ayrerus in laudatæ comment. Append. document. p. 63.

*d*) Reiffenstuel Tit. de præb. & dignit. §. XX. n. 585. Schmalzgrueber eod. tit. n. 331. Chokier indult. S. 4. v. *cum in quibusvis etiam ordinariis*. Wagnereck ibid. §. 3. v. eod. Hermes n. 47. & alii.

*e*) Gribnerus Differt. de prim. prec. Imper. sine Pontificis indulto validis §. 16. Linckerus in vindic. prim. prec. Boehmerus Jur. Eccl. Prot. Lib. III. tit. de præb. & dignit. §. CXII. Ayrerus Comment. de jure prim. prec. cap. II. p. 55. & alii passim.

## §. II.

Non attinet hic confutare, quod protestantici scriptores adferunt contra validitatem Concordatorum, variis fraudibus, præsertim Æneæ Sylvii, postea Pontificis Pii II. ut arguunt, initorum; sufficit enim illa & Pontificis & nationis consensu esse adprobata, utut dextra argendi ratio Æneæ Sylvii Imperatorem & nationem inclytam ad plus de juribus suis remittendum induxisset. Nec eo confugere fas est, quo secundo iidem autores vim illius pacti solennis elevare conantur, dictitantes, Germanos ab omni obligationis vinculo jam dudum solutos fuisse, quod Pontifices fidem hac in conventione datam sæpius fregerint, & noxiis nationi principiis imbuti, Concordata illa ex parte sedis Apostolicæ merum continere privilegium & gratiam, existiment, ideoque derogationem Concordatis a se licite fieri, credant: nam hoc non obstante Germani apud Pontifices exactam Concordatorum observationem urserunt, cæsaresque in Capitulationibus ad eadem apud sedem Apostolicam tutanda jurejurando obstrinxerunt, indeque ea legis alicujus publicæ & pragmaticæ vim hodienum obtinere, perspicuum est, uti hæc fusius Magnificus Barthe ius Celeberrimus Ss. Canonum Wirceburgi Professor tuitus est. *a*) Cum igitur Concordatis quoad catholicas Germaniæ Ecclesias vim obligationemque inesse publicam, in comperto sit, quæstioni sat gravi locus est, an non ea juri primariarum precum obstent, præsertim ex eo, quod sedi Apostolicæ certa beneficia reservata sint, & dignitates ecclesiasticæ, nec non alia beneficia ad liberam ordinariorum collationem spectare debeant: huic dilucidandæ sequentia in utramque partem adducta momenta inservient.

*a*) Vid. ejus Differtatio Generalis de Concordatis Germaniæ.

§. III.

## §. III.

Qui negantis sunt sententiæ, auctores his argumentis suam doctrinam constabilire solent, prorsus judicantes, Concordata eidem juri non obsistere I. quod illius mentio expressa in Concordatis non sit facta, tacita autem derogatio hujus juris tam antiqui non sit præsumenda *a*) II. quod diu ante Concordata Imperatores illo jure usi fuerint, nec ulla de illo, Concordatorum tempore, controversia inter Imperatorem & Collatores Germaniæ exarserit, proinde nec transactio aliqua locum hic habere potuerit *b*) III. quod in hanc ipsam sententiam status Catholici concesserint, respondendo ad gravamen Protestantium V. in tractatibus P. W. anno 1646. mense Aprilis utrinque habitis *c*) IV quod, dum Protestantes Concordata & primarias preces in suis ecclesiis sublatum ibant, legati Cæsarei, ut saltem jus precum tuerentur, ad consuetudinem antiquam, insuper habitis Concordatis, postpositoque privilegio Pontificio, provocarint *d*) vis igitur fieret juri Cæsareo ex mente ipsorummet Catholicorum, si Concordata illi facultati preces dirigendi obstare dicerentur.

*a*) Textor. Jur. publ. Cæsar. cap. XI. n. 202. Ayrerus cit. comment. cap. II. §. I. & alii ita sentiunt.

*b*) Boehmerus J. E. Prot. tit. de præb. & dignit. §. CXII. p. 357. & seq. Cortreius in observ. ad concord. cap. II. Fritschius de jure prim. prec cap. II. Precista in literis ad Matthiam apud Klockium in addit. Consil. IV. Vol. I. verba sunt hæc: " Nun ist unverneinlich wahr, daß das jus primariarum precum ... denen Römischen Kaysern in dem Heil. Reich alsbald mit der Kayserlichen Wahl zuwachse ... und ehe die Concordata Germaniæ ad rerum naturam kommen, allezeit annectirt gewesen, auch bey denen Concordatis, als eine uhralte unstrittige Gerechtsamkeit nicht in consideration gezogen, sondern allein denen Ordinariis & Capitularibus jedoch salvo cujusvis alterius jure dadurch auf gewisse Maasse vorgesehen worden, dahero es dann auch in quocunque mense, non obstantibus quibuscunque nominationibus statt hat, und alle andere provisiones suspendirt "

*c*) Vid. Ayrerus cit. comment. cap. II.

*d*) Verba Protestantium, dein Catholicorum profert Cortreius in observ. ad concord. cap. II. n. 53. & in repræsent. jur. prim. prec. cap. VI. sub finem.

## §. IV.

Contrariam huic opinionem scriptores § I. citati firmare ac munire viribus omnibus contendunt: & quidem, ut ex dissertatione Oligenii colligere potui, I. pacto Concordatorum publico sedi Apostolicæ reservata sunt beneficia, quæcunque in Curia vacarent, item beneficia Cardinalium & Pontificiorum ministrorum, quocunque ea loco vacarent, post libertatem electionum Ecclesiis Ca-

Cathedralibus & Abbatialibus restitutam, reliquæ dignitates, exceptis primariis cujusque Ecclesiæ Cathedralis & Collegiatæ, item alia beneficia omnia Pontificem inter & Ordinarios per menses alternos æquatis partibus pro collatione divisa fuere, a) quis proinde non adseret, hæc Concordata juri primariarum precum, obstare, cum hoc jus his juribus, Imperatore sciente, non contradicente, nec reservante, nec mentionem sui juris ullam faciente, sedi Apostolicæ & Ordinariis concessis manifesto adversetur? II. si illi juri Concordata non obstitissent, nullatenus ipsemet Fridericus III. apud eundem Pontificem Nicolaum V. instare potuissent, ut per indultum Concordatis derogaret: ex quo conjicere haud vanum est, & Friderico III. & Pontifici, totique tum nationi Germanicæ insedisse sententiam, Concordatis jus illud cæsareum esse exclusum III. omnes Pontifices, quicunque indulta concesserunt, Concordatorum derogationem nominatim iis inseruere, & singuli Successores Friderici III. indulta admiserunt, nihil obmoventes, haud opus esse ea derogatione indultis Apostolicis inseri solita IV. Imperatores si Concordata juri suo non adversari judicassent, hodienum possent beneficia Pontifici, in Extravag. *Ad Regimen* Concordatis inserta, reservata, precibus suis adficere, atque aliis a sede Apostolica per indulta factis beneficiorum exceptionibus vix morem gessissent, si ante Concordata in iis jus suum aut exercuissent, aut per Concordata sublatum non fuisse, credidissent. Unde prono quasi alveo fluere videtur, ei juri Cæsareo Concordata vere obstare, neque illud sine horum violatione, aut Pontificis vel nationis consensu exerceri potuisse, aut nunc posse.

a) Vid. ejus Dissertatio §. XXX. ubi inquit: "Demum in concordia nil, quod beneficialia sapiat, reservatur Friderico, & Successoribus & omnium beneficiorum collationes distribuuntur inter summos Pontifices & ordinarios Collatores Germaniæ, quamvis Fridericus, omnesque Germaniæ ordines concordiæ adfuissent, eamque laudassent, & Imperator dissimulare haud potuisset jus primariarum precum, quod Imperatores se habere existimaverant, cum & ipse ab Eugenio Prædecessore Nicolai V. indultum speciale super his impetrasset. „

## §. V.

Cum ex præmissis utriusque sententiæ sibi invicem e diametro repugnantis causis & momentis perspicere quivis possit, non levidensi conjectura, aut longe petito argumento utramque niti, observationes intimius penetrandis utriusque fundamentis conducentes huc congerere haud vacabit, licet, quid hac in re difficultatum plena sentiendum sit, unicuique liberum relinquatur. Ad rationes itaque primæ sententiæ I. & IIdam adnotare convenit, quod primarias preces ante Concordata pacifice apud Ecclesias Germanicas obtinuisse, ac usu tranquillo esse directas, nec non executioni datas, tanquam indubitatum præsupponant; id quod tamen a certitudine tantum abest, ut ejus falsitas ex præfi-

præfixa historia Cap. I. adlata cujusque obtutui manifesta sit. Ad quid enim Sigismundus a Concilio Basileensi illius juris concessionem expetiisset? *a*) imo idem nonnullos antecessores suos & se effectu precum esse frustratos, clarissime contestatus est. *b*) Adserebant itaque Imperatores, ex antiqna consuetudine id juris sibi competere, sed non ea id facilitate Ecclesiæ Germanicæ credidere vel admiserunt; cujus rursum fide dignissimum profert testimonium Gobelinus Persona *c*) quare primo & secundo adlatis argumentis magna id, quod probare nituntur, convincendi vis decrescit, præsupponunt enimvero jus illud ubique certitudine nixum, ac nil contradicentibus Germanis esse receptum. Igitur ad summum, quod in Concordatis nihil de eo jure statutum legamus, in statu prioris dubii materiam isthanc fuisse relictam, concludere est; quantumvis plus haud temere quis inde eruere valeat, cum Imperator vel ejus legati silentio haud præteriissent jus ejusmodi cæsareum, si firmis jam jam ante Concordata talis stetisset, cavissentque, ut ne per reservationes pontificias inibi approbatas & alternativam mensium Pontificem inter & Collatores Germaniæ institutam, tale jus præjudicium sentiret; imo si decretum Concilii Basileensis circa jus primariarum precum editum & a Pontifice & a Germanis receptum fuisset, adhuc facilius mentio quædam illius juris in Concordatis facta esset, id quod a vero longissime abesse, textus Concordatorum perhibet, & ut inde conficiatur argumentum haud exigui momenti, sequentem illationem expendere juvat: cum natio Germanica alias decretis Basileensibus, quæ ejus gravamina, libertate & electionum & collationum restituta, sublatum ibant, mordicus inhæreret, econtra sedes Apostolica in contrariam partem omni nisu dimicaret, tandem quædam moderatio, mediaque via temperamenti ab utraque parte inita fuit, ut scilicet decretorum Basileensium pars altera abjiceretur, altera admitti deberet, teste Ænea Sylvio, qui Concordatis affuit *d*) cum vero nihil in Concordatis de jure primariarum precum, nec decreto Basileensi desuper publicato commemoretur, id abjectis & reprobatis, aut saltem non adprobatis illius Synodi constitutionibus accensendum, legitime consequi videtur.

*a*) Vid. apud Lünigium Tom. I. Spicil. Eccl. p. cit. tenor decreti Basileensis.

*b*) Id Sigismundus, testante eodem Decreto, apud Patres Basileenses conquestus est.

*c*) Cosmodrom. Ætat. VI. cap. XCIV. inquit: " Postquam Johannes (XXIII.) depositus fuit de Papatu Rex dedit gratias ad beneficia ecclesiastica exspectativas: & sub colore, quod ipse de consuetudine antiqua haberet primarias preces in qualibet collatione beneficiorum ad ecclesiasticas personas spectante: & licet consuetudo illa memoria hominum in Alemannia bassa non fuit, plures tamen clerici eo modo beneficia fuerunt affecuti „ hunc textum adfert Struvius in Corpore historiæ Germanicæ Periodo nona Sect. IX. §. XIII. not. 98.

a) Ita refert Raynaldus ad an. 1457. n. 47. Confer. Æneas Sylvius Epist. 369. ad Archiepiscopi Moguntini Cancellarium Scripta & Thomassinus Part. II. Vet. & Nov. discipl. Lib. I. cap. XLV. §. IV.

## §. VI.

Quid 3tio & 4to reponendum sit momentis in contrarium adductis, haudquaquam difficultatem movet, nec quempiam in historia tractatuum P. W. versatum morabitur, status enimvero Catholici aliam tum fovebant mentem, ut ne Protestantes ob excussam jam Concordatorum fidem & obligationis vinculum disruptum, jus pariter cæsareum hucusque in suis Ecclesiis ante hac catholicis exercitum, ab his excluderent, sic salvum integrumque malebant illud Cæsari, ut nec ad Concordata reflecterent, nec mentionem indulti Pontificii injicerent, contenti, modo usus & exercitium istius juris in Ecclesiis protestanticis servaretur, sicque commonstrantes, consilia illorum arte, eaque maxime licita fallenda esse, cum non tam odio Cæsaris, quam Pontificis æstuantes, immunitatem ab eo jure cæsareo, ut censebant, Pontificiæ gratiæ bajulo, ideoque sibi probroso expeterent, quemadmodum hæc ipsa magis dilucescunt tum ex Protestantium gravamine a) cum ex declaratione Legatorum Cæsaris 4tæ rationi inserta: b) imo haud obscure idipsum innuit Scriptor Protestanticus Ayrerus. c)

a) Vid. apud Gotfridum de Meiern Act. P. W. publ. Tom. II. p. 529. Gravamina Protestantium de anno 1646. mense Januar. §. V. ubi hæc habentur: "Wie nicht weniger der Pabst bey Evangelischen Primat, Ertz- und Stifftern auf die erledigte Prælaturen, und beneficia, provisiones, wie auch den Evangelischen zustehender Güter halben noch vor wenig Jahren concessiones & commissiones ertheilet, und die in den Concordatis Germaniæ gegründete und vom Pabst herrührende Preces primariæ noch immer wollen gebrauchet werden, daß also der Religions-Frieden auch hierinnen auf eine Seite gesetzet, und alles dem Pabst in die Hände gespielet werden will."

b) Confer. Cortreius §. III. hujus capitis citatus & Linckius Differt. de Concordatis Nationis Germanicæ cap. II. n. 49.

c) Verba ejus in laudata comment. de jure prim. prec. cap. II. §. I. hæc leguntur: "Imo in hanc ipsam sententiam responderunt status Catholici ad gravamen Evangelicorum . . . ut mirum plane sit, a quoquam Pontificiorum Concordata precibus opposita primariis existimari posse, quas olim status Protestantes ad mentem eorum, qui curiæ Romanæ favebant, ex ipsis Concordatis, minus quidem recte, sed eo animo deducere voluerunt, ut eas, tanquam Pontificis, cujus jugum jam excusserant, beneficio debitas, a suis provinciis eo facilius declinarent. Cui intentioni ut obviam irent, jusque prim. precum tuerentur, legati Cæsarei tunc unice ad antiquam consuetudinem, nulla Concordatorum ratione habita, postpositoque omni Pontificio indultu provocarunt." Ex his postremis verbis elucet, intentionem legatorum

rum Cæsareorum eandem fuisse, quæ modo in textu a me erat adducta. Præterea siquid ultra inde conficere quis vellet, non fuit ea omnium statuum Catholicorum, sed legatorum Cæsaris confessio: demum non intererat Catholicorum statuum, ex quo titulo Imperator in Ecclesiis protestanticis jus precum exerceret.

## §. VII.

Nunc argumenta alterius opinamenti dispiciamus, ac quid in iis observatione dignum sit, expendamus. Primum & secundum quod attinet, haud exigui esse roboris videntur; nam quis præsens tractatibus pacis vel fœderis, quibus jus quoddam antea inter partes belligerantes controversum, utrique dimidiatim concederetur, quis, inquam, ubi juri suo indubio præjudicium accerseretur, præsertim, dum potentia præ ceteris pollet, non refragabitur, aut saltem mentione sui juris facta, illud expressis verbis non præservabit? At constat ex historica serie, Fridericum III. scivisse, ac omni studio in Concordata Germaniæ perficienda incubuisse, potuisset facillime jus suum primariarum precum, siquod ex antiqua consuetudine certo deductum fuisset, corroborare, non enim contradixissent, nec obniti potuissent Germaniæ Collatores; verum res longe aliter contigit: ipsemet consensum illi pacto, quo certa beneficia sedi Apostolicæ reservabantur, & collatio beneficiorum aliorum libera ordinariis Collatoribus permissa fuit; nulla ingesta juris primariarum precum mentione, præbuerat: ideo Germaniæ Collatoribus firma sententia tum insedit, Concordata juri illi obstare, eosque fortiter obarmavit ad reluctandum primo indulto precum a Nicolao V. Friderico III. concesso: idem tulisse Cæsarem judicium, inde conficitur, quod secundum indultum peteret a Nicolao, quo expresse iis Concordatis derogaretur, id quod ille fecerat, nec non ejus successores ad nostra usque tempora derogare non prætermittunt: ubi animadvertendum est, illam Concordatis derogandi potestatem, quam sibi Pontifices minus recte arrogabant, non parum contulisse ad exercitium juris primariarum precum tandem evincendum, quamvis Collatores, eadem derogatione haud attenta, precibus cæsareis diu reluctari pergerent, & per nominationes Imperiales Concordatis derogari conquererentur, usq; *a*) dum placidiora successive inirent consilia & precibus directis, vel ex causis politicis, vel gratitudinis, aut ex timore utriusque Pontificiæ & Cæsareæ potestatis sibi invicem ea in re cohærentis, sive ex regnante in nonpaucis juris publici Ecclesiæ & Imperii ignorantia plus deferrent: & quid demum ipsi tentarent, dum Pontifices suis juribus in Concordatis ratione Collationis beneficiorum Germaniæ acquisitis in gratiam Imperatorum cedere non detrectabant?

*a*) Ille renisus patescit ex historia præmissa cap. I. & ex gravaminibus Germanici Cleri in Archiepiscopatibus, Moguntino, Trevirensi, & Coloniensi contra Romanæ sedis & ejus Curtisanorum contraventiones & violationes Concordato-

datorum Germaniæ per preces, ut in conventu Confluentino anno 1479. sunt concepta, "§. 3. Item eisdem (Concordatis) derogatur per nominationes Imperiales „ Vid. Lünigius Tom. I. Spicil. Eccl. p. 355.

## §. VIII.

Tertiæ rationis vim haud quaquam elevare videtur contorta Auctorum a) expositio, in eo consistens, Pontifices formulis illis derogatoriis, Concordatis non tam derogasse, quam declarasse, pactum illud publicum primis precibus nullatenus contrariari: neque subjuncta eorum argutio id magis evincere videtur, dum libere pronunciant, nec ex parte Collatorum Germaniæ, quibuscum nulla ab Imperatore conventio tum est inita, nec ex parte Pontificis, cujus in favorem Concordata, ad jus Cæsari adimendum, a natione non fuere conclusa, de eodem jure precum abolendo cogitatum esse b) nam Auctores affirmantis sententiæ facile reponent, cuivis, qui impartiali duntaxat oculo veritatem contueri amat, dilucidum esse, Pontifices a Nicolao V. usque ad modernum Papam Concordatis, ex plenitudine potestatis sibi ea in re præfigurata, in indultis suis vere derogare intendisse; quod vero subjuncti ratiocinii caput est, pari, qua idipsum ex præmissis rationibus negant, facilitate confutant: illo quippe ævo ubi animi Episcoporum & Collatorum Germaniæ adversus omnes exspectativas acerrime erant concitati, ubi liberum & primævum jus conferendi sibi vindicatum ibant, ubi Cæsar quoque pacifica necdum erat in possessione illius juris & exercitii, facile sibi persuadere potuit, jus hocce primariarum precum, liberæ collationi usque adeo noxium, per Concordata non fore statuminandum: quocirca nulla ejus injecta mentione, norma collationis beneficiorum universalis ab utraque parte pro statu Germaniæ deinceps observanda, præscripta fuit.

a) Ita detorquent Linckerus in vindiciis prima. prec. p. 18. Gribnerus in differt. de jure prim. prec. sine indultu Pontificis Val. §. 17. & Ayrerus in cit. Comment. cap. II. §. I.

b) Postremus hic Autor sic ibi pergit: "Multo minus hinc olci potest, status Imperii ecclesiasticos ex Concordatis jus consecutos esse precibus imperialibus sese opponendi. Namque Imperator non cum Episcopis vel ordinariis beneficiorum Collatoribus, tanquam parte altera, transegit, sed ipsi Principes & Imperator ab una & Pontifex Rom. ab altera parte steterunt, unde nec Imperator de jure sibi jam antea in beneficia ecclesiastica quæsito, quidpiam remisisse, nec ordines compaciscentes ullam inde exceptionem contra illud acquisivisse censendi sunt. Neque vero Pontifici quidquam juris adversus preces imperiales per Concordata enatum est, cum non eo animo inita fuerint, ut tenues satis reliquiæ pristini juris circa sacra Imperatoribus eriperentur, sed ut tandem enormi sedis Romanæ quidlibet circa beneficia ecclesiastica audentis potestati obex poneretur. „ Verum præterea, quæ jam superius adducta

cta sunt, I. notatione dignum est, argumentum laborare falso supposito, ac si jus plenum & pacificum jam ante Concordata Cæsari quæsitum fuerit; quodsi tale quid veritati consonaret, profecto Fridericus III. absque ulla offensa Pontificis, vel contradictione nationis, jus suum, expressa in Concordatis reservatione, pacto etiam publico longe firmiori corroborare potuisset, id quod cum non fecerit, quin imo post modum ab eodem Pontifice indultum cum clausula Concordatis derogante petierit, dilucide satis commonstratur, nec jus certum ante, nec per ea Concordata Cæsarem obtinuisse. II. Non sustinent Autores ajentis sententiæ, sedi Apostolicæ nihil juris adversus preces Imperiales per Concordata accessisse, acriter enim ab illa decertatum est pro reservationibus Pontificiis, quas cum omnes a natione mordicus obstrepente admittendas haud esse, observaret, saltem dimidiatim & cum quadam moderatione retinuit, adsentientibus Imperatore & natione Germanica, nihilque illo juris in iis beneficiis Papæ reservatis ob preces sibi reservante: proinde nec post Concordata per preces Imperiales, absque sedis Apostolicæ consensu, collatio beneficiorum eidem reservatorum turbari potest. III. Observant, illud plane reprobandum esse, quod ideo Pontifici nihil juris sit acquisitum, cum ea Concordata non sint inita, ut Cæsari tenues admodum reliquiæ pristini juris circa sacra eriperentur; namque id jus Cæsaribus nunquam antea competiit, nec primæ preces ab iisdem tanquam reliquiæ ejusmodi juris consideratæ sunt, eoquod ii non nisi ex antiqua consuetudine jus illud deducere soleant. IV. & postremo sicut natio Germanica jus conferendi beneficia in Concordatis sedi Apostolicæ reservata, eidem citra læsionem pacti adimere nequit, ita illi scriptores existimant, Imperatorem, qui in natione comprehenditur & unus ex compaciscentibus cum Pontifice fuit, idipsum attentare, ac precibus suis interpositis absque Pontificio assensu reservata beneficia adficere non posse.

## §. IX.

Quarti robur momenti tam solidum iis autoribus videtur, ut nihil ad illud suffodiendum satis aptum opponi queat; si enim Cæsares precibus suis ante Concordata omnia prorsus beneficia habuissent obnoxia, cur deinceps exceptionibus a Pontificia sede factis, & in Concordatorum tenore fundatis acquieverunt, ita ut nec beneficia in Extravag. *Ad Regimen* reservata, nec primas dignitates in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis precibus suis adficere intenderint? Hujusce rei alia sane ratio reddi nequit, ut existimant, quam quod id juris per Concordata sedi Apostolicæ stabilitum fuerit & deinde eadem nihil de illo remiserit, nisi quantum attinet beneficia in mensibus Papalibus vacantia, quæ ex speciali concessione Pontifices precibus Cæsareis obnoxia fecere. Hanc veritatem non obiter cognovisse videtur ex Protestantibus nominatissimus Bœhmerus, qui mira explicandi ratione usus, totum id in voluntates Cæsarum in eo Pontificum menti plus concedentium rejicit *a*) sed quemadmodum ea interpretatio affabre est excogitata, ita nullo niti eam veritatis funda-

 mento

mento censent, tantopere enim Imperatores cessisse Pontificum placitis in re adeo sibi favente, jureque sibi certo quis adfirmabit sanæ mentis? Proinde inconcussum iis scriptoribus perdurat adductum fundamentum, nec jus primariarum precum ante Concordata firmo substitisse pede, nec in Concordatis stabilitum, sed potius si quid ejus rei suberat, pacto illo solenni obicem quendam esse positum.

a) Sic edisserit Jur. Eccl. Prot. tit. de præb. & dignit. §. CIII. " Præterea excipiunt beneficia sedi Papali reservata, quæ dicuntur vacare in Curia & recensentur in Extrav. comm. C. *Ad Regimen* 13. h. t. sunt hæc beneficia etiam Papæ reservata in Concordatis nationis Germanicæ, & quia Cæsares voluntati Pontificis se quoad hanc reservationem accommodarunt, inde inferunt, hæc non tantum ab ordinaria provisione, sed etiam a precibus primariis excepta esse, id quod tamen ad menses Papales non extendendum. " Rationem hujus postremi dicti forsitan studiose non indagat, ne sententia prius ab eo asserta corruat; si enim ex Pontificio consensu Imperatores primas preces ad beneficia in mensibus Papalibus vacantia extendere possunt, haud difficulter est intelligere, idem locum habere in aliis per Concordata sedi Apostolicæ reservatis beneficiis, nisi expresse a Pontificibus in indultis excipiantur: ex quo manifeste consequitur, quoad illa beneficia reservata Cæsares non voluntati Pontificum sese adcommodasse, sed potius horum juri certo in Concordatis quæsito, in quantum iidem non sua sponte in favorem Cæsarum de illo remiserunt, se conformasse, nec preces suas ultra extendisse.

## §. X.

Quibus omnibus & singulis utriusque sententiæ sibi invicem oppositæ momentis in medium allatis, seligere unam alteramve opinionem cujuslibet libertati relinquo: si quis tamen ea pensiculatius expendat, facile persuasus erit, Concordata juri primariarum precum eatenus obstare, ut Imperatores absque Pontificio consensu precistas ad beneficia sedi Apostolicæ in iis reservata nominare nequeat; quod vero beneficia, quæ ad ordinarios Collatores Germaniæ vi concordatorum spectant, attinet, Pontificum consensum ad effectum precum consequendum haud requiret, cum hoc a consensu eorum Collatorum expresso vel tacito unice dependere videatur; constat autem ex historia præmissa, eos, licet diu tum precibus Cæsareis, cum indultis Apostolicis, in quibus Pontifices se Concordatis derogare expresserunt, parere detrectarent, tandem tamen pro veneratione in Cæsares suos protectores & supremos advocatos Ecclesiarum Germanicarum, de jure, siquod ex Concordatis contra preces Cæsareas habuerunt, remittere sua sponte voluisse, ut sic protectionem privilegiorum confirmationem, aliasque gratias Cæsareas, quas omnibus suis precum diplomatibus ad Collatores singulos directis polliciti fuere, promererentur. Equidem non diffitendum est, indulta Pontificia, in quibus Pontifices

ces Concordatis derogandi potestatem sibi sumpserant, Imperatoribus ad consensum Collatorum Germaniæ impetrandum addidisse stimulum; iisque timorem quendam incussisse, quo a nimio reluctandi conatu retracti fuerunt, ut ne alias & Cæsarum & Pontificum conjunctam potentiam adversus sese obarmarent: huc quoque haud parum conducebat, quod non paucos sæpe jura publica fugerent, aut siqui ea intime perspecta habuerunt, veterem illum nævum Germanis adhærescere observarent, quo imbuti, conjunctis viribus agere, suaque jura communia tueri negligerent, II. quod alii gratiam captantes Cæsarum, mallent potius cedere precibus, quam repugnare, III. quod complures & quidem consultissime, pro pace & bono Ecclesiarum, pro honore Imperatoriæ dignitatis, & huic debita veneratione, neglectis tantisper suis juribus, precibus primariis deferre non dubitarent. Unde perfacile est inferre, in beneficiis, quæ in mensibus ordinariorum Collatorum vacant, Cæsaribus jus precum ex consensu nationis saltem tacito, sive consuetudine, quam suis juribus contrariam introduci passi sunt, competere, id quod tandem in Pace Westphalica expressa lege eaque pragmatica saltem quoad Protestantes confirmatum est, ut ex sequenti capite dilucescet.

# CAPUT III.

## Quid post Pacem Religiosam & in Pace W. tractatum sit & decisum de jure primariarum precum & qui hujus textus sit intelligendus, exponit.

§. I.

Quemadmodum dissidia religionis Seculo XVI. a Luthero, aliisque novatoribus suscitata sensim in materiis ecclesiasticis aliis pluribus lites motusque ciebant in Germania lugendos, ita pariter jus primariarum precum, præsertim ex parte Protestantium, in litem pertractum est, quæ tandem in P. Westphalica consensu statuum & totius Imperii composita fuit. Et quidem post discessum a religione Catholica antiqua Protestantes, dum Episcopatus & Ecclesias, tum Cathedrales, tum collegiatas occuparunt, libertatem sicut a provisionibus Pontificis ita & a primariis precibus cæsareis penitus affectabant. Controversia hæc incrementa sumpsit post pacem Religiosam, ubi lege quadam pragmatica libertas religionis, quam antehac factis pluribus sibi arrogabant, iis est permissa, tum enimvero pervulgata erat Protestantium Jureconsultorum opinio, Imperatorem non posse uti jure precum in Ecclesiis A. C. addictis, sed in

pror-

prorsus contrariam ibant sententiam Catholici jurium Doctores, dum agitata est lis occasione primariarum precum, quas Cæsar ad Capitulum Colbergense porrigere intenderat. In Camera Imperiali desuper pariter erat disquisitum, & a Willero ejusdem assessore contra jus Imperatoris in consilio peculiari *a*) pronunciatum est ex hac inter alias *b*) ratione præcipua, quod Imperator eo jure ex indulto vel concessione Pontificis gauderet, ac proinde, cum omnis jurisdictio Pontificis, & quæ inde provenere, jura pace Religiosa sint ex parte protestantium suspensa *c*) etiam jus primariarum precum ortum habens a Pontifice exerceri nequiret *d*) Verum hanc sinistram interpretationem nec Cæsares, nec Catholici alii ferre poterant, ut subsequentibus temporibus obortæ desuper lites abunde testantur.

*a*) Consilium illud videre est apud Matthiam Stephani de jurisdictione L. III. P. II. cap. 4. n. 20. Conferantur hunc Cranius de pace Religiosa P. I. publ. 4. Arumæus ad A. B. disc. 3. q. 35. Rumelinus ad eandem P. I. diss. I. Thes. 16. & alii.

*b*) Stoeckenius has adducit Differt. de jure primariarum precum Thes. 35. & 36.

*c*) Vid. Limnæus Jur. publ. Tom. II. cap. 9. n. 2. & scriptores modo citati.

*d*) Inde animadvertere est, Protestantium tum communem extitisse sensum, primarias preces originem suam ex indulto Apostolico trahere, qua de causa mira est eorum sentiendi vicissitudo, dum non pauci eorum modo ex jure majestatis id juris deducere intendunt, sed de hoc infra uberius.

## §. II.

Utut communius tum temporis Protestantes primis precibus morem gerere detrectarent, alicubi tamen eas admisere, sub annexa cautela, ne eorum religio quid inde jacturæ aut præjudicii pateretur, sic dum Rudolphus II. per preces suas Capitulo Magdeburgensi Protestantium sacris imbuto, Ernestum Coloniensem Electorem præsentavit, ab eodem cautum est, ut admitteretur quidem, sed jurato promitteret, se contra Capituli statuta & exercitium religionis Augustanæ quidpiam non facturum, nec ullum mutandæ religionis jus sibi vindicaturum, neque ullam, ut hæc tentare posset, juramenti relaxationem vel a Pontifice vel Imperatore impetraturum esse. *a*) Ex his facile conjicitur, opinionem Protestantium, sicuti in aliis materiis religionis, ita quoque in exercitio juris primariarum precum, vel admittendo, vel reprobando, ancipiti consilio fluctuasse, aliquibus etiam ex parte cæsaris stantibus, atque pro eo sentientibus.

*a*) Ita referunt ex Lymnæo Stœckenius & Muldenerus & Ayrerus commentatione juris publici ecclesiastici de jure primariarum precum cap. II. §. III.

§. III.

## §. III.

Magis videtur hæc controversia Catholicos inter & Protestantes exarsisse, dum tractatus pacis Osnabrugi instituti fuere. Longo tempore Protestantes animum inflectere eo noluerunt, ut a sententia, qua exercitium juris primariarum precum paci Religiosæ adversari, in præjudicato habebant, discederent, nam dilucide in gravaminibus suis in scripto 15. Decembris anno 1645. exhibitis gravamine V. circa finem idipsum edisserunt, & Catholicis improbarunt *a*) verum hi pro tuendo contra attentata Protestantium jure precum cæsarearum mascule steterunt, respondentes sequenti anno 1646 mense Januario eorum postularis circa eandem rem, jus ejuscemodi Imperatorium ob reverentiam sacri Imperii & in signum supremæ eminentiæ ex antiqua consuetudine invaluisse, atque ideo non esse ullo modo conculcandum. *b*) Non enim decebat eorum judicio, ut Protestantes, qui æqualis reverentiæ signa Cæsari ob supremam ejus eminentiam deberent, huic juri & consuetudini pervetustæ repugnarent.

*a*) Vid. apud Gotfridum de Meiern Actorum P. W. Tom. II. Lib. XV. pag. 529. inter gravamina Protestantium V. circa finem, ubi hæc habentur: Die in den Concordatis Germaniæ gegründete, und vom Pabst herrührende preces primariæ noch immer wollen gebrauchet werden, daß also der Religion-Frieden auch hierinnen auf eine Seite gesetzet, und alles dem Pabst in die Händ gespielet werden will. Ex quibus verbis manifestum est, Protestantes, tum preces primarias a concessione Pontificum descendere, judicasse, in quorum odium, illas penitus sublatas voluere.

*b*) Apud eundem de Meiern Tom. & lib. cit. pag. 559. sub finem contra gravamen V. Protestantium verba Catholicorum hæc legere est: sonderlich wollen die Catholischen nimmermehr dafür halten, daß man so gar auch der Römisch-Kayserlichen Majestät, unserm allergnädigsten Herrn das bey allen und jeden Stifftern im Reich, ob reverentiam sacri Imperii & in signum supremæ eminentiæ ex antiquissima & approbata consuetudine gebührendes jus & reservatum primariarum precum, in unnöthigen Zweiffel und Disputat zuziehen gemeynet seyn werde.

## §. IV.

Eodem anno currente cum viderent Protestantes, ex parte Catholicorum, uti & Cæsareorum legatorum firmam perstare sententiam, primarias preces imposterum ad Capitula & Ecclesias, quæ ad novam religionem, tum transiere, jure dirigendas esse statuentium, animum alias tenacem inflectebant ad consilia opposita amplectenda; quandoquidem inter media compositionis in puncto reservati Ecclesiastici numero 10. hoc luculenter attulerant, deinceps Cæsaream Majestatem jure precum in Ecclesiis Archi- & Episcopalibus protestanticis uti posse, in quibus id antea exercuisset, quamvis menses Papales & confirmationem Pontificiam in istis Ecclesiis penitus sublatos vellent. *a*) Hinc in

aprico est, I. exercitio a Cæsare antea habito ab iis commensuratam esse normam, juxta quam futuris temporibus idipsum esset continuandum, IIdo nullam adhuc esse ab illis factam mentionem de usu precum in Ecclesiis mediatis protestanticis exerendo.

a) (10.) Ita inquiunt: welche Primat, Ertz- und Stiffter anno 1618. mit lauter Evangelischen besetzt befunden worden, bleibt es zu ewigen Zeiten dabey billig, doch nach gesetzter Massen, auch dero Gestallt, und also: Das die Capitula, zu begebenden Fällen allemahl ihre hergebrachte Wahl haben sollen; in welchen Evangelischen Ertz- und Stifftern auch die preces Primariæ in Ubung, haben die Römisch-Kayserliche Majestät sich derer ferner zu gebrauchen, jedoch, das der Evangelischen Religion zugethane, und also, wie es jeden Orths Herkommen erfordert, qualificirte Personen præsentiret werden. Vid. Acta publica P. W. Tom. II. pag. 566. 567. apud Gotfridum de Meiern.

## §. V.

His compositionis mediis a Protestantibus oblatis quid reponerent Catholici, inter se consultationes habuerunt, & jam 7. Martii anno eodem 1646. Cæsarei legati Comes de Lamberg, & Cranius, protestanticos ad gravamina ecclesiastica deputatos ad se vocarunt, iisque inter amicum de bono concordiæ in Germania restituendæ habitum discursum media compositionis Catholicorum, Protestanticis opposita, porrexere, quæ inter numero 7timo proponitur, in Archi- & Episcopatibus, Prælaturis, Ecclesiis Collegiatis, quas A. C. addicti jam anno 1627. 12. Novembr. possederunt, & deinceps per 40. annos imperturbate possidere deberent, catholicos non esse excludendos, nec provisiones Papales in mensibus Papalibus factas, & preces primarias esse impugnandas, sub ullo prætextu, neque contrarium statutum, juramentum, vel capitulationem admitti debere aut ligare. a) Ex quo dilucidum redditur, catholicos æque pro provisionibus Papalibus ac pro Imperatoriis precibus firmo animo certasse, quamvis postmodum in illis tollendis consensum præberent protestantibus, ut textus clarus Instrumenti P. W. addocet. Ejusdem adhuc anni sequenti mense Aprilis Protestantes juri primariarum precum a cæsare retinendo adstipulati sunt b) sed non eo modo, quo Catholici petiere. Nam primo hos ab Ecclesiis Archi- & Episcopalibus & Prælaturis, quæ a protestantibus erant occupatæ, penitus exclusos voluerunt, secundo menses Pontificios, & Apostolicos provisiones a suis Ecclesiis prorsus exterminare intenderunt, cum omnia jura Papalia, quæ ante illa funesta religionis dissidia ubique in Germania viguerant, ex odio Pontificis & novæ religionis principiis penitus sublata, aut saltem usque ad totalem religionis Christianæ compositionem, & controversiarum desuper ortarum finem suspensa vellent.

a) Apud

a) Apud de Meiern Tom. II. Actor. P. W. pag. 580. hæc inter alia exhibentur: " 7) Es sollen aber 7) auf allen denen, den Augspurgischen Confessions-Verwandten, Churfürsten und Ständen die verwilligte 40. Jahr über verbleibenden Ertz-Stiffter und Prælaturen, auch Collegiat Kirchen und Stifftungen, die Catholischen keines weges ausgeschlossen, noch die in mensibus Papalibus immediate oder per indulta Apostolica allbereit erlangte und inskünfftig folgende provisiones & preces primariæ der Canonicaten, Præbende, und beneficien bestritten, sondern die Provisi unweigerlich auf denselben angenommen, darwider nicht graviret, auch keinen Eintrag unter einigem Prætext, Schein oder Vorwandt dargegen gesetzet, oder einig darwider lauffendes Statutum, Juramentum oder Capitulation gültig seyn, gut geheissen, oder allegiret werden. „ Fit identidem mentio conservandi juris primariarum precum ibid. numero 8. & 11.

b) Ita de Meiern Tom. cit. pag. 620. in dem kurtzgefaßten Inhalt von dem, was bey der Handlung super gravaminibus Ecclesiasticis, und dem Reservato ecclesiastico hauptsächlich vorgangen, habet: " beym V. gravamine müste jurisdictio ecclesiastica & jura Papalia gegen die Augspurgische Confessions-Verwandte, bis zum endlichen Vergleich, des Christlichen Glaubens, gäntzlich ruhen: die Primariæ preces aber möchten, salvis salvandis, der Kayserlichen Majestät bleiben. „

## §. VI.

Nondum anno 1646. discordiæ ratione primariarum precum Legatos cæsareos inter & Protestantes componebantur, utraque parte quædam postulante, quæ altera concedere noluit. Tandem anno sequenti mense februario celeriores ad compositionem faciendam gressus movebantur I. a cæsareis Legatis, qui ab exhibitis priori anno postulatis, eatenus recedebant, ut salvum & integrum vellent jus primariarum precum in Archi- & Episcopatibus, aliisque Ecclesiis immediatis, quamvis Cæsar in Capitulis ex integro A. C. addictis, non nisi ejusdem religionis candidatum, juxta statuta & observantiam idoneum, in mixtis vero Ecclesiis ad beneficia vel canonicatus vacantes, eidem semper religioni, cui addictus erat antecessor, successorem addictum præsentare deberet. a)

a) De Meiern Tom. IV. Act. P. W. 79. in declaratione Cæsarea puncto gravaminum id clare exhibet: " betreffend dann das jus primariarum precum, so ihrer Kayserlichen Majestät als Römischen Kayser zustehet, solle Derselben solche Gerechtigkeit, wie vor diesen, als auch fürhin auf allen solchen den Augspurgischen Confessions-Verwandten überlassenden Ertz-Bischoff, und Bischöfflichen and anderen ungemittelten Stifftern, ohne Eintrag oder Wiederrede verbleiben: jedoch mit dieser Erläuterung, wo die Capitula gäntzlich und völlig der Augspurgischen Confession zugethan, da sollen auch dergleichen Religions-Verwandten den Statutis und Observantz gemäß, qualificirte Personen præsentiret werden: wo aber beyderley Religion zugethanene Canonici anno 1624. vorhanden gewesen, da sollen die von Ihro Kayserlichen Majestät erlangte Primariæ preces dem Præsentando anderer Gestalt nicht zu gute kommen, als sofern das erledigte Canonicat, oder Benefi-

 cium

cium von einem seiner Religions-Verwandten Canonico innen gehabt und genossen worden:„ hæc de immediatis Ecclesiis. De mediatis vero idem declararunt cæsarei Legati: loc. cit. pag. 82. "ob auch auf dergleichen Mediat-Stifftern einige Jura primariarum precum für die Kayserliche Majestät herkommen, die sollen auch noch hinführo zugelassen werden, doch auf Weiß und Maaß, wie sie oben bey den Immediat-Stifftern bedinget worden.„

## §. VII.

Huic declarationi cæsareæ Protestantes responderunt, suæ velificantes rei, cum quoad Ecclesias immediatas mixtæ religionis terminum anni normalis 1624 omiserint simpliciterque posuerint, ut in mixtis ex utraque religione locis immediatis præsentatus precum primariarum effectu gaudere non deberet, nisi esset ejusdem religionis, cujus erat defunctus: quod vero Ecclesias spectabat mediatas, arctioribus jus precum limitibus circumscribebant, postulantes, ut solummodo in iis Cæsar id juris exercere deinceps posset, si id ipsum anno 1624. die 1. Januarii exercuerit, alias immunes forent a precibus ejuscemodi Ecclesiæ. a)

a) Rursus laudatus de Meiern Tom. IV. Actor. P. W. pag. 91. in Protestantium declaratione puncto gravaminum legatis Suecicis die 27. Febr. anno 1647. exhibita hæc num: V. adducit: "ubi sacra Cæsarea Majestas jus primariarum precum exercuit, eæ Eidem etiam inposterum maneant illibatæ, dummodo decedente Evangelico in ejus religionis Episcopatibus, Evangelicus ad normam statutorum & observantiæ idoneus, precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque religione seu Episcopatibus, seu aliis locis immediatis, precibus primariis præsentatus non gaudeat, nisi beneficium vacans religionis consors possederit.„ Ibidem pag. 93. num. IX. In quibus etiam fundationibus mediatis anno 1624. 1. Januarii sacra Cæsarea Majestas primarias preces exercuit, exerceat eas & inposterum, ad modum circa bona immediata superius explicatum: in eadem declaratione juxta Germanicam linguam ita res concepta fuit, ut quoad Ecclesias immediatas eadem limitatio ratione termini apposita reperiatur, quæ de fundationibus mediatis erat allata. Vid. Tom. cit. pag. 101. num. V.

## §. VIII.

5ta Martii anno 1647. legati Cæsarei Suecicis promissam ultimatam declarationem porrexere, cui inseruerunt hanc de jure precum sententiam, deinceps a cæsare exerceri posse jus primariarum precum in Ecclesiis immediatis in possessionem protestantium redactis, nulla habita ratione termini normalis die 1. Jan. an. 1624. qui solum in mediatis Ecclesiis observandus foret a) sequenti die 8. Martii circa projectum illud ultimatum in consilio protestantium deliberatum fuit, & cum Suecici legati ab Saxo-Altenburgicis, Vinariensibus, & Brunsvico-Luneburgicis legatis, Thumshirnio, Höhernio & Lampadio peterent,

rent, ut ipsi desuper in scripto monita darent, hæc eidem declarationi cæsareæ in margine adjecta, suecicis transmissa fuere, in quibus, licet in multis aliis cæsareis Legatis non consenserint, quoad exercitium tamen juris primariarum precum nullatenus discordabant *b*) hinc non est mirandum, quod Plenipotentiarii Cæsarei idem alii projecto in puncto gravaminum Protestantibus die 4 Aprilis ejusdem anni exhibito iisdem verbis insererent. *c*)

*a*) Vid. de Meiern Tom. IV. Act. P. W. pag. 119. Cap. V. declarationis verba hæc habentur: Ubi sacra Cæsarea Majestas jus primariarum precum exercuit, eæ eidem etiam imposterum maneant illibatæ, dummodo decedente Evangelico, in ejus religionis Episcopatibus, Evangelicus, ad normam statutorum & observantiæ idoneus precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque religione, seu Episcopatibus, seu aliis locis immediatis, precibus primariis præsentatus non gaudeat, nisi beneficium vacans consors religionis possederit. „ Ibid. cap. IX. pag. 121. In quibuscunque etiam fundationibus mediatis anno 1624. die 1. Jan. sacra Cæsaria Majestas primarias preces exercuit, exerceat etiam imposterum, admodum circa bona immediata superius explicatum.

*b*) Apud eundem cit. Tom. pag. 135. & pag. 139. 149.

*c*) Apud eundem cit. Tom. pag. 182. & 182. 184. pag. 537. 540. In Cæsareanorum instrumento pacis Suecicis legatis sine Maji exhibito, ejusdem trigesimo collato & 3. Junii publice dictato per direct. Mogunt. apud Meiern Tom. cit. pag. 566. loco verbi: *Evangelico:* verba: *Augustanæ confessioni addicto:* sunt posita. Idem legitur pag. 958.

## §. IX.

Tandem post varias consultationes ultro citroque habitas communi & Catholicorum & Protestantium calculo jus primariarum precum in Instrumento P. W. servatum inque perpetuum constabilitum est his verbis: "Ubi sacra Cæsarea Majestas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam in posterum, dummodo decedente August, Confess. addicto in ejus religionis Episcopatibus Confess. Aug. addictus ad normam statutorum & observantiæ idoneus precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque religione seu Episcopatibus, seu aliis locis immediatis, precibus primariis præsentatus non gaudeat nisi beneficium vacans religionis consors possederit. „ *a*) Quid sub Episcopatibus & aliis locis immediatis hic intelligatur, dubium quodammodo agitari poterit: solum Episcopatus, qui immediate Imperatorem & Imperium agnoscunt, denotari eo loco nequeunt, alioqui ob eorum paucitatem jus precum cæsarearum nimium ad arctos limites esset coarctatum, scite observante Gailio *b*) & ex eo Ayrero. *c*) Præterea hunc non esse sensum P. W. tum ex historia præfixa, & ex ipsa rei natura abunde patescit, nam Episcopatus ipsi, utpote ad quos per electionem

 vel

vel postulationem juxta Concordata duntaxat pervenire licet, primis precibus haudquaquam subjacent: igitur necessario intelligenda sunt Capitula Metropolitana & Cathedralia, in quibus ante dissidia religionis suborta Imperatores jus precum exercuere. Nullam hic fieri termini normalis mentionem cernimus, sed indiscriminatim Imperatori jus primariarum precum confirmatur, ubi antea unquam jam exercuit in Ecclesiis immediatis, imo supponamus, pro Imperatorio jure precum antiquam consuetudinem in una vel altera Ecclesiarum ejusmodi Protestanticarum non militare, nihilominus id in qualibet exercere potest, modo ante conditam Pacem W. vel unum solum actum exercitii illius juris habuerit. Clare & simpliciter enim edicitur, *ubi exercuit*, non ubi olim vel longo tempore jam dudum exercuit. Secus tamen statutum est de Ecclesiis mediatis protestanticis, docente textu Instrumenti Pacis W. " In quibuscunque etiam fundationibus mediatis anno 1624. die 1. Januarii Sacra Cæsarea Majestas primarias preces exercuit, exerceat eas & imposterum, ad modum circa bona immediata superius explicatum.„ *d)* Ex postremis hujus constitutionis pragmaticæ verbis nullum Ecclesias & fundationes immediatas inter & mediatas statutum esse discrimen, sed in illis æque, ac in his, ad confessionem Augustanam, statuta & observantias Ecclesiarum esse præprimis reflectendum, in aprico est; totam vero & unicam differentiam consistere in eo, verba clarissimme indicant, quod in his terminus & annus decretorius, non in illis sit observandus: at qui terminus ille sit intelligendus, ingenia eruditorum non leviter torquet, ideoque inter eos diversa interpretandi ratio est inita, qua de re sequentibus §phis strictim agere constituo.

*a)* Art. V. §. 18.

*b)* Lib. I. Observ. 30. n. 9.

*c)* In commentat. de jure primar. precum cap. II. §. VI. Confer. Stoecken cit. Differt. Thes. 40. Henniges ad Inst. P. Art. V. §. 18. & 26.

*d)* Art. V. §. 26.

## §. X.

Verba §phi mox allata non adeo clara & indubia esse, manifeste elucet; exercitium quippe juris illius Cæsarei non est quotidianum, sed sæpe plurium intercapedine annorum quiescit, eoquod semel tantum a quovis Imperatore exerceri possit: quid ergo sit, dum ejusdem exercitium ad diem I. Jan. 1624. restrictum est, utrum de reali exercitio, an vero de facultate exercendi intelligi debeat, utrinque vehementer agitatur: multum quidem ex hac diversa explicandi ratione dependere, scite advertit Bœhmerus *a)*: si enim reale exercitium accipitur, rariorem in terris protestantium juris sui usum habebit Imperator, quia vix adduci poterit casus, quo præcise illo die Jan. preces primarias

rias dederit: si facultas exercendi denotatur, longe frequentiorem & ampliorem. His præsuppositis sententias contra sese invicem pugnantes recensebo, meamque, argumentis contrariis ponderatis excussisque, stabilire conabor, & quamvis hujus quæstionis decisio in rem catholicam nihil utilitatis derivet, tamen ad melius intelligendum Legis pragmaticæ sensum, adque jus Cæsaris ex sanctione Imperii publica eruendum inservit.

a) I. E. P. Lib. III. Tit. de præb. & dignit. §. CXI.

## §. XI.

Sunt, qui reale exercitium requirunt, ideoque Cæsari denegant usum juris primariarum precum, nisi probare poterit, se die I. Jan. 1624 primas preces direxisse: *a)* quam interpretationem esse legitimam hisce comprobare satagunt rationibus: I. asserunt, eam verbis Instrumenti P. prorsus conformem existere, cum aliud sit *exercere certo tempore*, *& die primarias preces*, aliud, *facultatem exercendi habere*; & proprie jus certo tempore exercuisse eum, nemo dicet, qui eo tempore illud exercere duntaxat potuit, sed reapse non exercuit. II. addunt die I. Jan. illius anni decretorii totam fere Germaniam, hostilibus armis Cæsareos inter & protestantes collatis, fuisse infestatam, vix autem probabile esse, in eo armorum strepitu jus primariarum precum a Cæsare in Ecclesiis mediatis, quæ sub ditione protestantium erant, exercitum fuisse, licet in quibusdam forte variante armorum fortuna usum illius juris retinuerit; inde caute ad libertatem majorem sibi & ecclesiis mediatis asserendam, protestantes exercitium reale desiderasse: III. corroborant exemplis ex eodem Instrumento petitis: quemadmodum enim in aliis Pacis articulis ratione bonorum mediatorum sola observantia die I. Jan. 1624. & possessio, non autem jus pro regula ponitur, ita eodem plane sensu verba §phi 26. Art. V. *primarias preces exercuit*: accipienda esse existimant. IV. demum inferunt, alias supervacaneam fuisse diei primæ Januarii adjectionem, nisi reale exercitium intelligi deberet. Proinde evictum credunt, quod mente de ejusmodi §phi intellectu conceperunt.

a) Titius Specim. Jur. Publ. Lib. V. cap. 3. §. 29. & Struvius in Jur. Publ. prudent. cap. 10. §. 20. & videtur eo inclinare Gundlingius in suis discursibus germanicis super hunc §phum 26. Art. V. pag. 317.

## §. XII.

His momentis ad subactiorem trutinam vocatis facile animadverti, eos autores non parum a vero aberrare, siquidem prima ratio ex proprietate verborum P. W. deprompta tam diu quidquam evincit, quamdiu ex substrata materia alium non ita strictum sensum ex mente paciscentium eruere non licet, nihil-

nihilque ex strictissima acceptione absurdi consequitur: quis autem sanæ mentis conjiciet vel probabili conjectura, Cæsareos eum sensum admisisse, qui Cæsaris jus in fundationibus mediatis plane sustulisset: vix enim una vice ostendi poterit, Cæsarem ad Ecclesias mediatas protestanticas præcise die I. Jan. 1624. preces direxisse. Neque Protestantes tam vesani aut injurii dici queunt, ut, quod una manu Cæsari concesserant, altera rursum adimere vellent: & sane historia P. W. longe aliud demonstrat, primo enim Cæsarei illimitatum juris precum exercitium in fundationibus mediatis, sicut in immediatis, nulla ad certum terminum facta restrictione, Cæsari dandum expetiere, quod cum renuerent protestantes, media tandem placuit via, ut, ubi in immediatis fundationibus antea jus illud exercuit, deinceps exercere pergeret, in mediatis vero non posset exercere, nisi die illa Januarii jam fuerit in possessione illius juris, licet actu non exercuerit: alias certe in effectu nullum illius juris usum paciscentes penes Cæsarem permanere voluissent, quod aperte verbis Inst. P. W. & menti paciscentium contrariatur. Argutioni secundo loco adductæ obstant pariter, quæ modo sunt dicta de mente paciscentium, utpote ex qua vera legis vel pacti interpretatio haurienda est: & insuper satis per adjectionem illius diei sibi consuluere, nam cum Cæsarei post annum 1624. vi armorum varias ditiones a protestantibus occupatas rursum sibi subjicerent, facile in earum ecclesiis preces primariæ executioni mandari potuerunt, quæ quamdiu in illarum ditionum possessione protestantes erant, obstacula passæ sunt. Absque restrictione ad annum & diem prædictum, exercitium juris permittere noluerunt, ne nimis amplum illud foret: a tertia ratione nos facile expedire possumus, quin nos firmiter constringat: nam aliud longe statuendum est de bonorum mediatorum possessione, utpote quæ si habita fuit die I. Jan. anni decretorii, unicum fundamentum expresse Art. V. §. 25. dicitur, sed in jure precum regulando, actuale exercitium sive actus exercitii die I. Jan. positus clare non requiritur: præterea a possessione bonorum, quæ retineri, vel recuperari potuit illa die, non fit legitima sequela ad exercitium juris primariarum precum, quod non quolibet anno, multo minus die exerceri potest, ut ut quis in eo jure optime fundatus sit. Postremum fundamentum perfacile est suffodere, pernegando, frustraneam alias extitisse mentionem certi illius diei, cum effectum illius commonstret refutatio secundæ oppositæ rationis, id quod sequentia magis dilucidabunt.

a) Confer. huc Ayrerus Commentat. cit. de jure primar. precum cap. II. §. VIII. pag. 74.

## §. XIII.

Aliorum sensa auctorum in contrariam præfixæ opinioni partem contendentium reperio, qui locum P. W. memoratum de facultate exercendi ita inter-

terpretantur, ut Imperatori jus primariarum precum in omnibus fundationibus mediatis asserant, in quibus ante diem I. Januar. 1624. nemo in possessione juris prohibendi fuit, etiamsi Imperator illud actu antea non exercuerit. Hanc peramplam pro jure Cæsareo tuendo expositionem sequentibus suffulcire allaborant fundamentis. Primum & palmarium ex natura juris primariarum precum repetunt, quod discontinuum esse dictitant, ita ut reale ejus exercitium non semper, sed semel tantum per vitam Cæsaris, non proprio motu, sed ad instantiam aliorum, sese exerere soleat; in hujusmodi autem discontinuis juribus terminum pro norma exercitii futuri præfixum non esse de ipso actuali exercitio, sed de facultate exercendi, dum sese occasio offert, intelligendum, asseverant, idque exemplis ex ipso Instrumento P. W. illustrant. Imprimis in verbis §phi 26. cit. immediate præcedentibus asseritur, publicum religionis exercitium idem manere debere, quod quovis in loco dicto anno 1624. ibique usitatum fuit? ubi æque vocabulum *exercitium*, ac verbum *exercuit* in nostro textu occurrit, jam supponamus inquiunt, publicum in loco mixtæ religionis A. Confess. addictos habuisse exercitium religionis illo die & anno, sed præcise 1mo illo die Jan. non occurrisse infantem baptizandum, aut conjuges per matrimonium conjungendos, quis inde concluderet, juxta verba P. W. quæ exercitium illo die requirunt, jus baptizandi vel assistendi matrimoniis tali cætui esse denegandum: simile argumentum deducunt ex §pho 25. Art. V. IIdo praxin subsequentium temporum pro sua sententia adducunt, quæ docet, plurimas preces primarias ab Imperatoribus ad fundationes mediatas protestanticas esse directas, in quibus vix probari poterit, ejusmodi preces ante annum 1624. nedum præcise die 1. Jan. illius anni ab Imperatore fuisse datas, & tamen eo sub titulo nullibi controversias esse motas constat; quod haud fieri potuisset, si verba Inst. P. W. de reali & actuali exercitio accipienda forent. III. desumunt argumentum ab immediatis, in quibus protestantes jus precum cæsarearum illimitatum admisere, & ad mediatas fundationes id adplicant, IV. urgent, juxta confessionem Catholicorum & Protestantium Cæsarem jus illud ab antiquis jam temporibus in immediatis & mediatis Imperii fundationibus, absq; ulla ad terminum decretorium restrictione, exercuisse, ut ut vero per pacem W. limites quidam sint positi, in dubio tamen pro jure Cæsaris standum, donec exceptio clare doceatur, quæ cum ex dubiis verbis Instrumenti, ipsis Protestantibus asserentibus, erui nequeat, potius ad illud jus ampliandum, quam restringendum, verba instrumenti de facultate exercendi, non de reali & actuali die & anno prædicto habito exercitio intelligenda asseverare convenit.

s) Henniges in meditat. ad Instrum. P. W. ad Art. V. §. 26. not. v. p. 407. ita inquit: " Quæritur, an hoc loco illud *exercuit* eodem modo intelligendum sit de actu exercitii, seu exercitio reali, uti verbum *possederunt* semper intelligendum est de reali possessione, seu facto. An potius, uti in actibus discon-

tinuis usu venire solet, de facultate exercendi sic interpretabimur, ut, quo loco Cæsar anno 1624. jus primariarum precum exercere potuisset, eodem porro exerceat, etsi dicto anno nulla occasio ejus exercendi fuerit? .... Itaque ego hoc, ubi exercuit, sic intelligo, ubi facultatem habuit exercendi, quæ si contradictione aut prohibitione alterius ei dubia facta sit, ita ut alius in possessione prohibendi tum fuerit, Cæsar ex mente paciscentium existimandus erit non exercuisse, quia exercere non poterat, alieno facto impeditus: in eandem sententiam abiere Textor citatus apud Ayrerum cit. commentat. cap. II. §. IX. Kemmerichius Introd. ad jus publ. Lib. V. Cap. 4. §. 31. not. XX. Auctor reflexionum über den Terminum decretorium des Kayserlichen Juris primar. precum bey denen Mediat-Stifftern, quæ exhibentur a Fabro in der Staats-Cantzley Tom. 51. C. VIII. & Moser, cui hoc scriptum natales suos debet; in der Reichs-Fama anno 1728. P. I. p. 132. 134.

## §. XIV.

Hæc argumenta licet speciem non exiguam veritatis habeant, plene tamen sanctionis P. W. in dicto §pho editæ sensum evolvere haud arbitror, ac in mediam potius sententiam concedo, qua & verbis & menti paciscentium magis consentaneam in medium me producere reor interpretationem: ac talem esse existimo, quæ Imperatori in iis solum fundationibus mediatis A. C. addictis jus primariarum precum tribuit, ubi die 1. Jan. 1624. vel ante diem vere id exercuit, ac in ejus possessione fuit. a) Ad hanc expositionem amplectendam sequentia me adducunt momenta. I. Quia verbum *exercuit* in sensu proprio ac communi sumptum semper denotat actum exercitii, a quo nativo significatu ex regulis bonæ interpretationis, sine gravi causa recedendum haud est, quæ cum hic non subsit, ut ly *exercuit* de facultate exercendi cum nullo facto antea habito conjuncta accipiatur, recte præfatæ interpretationi adstipulari fas est. II. Quia sicuti Conditores P. W. in aliis controversiis, circa negotia præprimis ecclesiastica exortis, dirimendis, ita & in lite circa jus primariarum precum exercendum tandem finienda, ad solam possessionem respexerunt, ideoque ne novis litibus implicarentur, terminum hujus juris exercitio decretorium posuerunt, ut isthoc jus imperatorium, quod diu in suis Ecclesiis, testante historia præfixa, sublatum voluerunt, certo circumseptum esset limite, quem transilire non posset: at si de facultate exercendi To *exercuit* accipiendum foret, scopum suum haud attigissent: III. quia iidem paciscentes Cæsareas preces in Ecclesiis mediatis protestanticis magis restrinxerunt, quam in immediatis, idquod rursum hæc sententia, quam quæ textum illum de mera facultate exercendi intelligit, clarius explicat. IV. Quia ex hac sententia non sequitur, uti ex altera, aliter sensisse paciscentes, aliter locutos esse, adeoque reservationibus mentalibus unam ab altera parte fuisse deceptam. Nam cum certum videatur, protestantes verum quoddam exercitium, id est, veram ju-

ris primariarum precum possessionem ex præhabito exercitio pacifico intellexisse, etiam Catholici in eo sensu ly *exercuit* accepisse censendi sunt, ne in negotio tam gravi contra fidem Germanicam quidquam admissum fuisse dicatur. Omissis demum aliis rationibus ad plenius capiendam hanc explanationem, observare est, pro possessione & jure Cæsareo tam diu esse standum, quamdiu ab Ecclesia tali mediata, probari nequit, quod nec ante, nec in termino illo normali preces fuerint directæ, aut si quidem hoc est factum, preces fuerint rejectæ, eique repulsæ Imperator acquieverit, vel modo post terminum illum decretorium precista sit præsentatus, vel quod Cæsar cum ordinariis collatoribus transegerit, aut alias juri suo renuntiarit.

a) Vid. Dn. de Ludolph Obs. forens. 82. Brunnemann in Exam. Jur. publ. Lib. 2. cap. 2. quæst. 8. p. 49. Teutscher Reichs-Staat, part. II. cap. 6. §. 11. p. 133. Ayrerus Comment. de jure prim. prec. cap. II. §. XII.

## §. XV.

Ex quibus rite pensatis textum P. W. de facultate exercendi juxta dicta §. XII. interpretantium argumenta facile diluuntur. Nam primum & palmarium ibi adductum ratiocinium potius nostram munit sententiam, quam evertit, non enim exercitium actuale die 1. Jan. 1624. imo nequidem toto hoc anno, sed ante diem illum actu habitum requirimus, ita ut Cæsar in vera possessione illius juris fuisse dici possit. Quemadmodum a nulla communitate publicus religionis exercitii actus exerceri potest, nisi anno 1624. aut die dicto in possessione saltem publici exercitii fuerit. Quod secundo affertur loco, aut duntaxat asseritur, aut Cæsareis precibus contra mentem P. W. plus sua sponte a nonnullis ecclesiis mediatis delatum fuit, ut liquescet, si particulares casus quis examinare velit. Tertium argumentum apertæ falsitatis merito arguitur ex textu claro P. W. ubi exercitium juris primariarum precum in Ecclesiis immediatis per annum normalem non erat limitatum, idquod tamen expressis verbis in mediatis Ecclesiis eo modo coarctatum est. Quartæ rationi vis major inesse videtur, si in exteriori, ut ita dicam, cortice spectetur, ast si ad medullam usque penetretur, facta inde illatio aut falsa videtur & ex falso supposito deprompta, aut pro nostra sententia plurimum facit: nam verum quidem est I. cum ante P. W. Cæsari jus illud competierit, post eam pacem in dubio semper standum esse pro jure Cæsareo, donec exceptio clara doceatur: at eam exceptionem in fundationibus mediatis claris & expressis verbis Instrumentum P. enunciat: igitur huic exceptioni deferendum est: II. ad summum illa ratiocinatio probat, ubi die illa & anno normali in possessione fuit illius juris exercendi, deinceps Cæsarem in ea manere debere, si vero illius ante P. W. nec exercitium ullum habuit, aut hoc turbatum & impeditum fuit ipso acquiescente,

 aut

aut renunciante, nullatenus exercitium istius juris eum sibi arrogare posse, in quo sententiam nostram consistere supra asseruimus. a)

a) Qui alias adhuc solutiones amat legere, adeat Ayrerum laudatum cit. comment. Cap. II. §. XI.

# CAPUT IV.

## Unde jus primariarum precum Imperatori competat, quando & quomodo exercere queat, declarat.

### §. I.

Dum in præcedentium disquisitione capitum historiam juris primariarum precum, nec non decisionem nonnullarum generalium ex publicis Imperii legibus, Concordatis nimirum & Instrumento P. W. deductarum quæstionum in medium protuli, nunc propiorem ad materias ejusdem juris magis particulares dilucidandas gressum movere oportet; ac primo quidem recto ordine præmissis subjungi existimo indagationem & solidam elucubrationem, unde jus illud Imperatori competat. Fateor hanc quæstionem pluribus circumseptam esse difficultatibus, ac tot diversas fere de ea occurrere sententias, quot sunt scriptores, qui hocce jus peculiari opera illustrarunt: alii enim ex jure Majestatico illud derivant, illique adhærente jure circa sacra: alii fundationem & dotationem Ecclesiæ, item & privilegiorum Cæsareorum concessionem fontem unicum esse adfirmant: nonnulli ex dignitate Imperatoris canonicali, quam in quibusdam Ecclesiis accipit, illud fluere credunt: quidam ad coronationem Imperatoris solummodo provocant: multi consuetudinem antiquam esse arbitrantur, ex qua hoc jus Imperatori sit adscribendum: itidem complures ex beneficio atque indultu Romani Pontificis illud deducere adlaborant; ob quam postremam sententiam sacerdotium inter & Imperium, sedem Pontificiam inter & Aulam Cæsaream tum motus publici, a) cum literarii inter eruditos, quorum aliqui ex parte Pontificis, b) alii ex parte Cæsaris c) stabant, vehementer concitati sunt, quando Josephus I. Romanorum Imperator ad Imperii Capitula primarias preces, inconsulta ea de re sede Apostolica, direxit, hinc ea quæstio acriori, quam unquam antea, studio pugnandi agitata fuit: & quamvis deinceps dissidia inde orta fuerint composita, determinatio tamen & decisio illius sententiæ auctoritate publica non est secuta, ita ut hodiedum cuilibet sentiendi & loquendi libertas sit relicta: quamobrem tum hanc, tum recensitas modo sententias impræsentiarum discutiam, ac veriorem ex illis seligere, atque

que absque ullo partium studio, salva Utrique potestati Pontificiæ & Cæsareæ debita veneratione, corroborare studebo.

a) Vid. cap. I. §. XXVI. ubi discordias Clementem XI. inter & Josephum Imperatorem ob exercitium juris primariarum precum enatas retulimus. Confer. Koelerus in der Teutschen Reichs-Historie p. 640. & alii historiæ Germanicæ scriptores in vita Josephi Imperatoris.

b) Defendit tum imprimis jura Pontificis Justus Fontaninus sub Conradi Oligenii nomine singulari dissertatione de Primariis precibus Imperialibus Friburgi, ut præfertur, anno 1706. edita, ubi totus est in probando, sine speciali indulto Pontificis non posse a Cæsare primas preces dirigi.

c) Partes Cæsaris tuiti sunt Ill. Baro de Lincker in Vindiciis primariarum precum, Cortreius in Repræsentatione J. P. P. Gribnerus in dissertatione de precibus primariis Imperialibus sine indultu Pontificis, validis. Boehmerus J. E. Prot. Lib. III. Tit. de præb. & dignit. §. CXII. Struvius in Syntagmate Jur. publ. Diss. X. §. 32. & alii plures.

## §. II.

Primo mihi dispicienti complurium ex Protestantium numero auctorum sententia occurrit, qui ex jure Majestatis, eique annexo jure sacrorum jus primariarum precum deducere contendunt. a) Sed quam cariosis hæc innitatur fundamentis, viris in historia Ecclesiæ & Imperii versatis abunde est perspectum: ex præmissa historica epitome id ipsum satis etiam elucet, non ex tali fonte protrahendam esse istius juris Cæsarei originem; & profecto sive per Majestatem iidem exprimant supremam in republica potestatem & complexum jurium, sine quibus respublica administrari nequit, sive Majestati æmulam superioritatem Imperii statibus in suo cuique territorio competentem intelligant, ex neutra id juris promanare apud orthodoxos constat, nam sicut huic juri Majestatico nullibi, nec in sacra scriptura, nec Ecclesiæ traditione, neque in historicis documentis adstruendo idoneum comperitur fundamentum, ita jus primariarum precum illi indivulse annectere velle, est veritati plane repugnare. Huic accedit, quod ubicunque Imperatores jus isthoc exercent, collationem beneficiorum ordinariam ad Episcopos, Capitula vel alios collatores spectare, & semper olim spectasse nullus dubitet, si igitur de illo jure iis vel auferendo vel restringendo quæstio est, jus quæsitum saltem absente casu necessitatis publicæ ab Imperatore vel Principe adimi vel coarctari nequit; proinde jus primariarum precum ceu effectus juris Majestatici haberi non potest, alias semper huic id juris annexum fuisset, sed ad illud vel conventio, vel saltem consuetudo requiritur, vi cujus juri ordinariæ collationis quidquam sit derogatum. Tertio Cæsares ipsimet per sua precum diplomata non ad jus Majestatis vel circa sacra, sed ad consuetudinem antiquam id referunt, ut inferius de eo sermo erit,

 ex

ex quo consequitur, id eos non sibi ex titulo Majestatis vel juris circa sacra vendicare. Quarto & postremo ex ipso Instrumento P. W. luculenter convincitur falsitatis ea ex principio Protestantico hausta doctrina. I. cum enim a Protestantibus tempore pacis condendæ primariæ preces Cæsareæ impugnarentur, satis dilucide iidem comprobarunt, eas Imperatorii ex jure Majestatis aut circa sacra haud competere. II. Ubi illi sublatis differentiis & controversiis acquieverunt, non aliud conventum est, quam ut, ubi preces exercuit in Ecclesiis immediatis A. C. addictis, deinceps iisdem uti queat, in Ecclesiis vero mediatis ad exercitium precum, si quod die 1. Jan. 1624. habuit, insuper attendat. Unde luce meridiana clarius efficitur, Protestantium animis tum nequaquam inhæsisse doctrinam, jus precum ex jure Majestatico & circa sacra promanare. Demum hic non obiter advertendum est, quotquot sunt illius opinionis, expressæ Cæsarum confessioni non solum refragari, sed etiam in odium veritatis ac præjudicium Ecclesiarum Catholicarum suam male conceptam de jure sacrorum ideam huc applicare.

a) Stamlerus Tr. de Reserv. Imperat. §. 51. Zieglerus de Jur. majest. L. I. c. 18. §. 4. Dnus de Wernher P. III. obs. 116. n. 154. & alii plures ita sentiunt.

## §. III.

Post hanc commemoranda est sententia illorum, qui ex sola fundatione vel dotatione Ecclesiarum & monasteriorum illud jus deducunt: a) sed hæc quoque I. monumentis historicis convellitur, quæ non omnes Episcopatus in Germania ab Imperatoribus esse fundatos, indubia fide perhibent: præterea perpaucæ Ecclesiæ collegiatæ vel monasteria in diœcesibus Germanicis ab iisdem dotatæ, sed potius ab Episcopis, Principibus, Comitibus, aliisque fidelibus divitibus erigebantur variisque bonis locupletabantur, Chronicis cujusque diœceseos & territorii liquido attestantibus: ex quo consequeretur, jus precum Cæsarearum in his Ecclesiis ab iis non fundatis locum non habere, id quod tamen praxi repugnare, omnibus constat, cum indiscriminatim Imperatores id juris in Ecclesiis, sive a se fundatis, sive non fundatis, exerceant. II. Si ex principio fundationis vel dotationis jus isthoc derivaretur, jus patronatus Cæsari, quandocunque præbenda in Episcopalibus Ecclesiis ab Antecessoribus suis conditis vacaret, merito competeret; at hoc prorsus a vero aberrare, vetus & moderna preces pro uno tantum beneficio dirigendi praxis testatur. III. Nullibi liquet ab Imperatoribus jus precum esse assertum ex jure patronatus cujusdam eminenti, sed ex consuetudine antiqua id vindicatum, diplomata Cæsarea perspicue enunciant. Hinc IV. neque adprobandum, quod Ayrerus dicit, b) faciliori fortassis negotio partim ex dotatione Ecclesiarum, partim ex concessione privilegiorum Imperialium jus precum deduci posse: namque eidem

dem concessioni illud jus non fuit annexum, cum diu jam privilegiis a Cæsaribus eximiis complures Ecclesias, præsertim Cathedrales, esse exornatas & modo post decursum aliquot seculorum illud jus in iisdem invaluisse, ex historiis patescat. Porro Cæsares formulis suarum precum pœnam amissionis privilegiorum contra illos, qui iis obtemperare detrectant, statuerunt, & hodienum statuunt, proinde confirmatione privilegiorum utuntur ad facilius collatores inducendos, non vero ut ex concessione eorum sibi jus precum esse acquisitum, ostendant.

a) Sic constat, tres Episcopatus, Lubecensem, Suerinensem & Ratzeburgensem ab Henrico Leone, Duce Saxoniæ esse conditos vid. De Bünau in dem Leben und Thaten Kaysers Friderich des ersteren p. 121. & Lünigius Tom. II. Spicil. Eccl. p. 292.

b) In commentatione laudata cap. I. §. XIX.

## §. IV.

Minor veritatis species inest opinioni quorundam jus precum ex dignitate Imperatoris canonicali deducentium: a) antiquo equidem more id speciale honoris a pluribus Ecclesiis Imperatoribus exhibiti signum fuit: originem ejus instituti ad Henricum S. ad Collegium Argentinense receptum quidam Authores referunt: b) pariter Henricus V. albo canonicorum Ecclesiæ Leodiensis inscriptus fuit. c) Capitulares S. Martini majoris Ecclesiæ Trajectensis Imperatorem pro tempore regnantem in suum collegium communi electione cooptarunt. d) Ecclesiæ Coloniensis & Bambergensis eodem Imperatorem honore olim prosecutæ fuerunt. e) Tempore, quo Imperator Romæ a Pontifice coronabatur, a canonicis Ecclesiæ S. Petri in concanonicum receptus est, f) ad cujus moris imitationem Cæsarem tempore coronationis Aquisgrani peractæ in numerum canonicorum Ecclesiæ Aquisgranensis receptum & recipi solere, Maximiliani I. II. g) & recentius Caroli VI. h) exempla comprobant. Hanc historicam narrationem siquis ad præsentem adplicet materiam, I. animadvertet, Cæsares honorarios duntaxat effectos esse canonicos, quin de jure primariarum precum ab iis cogitatum fuerit. II. observabit, tantummodo in quibusdam Ecclesiis & quidem Cathedralibus, dignitatem illam honorariam adeptos esse & tamen non solum in iis, sed & in aliis Ecclesiis, ubi in numerum canonicorum non sunt recepti, jus precum exercuisse. III. colliget, nunquam tale jus Cæsares in Ecclesia S. Petri Romæ sibi arrogasse, licet ei speciali canonicorum ritu adscripti fuerint, IV. haud satis capiet, qui ex dignitate canonicali isthoc jus promanet. V. & postremo ad hanc sententiam falsitatis apertissimæ convincendam adnotare convenit, inde Cæsares suum jus nullatenus derivare, imo probro sibi ducere censendi sunt, si ex tam tenui, humilique id principio derivaretur.

a) Ma-

a) Mateneſius de coronat. Ferdinand. II. Lib. V. p. 112. Sprengerus Jurisprud. publ. p. 35. Speidelius in notab. Voce Kayſer, & alii ita cenſuere.

b) Mutius Lib. XIV. Chron. Germ. p. 109. Jacobus de Königshoven in Chron. Alſatiæ & Argentor. c. II. §. 163. & ex his Bœhmerus J. E. Prot. Lib. III. Tit. I. §. LXXXVIII.

c) Id refert Antonius Matthæi Lib. II. de nobilitate cap. 48. p. 744.

d) Idem adducit chartam ineditam, unde id apparet.

e) Id teſtantur Freherus ad Lib. II. de Andlo cap. VI. p. 179. & Thuanus Lib. XXXII. hiſt. fol. 907.

f) Vid. deſuper Clementis V. conſtitutio apud Raynaldum ad an. 1311.

g) Goldaſtus de Maximiliano I. Polit. Imp. P. I. fol. 97. & de Maximiliano II. cit. loc. fol. 145. illud refert.

h) Vid. Fabri Staats-Kanzley Tom. XVIII. p. 632.

## §. V.

Aliis præplacet adſerere, jus precum Cæſarearum ex coronatione dimanare. Non ſunt illi quidem deſtituti diplomatibus, queis Cæſares hoc jus ratione coronationis ſibi competere adfirmarunt a) at obſervare eſt I. illis eosdem Cæſares alias ſimul magisque aptas juris ſui rationes ex antiqua conſuetudine attuliſſe. II. ſi mentem eorum introſpiciamus, cernemus non tam ex coronatione ſibi id jus vindicaſſe, quam hujus exercitii tempus duntaxat adſignare illos voluiſſe, ut in aprico eſt ex diplomate Caroli IV. b) III. his paucioribus diplomatibus opponuntur a tempore Concordatorum uſque ad præſens ævum diplomata Cæſarum, quæ nullam omnino coronationis ceu fontis illius juris mentionem fecere, aut nunc faciunt. Porro Autores, qui ita ſentiunt, coronationem Imperialem, a Romano Pontifice olim peragendam, intelligere nequeunt, quippe quam Carolus V. poſtremo ſuſceperat, unde cum ſucceſſores eodem jure gaudeant, licet a Pontifice non coronati, perſpicuum redditur, ex tali coronationis pompa non eſſe illud jus derivandum, ſi vero coronæ Germanicæ impoſitionem illi attendere velint, rurſum ſuæ opinioni nihil adjiciunt momenti. Præterea licet diplomata Caroli IV. queis ii autores innituntur, ad coronationem Imperialem jus iſthoc retuliſſe videantur, & licet Wenceslaus etiam regiæ Aquisgranenſis coronationis mentionem fecerit, ſucceſſores tamen omnes ex alio fonte, quam coronationis, ſive Imperialis, ſive regiæ ſolemniis, jus ſuum deduxere c) quamobrem omnem etiam veriſimilitudinem huic opinationi deeſſe, exiſtimare fas eſt.

a) Vid. Diplomata Caroli IV. apud Goldaſtum Conſt. Imp. Tom. I. p. 343. Wenceslai de anno 1376. apud Tölnerum in Hiſt. Palat. in cod. diplom. n. 148. ubi

ubi trina vice adserit, Imperatori jus hoc *ratione coronationis* competere. Hinc Bœhmerus J. E. Prot. Tit. de præb. & dignit. §. CVIII. inquit: "Hoc planum manifestumque est tempore Caroli IV. qui autor est aureæ Bullæ, eam invaluisse opinionem, Cæsari duntaxat ratione coronationis hoc jus (precum) deberi, prout ipsum Caroli IV. diploma . . . liquido docet. . . . Eadem sententia adhuc obtinuit tempore successoris ejus Wenceslai . . . Erronea quidem hæc fuit doctrina . . . nihilominus tamen eo tempore pervulgata, recepta & publica, ut diplomatibus insereretur „

*b*) Loco mox cit. verba diplomatis sunt hæc: "Cum itaque nobis tam de jure, quam antiqua & approbata consuetudine a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris hactenus observata (en fontem) competat, quod ex coronationis nostræ solemniis (en tempus exercitii tum determinatum) ad Romanorum regnum . . . in quolibet monasterio in Imperio constituto unam tantum personam virtute primariarum precum nostrarum ad beneficium ecclesiasticum facere possimus promoveri. „

*c*) Vid. diplomata Cæsarearum precum tum antiqua, cum recentiora a Leopoldo, Josepho, Carolo VI. Carolo VII. & Francisco I. data.

## §. VI.

Complures scriptores *a*) etiam catholici *b*) tradidere hoc jus Imperatori tanquam supremo Ecclesiarum advocato competere, indeque ex jure advocatiæ ecclesiasticæ illud dimanasse, in præjudicato habent. Hoc nonnihil plausibilius præmissis sententiis defendi posse, pariter existimo, si fontem juris primariarum precum remotum, ut ita dicam, demonstrare velim: quippe cum jus advocatiæ in Ecclesias Germanicas etiam ab Imperatoribus non fundatas penes eos integrum resideret, hac occasione usi dici possunt, ut commendatione & præsentatione facta, beneficia a collatoribus ordinariis pro personis sibi gratis exigerent. At siquis rationem, ex qua jus illud proximius scaturiverit, & obligatio Ecclesias ad parendum obstringens introducta fuerit, explorare contendit, frustra juri advocatiæ partum hunc primariarum precum adscribet; nam I. nulla id docent ex antiquis historiis monumenta II. diplomata Cæsarum nullatenus ad jus advocatiæ ecclesiasticæ, sed duntaxat ad antiquam consuetudinem provocantia, *c*) contrarium manifesto indicant: indulta Pontificum quidem sub exordio advocatiæ illius mentionem fecere, ast tantummodo eam ad instar causæ impulsivæ Pontificibus ad concedendum indultum deserviisse, tenor plurium indultorum ad apricam lucem adducit. *d*) IV. Nulla in Instrumento P. W. ad jus advocatiæ facta est reflexio, dum Cæsari jus illud primariarum precum in Ecclesiis Protestanticis solenniter fuerat confirmatum. *e*) V. demum non oscitanter hic præterire est, Cæsares non solum officio supremi advocati Ecclesiarum Germanicarum, sed & vel maxime Ecclesiæ Romanæ jam ab ævo Caroli M. perfunctos esse, quin in Ecclesiis Germaniæ primas preces usque ad

seculum XIII. exercerent, aut usque hodie in Ecclesia Romana exerceant: ex quo liquido constit, proximam juris primariarum precum causam non esse in jure ejusmodi Advocatiæ eminenti reponendam.

*a*) Fritschius, Gerardus von Stöcken. Mayer de jure prim. prec. Sixtinus de regalibus Lib. I. cap. IX. §. 62. Klockius Tom. I. Conf. IV. Besoldus Thesaur. pract. voce: *primariæ preces*. Stamlerus de reserv. Eccl. §. 51. Conringius ad Bullam Innocentii X. Cortreius observ. ad Concordata p. 140. seqq.

*b*) Stephanus Gratianus Discept. for. cap. CDLXXVII. Chokier de prim. precib. Hermes Fasc. J. P. cap. XI. Quæst. 38. & alii.

*c*) Vid. diplomata precum Leopoldi, Caroli VI. VII. & Francisci I. uti & antiquiora in cap. I. adducta.

*d*) Vid. superius citata indulta, Pii IV. Gregorii XIII. Pauli V. & Urbani VIII.

*e*) P. W. Art. V. §. 18. & 26.

## §. VII.

His itaque opinionibus ex gravi rationum pondere, ut opinor, solide confutatis, restant uberius examinandæ adhuc quædam aliæ & sua propugnandæ veritatis specie celebriores & majori partium studio discissæ eruditorum sententiæ. Est magna pars Authorum cum Veterum, *a*) tum recentiorum *b*) Imperatori non aliunde, quam ex Pontificis indulto jus primariarum precum tribuentium; quorum momenta in epitomen redacta ex eorundem libris & præsertim ex literis Clementis XI *c*) suppeditare, operæ pretium duxi. Et quidem Pontifex I. asserit, nullum penes Cæsaream Majestatem residere jus dirigendi preces primarias, eoque minus sub comminatione pœnarum, quarum vi possint commendati beneficium primo vacaturum, aut quod eis magis libuerit, in qualibet istarum partium Ecclesia assequi II. id comprobare intendens ait, a Canonibus abhorrere, laicæ potestati fas esse, Ecclesiæ præsules vel illos, ad quos pertinet, ad conferendam a se commendatis præbendas compellendi III. pergit, hoc jus assertum, nisi forte Apostolica authoritate sit fultum, ut nullibi locum habere potest, ita peculiari quadam ratione obtinere non posse in Germaniæ partibus ob nota satis Concordata Germaniæ solenniter inita, in quibus nihil tam accurate sancitum est, quam ne electionum & collationum in mensibus tam assignatis capitulis ac ordinariis collatoribus, quam ipsi Pontifici ejusque successoribus reservatis ullo unquam tempore lædatur, nulla tamen ibi assertorum imperialium jurium mentione facta, aut ratione habita, cum alioquin satis manifestum sit electionum aut collationum libertatem cum primariis precibus, quæ eam prorsus evertunt, consistere non posse. IV. demum provocant ad exempla Imperatorum, qui a Friderico III. usque ad Leopoldum non aliter precum primariarum jus exercuere, quam si post sui confirmationem a Pontifice obtentam, se Apostolico indulto muniri curaverint: & licet Leo-

pol-

poldus tali privilegio destitutus, a primariis precibus non abstinuerit, eas tamen admittere & executioni demandare, Episcoporum ac Præsulum, nec non Capitulorum Germaniæ non exiguam partem, libertatis hujusmodi memorem & acerrimam custodem detrectasse animadvertit.

a) Vid. Auctores §. XV. Capitis I. commemorati.

b) Oligenius Differt. de primariis prec. Imperial. Reiffenstuel Tit. de præb. & dignit. §. XX. Schmalzgrueber eod. Tit. §. VIII. n. 327. & passim Canonistæ ex ordinibus religiosis.

c) Vid. literæ Clementis XI. apud Auctores cap. I. §. XXVI. sub nota B. laudatos.

## §. VIII.

Quibus argumentis a Pontifice Germaniæ Collatoribus propositis accedunt aliæ ab authoribus in Pontificiam sententiam abeuntibus suppeditatæ rationes a) namque I. ex bullis Pontificiis id evincere conantur, quæ cum terminos gratiam Papalem dilucide indicantes contineant V. G. *de nostra mera liberalitate*, item *de Apostolicæ potestatis plenitudine indulgemus*, haud admissæ fuissent ab Imperatoribus, si precum istarum jus nullo modo ex Pontificis privilegio proficisci existimassent. II. Ex variis limitationibus, queis Pontifices illud jus coarctarunt, quoad locum, ut solum in terris Imperii extra Italiam exerceri queat: quoad Collatores, ut eos duntaxat gravaret, qui quatuor saltem beneficia collationi suæ obnoxia habent; quoad ipsa beneficia, cum sedi Apostolicæ per Extrav. *ad Regimen* reservata beneficia sint excepta: ast qui jus illud Cæsareum Pontifices intra hos cancellos coarctassent, aut Cæsares id sustinuissent, si eo ceu jure proprio & a Pontificio indultu independente gauderent III. ex praxi, qua constat, lites ratione precum exortas in Curia Romana discuti & definiri, quod signum est, eas saltem originem ex beneficio Apostolicæ sedis trahere. IV. ex natura ipsius nominationis ad beneficia, cujus jus cum spirituali sit connexum, juxta regulam: *accessorium* de R. J. in 6. etiam naturam ejus, cui annexum est, sequi debet, ac proinde Imperator, utpote laicus, ejus juris est incapax, nisi desuper a Pontifice privilegium impetrarit.

a) Vid. Schmalzgrueber Tit. de præb. & dignit. §. & n. cit. qui pariter in numero 328. argumenta in contrarium obmota dissolvere conatur.

## §. IX.

Oppositam his e diametro aciem instruunt alii & numero & rationum firmitate non parum certantes, qui rejecto indulto Apostolico Imperatori jus primariarum precum ex antiqua duntaxat consuetudine a) vindicant I. quia diu ante Concordata Germaniæ Rudolphus I. isthoc jus ex tali consuetudine a præ-

deceſſoribus approbata jam derivavit in reſcripto precum ſupra adducto. II. Carolus IV. & Wenceslaus eundem ſui juris fontem in ſuis diplomatibus cap. I. allatis indicavere. III. Sigismundus ex eadem cauſa illo jure uſus eſt, teſte Gobelino ſuperius in hiſtoria citato. IV. Patres Concilii Baſileenſis in ſuo decreto jus precum non indulto papali, ſed inveteratæ conſuetudini attribuerunt, atque in perpetuum conſtabilivere. V. His antiquis diplomatibus Cæſareis, recentioris ævi literæ precum Imperialium adprime conſonant, & ad antiquam conſuetudinem ſemper provocant, nulla facta indulti Apoſtolici mentione, ut ex precum a Leopoldo, Joſepho I. Carolo VI. & Franciſco I. moderno Auguſtiſſimo Cæſare expeditarum tenore conſtat. *b*) VI. Aurea Bulla juri Cæſareo non leve addit pondus, dum Vicariis Imperii jus primariarum precum, absque reſpectu ad indultum Papale, concedit. *c*) VII. in Inſtrumento P. W. jus hocce exercitio præhabito adſcriptum, ac Cæſari vi ſanctionis pragmaticæ, absque ullius indulti mentione, relictum fuit: *d*) ex quo conſit, omnes Imperii cives ad ſervandam illam legem publicam obligatos, juri precum, ut ut indultum deſuper non ſit impetratum, deferre debere, alias pœnis per Conſtitutiones Imperii ſtatutis mulctandos. VIII. Tandem conſtat ex praxi non ſolum aliorum Regum, ſed & non nullorum Imperii Principum etiam eccleſiaſticorum, qui jure quodam primariarum precum in ſuis territoriis & diœceſibus ex antiqua conſuetudine ſine indulto utuntur, *e*) igitur Imperatori ſuccenſeri nequit, ſi idem absque ullo indulto Pontificio, ſed ex perveteri conſuetudine exerceat.

*a*) In derivando jure primariarum precum ad conſuetudinem præter Limnæum, Klockium, Lampadium, Cortreium, Beſoldus in diſſert. de *Majeſt.* Sect. 2. *de Eccleſ. Maj. jure* C. 4. n. 3. Henricus De Cocceii *Jur. publ. prudent.* C. 23. §. 6. Maſcovius Princip. Jur. publ. Lib. V. cap. I. & alii plures recurrunt.

*b*) Vid. eorum diplomata Cæſarea precum.

*c*) Vid. Aureæ Bullæ cap. V. §. I. quo ſpeciatim Vicariis Imperii *jus ad beneficia eccleſiaſtica præſentandi* conceditur. conf. Griebnerus de precibus primariis Vicar. Imper. §. 9. Fritſchius de jure precum prim. C. III. n. 8. & alii.

*d*) Inſtrum. P. W. Art. V. §. 18. & 26.

*e*) Vid. Spenerus in der Teutſchen Staats-Rechts-Lehre. Lib. IV. cap. V. §. XI. Nota *m*)

## §. X.

Duplicis hujus ſententiæ ſibi penitus contrariantis rationibus intimius perſpectis excuſſisque, mediam quibusdam placuit inire viam, qua vel utramque illam opinionem conciliarent, vel ſaltem veritatis adyta felicius penetrarent: hinc jus primariarum precum quoad ſubſtantiam antiquæ conſuetudini, quoad modo vero qualificatum, quo exercetur, indulto Pontificio deberi arbitram-

trantur. Hujus sententiæ antesignanum veneror Magnificum Barthelium, meum quondam Professorem in ævum colendissimum, cujus cum collegia publica privataque inter multorum auditorum exterorum & indigenarum coronam per sex septemve annos exceperim, eo magis me ejus sensa assecutum esse confido. Ut vero hæc sententia nondum typis edita melius innotescat, atque fundamenta ejus capiantur distinctius, imprimis adnotare convenit, per jus primariarum precum quoad substantiam acceptum, Cæsari competentem personas idoneas ad beneficia in Imperio vacantia semel præsentandi facultatem indigitari, si vero quoad modum, quo exercetur, spectetur, nihil aliud intelligi, quam quod Cæsares nominando personas ad beneficia etiam vacatura exspectativas dare, & executores ecclesiasticos constituere queant, qui etiam pœnis & censuris ecclesiasticis refractarios Collatores, suæ jurisdictioni haud subjectos, ad beneficia precistis conferenda compellere possint: hacque explicandi ratione præmissa, quotquot hujus sunt opinionis, sese veritatem attigisse, & utriusque §. VIII. & IX. adductæ sententiæ argumentis fecisse satis existimant: & quidem quod jus primariarum precum quoad substantiam spectatum attinet, illud antiquæ consuetudini duntaxat inniti, facile evincunt tum ex vetustis & recentioribus Cæsarum diplomatibus precum ex consuetudine jus isthoc derivantibus, cum ex aliis momentis, quæ §. IX. allata fuerunt: unde eadem sibi haudquaquam adversari, sed potius pro se militare, indubie judicant: at dum jus illud quoad modum accipitur, absque indulto Pontificis exerceri non posse, pariter haud difficili negotio comprobant ex eo I. quod jus constituendi executores ecclesiasticos, qui censuris Episcopos, aliosque collatores beneficiorum refractarios sibi nequaquam subjectos compellere queant, Imperatori tanquam laico absque authoritate Apostolica non competat, qua enim ratione Cæsares ecclesiasticos ad officium executorum in se suscipiendum, si nollent, cogere possent? aut qui hi ceu executores constituti censuras in non subditos collatores ferendi potestatem haberent, nisi a sede Apostolica acciperent, certe a Cæsare illam haurire nequeunt. II. ex eo, quod Imperatores post concordata per indulta Pontificia illam executores ecclesiasticos eo modo constituendi facultatem acceperint. III. quod, cum exspectativæ in re beneficiaria a SS. Canonibus sint reprobatæ, eas Cæsar, nisi indultum Pontificis habeat, dare nequeat: atque hac exponendi methodo argumentis opinionis ex indulto Papali jus Cæsarearum precum repetentis penitus satisfieri, sibi persuadent.

## §. XI.

Etiamsi hæc sententia plausibiliter defendi queat, ac propius ceteris omnibus ad veritatem accedat, quasdam tamen (quod pace illorum auctorum dictum volo) animadversiones in contrarium huc congerere non inutile erit. I.

namque argumento, quod Concordata saltem quoad beneficia Pontifici ibi reservata juri primariarum precum obstent, satisfacere non videtur. II. neque prorsus elevatur alterum, quo ex historia comprobatum est, ab Imperatoribus post Concordata continua serie indultum Pontificium pro jure precum quoad substantiam, non solum quoad modum spectato & petitum & impetratum esse. III. Ipsimet Imperatores superioris & nostri ævi in precum diplomatibus nullam fecerunt, aut faciunt mentionem censurarum, dum executores constituerunt, aut constituunt, sed solum iis collatores repugnantes vel *juxta Constitutiones Imperii a)* vel *juxta omnes vias juris b)* ad parendum compellendi provinciam imponunt. IV. Si Imperator personas idoneas ad beneficia liberæ collationi Germanorum obnoxia per preces nominat, haud opus videtur ejusmodi potestate censuras ferendi, cum, sicuti idoneum clericum a patrono præsentatum Episcopi instituere tenentur, ita multo magis collatores ordinarii beneficia in suis mensibus vacantia ex antiqua consuetudine talibus precistis conferre debeant, nec hi ita contumaces esse soleant, ut censura necessaria videatur. Aliud quidem foret, si beneficia Pontifici reservata primæ preces afficerent, eo quippe casu Capitula & Ecclesias, si precistam admittere nollent, pœnis ecclesiasticis executores, potestate sibi a sede Apostolica concessa, compellere possent; atque eatenus illa facultas censuras ferendi locum effectumque habere, non inficior. V. Et postremo licet animadvertere, ab Imperatoribus, perdurante adhuc contumacia, Collatores privilegiis, gratiis, libertatibus, & donationibus Antecessorum, privatos & tuitione Cæsarea exutos declarari c) ubi nihil de censuris, nihil de recursu ad summum Pontificem commemoratur.

a) Ita legitur in Josephi I. Caroli VI. & Francisci I. diplomatibus precum.

b) Id legitur in Caroli VII. precibus, fortassis ut sic constitutiones sedis Apostolicæ & Imperii comprehenderet.

c) Consuetus tenor precum in diplomatibus Cæsarum est hic: " contumacia vero vestra aut contemptu, quod absit, per mensem continuum, a die requisitionis numerandum, durante, vos omnibus & singulis privilegiis, gratiis, libertatibus, & donationibus a Romanorum Imperatoribus & Regibus ... eo ipso privatos & nostra tuitione exutos declarent.,,

## §. XII.

Dum hisce hucusque vel confutandis vel referendis immoratus sum, nunc propriam, quam mente teneo, sententiam aperire oportet, & quidem ut rem paucis constringam, derivo jus Cæsarearum precum, quatenus in Ecclesiis catholicis & protestanticis exercetur, partim ex inveterata consuetudine, sive tacito collatorum consensu, partim ex concessione Pontificia, partim ex instrumento P. W. Primum indubie evincitur ex eo, quod jam longo tempore

in

in Ecclesiis catholicis preces primariæ per consuetudinem admissæ, atque approbatæ sint, præterquam quod Cæsares ad eandem in suis diplomatibus semper provocare soleant. Alterum comprobatur tum ex eo, quod Imperatores absque concessione sedis Apostolicæ executores ecclesiasticos, qui refractarios collatores etiam censuris ad parendum compellant, constituere nequeant, tum vel maxime ex eo, quod, cum in Concordatis certa beneficia sedi Apostolicæ sint reservata, absque ejus consensu & concessione ab Imperatoribus jus primariarum precum ad ea extendendum non videatur, unde consequitur, eos, utut absque indulto papali preces ad collatores catholicos dirigere possent, vi quarum beneficia in mensibus eorum vacantia afficerent, idem tamen citra consensum Pontificium in beneficiis ipsi reservatis haud legitime tentare: enimvero Imperatores post Concordata nec contrariam consuetudinem introduxere, nec Pontifices suis juribus in Concordatis Germaniæ quæsitis cessere. Hinc Clemens XI. Josepho preces absque indulto dirigenti magis adhuc restitit, eoquod quendam ad canonicatum in mense Pontificio vacantem nominaret. *a*) Hæc sententia, quæ beneficia collatorum catholicorum respicit, argumentis §. VII. & VIII. adductis adprime satisfacere videtur, ut pensitanti illucescet, præsertim si advertat, quid jure Pontifices & non mere ex plenitudine potestatis, pro tempore illo jura a factis non satis distinguente, prætendere potuerint. Neque quod ultimo loco ibi est allatum, quidpiam difficultatis habet, nam oppido falsum est, ad hoc, ut Imperator ad beneficia simpliciter nominare possit, eum indulto Papali indigere, alias laici, qui jus patronatus habent, illo pariter egerent, quod juri & praxi est contrarium. Quod vero attinet momenta contraria quinque priora §. IX commemorata, potius hanc stabiliunt, quam evertunt sententiam. Illud quidem ex concilio Basileensi deductum argumentum tanti non est, ut ex ejus decreto ipsi Imperatores jus suum vel privilegium perpetuum deducere intendant: præterea præjudicare non potuit Concordatis, quæ postmodum inita fuere. Sexta ex Aurea bulla decerpta ratio nihil roboris habet, cum inter publicistas non constet, Vicarios Imperii jure primariarum precum tempore interregni gaudere, imo complures non levibus argumentis id ipsis denegent: ut taceam declarationem nullitatis precum primariarum Imperio vacante a Vicariis expeditarum & quarumcunque provisionum, vigore earum, factarum aut faciendarum a Clemente XI. promulgatam. *b*) VIImæ rationi plurimum inest ponderis quoad Protestantes, utpote quos inter & Cæsarem ratione juris primariarum precum tempore P. W. disceptatio fuit, neque illa adeo catholicos attingit. VIII. argumento paritas instituta inter Principes Imperii & Cæsarem quicpiam evinceret, si hic ad beneficia in mensibus ordinariorum vacantia simpliciter nominaret, neque executores ecclesiasticos modo prædicto constitueret, nec preces ad beneficia in mensibus Pontificis vacantia extenderet. His allatis demum tertium assertum, quo

quo partim ex Instrumento P. W. jus precum deduximus, Protestantes tangit, & clare evincitur ex Art. V. §. 18. & 26. ubi pro Ecclesiis Protestanticis norma exercitii illius juris Cæsarei est mutuo paciscentium consensu præscripta, juxta quam Protestantes preces Cæsareas admittere tenentur, etiamsi anterior antiqua consuetudo non præcesserit.

a) Ita literæ Clementis XI. ad capitulum Hildesiense datæ perhibent his verbis: " Verum cum ejus, de qua agitur, præbendæ dispositio, ob vacationem in mense nobis reservato secutam, ad nos manifeste spectet, palam est, non licere vobis aliena, nostra vero præsertim, attingere, neque huc referri posse preces, imperiali diplomate contentas. „

b) Extat ea in Bullario Clementis XI. pag. 104. estque anno 1711. publicata.

## §. XIII.

Postremo strictim explicandum venit, quando Imperator & quomodo jus primariarum precum exercere queat. Quod tempus exercitii illius concernit, non est dubium, apud Protestantes statim post legitimam Cæsaris electionem exercitium hujus juris obtinere, hoc namque Instrumentum P. W. solum ad antea habitum exercitium provocans innuit, & diserte Protestantium publicistarum doctrina, omnia Cæsarea jura ex electione deducentium, confirmat: a) apud Catholicos major est difficultas. Sunt quidem non pauci canonistæ b) qui neo-electum Imperatorem statim primas preces ad Ecclesias dirigere posse, arbitrantur, idque ob cognitam benignitatem summorum Pontificum, qui indultum literis, etsi posterius datis, non dubitantur concessuri, sicque ratihabituri nominationes ad beneficia, jam antea factas. Verum alii vel nihil hic decidunt, c) vel plane eam facultatem ante impetratum indultum Cæsari non competere asserunt. d) In hac materia, (quod ego quidem sentio) non tam respiciendum est, quid possit, quam quid fieri expediat: si exinde scissura Sacerdotii & Imperii timeatur, non est Cæsari suadendum, ut rem suam ad apicem juris, siquod hac in re habet, provehat, quamvis & Pontifici arcum nimis adstringere propensio in Cæsarem supremum Ecclesiæ Romanæ protectorem dissuadeat. Modum juris illius exercendi quod spectat, I. Cæsar preces ad veros collatores sive collatrices Imperii Germanici dirigere debet, qua de causa in diplomatibus precum hæc formula adhibetur: *conjunctim vel divisim*, quæ id operatur, ut, si forte singuli ex Canonicis jus vice capituli conferendi habeant, veluti Turnarii, postmodum excipere nequeant: aliud quidem dicendum est, si ex dignitate sua vel alia ratione jure conferendi beneficia gaudeant, tum nominatim ad eos preces sunt dirigendæ. II semel tantum precibus eos onerare potest, cum aliud consuetudine non sit introductum. III. personas merito scientiæ & pietatis spectabiles, in quo rei cardo & utilitas Ecclesiarum

ver-

vertitur, per preces nominare eum oportet, ut communiter diplomata precum Cæsarearum intentionem hanc salutarem Imperatorum contestantur: sed quomodo id observetur, praxis non sine damno Ecclesiarum abunde docet.

a) Vid. Fritschius de precib. prim. c. 2. n. 48. Pauermeisterus, Schutzius, Mayerus de prec. prim. Thes. 59. Mascovius Diss. de Regali Imperialique Augustorum Germaniæ Augustarumque coronatione c. 4. §. 9. & alii.

b) Vid. Wagnereck Comment. Exeget. SS. can. T. I. L. III. Tit. 5. Pirhing Lib. III. Tit. de præb. n. 371. Engel. Reiffenstuel Tit. de præb. §. XX. n. 824.

c) Uti Chokier loc. cit. Sect. II. Quæst. XII.

d) Uti Oligenius cit. Differt. §. LXXIII.

# CAPUT V.

## Quæ beneficia apud Catholicos primis precibus afficiantur & quænam contra excipiantur, deducit.

### §. I.

Postquam fundamenta vera, queis jus primariarum precum innititur, subrutis, ac suffossis falsis, adstruximus, non incongrue subjungere existimamus, ad quæ beneficia sese extendant primæ preces: hac quidem in re mihi otium fecisse auctores complures videbuntur, qui prolixa serie, quæ beneficia sub falce earum cadant, aut ab iis immunia sint, in suis tractatibus librisque desuper publicæ luci expositis retulerunt a) at cuilibet hoc caput mecum accuratius nonnihil dispicienti secus omnino apparebit: plerumque enim ii amplitudinem valde odiosam & præjudiciosam indultorum aut precum Cæsarearum observantes, ad ipsam praxin, statuta & consuetudines Ecclesiarum Germanicarum vel plane non, vel obiter duntaxat oculos mentemque conjecerunt, ut legenti eorum libros manifestum palamque est.

a) Chokier in Scholiis ad preces primarias Sect. II. pag. mir. 34. & seqq. Wiestner Jur. Cano. Tit. de præbend. & dignitat. Art. IX. & alii passim.

### §. II.

Primo itaque ad rem solide pertractandam consulere oportet amplissimum indultorum Apostolicorum tum veterum a) tum recentiorum b) tenorem, ex cujus lectione nemo non advertet, quam late plenitudo potestatis Ponti-

tificiæ dominetur, atque primariarum precum juri beneficia minora atque majora quævis, exceptis duntaxat pontificalibus, & post has dignitatibus primariis in Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis subjiciat. Ex iis indultis consimilis deprompta fuit ab Imperatoribus formula, qua nec Rudolphus, nec Carolus IV. nec Wenceslaus, nec Sigismundus usi fuere, tum quippe ex laudabili consuetudine id solum juris sibi competere asseruere, quo ad beneficia in suis ditionibus sita, vacantia aut vacatura, semel tantum personam aliquam sibi gratam idoneamque nominare ac præsentare possent: & sane hac moderatione id facile impetrarunt primo Imperatores, ut nominationes ejuscemodi effectum sortirentur, ac inde ex consuetudine tandem inveterata jus ad successores transiret. Post indultum vero Nicolai V. Pontificis Fridericus III. amplitudine verborum ex ejus privilegio in suas preces transcripta, ansam dederat successoribus eadem formula utendi, ac plus consuetudini, quam ei inerat, adscribendi, tum enim invaluit communis, qua modo utuntur Imperatores, formula, c) cuique judicium aulicum Viennense mordicus inhærere solet, at qua sub ratione ea admittenda sit, qualesque passa sit & hodienum patiatur exceptiones, sequentibus me perspicue commonstraturum confido.

a) Indultum Nicolai V. jam satis ample conceptum est. Vid. Oligenii Differt. n. XXXVII. pag. mihi. 31. & seq.

b) Vid. indulta Clementis VII. Pii IV. Gregorii XIII. Pauli V. &c. apud Lünigium & Oligenium in Differtat. de primariis prec.

c) Vid. Caroli VI. VII. & Francisci I. primariæ preces.

## §. III.

Inprimis formula precum Cæsarearum Imperatori vindicat jus porrigendi eas ad omnes & singulos collatores, collatrices, capitula, conventus & collegia & alias personas de beneficiis quocunque modo disponendi jus habentes, per universum Romanum Imperium constitutas. Sed hic plura in rem nostram observanda veniunt. Nam I. non ei competit facultas ad has personas commemoratas preces dirigendi, nisi consuetudine ea sit quæsita ac firmata, cum enim mensura illius juris ex ea duntaxat juxta ipsam Cæsarum contestationem sit desumenda, ad eam unice respiciatur necesse est, si proinde ad totum capitulum, conventum, vel alium quemcunque collatorem non fuerint preces unquam antea directæ, aut si quæ sint porrectæ, effectu tamen semper caruerint, illæ nec modo dirigi poterunt. Unde vehementer miror quasdam Ecclesias Cathedrales modo a Carolo VI. preces eo directas admisisse, atque executioni dedisse, licet nunquam antehac precibus Cæsareis fuisse gravatæ dicantur. II. Et ratio canonica & praxis certa evincit, preces haud recte dari ad collatores unius tantummodo beneficii, cum quatuor saltem beneficia conferendi jure gaudere debeant.

beant. III. Si ad quasvis personas quovis modo de beneficiis disponentes preces dirigi valerent, etiam jus Patronatus laici aut mixti habentes comprehenderent, quod rursum ratio Ss. Canonum & experientia contraria ab æquo & vero abludere comprobant. Si enim reservationes Pontificiæ, utut alias immodicæ & excessivæ extiterint, tantum patronis ejusmodi, ne a fundandis, dotandis, aut exstruendis Ecclesiis absterrerentur, præjudicium non inferrent, multo minus tam noxium preces primarias abusum invehere, præsumendum est; præsertim cum nulla consuetudo in Imperio nostro desuper invaluerit, ipsoque usu antiquo & moderno in iis immunitas a precibus corroborata existat. IV. Solum jure gaudet Imperator preces dandi ad personas per Imperium Romanum constitutas, ex quo nullo negotio consequi videtur, preces non esse dirigendas ad extraneos collatores, ut ut Cæsari sint subjecti. V. G. in Italia, nisi beneficia in Germanico Imperio sita ad eorum collationem pertineant: *a*) secus foret si collator quidem in Imperio esset, beneficia vero collationi ejus obnoxia extra illud consisterent, tum enim primæ preces locum non haberent.

*a*) Chokier Sect. II. V. *per Sacrum Romanum Imperium* Hermes cit. loc. c. 11. & alii passim canonistæ.

## §. IV.

Porro adseritur in eadem formula precum Cæsari potestas consequendi pro nominatis precistis *beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura*: at in prioribus non defertur ei ab Episcopis & aliis collatoribus teste notoria praxi, neque ipsimet Cæsares eam juris extensionem precibus directis evincere moliuntur: & jure merito, ipsis namque imperturbata diæceseon & Ecclesiarum parochialium consuetudo quam maxime obsistit. Deinde nec e re foret fidei Catholicæ, sed in parochias & animas fidelium gravissima damna redundarent, cum experientia constet, crebro sine ullo delectu, sola adminiculante gratiamque cæsaream extundente & carnem, aut sanguinem, vel privata compendia respiciente commendatione, personas nominari ad beneficia ecclesiastica, ac sæpenumero verum idcirco sit, provisum sic esse personis, non Ecclesiis: demum advertere fas est, sive beneficia curata conferantur per modum investituræ, vel per modum commendæ, utrinque periculosæ plenum opus aleæ existere. Si enim precistæ ad beneficia curata nominati investirentur, non raro iis haud debita scientia artem illam artium rite tractandi præditis onus alias angelicis humeris formidandum imponeretur, sub cujus mole etsi succumberent, ac horrendam propter ignorantiam, vel charitatis, aut aliarum virtutum pastoralium defectum stragem animarum ederent, ab ordinariis ab eo munere, nisi ex causa in sacris canonibus expressa, amoveri possent, aut si id ab illis tentaretur, facile damnosis Ecclesiæ litibus sese immiscerent. Si vero per modum commendæ cura parochiarum in diæcesi committeretur, frustraneum pror-

prorsus foret ad ejusmodi beneficia curata quempiam precibus offerre, cum ad nutum Episcopi ex aliqua justa & gravi causa, etsi non sit sacrorum canonum præscripto designata, amoveri queat: ex qua doctrina alias communis auctorum *a*) sententia, verba indultorum & precum, non autem consuetudinem praxinque attendentium, confutari facile potest.

*a*) Ita sentiunt Chokier loc. cit. V. *super singulis beneficiis.* Wagnereck in commentar. Exegetic. SS. Canon. tit. de præbendis & dignitat. super indultum. §. 2. n. 6. Leurenius p. 2. q. 602. Pirhing. de præbend. & dignit. n. 267. Wiestner eod. tit. n. 160. Schmalzgrueber ibid. q. 7. n. 373.

## §. V.

Tertio comprehendit formula precum beneficia omnia sæcularia; at hic quoque animadversione quadam opus est; quippe etiamsi hic nullius exceptionis mentio fiat, indultorum tamen Apostolicorum tenor variis scatet exceptionibus, & quidem I. primis precibus haud obnoxia dicuntur beneficia sedis Apostolicæ provisioni reservata extravag: *ad Regimen*: quæ & Concordatis Germanicis inserta est, videlicet dignitates & beneficia S R. E. Cardinalium, officialium, curialium, familiarium Papæ & aliorum ibi expressorum, item beneficia vacantia in curia, & eorum, qui ad hanc accedentes ab eave recedentes in locis ultra duas dietas ab ea non remotis ex vivis decedunt *a*). II. Dignitates Pontificales, sive Episcopales, *b*) utpote quarum electio libera Capitulis Cathedralibus ex lege publica Concordatorum competit, neque eam unquam Cæsares per preces, citra eorundem violationem ac juris jurandi infractionem, imminuere aut quærent aut tentabunt. III. Dignitates Pontificalibus proximæ in Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus, ut in Imperio nostro sunt præpositur æ vel decanatus: dignitates primæ in Collegiatis; & in his omnibus consuetudo praxisque Ecclesiarum Germanicarum est notoria, vi cujus nec a Cæsare preces, queis hæc beneficia afficiantur, diriguntur, nec ab Ecclesiis, siquid ea in re ultra limites juris tentaretur, unquam admittetur, cum nec indulta, ex Pontificiæ potestatis plenitudine emanantia, id unquam concesserint. IV. Beneficia ad sedem Apostolicam legitime devoluta, ubi advertas velim, ea si ad immediatum superiorem Pontifice inferiorem devoluta sint, precibus esse obnoxia, exceptione firmante regulam contrariam in casibus non exceptis. *c*) V. Litigiosa, id est, super quorum proprietate cum eorum possessoribus defunctis mota lis adhuc indecisa pendet, quia gratiæ exspectativæ, quibus preces accensentur, generatim non cadunt super beneficia litigiosa, nisi vel lis sit notorie frivola & calumniosa, vel solum super possessione beneficii agatur. *d*) VI. Beneficia monocularia, nam præterquam quod indulta dicant, precibus tantum collatores gravari posse, qui saltem 4tuor beneficia habent conferenda, Cæsares etiam

non

non præsumuntur tam graviter ejusmodi collatores onerare velle. VII. Beneficia juris patronatus, saltem laici & mixti, ne patroni ab hujusmodi piis fundationibus absterreantur. VIII. Manualia ad nutum revocabilia, item ministerialia, quibus annexum est onus canendi vel dirigendi canentes in choro, ut vicariatus Chori, nam in his nec consuetudo antiqua, nec praxis moderna Cæsari suffragatur. IX. Excipiunt non pauci auctores *e*) beneficia resignata ex causa permutationis coram ordinario, vel in favorem tertii, eoquod hæc non censeantur vacare, nisi ad effectum, ut conferantur illis, qui permutationem fecerunt, vel in quorum favorem dimissa sunt. Idem dicunt de resignatis simpliciter in manus Pontificis: verum his scriptoribus tuto me non committerem, si quod beneficium haberem illudque vel permutare vel resignare infavorem 3tii aut in manus Papæ vellem, præsente adhuc precista, qui litem facile mihi movere posset & non sine ratione, nam si id liceret, in fraudem juris primariarum precum resignationes ejuscemodi fieri possent, hinc tutius longe est exspectare, usque dum precistæ beneficium aliud vacans collatum sit.

*a*) Chokier sect. II. V. *Dummodo* Wagnereck §. 2. Eodem & Pirhing n. 370.

*b*) Vid. Wiestner Tit. de præb. & dign. n. 162. Hermes fasc. Jur. publ. cap. 11. n. 36. & 43. & alii.

*c*) Vid. Chokier sect. II. V. *ad sedem* Pirhing n. 383. & alii.

*d*) Wagnereck §. 3. V. *restringitur.* Leurenius p. 2. for. benef. q. 607. n. 6.

*e*) Chokier sect. II. V. *super singulis.* Hermes cit. loc. n. 35. Wiestner n. 164. aliique à Schmalzgrueber tit. de præb. n. 347. citati.

## §. VI.

Ulterius se extendit formula precum Cæsarearum ad beneficia regularia, ex quo quæstio alia inter Canonistas exsurgit, qua disquiritur, utrum vere preces primariæ ejusmodi regularia beneficia adficiant, nec ne. Sunt nonnulli interpretes juris canonici, qui affirmantem confirmant, verum solida ii ratione destituti, solo verborum formulæ tenore gloriari videntur. Nam contraria est praxis Imperii, nec usus & actuum frequentia, quæ sola consuetudinem inducit, eidem suffragatur, proinde cum in dubio Cæsarum testimonio iis jus primariarum precum ex consuetudine competat, hæc autem in regularibus beneficiis locum non habeat, id etiam juris exercere nequeunt. Quocirca merito negativam tuentur sententiam alii juris canonici tractatores *a*) quibus adstipulantur quidam protestantium scriptores *b*) quamvis in hacce materia jura imperatoria potius dilatare, quam coarctare soleant.

*a*) Wiestner ad tit. de præbend. & dignit. n. 16. Schmier in juris prud. can. civ. lib.

lib. 3. tract. p. 2. cap. 3. Sect. 7. §. 3. n. 320. Reiffenstuel tit. de præbend. & dignit. §. 30. n. 581. Schmalzgrueber.

b) Bœhmerus. J. E. prot. tit. de præb. & dignit. §. CIII. ita inquit: "Excipiunt communiter beneficia regularia per se talia, ut Abbatias, præposituras, Prioratus, Decanatus, Canonicatus regulares, monachatum simplicem, quod ad Cæsares pro nominatione ad ea recurri non sueverit, ut ait Wiestner ad tit. hunc. n. 16. h. e. quod hic exempla deficiant & praxis: ego hæc nihil definio, cum non adeo certum sit, praxin omnem hic defuisse, saltem minus probabile est, Cæsarem ad canonicatus regulares & prælaturas nunquam præsentasse candidatos, cum vel diploma Wenceslai contrarium evincat." Hæc postrema verba satis innuunt, sentire authorem, jus illud cæsareum se posse ad regularia beneficia extendere, cum in dubium vocet contrariam praxin, sed immerito, ex nullo enim documento à pluribus retro sæculis constat, Cæsares ad prælaturas & canonicatus regulares, vel alia beneficia monastica præsentasse, imo contrarium historiæ monasteriorum germanicorum perhibent, qui igitur Cæsares eo jure uti valerent, queis nulla suffragatur consuetudo vel generalis vel particularis, verius proinde sentit Ayrerus in Comment. Juris primar. prec. C. VI. §. 1. pag. 185. ita edisserens: "Nec sine ratione negativam tueri videntur sententiam, siquidem constat, monasteria non certo numero monachorum vel monialium esse adstricta, adeoque nullum proprie in illis vacare beneficium. Nullo autem vacante beneficio preces sua efficacitate gaudere nequeunt, & utilitate semper destituta erit præsentatio ad beneficium, quod vere non vacat: plurima beneficia regularia, si Abbatias & prioratus nonnullos excipias, sunt manualia & proinde ad nutum superioris amovibilia, hinc frustraneum prorsus foret, ad illa quempiam precibus offerre." Hæ rationes, ut ut speciem veritatis habeant, nihili omnino fierent, modo consuetudo ad monasteria preces dirigendi, & harum executio ex parte Imperatoris staret, tum quippe monasteria precistas admittere tenerentur, licet in novitiatu ita eos divexare, ac variis regulæ suæ exceptionibus turbare possent, ut sua sponte redire mallent in sæculum, quam in iis professionem religiosam emittere.

## §. VII.

Hisce limitibus nondum formula precum cæsarearum concluditur, sed nominatim varia beneficia sæcularia exprimit, & falci precum primariarum submittit. Semper enim hæc inseruntur verba "etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes vel officia fuerint in collegiata, Cathedrali vel Metropolitana Ecclesia, etiamsi ad ea consueverint qui per electionem assumi, ad collatorum, collatricum, capitulorum, collegiorum, sive personarum prædictarum collationem, provisionem, electionem, nominationem, præsentationem seu quamlibet aliam ordinationem conjunctim vel divisim spectantia." An autem omnia & singula hic contenta juri & praxi Ecclesiarum consonent, sigillatim dispicere vacat. Nemo in rebus Imperii publicis paulisper versatus inficiatur, canonicatus & præbendas in plerisque Germaniæ Ecclesiis eidem

eidem juri esse obnoxias, nisi contraria consuetudine vel primitus retenta, vel postmodum introducta ejusdem exercitio obex fuerit positus, cum enim ipsimet Imperatores ex antiqua consuetudine jus suum derivent, promptum est inferre, eos id ipsum in iis Ecclesiis, in quas ea non est invecta, exercere non posse.

## §. VIII.

Deinde dignitates, personatus, administrationes & officia in collegiatis, cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis tenor mox adductus juri primariarum precum substernit. At qua ratione, quo jure qua Imperii praxi & observantia, capere haud possum. Certum omnino & indubitatum est, olim ante Concordata Germaniæ tanta amplitudine preces a Cæsaribus non esse directas, sed solum canonicatus & præbendas Ecclesiarum ab iisdem affectas fuisse, contestantibus Rudolphi I. Caroli IV. & Wenceslai precum diplomatibus. *a*) Quin irrefragabile hujus rei testimonium afferre juvat ex Concilio Basileensi, quod Sigismundo Imperatori speciali constitutione jus primariarum precum corroborare intendit, sed nihil antea Sigismundus petiit, quam ut ad unam præbendam & beneficium in Ecclesiis semel personam idoneam sibique gratam nominare libere posset, nihilque aliud impetravit, nulla dignitatum, personatuum & officiorum mentione facta. *b*) Post Concordata Germanica ea extensio ex indultis Apostolicis in preces cæsareas irrepsit; at Ecclesiæ Germanicæ iis nequaquam deferebant, probe adnotantes, hoc modo curiæ Romanæ ministros suæ utilitati & amplius extendendæ, quam lex Concordatorum permittit, in Beneficiis Germanicis potestati velificatos esse, si enim precistas admitterent capitula ad dignitates eas ecclesiasticas capitulares, proculcatis antiquis statutis observantiisque inveteratis; provisos a sede Apostolica de beneficiis in mensibus Papalibus vacantibus, ab iis dignitatibus, si simul cum canonicatu vacassent, haud excludi potuisse, consilio arcano usi dijudicabant. Verum res secus contigit: Capitula quippe Germanica plurimum insudabant conservandis antiquis illis statutis moribusqne, & ne latum quidem unguem ab eis discedere parata erant; ut autem immoto semper persisterent talo, eo rem dirigebant per Ecclesiasticos Electores, ut ipsi Imperatores statuta & observantias Ecclesiarum Germanicarum sese tuituros jurato in Capitulationibus pollicerentur. Hisce præmissis argumentum instruimus 1mum, dignitates & personatus ejuscemodi in Ecclesiis vacantes non obnoxias esse juri primariarum precum. Nam vi statutorum & observantiarum, quemadmodum juri turnariorum non subjacent, sed per electionem in Capitulis conferuntur, ita multo minus precibus Cæsareis affici queunt, adeo ut precistæ exigere possint dignitates & officia talia, quæ non nisi ex inveterata consuetudine aut statuto per viam electionis consequi licet: eo pariter (quod silentio non transmittendum) antiqua indulta Apostolica respiciebant, quæ sæpenu-

penumero in preciſtis qualitates juxta ſtatuta Eccleſiarum idoneas deſiderarunt c) quo abunde ſatisque manifeſtum redditur, ipſos Pontifices obſervantiæ ſtatutorum invigilaſſe, adprime enim noverant, inveteratos mores ſtatutaque in Eccleſiis ad uſum deducta, veram vim juris habere, ac citra injuriam, a poteſtate, utut ſuprema, tolli non poſſe, niſi quidpiam corruptelæ in mores cleri invehant, aut diſciplinæ eccleſiaſticæ nervum vigoremque incidant. Non quidem ignoro Pontifices nonnullos, præſertim a tempore Clementis VII. illis derogaſſe, ſed quem ejusmodi derogationes effectum ſortitæ ſint, æque conſtat, videlicet nullum: imo intererat & Imperatoris & nationis Germanicæ, ut ne talibus derogandi formulis Eccleſiarum Germanicarum ſyſtema concuteretur, ac peſſumiret non ſine majori turbarum & oppoſitionum fremitu, qui in Eccleſia, utpote quietis ac tranquillitatis beatæ ſinu, plane exulare debet. Hæc conſequuntur alia pari prudentia ac diſcreta circumſpectione ponderanda. In Inſtrum. P. W. expreſſe cautum eſt, ut juxta ſtatuta Eccleſiarum idoneus per preces præſentetur, qui igitur preciſta ad dignitates V. G. Scholaſtici, Cantoris, Decani, Præpoſiti, & alia officia in Eccleſiis Cathedralibus vel collegiatis jure precum admittendus eſt, cum ſtatuta & conſuetudines vix von omnium Eccleſiarum Germaniæ id expreſſe condant, ut nonniſi per electionem & vota majora capituli ad eas pertingere quis poſſit ac debeat. Quare Eccleſiæ Germaniæ Catholicæ ſummopere venerantur æquiſſima Caroli VI. glorioſiſſime memoriæ Imperatoris reſcripta ad Eccleſias Wirceburgenſes, Cathedralem & collegiatam Novi monaſterii data, quibus nullatenus earum ſtatuta & conſuetudines infringere ſe velle conteſtatus eſt, & preciſtas ſimul, dum ultra eos limites qui tentabant, ad obſervantiam ſtatutorum remiſit. Hoc quemadmodum jure aſſertum ivi, ita rationes tum politicas, tum diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſervandæ peropportunas idem ſuadere exiſtimo. Salutari quippe conſilio eſt introductum, ut in capitulis dignitates via electionis conferantur, ex iis enim vel bene vel male adminiſtratis, inſignia commoda vel damna in Eccleſias redundant, hinc olim puriore vigente diſciplina, qui utiliores, doctiores & magis probi viſi ſunt, ab ipſis Epiſcopis vel Capitulis ad eas dignitates electi ſunt, eſto quod ſiniſtris quandoque reſpectibus, præſertim ſequiori ævo, ubi non raro pietas, doctrinaque inſuper haberi cœpit, hæc intentio ſalutaris deturpata fuerit, aut hodienum deturpetur, hoc tamen non evertit ſyſtema Eccleſiarum, neque abuſus per abuſum tolli debet, aut rite emendari poteſt; quid enim fieret, ſi preciſta jus haberet, una cum præbenda vacantem etiam dignitatem conſequendi? an non ſæpenumero perverſæ ambitionis atque avaritiæ œſtro concitati preciſtæ mortem avide exſpectarent alicujus canonici dignitate Eccleſiaſtica in eadem Eccleſia præfulgentis, etiam ſuperſedentes, ſi ſimplex canonicatus vacaret? an non crebro ad culmina officiorum & dignitatum proveheretur, qui ætatem vix haberet requiſitam ad minores ordines

ſuſci-

ſuſcipiendos, qui vix pueriles annos exegiſſet, qui vix ac ne vix quidem rudimenta fidei & linguæ grammatices calleret. O præclaros cuſtodes, qui ſe cuſtodire nequeunt, cantores, qui linquam vix ſolvere ſciunt in verba viro digna, & præpoſitos vel decanos, qui dum aliis præeſſe debent, ipſi aliorum directione & inſtructione vel maxime egent. Neque quis dicat, ſaltem preciſtam, ſi vir eſſet inſigni pietate & eximia ſcientia, aliisque dotibus conſpicuus, ad ejusmodi officia & dignitates una cum præbenda admittendum eſſe, nam licet hujus admiſſio in caſu hoc particulari Eccleſiæ damna non inferat, imo forſitan majora in eam emolumenta derivet, nequaquam tamen jure exigi poteſt, cum æque ſtatutis & moribus Eccleſiarum repugnet, præterquam quod alii ſemper in ejusmodi Eccleſiis extent canonici, diuturno miniſterio meritisque inſignes, qui idcirco ex lege juſtitiæ diſtributivæ præferendi ſunt. Demum cum unus caſus particularis regulam generalem evertere nequeat, & longe plures ſint preciſtæ, in quibus tales prærogativæ non ſolum non conſpiciuntur, ſed etiam multos defectus obſervare eſt, ad hos eo certius excludendos, etiam preciſtæ viro pio doctoque viam ad dignitates tales præcludere fas eſt.

a) Vid. eorum diplomata cap. I. adducta.

b) Vid. tenor Decreti Baſileenſis apud Lünigium Tom. I. Spicil. pag. ſuperius cap. I. citata.

c) Confer. omnia indulta Pontificum ante Clementem VII. edita, quæ extant apud eundem Lünigium Tom. cit.

## §. IX.

Nihilominus ad præfatam doctrinam melius capiendam diſtinguendum eſt inter officia & dignitates, quæ canonicatui non ſunt annexæ, ſed uni ex Capitularibus prævia electione conferuntur, & ſic ab una præbenda ad aliam migrant; & inter illas, quæ præbendæ cuidam vi fundationis, vel conſuetudinis, aut ſtatuti alicujus Eccleſiæ indivulſe ſunt annexæ. De illis, quæ §pho præcedenti dicta ſunt, intelligenda veniunt: de his aliter ſentire convenit, nam has dignitates certo canonicatui annexas, ſi hic vacat, una cum præbenda nominati a Cæſare preciſtæ a Capitulo vel alio collatore ordinario ſibi conferendas jure optimo poſtulare poſſunt, neque repellendi ſunt, niſi certæ qualitates ad ejusmodi dignitates conſequendas vi ſtatutorum & conſuetudinum talis Eccleſiæ deſiderarentur, quæ iisdem deeſſent: quo caſu iis citra ullam injuriam aditus ad talem præbendam & dignitatem annexam merito denegatur: rem hancce exemplo illuſtrare convenit. Supponamus certo canonicatui officium Scholaſtici, vel Profeſſoris Theologiæ, aut aliud eſſe annexum: ſupponamus rurſum, Canonicum, qui hujusmodi officio hactenus eſt functus, e vivis decedere, preciſta,

ſiquis adeſt, Cæſareus indubium una cum præbenda dignitatem vel officium conſequendi jus habet, modo ſtatuta moresque Eccleſiæ non repugnent, aut ipſe qualitatibus in iſta Eccleſia vi ſtatutorum & conſuetudinum aut plane vi officii requiſitis ſit inſtructus, unde ſi requireretur, ut officium tale conſequi volens in facultate vel theologica vel juridica gradum licentiatus vel doctoratus prævio rigoroſo examine obtinuerit, hac qualitate præditus eſſe deberet. Sed hic mihi incidit quæſtio, an, ubi munus aliquod V. G. Profeſſoris certæ præbendæ eſt quidem annexum, ſed ad hoc ex fundatione, vel ſtatuto ſive indulto Pontificio nonniſi per concurſum antea habitum dignior repertus pervenire poteſt, an, inquam, preciſta vacantem talem præbendam una cum officio ejusmodi conſequendi jus habeat? quam ut rite diſſolvam, prænotandum eſt, hujusmodi inſtitutum in Academiis, uti extat in Univerſitate Trevirenſi circa Profeſſuram juris canonici, cui annexa eſt præbenda Capitularis in Eccleſia collegiata ad S. Simeonem, ſaluberrime eſſe adinventum, tum ut ad tale officium, ex quo plurimum utilitatis in rempublicam ſacram & profanam redundat, dignior in concurſu repertus admittatur, tum ut a cathedris arceantur, qui principiis ſolidis ſanisque doctrinæ a ſe tradendæ necdum ſunt imbuti: jam ſpectato hoc fine preciſtam talem præbendam officiumque annexum conſequendi jus nullum habere aſſero, I. quia cum preciſtæ plerumque ad docendum non ſint comparati, ſcopus ille maxime ſalutaris non obtinebitur. II. quia nulla eidem ſuffragatur in tali eccleſia conſuetudo, vi cujus preciſta aliquis unquam fuiſſet admiſſus. III. quia ſicut preciſta alias canonicatum, niſi juxta normam ſtatutorum idoneus, conſequi poteſt, ita nec talem præbendam, niſi ſtatuto vel conſuetudini deſuper vigenti ſeſe conformet, obtinere poterit. Nihilominus, ſi ſe in concurſu ſiſteret, & inter candidatos, ſi non digniſſimus, ſaltem dignioribus in omnibus parum aut plane non inferior ab examinatoribus haberetur, eum aliis præferri poſſe exiſtimarem.

## §. X.

Poſtremo non eſt omittenda diſquiſitio, utrum præbenda capitularis juri primariarum precum obnoxia ſit, adeo, ut preciſtæ ſtallus in choro & locus in capitulo, cum plenitudine juris canonici & fructuum perceptione, qualibet contradictione ceſſante, aſſignandus ſit, vel an adinſtar alterius canonici de novo recepti quivis preciſta ſtatuta Eccleſiæ obſervare & onera ſubire teneatur. Pro priori ſententia tenor ſolummodo diplomatis Cæſarei, ac in una alterave Eccleſia præjudicia recepta militant. Pro poſteriori fundatiſſima Eccleſiarum Germanicarum jura paſſim decertant, quæ dum in medium produxero, unusquisque parti Eccleſiarum contra avaritiæ, ambitionis aut litium ardore ſuccenſam quorundam preciſtarum cupiditatem ſeſe adjunget. I. antea omnia eſt notandum, verba hæc diplomatum Cæſareorum "de eo provideatis ponendo eum in pacifica &

& quieta possessione, stallum in choro & locum in capitulo ei assignando, cum plenitudine juris canonici & fructuum perceptione, qualibet contradictione cessante,„ ex odiosa indultorum Pontificiorum amplitudine esse desumpta, simile quid diplomatibus Rudolphi I. Caroli IV. Wenceslai & Sigismundi, uti & decreto Basileensi non referentibus. Præterea II. animadvertere est, formulas indultorum in rem Curiæ Romanæ tam ample esse conceptas, ut Ecclesiæ de beneficiis in mensibus Papalibus vacantibus a Pontifice provisos sic saltem ad capitulum statim admitterent: verum id nequaquam ab Ecclesiis admissum est, ubique fere contrariis statutis & consuetudinibus observatis & hucusque continua serie vigentibus, quamobrem, ubi in Ecclesiis sunt domicellares, ibi provisi Pontificii inter domicellares postremi habentur, aut ubi domicellarium ordo non extat, elapsis carentiæ annis modo ad residentiam strictam, ut vocitant, admittuntur, insuperque omnia onera juxta statuta & consuetudines subire tenentur: ex quo III. sequens deducitur argumentum: provisi a sede Apostolica Ecclesiarum statutis moribusque in omnibus sese conformare debent, & siquid ultra hos limites tentaretur, ipsi Imperatores ex officio supremi Ecclesiarum Germanicarum advocati & vi capitulationum statuta & consuetudines earum protegere, sicuti hoc quoque munere jam laudatissime in aliis casibus defuncti sunt, qui igitur precistæ contra consuetudines & statuta Ecclesiarum amplius sibi jus arrogabunt? IV. an non sic aliorum canonicorum, qui Ecclesiis talibus prius adscripti sunt, jura clara inverterent, si vellent per præjudiciosum saltum eos omnes transilire, & ad locum capitularem sese protrudere, cum nec ex fundatione beneficiorum, nec ex consuetudine jus tale exoticum ipsis competat? Neque hic V. ad Achillem confugiendum est, videlicet ad expressum diplomatis Cæsarei tenorem, nam hic nequicquam evincit; cum enim ex iisdem diplomatibus indubitato constet, jus primariarum precum Imperatori ex antiqua consuetudine competere, hic vero nulla consuetudo sit introducta, vi cujus precistæ ad capitulum admitti debeant, aut ab oneribus juxta statuta subeundis immunes sint, uti patet ex notoria contraria plerarumque, si non omnium, Ecclesiarum Germaniæ per plura secula continuata observantia, juxta quam precistæ ab aditu capituli & emolumentis capitularibus exclusi sunt atque hodienum excluduntur, nec non omnia alia onera instar aliorum canonicorum subire tenentur, qui igitur iidem locum in capitulo vel alias prærogativas sibi vindicabunt? taceo rationes disciplinæ ecclesiasticæ tantopere adversas, quæ quadantenus §. VIII. commemoratæ fuere. Et si quædam Ecclesiæ precistas contra sua statuta & mores ad locum capitularem admiserint (quod hic examinare non vacat) id nihil aliis Ecclesiis præjudicii inferre potest, cum una Ecclesia suo juri renuntiare queat, quin aliæ idipsum facere teneantur.

# CAPUT VI.

## Quid ex parte precistarum requiratur, quodnam jus inde habeant, & quando eo uti possint & debeant, exponit.

### §. I.

Varia requiri in iis, qui per preces primarias a Cæsare ad beneficia vacantia vel vacatura præsentantur, haud ullum est dubium. Generatim quidem, si præscriptum SS. Canonum attendere fas est, precistas iis virtutibus, dotibus ac qualitatibus eminere oportet, quæ alias in statu Canonicali, aut Clericali desiderari solent. Ex quo consequitur, competentem saltem scientiam *a*) ætatem requisitam, mores, & ordinem iis suffragari debere, si effectu precum uti, atque collatores ad sese recipiendos obstringere velint; huc etiam collineare videtur tenor receptus precum Cæsarearum ubi & voluntas pia, & obligatio Imperatorum abunde declaratur, dum iidem in suis diplomatibus usque modo personas integritate vitæ, morum probitate, aliisque virtutibus insignitas tantummodo meritis beneficiis, & dignis honoribus esse afficiendas, indubie contestantur. Verum quantopere ab hac norma, sæpe citra voluntatem Cæsarum, deflectatur, norunt capitula, Ecclesiæ Collatores, aliique viri in rebus Germaniæ publicis versati, ac notoria satis testatur experientia. *b*)

*a*) Hoc optime notaverant Patres Concilii Basileensis, dum Sigismundo Imperatori & successoribus ut preces personis bene meritis, præsertim graduatis, darent, studiose inculcarunt his verbis: "Nos ... ordinamus, ut ex nunc Cæsarea Majestàs tua ... nec non singuli alii Reges & Imperatores ... privilegio & consuetudine quoad preces uti possint, ita videlicet, quod singuli Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & cujuscunque status collatores & collatrices ... personas bene meritas, maxime in Sacra pagina Magistros vel Baccalaureos, seu in altero jurium graduatos ... seu alias per Executores ... examinandas & juxta beneficiorum ... qualitatem idoneas & sufficientes repertas ... admittere debeant. Vid. Lünig. T. I. Spic. Ec. p. 278. Si Cæsares huic decreto morem gererent, precistæ tantam gratiam pluris æstimare scirent, data occasione scriptis vel consiliis jure Cæsarea defenderent; Ecclesiæ vero precistarum pietate & eruditione collustrarentur.

*b*) Hoc ipsum est, quod Capitula, collatores, & Ecclesias implicat litigiis sæpe multo labore, multoque sumptu constantibus, quodque Ecclesiarum bono publico, & communi plurimum officit, non infrequenter enim Imperatoribus ejusmodi homines importune recommendantur, ideoque ab iis preces obtinent, qui nullo spiritu ecclesiastico animati sunt, sed privati compendii, & commoditatis inertis ergo beneficia, & canonicatus ambiunt, deinceps suo

ſuo genio victuri, quin aliquam illi Eccleſiæ, cui adſcribuntur, utilitatem adferre vel velint, vel poſſint. Non raro etiam contingit, ut preces impetrantes mercimonium quoddam cum iis agant, libenter eas relinquentes aliis, ſi modo inde quædam in eos redundent commoda, alia ut taceam contra SS. Canones attentata.

## §. II.

Cum igitur preciſta ad hoc, ut beneficium primis precibus ſubjectum conſequatur, debitas qualitates a jure Canonico præſcriptas debeat poſſidere, ulterius inferre eſt, I. ut non laicus ſed clericus ſit, prima ſaltem tonſura initiatus *a*) tempore acceptationis, & collationis *b*) eo quod in beneficialibus attendatur tempus præſens, ſive tempus collationis II. ut non ſit notatus illegitimis natalibus, vel aliqua ſive ex delicto, ſive ex defectu proveniente irregularitate, & juris communis obſtaculo impeditus *c*) niſi deſuper a ſede Apoſtolica diſpenſatio ſit conceſſa *d*) III. ut habeat ætatem, ordinem, & qualitates alias, quæ ad beneficii aſſecutionem, vel ex juris communis diſpoſitione vel ex fundatione requiruntur. Exploratum enim eſt, preces Imperiales illi juri & fundationibus derogare non poſſe, conſequenter clerico ejuſcemodi qualitatibus deſtituto beneficium, ſaltem ſine prævia diſpenſatione, conferre foret nefas.

*a*) Cap. 7. de reſcriptis, & cap. 2. de Inſtit.

*b*) Cap. 5. de reſcript. in 6. & cap. 9. eod. t. in 6.

*c*) Ita paſſim indulta Apoſtolica præſcribunt vid. Chokier tract. ſæpius cit. §. 4. V. *aut de legitimo.* Hermes faſciculi juris publici cap. 11. n. 52. Nec mirum eſt, hæc neceſſario deſiderari, cum ſanctiones Conciliorum, & decreta Pontificum a conſecutione omnis beneficii irregulares, aut illegitimos gravibus ex cauſis excludant.

*d*) Hoc quidem in indultis Apoſtolicis excipitur: an autem Eccleſiæ Germanicæ, ſive Cathedrales, ſive Collegiatæ, hominem illegitimæ nativitatis vel alias irregularem, etiamſi deſuper diſpenſationem a ſede Apoſtolica impetraſſet, ſint admiſſuræ, vehementer dubitare licet, cum earum ſtatuta aliud exigant, illæque ne latum quidem unguem ab ea norma diſcedere ſoleant, atque hæc ratio agendi fundata videtur eſſe in lege honeſtatis, & boni publici; indecorum quippe foret ejusmodi homines tam inſignibus Eccleſiis adſcribi, atque in conſortium illuſtrium perſonarum, aut ſaltem honeſta parentela gloriantium admitti: præſertim cum hiſce temporibus perfacilis ſit via diſpenſationis impetrandæ.

## §. III.

Occaſione ultimi mox allati requiſiti quæſtio oboritur inter DD. controverſa: utrum videlicet preciſta, ſi qualitas aliqua ad obtinendum beneficium quoddam non ex lege fundationis, vel juris communis diſpoſitione, ſed ex ſpeciali

ciali duntaxat Ecclesiæ ſtatuto vel conſuetudine requireretur, id absque ea conſequi poſſet? Non nulli adfirmant a) dictitantes hujuſcemodi ſtatutis in indultis primariarum precum a ſede Apoſtolica eſſe derogatum, ac ideo per ea requiſitarum qualitatum defectus preciſtæ haudquaquam obſtare poſſe, hujus etiam rei confirmandæ ergo in medium producunt, Nobilis Eccleſiæ Capitulum a Ferdinando II. nominatum preciſtam nobilitate carentem in canonicorum numerum recipere tandem coactum eſſe. Verum alii, qui negant, b) longe ſolidiori incedunt pede, ad manus habentes praxin Imperii communem contrariam, facta Eccleſiarum, quæ conſimile quid tentanti ipſimet Pontifici obnituntur, Capitulationes Cæſareas, vi quarum Cæſar ſtatuta, & laudabiles conſuetudines Eccleſiarum Germanicarum tueri tenetur, & demum Inſtrumentum P. W. Art. V. §. 18. ubi precum effectu duntaxat gaudere poſſe dicitur, qui ad normam ſtatutorum, & obſervantiæ idoneus habetur.

a) Wieſtner tit. de præbend. & dign. n. 170. Chokier ſect. cit. V. *Ac ſecundum.* Pirhing. n. 382. in fine. & Wagnereck. §. 3. extens. 4. ſed hic error inde propullulare videtur, quod hi ac ejusmodi inſtituti ſcriptores ex nimia reverentia in conſtitutiones Apoſtolicas, etiam in materia diſciplinæ de ſe verſatilis, verbis earum potius inhæreant, quam praxi Imperii, nec non juribus, & ſtatutis inveteratis Eccleſiarum Germanicarum: ex quo non levia in has quandoque damna redundare, in aprico eſt.

b) Ita Pfeffingerus in Vitriar. illuſtr. Stœckenius in Diſſert. de primariis precibus Imperatoris quæſt. IX. n. LVII. Fritſchius de jure primar. prec. cap. 5. n. 1. Reinharthius in Diſſert. de poteſtate preciſtæ preces Imperatoris per ceſſionem in alium transferendi. §. VIII. Inter hos omnes tamen Boehmerus J. E. P. tit. de præb. & dignit. §. CXV. nominatim Wieſtneri opinionem confutat his verbis: "Equidem Wieſtner ad h. t. n. 170. inter qualitates juris communis, vel a fundatione dependentes, & inter eas, quæ ſpeciali ſtatuto & conſuetudine deſiderantur, diſtinguit, ut illæ quidem, non hæ obſervari debeant, & ſic harum defectus preciſtæ obſtare haud debeat: ſed vix eſt, ut huic diſtinctioni aſſenſus in praxi præbeatur. Solent hodie Capitula, prout ſupra obſervavi, graviſſime Papæ obloqui, ſi illis canonicum obtrudere intendit, qui debitis ex ſtatuto qualitatibus non eſt inſtructus: quanto magis Cæſareo preciſtæ defectum hunc Canonici objicient, qui . . . tenaciſſime ſtatutis ſuis inhærent. Ipſum inſtrumentum pacis Art. V. §. 18. contrariæ aſſertioni repugnat, ubi is demum precibus hujusmodi frui poſſe dicitur, qui ad normam ſtatutorum & obſervantiæ idoneus eſt.„.

## §. IV.

Porro diſcutienda eſt quæſtio, utrum, ſicuti preces non afficiunt, niſi beneficia intra fines Imperii ſita, ita preces obtinere ſolummodo queant Germani, & indigenæ. Ad quam rite diſſolvendam juvat animadvertere, olim, dum Pontifices mandatis de providendo, & reſervationibus extraneos ad beneficia Ger-

Germanicæ Ecclesiæ provehebant, graviter conquestam esse nationem Germanicam, *a*) & non sine justis causis, ideoque nunc eosdem Germanis beneficia vigore Concordatorum sedi Apostolicæ reservata conferre solere; sunt enim ea a Germanis fundata, procul dubio etiam pro Germanis, ideoque legi fundationum non leviter contrairetur, si alienigenis ea conferrentur; quod itaque Pontificibus olim exprobratum est, multo magis est vitandum ab Imperatoribus, utpote quibus convenit inclytæ nationis Germanicæ favores ampliare potius, quam diminuere. II. in compluribus Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, inveterata est consuetudo admittendi solummodo ex nobilitate Germanica eaque avita candidatos, proin nec alii ad ejusœmodi canonicatus per preces Cæsareas nominari possunt *b*) III. in aliis pariter Ecclesiis minoribus identidem, si non statutis specialibus id cautum est, saltem more indubio est receptum, ut solum Germani in iis beneficia obtinere queant. Unde rursum Germanos solum ad ea precibus suis nominare Cæsari ex titulo supremi jurium Ecclesiarum Conservatoris apprime convenit.

*a*) Inter gravamina nationis Germanicæ Nuntio Pontificio in Comitiis Imperii Norimbergæ habitis oblata c. 21. hæc sub finem habentur. "Qua propter S. R. I. status obnixe quoque rogant, ut præfata onera atque gravamina ..... penitus tollantur, ita ut beneficia per Germaniam nemini, quam natis Germanis, qui personaliter ea possideant .... posthæc conferantur.„ Confer. Schilterus de libertate Ecclesiarum Germaniæ Lib. VII. cap. II. §. 10. Boehmerus J. E. Prot. L. III. tit. 5. §. 91. & Riccius von dem Landsäßigen Adel in Teutschland P. II. C. 9. §. 9. Item vid. acta litis de recipiendo Jacobo de Boville in numerum Canonicorum Wormatiensium, inter Capitulum Wormatiense & Pontificem ortæ apud Fabrum Staats; Canzley P. V. p. 123. & seqq.

*b*) Huic asserto consentiunt Stoeckenius Differt. de jure primariarum precum Th. 59. & clarius Ayrerus commentat. de jure primariarum precum C. VI. §. V. circa finem, Jenichen. von dem Rechte der ersten Bitte einer Römischen Kayserin §. 9. Engau Elem. Jur. Can. Lib. II. §. 385. & Hoffmannus Differt. de juribus indigenarum Germaniæ §. XX.

## §. V.

His observatis speciatim accedit, quod vi instrumenti P. W. precista religioni, quam beneficium vacans desiderat, addictus esse debeat: ex hac regula prono quasi alveo fluit, decedente A. C. addicto in ejus religionis Episcopatibus, & Capitulis A. C. addictum Capitulo præsentandum esse: in mixtis vero ex utraque religione, Catholica, & Protestantica, Episcopatibus seu aliis locis immediatis primariis precibus neminem gaudere posse, nisi beneficium vacans religionis consors possederit, juxta claram decisionem Instrumenti P. W. *a*)

*a*) Vid. Art. V. §. 18. Confer. Henniges in Instrum. P. W. ad dictum §. 18.

§. VI.

## §. VI.

Quemadmodum præmissa requiruntur ad hoc, ut quis possit per preces Cæsareas ad quoddam beneficium rite nominari, ita alia adhuc necessaria sunt precistæ, nominatione etiam facta, ut effectum primariarum precum consequatur; ante omnia tenetur infra mensem, postquam ipsi vacatio beneficii in Ecclesia per preces primarias expressa innotuerit, per se vel per procuratorem ad id speciale mandatum habentem beneficium vacans acceptare, primis precibus collatori ordinario, Episcopo vel Capitulo capitulariter congregato andea insinuatis. a) Quo spatio menstruo elapso preces pro ea vice exspirant ex parte precistæ, qui suæ negligentiæ imputare debet, quod in acceptando beneficio vacante terminum præfixum non observarit, qui propterea usu introductus, ac precistæ præscriptus est, tum ne diutina nimis beneficiorum vacatio damnum inferat Ecclesiis, tum ne nimis diu ancipitem relinquat ordinarium collatorem, an ipse conferre possit, nec ne, præterquam quod alias preces ejusmodi a semita juris communis & ordinariæ collationis exorbitent, ideoque breviori termino, utpote odiosæ, constringendæ sint.

a) Chokier in preces primarias cit. tract. Sect. 4. v. *intra mensem* & v. *duxerint acceptanda.* Pirhing Tit. de præb. & dignit. num. 377. Indicant id ipsum indulta Apostolica, & diplomata precum Cæsarea his verbis: "quod NN. per se vel procuratorem suum infra mensem a die notæ sibi vacationis duxerit acceptandum." Solent nunc in praxi precistæ accepta rescripta precum Cæsarearum, antequam vacet beneficium, collatori ordinario insinuare, ut certius, dum vacat beneficium in Ecclesia, manus eidem sit ligata, ac procedere nequeat ad collationem.

## §. VII.

Ex mox allata doctrina nonnullæ difficultates oboriuntur, inprimis a quo tempore incipiat currere iste mensis ad acceptandum datus? & communis est DD. responsio, eundem currere a die notæ vacationis, ut edifferunt clare verba mox adducta ex tenore precum, sed quis forsitan inde varias fraudes subesse dicet, eoquod precista nimis diu exspectare posset, usque dum acceptet, dicendo sibi haud citius innotuisse beneficii illius vacationem: at perfacile hic scrupulus e medio tollitur, & fraus nulla subesse potest, cum precista eam notitiam habere censeatur a tempore vacationis jam notoriæ in loco vel Ecclesia beneficii vacantis; alioquin imputet sibi, si in hoc casu, quo de ipsius commodo agitur, id, quod vel per se vel per alium scire poterat, ignorarit. Quare plerumque, si precistæ sunt remoti, constituere solent procuratorem, qui huic negotio sollicite intendat: excipiunt quidam a) hac in re, nisi precista justam ignorantiæ causam docere possit: veluti, si nimis longe distaret a loco beneficii vacan-

vacantis, vel si procurator ipsius interea obiisset, vel hujusmodi: verum an, si collatio beneficii vacantis post mensem elapsum ab ordinario collatore esset facta, probatio justæ ignorantiæ sit admittenda, valde dubito, præsertim, cum preces sint odiosæ ordinariis collatoribus & præterea preces effectum, dum aliud vacat beneficium, sortiri possint.

*a*) Chokier loc. mox cit. & Pirhing loc. cit. n. 378. Reinharth cit. Differt. n. X. & alii plures juxta glossam in Clem. unic. v. *nota erit.* de Concess. Præbend.

## §. VIII.

Major videtur esse difficultas in quæstione altera resolvenda, nimirum, si post elapsum mensem ab ordinario collatore beneficium non sit collatum, an precista, re adhuc integra, post mensem beneficium illud acceptare possit & hac ratione collatorem impedire? indubium quidem est, posse collatorem ordinarium post mensem beneficium vacans conferre, cum nullo jure sit impeditus, ac collatione facta, nihil amplius juris pro ea vice prætendere precistam posse, verum in quæstione proposita dissensio scriptorum comperitur, ac in utramque partem eorum mens est pertracta: communius docent *a*) post mensem, re adhuc integra, acceptationi adhuc per negligentiam omissæ locum esse propter clausulam extraordinariam additam indulto Pontificio §. final. expresse derogantem omnibus iis, quæ obstant precistæ & alioquin per constitutiones Apostolicas requiruntur *de insinuatione, & publicatione* gratiarum exspectativarum, *& diligentiis per acceptantes desuper faciendis in favorem ordinariorum collatorum.* Verum cum hæc ratio minus recte sit huc adplicata, in contrariam *b*) abeo sententiam. Primo enim vero Pontificia indulta id non intendunt eo quod tantummodo edisserant, precistæ obstare non debere constitutiones Apostolicas, queis norma circa insinuationem exspectativarum Pontificiarum est sancita, id quod de insinuatione precum haud est intelligendum, alias incassum tum indultis, cum diplomatibus cæsarearum precum ad beneficium acceptandum spatium unius mensis præscriberetur. 2do si etiam Pontifices ex plenitudine potestatis quid amplius in suis indultis sanxissent, id in Germanicis Ecclesiis haud receptum esse constat, utpote quæ suis juribus, & moribus antiquis tenaciter inhærere amant. 3tio juxta cap. *statutum.* 3. de præb. & dignitat. in 6. ordinarii collatores beneficia, quæ vacant in curia, intra mensem a sede Apostolica non collata, post spatium unius mensis conferre possunt, adeo ut, re etiam adhuc integra, facta a Pontifice provisio post mensem haud attendatur in Germania *c*) igitur a potiori consimile jus erit penes eosdem collatores, si precista intra mensem beneficium vacans acceptare omiserit. His 4to accedit ratio haud contemnenda: preces Cæsareæ cum a via ordinariæ collationis deflectant, atque ideo odiosæ sint etiam spectato jure Canonico, terminus acceptationi præ-

fixus strictæ est interpretationis, quo proinde elapso via ordinariæ collationis duntaxat locum habere debet, & quemadmodum, si de beneficio in mense Papali vacante provisus intra trimestre a die notæ vacationis non apparuerit, collator ordinarius liberam habet collationem beneficii, nec provisum a sede Apostolica post trimestre admittere tenentur Ecclesiæ; ita pari ratione discurrendum est in casu nostræ quæstionis..

a) Chokier cit. loc. v. *intra mensem* Wagnereck loc. cit. v. eodem q. 2. Wiestner tit. de Præb. & dign. n. 177. Pirhing eod. tit. 378. Engl. eod. tit. n. 71. Schmier p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 231. Reiffenstuel eod. tit. de præb. n. 595.

b) Hermes fasci. juris publ. c. 11. n. 62.

c) Nicolarts ad concordat. tit. I. dub. 11. §. 4. Layman in Cap. *statutum* n. 5. Vanespen J. E. U. part. 2. tit. 23. cap. 3. n. 7. Pirhing tit. de præb. & dignit. n. 332. & alii passim.

## §. IX.

Quamvis ex §. 5. certi juris sit, precistam si beneficium vacans obtinere velit, intra mensem a die notæ vacationis acceptare debere, neutiquam tamen hoc eatenus accipiendum, ac si beneficium actu vacans acceptare debeat: poterit enim tam primum, quam secundum omittere, & tertium demum, si nullum antea jam tum acceptarit, optare, quam liberam facultatem luculenter precistis concessam esse, indicat tenor Cæsarearum precum per clausulam illam: *duxerit acceptandum a*) perampla hæc, & a sacris canonibus uti & antiqua Ecclesiæ disciplina nimium deflectens libertas acceptandi *b*) suam debet originem indultis Apostolicis: dum olim Cæsares nudas preces ad collatores direxerunt, de tali facultate haud est cogitatum, imo dum preces Cæsareæ primum in jus transiere, id juris precistæ sibi arrogare neutiquam tentabant, summopere contenti collatione beneficii primum vacantis; sed ex quo indultis Apostolicis sese Cæsares munierunt, facile Ecclesiæ Germanicæ, nescio, ex qua vel ignorantia vel generosa reverentia, plus precibus Cæsareis deferebant, quam proprium bonum, & jurium conservatio permittere debuisset; inde & precistis ea potestas est collata, quæ nunc usu a multo retro tempore invaluit. nihilominus usu etiam moderno spectato, cautelæ loco precistæ observandum, ut singulis vacantis beneficii vicibus per notarium, & testes Collatori, & Capitulo voluntatem suam dilucide declaret, ac per protestationem interpositam jura precum concessarum conservet, notamque negligentiæ hoc ipso a se avertat *c*)

a) Hermes fascic. juris publ. cap. XI. q. 56. cap. I. de concess. præb. in 6. Wiestner tit. de præb. & dign. n. 178.

b) Idcirco multis dolis, & illicitis pactis viam aperit, & ad varia scandala inducere

cere poteſt. Nam ſic I. poteſt preciſta in favorem Epiſcopi, vel turnarii, vel alterius perſonæ ſuperſedere, ex quo ſequentis beneficii vacantis collatori non leve infertur damnum, qui, ſi preciſta primum vacans acceptaſſet beneficium, jam illius liberam haberet collationem, id quod præjudicium creſcit, quia in pluribus Eccleſiis non a Capitulis communi conſilio, & votis collatis beneficia, ſed jure turni introducto a Turnariis nomine Capituli ſolum conferuntur. II. quod primum vacans non teneatur preciſta acceptare, anſa præbetur importune ſollicitandi pro pueris, qui non raro ſolent per preces nominari etiam ad eas Eccleſias, in quibus vi ſtatutorum & Concilii Tridentini obſervati certa ætas (forſan intervallo plurium annorum ab iis non attingenda) requiritur, id quod SS. canonibus non parum eſt difforme III. illicita mercimonia translationes, & varia ſimoniaca pacta circa beneficia, obſtetricante mundana privati compendii quærendi arte, in lucem, non absque multiplici ſcandalo, protruduntur; alia ut taceam mala inde propullulantia. His malis medela facillime parari poſſet, ſi ea libertas ex tenore precum Cæſarearum reſtringeretur, cum per ejusmodi expreſſam in caſu particulari factam a Cæſare limitationem nihil juris ipſi decederet, ſed potius variis fraudibus viam præcluderet. Sed hæc optanda ſunt, non exſpectanda.

c) Vide præjudic. Ictor. Salisburg. ut refert Hermes ſupra cit. tract. Cap. XI. q. 54. n. 63. Reinhartii Diſſert. cit. §. X.

## §. X.

Haud inutilis inſuper ratione termini unius menſis ad acceptandum beneficium vacans preciſtæ dati quæſtio moveri poteſt, utrum is etiam currat contra minorem 25. annis, aut alium legitime impedimentum, ita ut, ſi hic intra menſem non acceptarit beneficium vacans, hoc ipſum poſtea, ſive res ſit integra ſive non, a collatore ordinario petere valeat? videntur Autores communius hoc aſſerere a) ex ratione, quod tempus ad certum actum præfixum durante minore ætate, aut legitimo impedimento non currat. b) Verum hac in re, ut quis tuto incedat, conſulat neceſſe eſt ſtatuta, & conſuetudines Eccleſiarum Germaniæ, an non hæc ſimpliciter excludant preciſtas quoscunque, etiam minores, etiam legitime impeditos a conſecutione beneficii, ſiquod intra menſem non acceptarunt. Talia ſtatuta vel conſuetudines ubi vigent, eo magis retinendæ ſunt tanquam laudabiles, tum quod preces cæteroquin juri collationis ordinariæ adverſentur, ſintque collatoribus ordinariis odioſæ, atque ideo reſtrictionem talem patiantur: tum quod exinde preciſtæ tali via aliud vacans beneficium obtinendi non ſit præcluſa, proinde tantum in eum non redundet damnum, & ſi quod inde ſentiret, ut ut ſine culpa, tamen non ſine cauſa ſentire dicendus ſit, cum hoc inſerviat conſervando juri collatorum ordinariorum, & evitandis litibus Eccleſias inter & preciſtas facile non ſine ingenti ſumptu movendis. Nam ſupponamus beneficium vacans, intra menſem a preciſta non acceptatum, eſſe jam collatum alteri, ſane nec collator, nec ille, cui collatum

 eſt,

est, jure se privari patientur, obmovente precista ætatem minorem, aut legitimum impedimentum non factæ acceptationis, imo si minori hoc in casu beneficium restitutionis in integrum competeret, beneficiorum incerti sæpe possessores exstarent, ac variæ turbationes Ecclesiis accederent. Aliud fortassis esset dicendum (in quo tamen nihil definio) si statim post elapsum mensem re adhuc integra minor vel legitime impeditus illud acceptaret.

a) Chokier Sect. 4. v. *rursus*. Wagnereck V. *infra mensem* q. 5. Leurenius p. 2. q. 621. n. 2. Hermes loc. cit. q. 11. n. 59. Engel tit. de præb. & dignit. n. 71. & alii.

b) Arg. L. I. cod. de annal. except. L. 21. eod. ad Leg. Jul. de adult.

## §. XI.

Postquam precista debitis omnibus præditus qualitatibus beneficium aliquod vacans acceptavit, idque eorum ordinario collatori rite declaravit, variare nequit, adeo ut, si acceptati beneficii provisionem admittere nolit, aliud deinceps petere haud possit. Cujus asserti momenta hæc sunt I. jura improbant ejuscemodi variationem a) & hic valet regula b) quod semel placuit, amplius displicere non potest. II. si a Papa mandatum sit alicui clerico provideri de beneficio, quod duxerit acceptandum, primo vacante quidem omisso, secundum, & hujus vacatione insuper habita, tertium petendi optionem & jus habet, ita tamen, ut quodcunque ex iis semel acceptatum dimittere & aliud postea vacans petere non possit, c) III. siquis beneficium debito modo acceptasset, & deinde variare vellet, aut illusisse collatori, aut sinistram variandi rationem habere videretur. IV. praxis Ecclesiarum Germaniæ etiam perspicue tradit, ab iisdem non admitti tales variationes. V. demum ex tenore precum constat, precistæ, postquam semel primum vacans beneficium acceptavit, variandi facultatem non esse permissam, quin imo clausula illa: *duxerit acceptandum*: satis clare oppositum innuit, dum ea conceditur quidem libertas acceptandi, non vero post factam semel acceptationem variandi, d) proinde juxta jus commune res est tractanda, ac decidenda.

a) l. *Servi electione* ff. de legat. I. juncto Cap. un. de postulat. Prælator. in 6.

b) Reg. 21. de R. J. in 6.

c) Vid. Wiestner Tit. de præb. & dignit. n. 178.

d) Ita sentiunt Reiffenstuel Tit. de præb. & dignit. n. 594. & 595. Chokier Tract. cit. Sect. 4. v. *intra mensem* Vers. dubitatur ulterius. Pirhing Tit. n. 379. & alii.

§. XII.

## §. XII.

Hæc conclusio, etsi per modum regulæ inserviat, exceptiones tamen quasdam ex sententia habet eorum, qui de primariis precibus aliquid scriptis mandarunt, sic I. precista acceptato semel uno beneficio, aliud rursum petere potest, quando acceptatio fuit invalida, veluti si needum vacasset beneficium illud, si immune extitisset ab onere precum, aut simili ex causa II. quando acceptans beneficium primo vacans non potest consequi illud; hinc si dispendiosæ liti propterea implicaretur precista, præsertim urgente Capitulo vel collatore ordinario, posset etiam post tale beneficium acceptatum cedere juri suo, quin deinceps excideret effectu precum. Non enim tantis sumptibus, & via litis alias a Ss. Canonibus aliena in beneficii cujusdam possessionem sese quis protrudere tenetur, licet cæteroquin jure ad beneficium tale non careat, secus tamen arbitrarer, si ab alio, quam collatore lis circa obtinendum beneficium a precista acceptatum moveretur, deberet eandem prosequi & modo sententia contra eum lata, aliud postea vacans vi precum acceptare posset. Duæ aliæ exceptiones huc possent ex Chokier adduci, sed cum reapse sub prioribus comprehendantur, supervacaneum id foret, siquis vero eas rescire cupit, eundem adeat, vel Pirhing, Wagnereck & alios, qui eum secuti sunt.

## §. XIII.

Pro coronide hujus capitis subjicere non incongruum erit quæstionem ab aliis etiam canonistis a) jam dudum ventilatam, utrum precista beneficium vacans, quod ei objicitur, primis precibus haud esse obnoxium, omissis suis precibus ab ordinario collatore petere, & obtinere queat. Qua in re facilis est responsio affirmans, sive solum id prætendatur, sive vere sit immune a primis precibus: quoad primum enim nihil prohibet, quo minus id possit agere, juri enim sibi quæsito renuntiare potest, & quemadmodum a patrono præsentatus ad quoddam beneficium, litigioso tamen jure patronatus existente, jus si quod habet ex præsentatione, dimittere & a collatore idem beneficium impetrare potest, ita hoc idem precistæ haudquaquam erit interdictum; neque juri obest Cæsareo, utpote quod nondum quoad istam Ecclesiam vel istud beneficii genus extra dubium est positum. Qua ex re consilium precistæ capere possunt peropportunum, ne laborioso, diuturno & multos sumptus absorbenti processui sese implicent, & qui dum erit in eorum bonum finitus, sæpe si lis est mota contra Episcopum vel Capitulum Cathedrale, vel alium potentem collatorem, non adeo facilis erit executio, & si tandem hac accedente possessionem beneficii consequantur, multis adhuc difficultatibus, odiis & præjudiciis contra se militantibus per totam vitam se exponent; unde recte hanc sententiam in praxi

 sæpe

ſæpe profuiſſe monet Hermes *b*) quoad ſecundum idem eſt tenendum, quia in utilem viam ingreſſo a jure non præcluditur regreſſus ad utilem, & actionem proponenti ineptam, ſi appelletur, non aufertur recurſus ad aptam. *c*) Neque huc quidpiam in contrarium evincit, quod non liceat ab electionis proſecutione ad poſtulationem vel ab unius electione ad alterius electionem tranſire. Nam Capitula id prohibentia *d*) juris communis ſunt correctoria, quippe ante Bonifacium VIII. talis tranſitus etiam in electione non erat prohibitus, conſequenter cum nec ex indultis Apoſtolicis, nec ex diplomatibus precum Cæſarearum, nec ex alia conſtitutione conſtet preciſtis id eſſe vetitum, jure communi eos uti poſſe indubitatum eſt.

*a*) Wieſtner Tit. de præb. & dignit. n. 179. Schmalzgrueber eod. Tit. n. 373. Hermes faſc. J. P. q. 11. n. 72.

*b*) Loc. mox cit.

*c*) Arg. cap. 7. de Conceſſ. præb. in 6. & Reg. nullus 20. in 6.

*d*) Cap. un. de poſtul. in 6. & cap. 25. de elect. in 6.

# CAPUT VII.

## Quibus modis Jus preciſtæ penitus ceſſet, aut ſuſpendatur, explicat.

### §. I.

Cum modo inter alia perſpicue fuerit aſſertum, quando & qui jure ſuo preciſta uti poſſit & debeat, nunc paucis de modis ſermo faciendus, queis ejuscemodi jus prorſus exſpiret aut ſaltem ſuſpendatur. Et primo quidem hic dubium elegans & practicabile cum Majero *a*) ponimus, utrum jus ex primariis precibus alicui quæſitum morte Imperatoris exſpiret. In hoc dubio rite diſſolvendo obſervare par eſt, olim, dum preces Imperatoriæ inter nudæ recommendationis & rogationis fines concludebantur, a collatore ordinario, ad quem eædem fuerunt directæ, eas annutu libero nondum acceptatas & admiſſas proculdubio morte Imperatoris ceſſaſſe, neque eum ullo modo ſe ad eas executioni dandas obſtrictum credidiſſe, quin & ubi jam naturam mandati & præcepti induebant, re adhuc integra, Imperatore fatis functo, eas contemptas fuiſſe inde conjicere quis facile poteſt, eoquod ordinarii Collatores ſe antea gravatos, nunc eo onere liberos ſeſe exiſtimarent, morte enim mandantis jure communi mandatum extinctum habetur, poſtquam autem ex precibus primariis in preciſtas

ciſtas verum jus ad beneficium aliquod derivari cæpit, per mortem concedentis Cæſaris illud auferri nec ab Eccleſiis & collatoribus ordinariis *b*) utpote a quibus preciſtæ, facta vivente adhuc Imperatore inſinuatione, ad beneficia capeſſenda fuere admiſſi, nec a jure conſultis fuit judicatum *c*) qui merito in ſententiam hanc affirmantem abierunt, ex ratione, quod, quemadmodum aliæ gratiæ & privilegia actu conceſſa per mortem concedentis non tolluntur, re etiam integra, & præſentatio legitime facta a patrono non videtur exſpirare, etſi is ante inſtitutionem præſentati e vivis decedat, ita pariter primariæ preces, quæ ſi non fortius, ſaltem æquale jus, ac præſentatio, nominato tradunt, morte Imperatoris non extinguantur.

*a*) De jure prim. prec. theſ. 113.

*b*) Id ipſum luculenter confirmari poteſt ex moderna Eccleſiarum praxi, non paucæ erant preces primariæ Caroli VII. Imperatoris, quæ eo in vivis ſuſuperſtite necdum executioni dari poterant, poſt ejus tamen obitum beneficii vel Canonicatus vacantis poſſeſſio vi precum a Capitulis preciſtis eſt conceſſa, ut docet exemplum noviſſimum Eccleſiæ Collegiatæ Haugenſis, item Eccleſiæ Cathedralis Herbipolenſis.

*c*) Ita tenent Fritſchius de jure primarum precum cap. II. n. 51. Stoechenius cit. Differt. Theſ. 70. Schroeterus Differt. de jure primar. precum cap. V. §. ult. Cortreius obſervat. ad Concord. cap. II. n. 93. & ſeqq. Ayrerus cit. comment. de jure prim. prec. cap. VI. §. XII. Leurenius p. 2. for. benef. Schmalzgrueber & alii.

## §. II.

Priorem quæſtionem altera excipit, an per revocationem a Cæſare factam jus preciſtæ tollatur; qua de re pauci de primariis precibus commentatores aliquid ſcripſerunt: eam attigit Schrœterus, & revocari poſſe preces primarias ob ingratitudinem preciſtæ, ſicut omnes donationes, obſervavit *a*) hac in re diſtincte & clare procedendum eſt: primo aſſevero non poſſe Cæſarem revocare ſuas preces pro lubitu, & in omnibus circumſtantiis, ſicuti nec a donante donationes, nec privilegia a concedente eadem: per preces enim jus ad beneficium eſt preciſtæ quæſitum, quod ſine juſta cauſa auferri nequit, neque Majeſtati Cæſareæ id conveniret: dein ſupponamus turpem a preciſta ingratitudinis notam adverſus Cæſarem contrahi, nihilominus indiſtincte preces revocari non poſſe, in propatulo eſt, alioquin poſt factam vi precum beneficii collationem jure ſuo preciſta excideret, & in poſſeſſione haud eſſet manutenendus, id quod tamen a vero vel maxime recedit, nec præſentatus patrono inſigniter ingratus poſt inſtitutionem canonicam, per revocationem, ſi quæ a patrono fieret, jure ſuo privari poteſt: igitur idem abſque dubio de preciſta concludendum erit: demum difficilior videtur eſſe quæſtio, an preces ante colla-

lationem beneficii propter ingratitudinem precistæ a Cæsare revocari queant? huic enodandæ peropportunum erit, siquis observet, nihil certi constare ex tenore indultorum Apostolicorum, vel precum Cæsarearum, proinde juxta jus commune rem esse decidendam, si ergo donanti licet donationem ob ingratitudinem donatarii revocare, idem Cæsari esse prohibitum, nulla ratio suadet, cum precista sibi imputare debeat ex tali causa se jure suo excidere, præsertim cum major ideoque minus ferenda sit ingratitudo, siquæ adversus Cæsarem a precista admittitur, quam ea, quæ contra quemcunque donantem perpetratur. Hinc, sive preces ejusmodi sint insinuatæ, sive non, jus revocandi in casu posito esse penes Cæsarem, & per factam revocationem jus precistæ exspirare nullus dubito, quamvis hic casus vel nunquam vel rarissime contingat.

a) Dissert. de jure prim. prec. cap. ult. §. ult. & cum eo Ayrerus cit. comment. cap. VI. §. XIV.

## §. III.

Porro morte precistæ jus precum executioni nondum datum cessare, in aprico est, unde consequitur, ordinarium collatorem absque ullo obstaculo beneficium ante vel post mortem precistæ vacans, libere conferre posse; verum si post mortem primi precistæ alius compareret, qui a Cæsare preces impetrasset, easque legitime intra tempus præfixum ante collationem insinuasset, an impediat ordinarium collatorem a libera collatione, quæstio est plus dubii in se habens priore, & ejus decisio dependet ex altera, utrum novæ preces, prioribus executioni haud datis, locum habeant, quam communius Authores adfirmando resolvunt a) ex ratione, quod, quemadmodum, si electus decedat vel electionem admittere nolit, alium ejus loco eligendi jus penes ipsos eligentes residet, ita etiam jus alium nominandi per preces, primo precista mortem oppetente, aut preces postmodum recusante, apud Cæsarem remanere debeat, quippe nondum eædem sortitæ sunt effectum, quo semel impetrato jus illud amplius exerceri nequit, & dilucide pariter id instituta jus precum inter & jus patronatus quoad hunc casum paritate commonstratur. Sicut si patronus ad beneficium quempiam semel tantum præsentaret, is autem ante institutionem moreretur, alium rursum substituere posset, eoquod jus præsentandi nondum plenum habuerit effectum, multo magis id tenendum erit de jure precum Cæsareo, utpote quod patronatu longe eminentius est, fortiusque collatores ordinarios adstringit; hinc inferas necesse est, si beneficium, ad quod precista est nominatus, fiat litigiosum, isque pendente lite obeat, alium in ejus locum surrogari posse, nec alteri collitiganti illud beneficium adjudicari debere. Alioqui precistæ ab odio & vexationibus collatorum ordinariorum haud tuti forent, observantibus iisdem Authoribus, aut saltem aliis ansa præberetur

retur sollicitandi collatores, ut collationem ad se hoc cuniculo, prævia impetrata collatione, & deinde cum precista, si nolit cedere, lite instituta, pertraherent.

a) Chokier in Schol. ad indultum Apostolicum. Hermes cit. loc. Stœckenius thes. 72. Majerus thes. 115. Ayrerus cit. comment. cap. VI. §. XIII.

## §. IV.

Quæ modo sunt asserta, locum pariter habent, quando precista vel expresse, id est, verbis vel scriptis legitime probatis, precibus renuntiat, hocque solet fieri plerumque, si beneficium vacans litigiosum redditur & viam ordinariæ collationis precista sibi magis faventem comperit: vel tacite illas repudiat, id quod variis ex causis ab eo factum præsumitur; I. si preces nunquam insinuat, II. si post factam insinuationem legitimam, beneficium vacans intra mensem non acceptat, quo casu saltem quoad isthoc beneficium censetur tacite renuntiare juri suo, III. si acceptare quidem velit, sed difficultate oborta ab acceptatione retrahitur, pro ea vice sibi duntaxat nocet. IV. Si alium ab ordinario collatore vel precistam tempore posteriorem vi precum beneficium vacans & ejus possessionem obtinere permittit. V. Si actus possessorios omittit, & quæ vi statutorum & consuetudinum Ecclesiarum præstanda sunt, non præstat, quibus omnibus casibus solum pro ista vice tacita hac renuntiatione sibi præjudicat. VI. in perpetuum renuntiare dicitur, si valide ineat matrimonium vel professionem religiosam emittat, vel aliud beneficium de jure communi & consuetudine vel statuto incompatibile obtinuerit.

a) Vid. Chokier in Schol. ad Indultum sect. 2. n. 10. & ex eo habent Stœckenius Thes. 74. Ayrerus in dicta Comment. cap. VI. §. XIV. & alii: add. Hermes cit. sæpius loco n. 54.

## §. V.

Ex his postremis matrimonii contractum vel professionem religiosam concernentibus modis, queis cessare dictum est jus precistæ, nonnulla oboriuntur dubia paucis enucleanda. I. an precista, dum matrimonium præcedente impedimento dirimente iniit, jure suo excidisse dicendus sit? quibusdam videtur non excidere jure sibi per preces quæsito, adeo ut dein beneficium vacans in Ecclesia nominata acceptare possit, ac utuntur ii arg. cap. 52. de Reg. I. in 6to, imo sunt, qui id ipsum etiam extendant ad casum, quo matrimonium valide contraxisset, & uxor ante beneficii vacationem defuncta esset. a) Ast his indiscriminatim consensum præbere non convenit; quoad primum enim contrarium potius statuendum, sive sciverit impedimentum matrimonii sive non,

 nam

nam sibi imputet, dum posuit ex intentione seria, & affectu saltem efficaci actum cum beneficio obtinendo incompatibilem, præterea in praxi obtinet, ut quam primum precista matrimonium contrahit, alius a Cæsare vel impetret preces, vel ipse contrahens matrimonium per cessionem in alium jus suum, approbante Cæsare, transferat, quocirca non video, qui juri suo renuntiasse, eoque penitus excidisse dici nequeat.

a) Vid. relata a Stoeckenio in Differt. de prec. prim. Imper. n. LXXIV.

## §. VI.

Quoad professionem religiosam, si invalide fuit emissa, eadem moveri potest quæstio; & qui primum in matrimonio invalido tuentur, hoc ipsum in casu professionis religiosæ invalide emissæ adserere debent, pari ratione utentes: sed rursum parum difficultatis ei inest, dum praxin spectamus, cum precista, qui ingreditur religionem, vel jam ante professionem emissam, cessione in alium debite facta, juri suo renuntiet, vel si hoc omittat, post professionem alius illico preces Cæsareas sit impetraturus; si proinde postmodum de invaliditate professionis constet, alter precista, insinuatis precibus, non recedet, multo minus, si jam eidem beneficium vacans est collatum, ad id deserendum compelli poterit: Si tamen quis metu vel vi injusta ad profitendum vel contrahendum matrimonium cogatur, existimarem, nondum insinuatis, & executioni datis alterius precibus, jus eidem integrum salvumque existere, hoc quippe in casu nihil ipsi imputari poterit, nec ulla renuntiatio vel expresse vel tacite facta censebitur, æquitas certe & ipsum jus fortius pro priori militat, quam pro alio: præsertim, dum de vi metuque hujusmodi iniquo certo constat, nec res ulteriori longiorique subjicienda est indagini.

## §. VII.

Postremo notorius est in Imperio modus, quo jus precistæ extinguitur, videlicet cessio, per quam hic non simplicem nudamque juris repudiationem, quo sensu nonnunquam cum in jure canonico a) tum civili b) accipitur, sed plenariam & legitimam juris ex precibus quæsiti abdicationem, in aliumque ejusdem translationem indigitamus. Circa hanc duo potissimum examini & disquisitioni submittenda veniunt, primum in eo consistit, an possit precista præfato modo per cessionem in alium jus præsentationis a Cæsare impetratæ citra violationem Ss. Canonum transferre? Secundum concernit modum, quo a precista talis cessio in praxi fieri possit & debeat. Primam quæstionem nec unus quidem Catholicorum Canonistarum, quantum scio, exposuit: Protestantium in numero sunt, qui eam vel duntaxat attigerunt, c) vel plenius dis-

cessere d) prioris generis Scriptores assertione contenti, de ejusdem probatione haud sunt solliciti; alterius vero classis Authores in momenta id rite fieri posse comprobantia inquirunt, quorum synopsin hic breviter dabo. Licitum validumque id esse arbitrantur I. eoquod contra cessionem precistæ nulla prostet lex publica prohibitiva vel consuetudo, ideoque illa sit de genere permissorum, donec contrarium doceatur. II. cedens precista ex natura precum defenditur, utpote quæ beneficium gratiosum maximumque in se complectuntur favorem, adeoque juxta *L. 3. ff. de Const. Princ.* latissimæ sunt interpretationis, ita ut juxta præsumptam Cæsaris voluntatem non solum precistæ in propria persona prodesse debeant, sed omni meliori & non prohibito modo, qualis est cessio. III. omne dubium summovet praxis publica & observantia in Imperio, quam testatam faciunt exempla factarum cessionum precum Cæsarearum. e)

a) Cap. I. de renuntiat.

b) L. 17. ff. de recept. arb. L. 1. ff. de cessione bon. L. J. Cod. de pact. pign.

c) Breviter id attigerunt Fritschius de precib. Imper. prim. Quæst. 4. n. 18. Cortreius observat ad concordata pag. 249. Struvius in Syntagmate Jur. P. cap. 10. §. 35. circa finem. Bœhmerus J. E. Protest. Lib. III. Tit. VIII. §. 20. Kemmerichius introduct. ad Jus publ. Lib. V. c. IV. §. 36. & alii.

d) Ayrerus in Commentat. de jure primar. prec. cap. VI. §. XV. potissimum Rheinharthius in Differtat. speciali de potestate precistæ, preces Imperatoris primarias per cessionem in alium transferendi §. XIX. & seqq. ex quo huc mihi inservientia adduxi.

e) Vid. apud Fabrum in der Staats-Canzley Tom. 50. pag. 283. & seqq. simile quid contigisse anno 1707. die 2. Julii constat, dum Josephus Imperator. L. B. de Huldenberg factam precum cessionem approbavit: alia exempla adducit Pfeffingerus Tom. III. ad Vitriarium p. 97. & Vorburg. in Rud. Jur. Can. p. 718.

## §. VIII.

Verum his motivis, quantumcunque ponderatis, contraria fortassis sententia firmioribus innixa videbitur fundamentis, præsertim iis, quibus curæ cordique est observantia antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ & Ss. Can. scopus in re beneficiaria præfixus. Hinc I. pensandum, conciliorum & Pontificum decretis resignationes in favorem tertii adeo esse prohibitas, ut pluribus & purioribus seculis nequidem a Pontificibus admissæ fuerint, teste historia Ecclesiastica a) semper enim tum judicatum, ejusmodi renuntiationes vel plus ex affectu carnis & sanguinis, quam ex amore doctrinæ & pietatis, vel plus ex pretio mundano, quam merito canonico, vel plus ex compendiis privatis, quam bono & utilitate Ecclesiæ propullulare; nunc an non cessiones precum re-

resignationibus in favorem tertii secundum omnem veritatem sunt comparandæ? quis ignorat, eas nunquam fere in alium fieri, nisi interveniente pretio vel respectu consanguinitatis, aut alterius cujusdam commodi privati. III. si cessiones passim licitæ haberentur; sæpe per eas Ecclesiis & Capitulis damna inferri possent, veluti obtruderetur quis omnino ineptus, variæ fraudes & commercia illicita ratione beneficiorum commutandorum adhiberentur. IV. præterea cum nullibi vel per indulta Pontificia vel per precum Cæsarearum tenorem id permissum sit precistis, juri communi canonico in hisce est deferendum, quod cum luculentissime ejuscemodi resignationibus & cessionibus in favorem alterius repugnet, *b*) eo minus cessiones precum sunt approbandæ, eoquod a nulla potestate Ecclesiastica vel Episcopi, vel Pontificis rationes cessionum introspiciantur, examinenturque, utrum immunes sint a labe simoniaca, aut alias non a Sacris Canonibus alienæ existant. V. utut cessiones absolute tales a precista fieri possint, videntur tamen a via canonum exorbitare, si fiant in favorem tertii, quales admittere ipsis etiam Episcopis est graviter prohibitum, cur igitur Imperatori, qui, licet suprema eminentia in Imperio præfulgeat, intra fines tamen laicæ potestatis spiritualia haud contingentis coarctatus est, id permissum erit.

*a*) Vid. Thomassinus P. II. Vet. & Nov. Eccl. discipl. Lib. I. cap. L. n. XV.

*b*) Espen Part. II. Jur. Eccl. Tit. XXVII. c I. §. XVIII. ideo eas esse de simonia suspectas & aliis incommodis subjectas censet.

## §. IX.

His rationibus accedere possent nonnullæ ex jure civili deprompta regulæ. Sic generalis & communi doctorum *a*) calculo approbata regula est, jura personalia non esse cessioni obnoxia: at preces Cæsareas & nominationes ad beneficia ecclesiastica factas quid personale involvere, nemo negaverit, cum nonnisi præviis singularibus personæ meritis concedi dicantur in tenore precum: rursum alia est æque fundata in jure regula: quodcunque non potest ad hæredes transmitti, illud quoque in alterum per cessionem transferri nequit, jam vero certum est, morte precistæ, ut superius allatum, preces exspirare, nec jus inde quæsitum ad hæredes transmitti posse, igitur nec cessioni id obnoxium est. Hic silentio prætereo beneficium contra voluntatem Imperatoris concedentis de persona in personam prorsus ignotam meritisque nullis commendabilem extendi. Ultimo tamen non est prætermittendum, preces primarias esse insigniter odiosas, ita ut semper in præjudicium capitulorum & collatorum ordinariorum vergant, unde consequitur, eas potius restringendas, quam extendendas esse, id quod tamen cessionibus ut licitis generaliter admissis, fieret.

§. X.

§. X.

Dum hæc in utramque partem allata nonnihil pensiculatius expendi, vix non in affirmantem sententiam, illicitas esse ejuscemodi cessionones, pertractum me sensi, nihilominus media tandem via placuit, qua utrique facerem satis, nimirum asserendo validas licitasque esse talis modi cessiones, si haud invito Imperatore in personam, tum juxta jus commune canonicum, tum secundum statuta & observantias Capitulorum idoneam, absque ulla simoniaca labe aut alia sinistra intentione fiat: quod duntaxat rationes §. VII. in medium productæ evincunt, argumenta vero §. VIII. opposita satis diluuntur exceptionibus modo dictis, nam si cessiones tales absque pactis simoniacis vel bonum Ecclesiæ publicum susque deque habente affectu carnis & sanguinis, vel privati compendii amore fiant, non impingitur in rationes primo & 2do loco adductas, sed potius illæ omnibus numeris absolvuntur & exacte attenduntur II. si in personam fiant idoneam, non habent Ecclesiæ & capitula, cur conquerantur, aut præjudicium quoddam obtendant, quo rationi 3tiæ satisfieri manifestum est. Quartum argumentum plus roboris in se habere videtur, ast pensitanti conditiones sententiæ nostræ appositas facile illucebit, precistam eo modo cedere posse, cum Imperator jure semel concedendi preces primarias in Ecclesiis Germanicis gaudeat, ideoque cessione in alterum idoneum rite facta easdem huic concedere valeat; præterea si precista clanculariis conventionibus & illicitis modis cessionem tentaret, abusum esse non dubitamus, qui tamen legitimum cedendi usum tollere nequit juxta vulgatum: tollatur abusus, maneat usus. Quinta ratione non everti nostrum assertum, inde concludere est, quod aliæ causæ suppetant, cur Episcopis resignationes in favorem tertii, admittere haud liceat, quæ in cessionibus precum Cæsarearum locum non habent; nam alias propter eorum facilitatem beneficia quasi hæreditaria fierent; olim equidem in eorum arbitrio erat, recipere resignationes & recommendationi alterius a resignante factæ plus deferre, postquam vero res in abusum Ecclesiasticæ disciplinæ pernoxium desiit, facilitati admittendi resignationes in favorem repagulum est oppositum, ne iniquitate sibi mentiente & peccata excusante, beneficia veluti hæreditaria evaderent, quod semper canones maxime detestati sunt: profecto hæc ratio ad cessiones precum non ita adplicari potest, non enim sunt ita frequentes, ut resignationes in favorem 3tii, nec quispiam beneficia quasi in funiculo hæreditatis capiet, si cessiones precum, præsertim modo superius præscripto, fiunt. Demum praxis Germaniæ testatur, resignationes in favorem a collatoribus ordinariis & capitulis admitti, quod si fiat absque ulla pactione simoniaca vel illegitima alia ratione, talem consuetudinem damnare quis non audebit, igitur & Cæsari licet preces suas prævia cessione in alium transferre.

## §. XI.

Quod regulas & rationes §. IX. commemoratas attinet, paucis antehac jam respondit Reinharthius laudatus, a) cum quo ita explicamus. Enimvero primam regulam, jura personalia cessionem respuere dictantem, toties officio suo carere, recte asserimus, quoties de voluntate id jus concedentis vel expresse vel tacite constat, at ex praxi manifestum est, Imperatorem via cessionis factam admittere translationem in alium, proinde licet preces jus mere personale involvant, tamen ex consensu Cæsareo cessioni obnoxiæ sunt: altera quoque regula, quod jura, quæ in hæredes haud transmitti possunt, per cessionem in alium transferri nequeant, eadem exceptione eliditur, & in se oppido veritati dissona habetur. b) Neque in nostra sententia urget illud, quo dicitur, sic beneficium contra voluntatem concedentis de persona in personam extendi, cum consensum Imperatoris ad ejuscemodi cessionem etiam expressum desideremus: postremo nec, quod preces alias extent odiosæ, proin non extendendæ sint in præjudicium Capitulorum, quidpiam hic evincit, nam si persona vere idonea cedenti ab Imperatore substituatur, Capitulis aut Collatoribus ordinariis nihil damni vel præjudicii inferri dispicitur: nihilominus attendendæ sunt consuetudines & statuta Ecclesiarum, quæ si alias post insinuationem precum semel factam non admittant cessionem, ad dissidia & incommoda litium prævertenda, precistas morem iis gerere oportebit.

a) In Differt. cit. §. XXII.

b) Vid. Lauterbach. in Comp. L. 18. t. 4. p. 328.

## §. XII.

Tandem manum ultimam huic capiti enucleando addimus, quærentes de modo, quo cessiones in praxi fieri conveniat. Inprimis precista, cui in alia Ecclesia citius adipiscendi beneficii spes affulget, aut qui ex alia ratione ad alteri cedendum inducitur, juxta præscriptum Ss. Canonum, ante oculos habitis capacitate, pietate & aliis dotibus personæ, in cujus favorem cedere intendit, absque ullo pacto simoniaco aut alio illicito modo precibus sponte & nulla fraude inductus renuntiare, & transscriptionem in talem personam & non aliter a Cæsare desiderare debet. Hunc in finem unum vel plures nominare sive constituere convenit, qui in aula Cæsarea ejusmodi transscriptionem sollicitent, aliaque & singula, quæ necessaria & opportuna fuerint, gerant atque exerceant; de hoc ut legitime constet, Notarium Cæsareum adhibere debet, qui præsentibus duobus testibus fide dignis specialiter requisitis instrumentum a) desuper conficiat, & transscriptione b) per diploma Cæsareum facta, jus prioris precistæ extinctum habetur: ut vero a Capitulo vel collatore ordinario preces

ces cessionarii admittantur, non sufficit solum in forma authentica aut copia vidimata diploma Imperiale insinuare, sed insuper de resignatione prioris precistæ rite doceri debet; c) alias enim facile fraudes & dolosæ artes alterius jus intervertendi obvenire possent, quæ si omnia legitime sint peracta, prioris jus penitus exspirasse, constat, & alterius preces post insinuationem executioni dari possunt.

a) Instrumentum tale extat apud Fabrum in der Staats-Canzley Tom. 50. p. 283. & seq. quod Martinus Hermannus Dyonisius Beelen in Collegiata Ecclesia Wiedenbrugensi precista Imperialis ratione cessionis & precum transscriptionis in personam Werneri Aachen Clerici Coloniensis confici curavit.

b) Transscriptio ejusmodi Cæsarearum precum pro eodem Wernero Aachen Viennæ die 4. Novembris 1721. facta prostat mox cit. loco pag. 285. & seqq. ubi notandum est, nullam fieri in transscriptionibus mentionem priorum precistarum cedentium.

c) Id merito exegit Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Wiedenbrugensis, dum ipsi preces pro dicto Wernero Aachen datæ a Notario præsentibus duobus testibus fide dignis insinuatæ erant.

# CAPUT VIII.

## Quinam executores constituendi sint, quid officii & juris habeant, quando officium eorum exspiret, & quis Controversiarum inde ortarum Judex existat, inquirit.

### §. I.

Quamdiu intra precum limites subsistebant Imperatores, de executoribus constituendis nequaquam est cogitatum, ast iis suam ea in re potestatem longius provehentibus, precibusque in mandata commutatis, ac iis a non paucis Collatoribus insuper habitis executores constituti fuere, quamvis de illis ante Friderici III. ævum parum aut nihil prorsus ex documentis historicis constet: quamobrem haud vane conjicimus, executorum constituendorum a Pontificibus & primum a Nicolao V. Cæsari facultatem esse datam, adverterunt enimvero Pontifices, quam acriter collatores suis mandatis de providendo obstreperent, ut etiam propterea ad executores constituendos inducti fuerint, id ipsum adhuc magis reformidabant, dum Imperatoribus indultum Concordatis Germaniæ ac liberæ beneficiorum collationi Ecclesiis Germanicis competenti adversum concedebant; ac aliam præterea rationem habuisse eos credere fas est, videlicet, ut, cum collatio beneficiorum laicis ex canonicis constitutionibus non com-

competeret, refragantibus tamen ordinariis collatoribus existerent Clerici, qui beneficia, exequendo primas preces, nominatis conferrent.

§. II.

Executores agere possunt duntaxat ii, qui dignitate quadam Ecclesiastica præfulgent, quibus accensentur Canonici Ecclesiarum Cathedralium. Olim Imperatores quandoque Canonicis Ecclesiarum Cathedralium aut aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis executionem suarum precum demandarunt, ast horum authoritate nonnunquam a Capitulis & Collatoribus potentioribus spreta, cæpere iidem postmodum executorum officium Electoribus Ecclesiasticis aut Episcopis Imperii deferre, ut vel suæ personæ efficaci veneratione ac timore a repugnandi studio collatores abducerent, vel siqui nihilominus renitendi ardorem concepissent, potentiæ propriæ auxiliis ad parendum compellerent. Id quod hodiedum in omnibus diplomatibus Cæsareis, queis primæ preces diriguntur, observari solet, sed quo jure personas in Ecclesiastica dignitate constitutas Cæsar ad exequendum deputare possit, non est adeo apud Doctores in confesso: quod jure Majestatis id possit, facile edicent Protestantici autores, qui jus circa sacra, quamvis falso, ipsi asserunt; cum vero hæc sententia principiis Catholicorum e diametro adversetur, a vero eam abludere, nemo orthodoxorum inficias ibit. Hinc potius ex indulto Pontificio id juris illum exercere judico, tum quod Cæsar ex se non habeat jurisdictionem in Ecclesiasticos in rebus Ecclesiasticis & beneficiariis, tum quod, si ejusmodi Ecclesiastici executoris munus in se suscipere nollent, cogere haud posset, imo executores illi refractarios collatores non subditos absque indulto Apostolico per censuras compellere nequirent.

§. III.

Horum executorum officium primitus non consistebat duntaxat in exequendo, sed habuerunt facultatem examinandi personas a Cæsare nominatas, an bonis moribus, pietatis cultura ac competenti saltem scientia essent commendabiles: a) intererat enim plurimum Ecclesiarum, ne indignis pateret aditus, exclusis dignioribus aut saltem dignis; & hoc malum facilius in præjudicium Ecclesiæ Germanicæ invalescere potuit, cum experientia constet, in aulis non raro inscitiam improbis moribus stipatam præmia accipere, nonnisi bene meritis conferenda, ac præstigias cupiditatum facillime illudere oculatissimæ etiam Principum & Imperatorum prudentiæ ac purissimo Ecclesiæ amori ac Zelo. Ast hodie executoribus ea facultas non est delata, neque ii hoc munus Ecclesiis admodum proficuum vel per se vel per alios delegatos viros doctrina & pietate insignes adimplere gestiunt: sic sacrorum canonum præscripta oblivioni traduntur in evidentem Ecclesiarum jacturam.

a) Vid. Indulta antiqua omnia cap. I. citata.

§. IV.

## §. IV.

Porro executoribus onus adhuc aliud impositum olim fuit, videlicet denunciandi ministris & officialibus Cameræ Apostolicæ, qua ratione precistæ ad beneficiorum possessionem pervenerint, *a*) id quod indultis pontificiis ideo injunctum creditur, ut ne Camera sedis Apostolicæ detrimenti quid pateretur ratione annatarum juxta Concordata Germaniæ exsolvendarum: at variis ex causis isthoc officium exolevit, quin & consensu Pontificum saltem tacito ab humeris executorum ablatum fuit. Ex quo non exigua in nationem Germanicam commoda redundarunt, vel ut rectius loquar, gravaminibus, quæ ob excessivas annatarum exactiones Germaniæ illata fuere, paulisper sublatis, in primigeniam libertatem beneficia Ecclesiastica asserta sunt: quamvis hinc quoque eximia in nationem nostram post Concordata inita, benevolentia Pontificum resplenduisse nonnullis videri possit.

*a*) Tenor veterum indultorum apud Lünigium Tom. cit. Spicil. Eccl. satis commonstrat.

## §. V.

Tertium atque præcipuum erat executorum officium, ut nimirum quosvis collatores, etiam exemptos, & ipsos quoque Episcopos precibus ad se directis non deferentes, ad beneficia personis nominatis conferenda, etiam si opus esset, per censuras ecclesiasticas compellerent, id quod passim indulta pontificia inculcant. Primo non tanta pollebant auctoritate & vi cogendi ordinarios collatores, sed ex eo illa fluxerat, quod executores ea haud præditi potestate a collatoribus, præsertim potentioribus, contemptui haberentur, aut ipsimet ex respectu humano, aliisque privatis compendiis abducti muneris injuncti rationes insuper habuerint, potius suæ, quam aliorum privatorum utilitati consulentes. Sed hic interseri meretur quæstio non exigui momenti, utrum executores, si nulla ratione, nullius censuræ timore ad conferenda beneficia collatores adduci possent, ipsimet jure conferendi tum gauderent. Hac in re in ajentem concedo sententiam, enim vero ut primæ preces suo non frustrentur effectu, in eum saltem casum debet esse facultas conferendi iisdem concessa, quo, spretis etiam censuris ecclesiasticis, collatores conferre detrectarent, ut sat dilucide indicare videntur indulta Pontificia. Equidem sunt Auctores nonnulli, *a*) qui etiam extra casum, quo collator ordinarius precistæ beneficium conferre renueret, jus conferendi executoribus ab Imperatore deputatis competere adfirmant, ex eo, quod in indultis executores beneficia nominatis conferre & assignare jubeantur, de ordinariis vero dicatur, quod *personas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de iis canonice provisum fuerit, juxta precum & nominationum tenorem recipere & admittere*, hoc est, jam institutos in possessio-

nem inducere seu installare *debeant*, in quorum sententia necessario quaestionis praefixae decisio in affirmativam foret resolvenda, ast veritati & aequitati longe conformius est judicium aliorum, potestatem nominatos instituendi, & beneficium, ad quod nominati sunt, conferendi Episcopis & aliis ordinariis collatoribus adstruentium *b*) idque I. evincitur ex formulis primariarum precum a Caesaribus usque modo usitatis, queis collatores ab iisdem pro collatione seu provisione facienda requiruntur II. ex eo, quod non sit verisimile, per facultatem primarum precum esse Ordinariis jus conferendi ademptum, illudque in executores translatum III. ex praxi in Imperio notoria, qua capitula & collatores beneficia ad suam collationem pertinentia nominatis precistis conferre solent. Unde verba indultorum: *postquam ipsis de iis canonice provisum fuerit*: ad ordinarios collatores referenda, vel si referantur ad executores, exaudienda sunt de beneficiis, quae nominatis collatores ordinarii conferre recusarunt. Caeterum nequaquam diffiteor, executores Apostolica auctoritate deputatos jus habere conferendi beneficia in mensibus papalibus vacantia, cum enim haec ad capitulorum aut aliorum collatorum collationem vi Concordatorum nullatenus spectent, nec ea conferre poterunt, quo in casu duntaxat Episcopi, Capitula, aut alii collatores precistas de ejusmodi beneficiis provisos ad actualem possessionem admittere tenentur.

*a*) Vid. Wagnereck §. 4. V. *Conferre* & Pirhing tit. de praeb. n. 384.

*b*) Chokier cit. Sect. II. q. 11. Engel tit. de praeb. n. 70. Wiestner eod. tit. n. 181.

## §. VI.

Quae modo sunt adlata, ex indultis Apostolicis comprobata dedimus: si vero tenorem precum primariarum, prout a Caesaribus expediuntur, introspicimus, nihil expressis verbis de jure conferendi statutum reperitur. Quippe executionis negotium duntaxat iis commissum advertitur, & contumacia etiam primariis precibus opposita vel juxta constitutiones Imperii vel juxta omnes juris vias in refractarios collatores esse ab iisdem animadvertendum edicitur: quaenam autem extent constitutiones Imperii poenas in reluctantes collatores statuentes, nullibi speciatim constat, nec ulla in lege Imperii quicpiam comperire est, hinc constitutiones Imperii generales, queis in praejudicium Caesareorum jurium delinquentes coercere licet, intelligendae venirent, aut quod verius omnino judico, poenas ipsas per diplomata precum expressas executores ordinariis collatoribus infligere possunt, veluti si ii animum pertinacem flectere, frangereque nolint, durante per mensem continuum contumacia, eos privilegiis omnibus Caesareis unquam concessis ipso facto privatos exutosque declarandi potestatem habent: sed hic non incongrua incidit mihi quaestio: si Ecclesia privilegiis nullis ab Imperatoribus sit condecorata, aut si collator ejuscemodi

modi privationem flocci pendat, utrum Cæsar executoribus, ut facultate conferendi precistæ beneficium, ad quod nominatus fuit, utantur, demandare possit? Huic quæstioni ut faciam satis, primo apud orthodoxos in comperto est, 1. Cæsari ceu laico jure suo non competere jus conferendi beneficia; 2do pariter in confesso est, nec ab eodem alteri laico Principi vel civitati Imperii eam facultatem demandari posse, eo quod laicos juris talis spiritualis incapaces sacri canones passim adseverent: III. posse id facere jure sibi a sede Apostolica concesso, cum ex pluribus indultis Apostolicis supra commemoratis, eam potestatem executoribus ecclesiasticis esse factam, in aprico sit.

## §. VII.

Officio exequendi preces primarias quilibet in solidum defungendi potestatem habet, ad cujus tamen exercitium desideratur facta a precista requisitio, præterea non temere ad solius precistæ querelam, sed prius vera ex omnibus circumstantiis hausta informatione, comitante prudentia aciem mentis intendente in statuta & consuetudines rationabiles Ecclesiarum, ab iis procedendum est & quidem I. monitoriæ ab iis literæ ad collatorem dirigendæ sunt, vi quarum ad conferendum mediis adhuc pacificis inducatur. II. si monita nihil evincant, potestate utendum est majori, minitando pœnas vel juxta constitutiones Imperii infligendas vel censuras ecclesiasticas, III. si hæ minæ incassum evibratæ fuerint, tandem pœnarum irrogatione & censuris, prout melius videbitur, eum compellere possunt. IV. si his quoque inflictis a contumacia non desistat, potestate a sede Apostolica concessa ipsi beneficium ejusmodi precistæ conferre poterunt. Sed eo nunquam aut rarissime deveniri solet: nam dum collator precistæ resistit, facile ab una vel altera parte ad judicem provocatur, ubi executores sese lite desuper orta & adhuc pendente ipsi controversiæ ingerere non debent, utpote quibus non judicis officium, sed executoris demandatum est: si itaque liti finis impositus in favorem precistæ fuerit, tum modo eorum munere implorato, executioni preces dare poterunt: si vero extra orbitam potestatis Cæsari concessæ Judicium Imperii abriperetur, contra jura Ecclesiarum quid aperte statuendo, executores, utut Electores aut Principes Imperii Ecclesiastici sint, ejusmodi decisionem legitimam habere haud debent, sed potius ad servanda sarta tecta illa jura, quæ imminutum ivit talis sententia, Imperatori informatione & remonstratione æquitatis & venerationis Cæsareæ Majestati debitæ bajula, inculcare eos oportet, quod jure jurando in Capitulationibus jura, statuta & consuetudines rationabiles Ecclesiarum Germanicarum sese tutaturum pollicitus fuerit, ac proinde eidem contravenire nequeat.

## §. VIII.

Cum plerumque Principes Imperii Ecclesiastici constituantur executores primariarum precum, hi autem negotiorum publicorum & Ecclesiæ & territorii mole atque magnitudine obruantur, suum in locum alios substituere possunt, uti subexecutores, quod de jure omni caret dubio, cum enim delegati summi Principis commissam sibi jurisdictionem aliis subdelegare valeant, juxta clara jura *a*) illis talem denegare nemo poterit facultatem: unde tamen quæstio exsurgit alia hic breviter enodanda: utrum hi executores delegati quosvis clericos ad id muneris exequendum surrogare queant? communiter DD. Juris Canonici in sententiam concedunt negantem, desiderantes in ejuscemodi subexecutoribus requisitas qualitates, id est, ut dignitate quadam Ecclesiastica præfulgeant, aut Canonici cujusdam Ecclesiæ Cathedralis existant: verum hæc opinio innititur præconceptæ eorum auctorum sententiæ, jus primariarum precum ab indulto Apostolico duntaxat repetentium: cum autem ex superius dictis non omnimodæ veritati id consonet, contrarium nonnullis asserendum videbitur, videlicet subexecutores quoscunque viros clericali ordine insignitos, & alias debita ea in re scientia imbutos deputari posse: at hunc scrupulum facile est diluere, nam quemadmodum executorum munia ex indultis Apostolicis & praxi assumere nequeunt, nisi viri in dignitate Ecclesiastica constituti, ita ex eodem momento subexecutores agere haud poterunt, nisi item in quadam dignitate ecclesiastica constituti.

*a*) Cap. 27. & cap. fin. de Offic. Delegat. cap. 11. de Rescript. in 6. L. 5. C. de Judic.

## §. IX.

Officium executorum variis modis exspirat I. per mortem eorum. II. per revocationem Cæsaris, quamvis id non soleat fieri. III. per obitum precistæ, antequam beneficium impetraverit, non tamen per mortem Cæsaris preces concedentis, ex ratione, quod jus precistæ ex supra dictis tum non extinguatur. IV. per omnes alios modos superius adductos, quibus jus precistæ extinguitur, quo enim facto, nihil amplius executoribus, quod agant, est reliquum. Suspenditur itidem variis modis I. si precista beneficium primo vel secundo aut ulterius vacans non acceptat. II. si etiam aliquod vacans beneficium acceptat, non autem officium executoriale requirat, non enim proprio motu, absque ulla precistæ requisitione, muneris sibi demandati partes adimplere tenentur. III. si etiam executores requirat, sed preces suas antea vel legitime non insinuavit collatori ordinario, vel tempore ad acceptandum præfixo beneficium vacans non acceptavit. IV. si lis Ecclesiam aut collatorem beneficii inter & precistam oriatur, nam tum munus executoribus competens gerere nequaquam

quam possunt, sed exspectare eos oportet, usque dum a judice competente lis sit decisa, quo casu si causa in favorem precistæ dijudicata fuerit, vel prævio judicis mandato vel saltem victoris precistæ requisitione facta preces & sententiam executioni dare poterunt: secus est dicendum, si in causa Ecclesia vel collator vicerit, tum enimvero officium illorum quiescet ac suspensum erit, donec aliud beneficium primis precibus obnoxium in eadem Ecclesia vacaverit.

## §. X.

Ut coronidem imponam toti commentationi, summopere utilem, & ab aliis plerisque de jure primariarum precum Scriptoribus omissam quæstionem decidere fas est, ad quem nimirum controversias litesque cognoscendi ac dijudicandi potestas pertineat, & qui eædem determinari & componi debeant: unus inter omnes, quos legi Auctores, hanc quæstionem duntaxat excussit Ayrerus, ac disseruit, procedendum ea in re distincte, videndumque esse, an controversia ipsi concedenti, an ei, cui preces concessæ, moveatur: dum vero jure primariarum precum non solus gaudet Imperator, sed & status Imperii, rursum distinguendum esse ait, utrum controversia illos, an hos spectet. In primo casu ubi Imperatoris jus in dubium vocatur, & decisio ex instrum. P. W. petenda est, haud dubie causæ cognitionem ad Comitia Imperii spectare adfirmat, prout in causa Wiedenbrugensi & Borstelensi eo provocatum fuit: in secundo si Principi Imperii lis intentetur de jure primariarum precum, summa Imperii tribunalia causæ cognitionem sibi vindicare arbitratur, quamvis aliter Legati Ordinum Ratisbonæ congregati censuerint. In 3tio casu ubi jus quidem concedentis nullatenus in dubium vocatur vel in disceptationem venit, sed solummodo de precistæ forsan minus habilis admissione lis oritur, fundatam esse ait jurisdictionem Cæsaream, nec ad Curiam Romanam recursum patere, utpote qui in causa Precistæ Rhodii & Capituli Vechtensis per conclusum Judicii Imperialis aulici prohibitus fuit, a) hæc asserta utrum sufficiant quæstioni exponendæ, alii dijudicent: meam ut desuper sententiam palam edisseram & magis ad forum & principia Catholicorum accommodem, pariter distincte & plane procedere oportet, primo si ipsum jus Imperatoris ab Ecclesia aliqua Catholica in dubium revocatur, non est adeo pronum promptumque, quis ejus litis sit judex: juxta principia enim Juris nemo potest esse judex in propria causa, si autem Imperator eam decidere vellet, in re propria judicium ille feret absque dubio non contra se sed pro se, hinc tales ecclesiæ, quæ exercitio juris primariarum precum sese opponerent, pessimo forent loco, etiamsi jure optimo maximeque fundato prohibendi preces gauderent: & ulterius hic pensitandum est, jus precum non ipsi competere vi & titulo majestatis, sed ex consuetudine antiqua contra viam ordinariæ collationis, qua igitur ratione ju-

 dicium

dicium sibi asserere possit Imperator vel ejus Judicium aulicum, alii perpendant: deinde ubi jus præsentandi inferioribus patronis ab ecclesia vel ordinario collatore denegatur, lis hæc utpote circa jus ecclesiasticum versans a judice Ecclesiastico, primum Episcopo, dein hujus Superiori cognoscenda est & decidenda: cur igitur plus licebit Imperatori, dum ejus preces in controversiam veniunt, quæ nonnisi jus præsentandi involvunt: hæc certe argumenta judicandi facultatem Imperatori adimunt: verum in hac re cum multa sint irregularia, videndum, quomodo mediis extrajudicialibus, præsertim si gravis Sacerdotii & Imperii discordia timenda est, seposito quodammodo jure stricto, ad media pacis & tranquillitatis publicæ convolandum sit.

a) In comment. sæpius cit. cap. VI. §. XVI.

## §. XI.

Secundo si lis moveatur circa jus precum, quod status Ecclesiastici vel Sæculares prætendunt, iis ullatenus jus lites ejuscemodi dirimendi competere pernego, & si est status Catholicus, controversia oborta eum inter & ecclesiam, ad quam direxit suas preces, a Judice ecclesiastico competente definienda est: alioquin præjudicia plurima ferre deberent ecclesiæ in talis status territorio sitæ, per minas enim, vim, aliaque terriculamenta, ut solent in ejusmodi circumstantiis a potentioribus adhiberi, ad jus quoddam perpetuum alteri concedendum facile cogi possent. Eo in lugendo statu constitutæ Ecclesiæ consulto procedant necesse est: & si vim, & injusta attentata a se de facto propulsare nequeant, vim ferentes, protestando, litemque movendo, jus suum, quod habent, servare tenentur, usque dum circumstantiæ temporum favorabiliores ipsis affulgeant, queis juri suo prospicere possint, & medelam peropportunam malis afferre. Tertio si disceptatur utrum precista sit admittendus nec ne, distinguendum est, ex quo capite ecclesia precistam admittere nolit: si ex defectu nobilitatis avitæ juxta talis ecclesiæ statuta requisitæ eum recipere se non posse dicat, procul dubio sicut de nobilitatis statu, ubi de eo dubium incidit, recte Imperator judicat, non Pontifex, ita similis quæstionis in casu posito decisio ab Imperatore petenda est: sed hic Imperator, qui vi capitulationis jura inveterata, statuta & consuetudines ecclesiarum tueri tenetur, non potest ecclesiæ quemdam recentiori nobilitate ornatum obtrudere, sed hoc si fieret, media juris in Imperio licita apprehendere posset ad jura sua defendenda: fere sicuti Episcopus Monasteriensis cum Capitulo in alio quidem casu in causa der Erbmänner egerat, ut in variis tomis Fabri in der Staats-Canzley legere est: a) Dum vero ex capite defectus canonici admissione indignum judicat ecclesia precistam, aliud sentiendum videtur; sub qua enim ratione hæcce lis ad decisionem Imperatoris vel ejus judicii aulici pertineat, nemo principiis

Catho-

Catholicis imbutus intelliget, capietque: hinc si defectu legitimorum natalium precista laborat, juxta Ss. Canones hisque conformes ecclesiarum Germaniæ consuetudines a beneficii consecutione jure optimo excluditur: item, si irregularis est, aut alia qualitas a jure canonico requisita ei deest, ecclesia, ad cujus beneficium est nominatus, cur eundem non recipiat, legitima suffulta est causa: neque lite inde oborta, ab alio, quam a Judice Ecclesiastico ejus decisio petenda videtur.

a) Tomo IX. p. 246. 335. Tomo XII. p. 705. Tom. XIII. p. 185. Tom. XV. p. 276. seqq. Tom. XVI. p. 525. seqq. & Tom. XXVIII.

## §. XII.

Verum si precista importuna æque ac injusta suggestione a Cæsarea Majestate quicpiam statutis Ss. Canonum & Ecclesiarum adversum extorqueret I. ab ecclesia ejusmodi ad Cæsarem litteræ dirigi deberent, queis exductu venerationis illi debitæ, eidem remonstraret, qui precista contra instituta canonica, insuperque laudabiles ecclesiæ consuetudines, ideoque contra mentem & intentionem ejusdem, utpote qua Ss. Canones & laudabiles consuetudines tueri nunquam non intendit, mandatum quoddam non tam sponte acceperit, quam falsa supplicatione, aut aliorum propudiosa commendatione extorserit, ac quod proinde eo minus indignationem Cæsaream se incursuram confideret, quo magis isthæc remonstratio veritati, æquitati & Ss. Canonibus consentanea foret. Si vero ejusmodi remonstratio eam in animo Cæsaris non faceret impressionem, ut ab onere ecclesiæ per precistam inferendo desistere vellet, post iteratas humillimas preces & remonstrationem transmissam ægre haud esset ferendum, si ecclesia, capitulum, vel collator ordinarius precibus non obsequeretur, jura enim sua unicuique, etiam contra potentiorem, defendere licet. Supponamus etiam, Imperatorem executoribus nominatis ipsam executionem de novo demandare, hi pariter ejusmodi jussioni parere non tenentur, sed potius eidem, cur jussum Cæsareum executioni dare nequeant, exponere illos oportet: præterea Imperator non habet facultatem executores ecclesiasticos in re ecclesiastica deputandi, aut hos compellendi præter fas ad id muneris in se suscipiendum, si jussio ac precum executio juribus Canonicis & ecclesiarum statutis moribusque esse contraria dignoscatur: multo minus penes Imperatorem, vi armata, mediisque violentis precistam hujusmodi in possessionem beneficii immittendi facultas residet; demum si inde violatur immunitas ecclesiastica, recursus ad sedem Apostolicam non erit prohibendus, aut si ibi nullius medelæ afferendæ spes affulgeat, etiam provocatis ad causam communem aliis ecclesiis, capitulis majoribus præsertim, unitis, ut ita dicam, consiliis viribusque jurium suorum causam apud Cæsarem tueri poterit, & tandem ad comitia Imperii referre

ferre non erit vetitum: ubi vero hæc extrema media vel non ſatis efficacia, aut immenſis laboribus ſumptibusque conſtare prævidentur, viam amicabilis compoſitionis cum preciſta inire ſæpius erit conſultiſſimum, cum enim hic tantos liti proſequendæ ſumptus, quantos totum aliquod capitulum, impendere nequeat, cumque facile difficultatibus, protelationibus, & tædiis proceſſus defatigetur, ad compoſitionem ineundam, quæ & eccleſiæ juri conſervando & ſiſtendo proceſſui peropportuna erit, haud difficulter inflectetur, modo eidem quoddam emolumentum juxta illius genium enaſcatur. Ultimo reflectere juvat, non eſſe, cur propter unum hominem, illumque privatum nulliſque ſæpe meritis conſpicuum, absque ulla publicæ utilitatis cauſa, tanta fiat colliſio, tanta bonorum ad cultum Dei deſtinatorum jactura: non enim refert, nec jus Imperatoris invertitur, ſi quempiam beneficio eccleſiaſtico dignum nulloque tum juxta Ss. Canones cum ſtatuta & mores eccleſiæ defectu laborantem nominet, ſicut talem duntaxat præſentare tenetur, hinc olim preciſtæ adinſtar aliorum a patronis præſentatorum examinati ſunt, neque beneficia contra Ss. Canones & ſtatuta moresque Eccleſiarum impetrare moliti fuere, ſi adhuc is mos obſervaretur, tot litibus eccleſiæ ſæpe maxime damnoſis non involutæ jam fuiſſent, nec futuris temporibus involverentur.

## §. XIII.

Atque hæc quemadmodum absque ullo partium ſtudio ſolo fine ad eruendum exponendumque verum juris primariarum precum Cæſari competentis ſtatum ex genuinæ hiſtoriæ monumentis, actisque publicis, nec non ex legibus Imperii pragmaticis, ac Ss. Canonum prudentia a me dicta ſunt, ita nullius me jus violaſſe arbitror, aut lædere voluiſſe palam enuncio, quippe Pontifici, quæ Pontificis, Cæſari, quæ Cæſaris, & Capitulis atque Collatoribus Germaniæ, quæ eorum ſunt, æqua ubique menſura reddere intendi, hinc quæ ad ſedis Apoſtolicæ tum venerationem, cum jura ſarta tecta ſervanda conducunt, ea in re me adduxiſſe exiſtimo; jus Cæſareum juxta conſuetudinem antiquam, ex qua ipſimet Cæſares id deducunt, ac juxta deductam in uſum praxin, ſine qua vis conſuetudinis amittitur, explanavi, illibatumque perſiſtere debere edixi, Capitulorum & Eccleſiarum Germaniæ jura ſecundum canonicæ prudentiæ regulas & ſtatutorum ſive conſuetudinum normam declaravi, nec non ſiniſtra, vel canoniſtarum ad praxin & ſtatuta non attendentium, vel preciſtarum maleſano quandoque litium ſtudio abreptorum opinamenta ſolide confutare allaboravi: plura equidem in hanc rem documenta in medium proferre potuiſſem, verum ne nimium hæcce pertractatio excreſceret, ea opportuniori reſervavi tempori, quo eandem pluribus adhuc notis & documentorum tum editorum tum ineditorum appendice illuſtrare licebit. Interea hæc rudi minerva delineata publico duxi

duxi communicanda, paratissimus ad emendandum, siquæ veritati, alicujus juribus, aut venerationis debitæ legi contraria fuerint deprehensa mihique commonstrata.

## Animadversiones Editoris.

Ad §. *III. Cap. I.* Formula *Rudolphi I.* ad quam hic provocat Auctor, quemadmodum aliae subsequentes usque ad *Josephum II.* una cum Indultis Pontificiis continua serie nunc extant apud WÜRDWEIN *Subsid. diplom. Tom. 2. Rudolphinam* istam formulam precesque ab hoc Imperatore concessas frustra in dubium vocare nunc aliqui conantur, postquam apud solertissimum istum Virum extat Charta porrecta a *Sculteto*, *Consulibus*, *Scabinis et Civibus Wimpinensis Civitatis Henrico II. Archi Episcopo Moguntino* anno 1286. atque ita vivente adhuc *Rudolpho* pro praebenda concedenda in Ecclesia Wimpinensi filio Sculteti „dicti, ubi ad primarias preces provocant his verbis: ac etiam pro ipso filio „Sculteti predicti ad Ecclesiam Wimpinensem per vestras literas NB. prima„rias preces fundere studeatis, unde colligit in nota subjecta laudatus Scriptor *Henricum* in commissis habuisse, ut nomine Imperatoris etiam ad Ecclesias etiam extra Dioecesin Moguntinam sitas preces primarias pro personis sibi gratis transmitteret.

*Ad ejusd. Cap. §. XV.* Altum esse silentium de precibus *Alberti I. Adolphi Nassovii*, *Henrici VII.* et *Ludovici Bavari* inquit Auctor; sed fallitur documentis nimirum tum necdum editis destitutus. *Adolphi* quidem *Nassovii* et *Henrici VII.* preces etiam non adducit WÜRDWEIN, N. II. tamen lit. b. habet literas *Alberti I.* ad *Wicboldum* Coloniensem, quibus eidem dat in mandatis, ne propter quorundam pertinaciam preces ejus fidelitati et executioni com„missas effectu destitui sinat, in quibus inter alia ait, has preces sibi ex novi„tate joconde creationis sue competere, et dein: nequeuntes igitur propter ali„quorum pertinaciam jus nostrum et Imperii pretermittere, tue damus since„ritati sub obtentu gratie nostre autoritate Regia in Mandatis, quatenus tam au„toritate tua ordinaria, quam nobis pro juribus nostris et Imperii conservandis „petimus impertiri, quam etiam autoritate Regia, ut singulas Ecclesias . . . „se nostris precibus jure fulcitis contumaciter, ut premittitur, opponentes viis „et modis, quibus earum videaris fore pertinaciam facilius refringendam, compellas et inducas etc. Plures formulas ejusdem Alberti a WÜRDWEINIO omissas adducit *L. B. de* GUDENUS *Cod. Diplom. Tom. 2. p. 989.* ad Capi-

„tulum Aquisgranense, atque in prima anno 1303. inquit: rogamus pleni
„cum affectu exaudiri ex intimis affectantes. Anno 1304. cum Capitulum
„giversaretur, quemadmodum alias vos rogavimus, sic iterum dilectione
„stram affectuose rogamus. Anno 1305. in formula eundem Candidatum
„tulo necdum obsecuto concernentes quemadmodum saepe vos rogavimu
„iterum devotionem vestram rogamus attentius. Demum Capitulo in pe
„cia persistente anno 1306. Ultimis precum nostrarum affectibus moti i
„nationis Spiritu vestram inobedientiam et rebellionem duximus comm
„dam, quatenus nobis et S. R. I. jus debitum, quod ex primariis precibu
„bis NB. ex antiqua et approbata consuetudine competere dignoscitur, c
vantes etc. ubi dein varia pertinaciam frangendi remedia adduntur. A *Lud*
*Bavaro* jus primarum precum exercitum fuisse non solum patet ex formul
ducta a WÜRDWEINIO N. III. cujus originale in Ecclesia S. Bartholo
Francofurti asseri inquit, et ubi quoque vestigium jamdum ita dictae tra
ptionis precum occurrit, sed ex Catalogo precum ab eodem Imperatore
cessarum, quem idem post L. B. de Ickstadt in Diss. mox in hoc Thesaur
jicienda ex OEFELII *Scriptor. Rer. Boic.* et quidem *Regestis Bertholdi de*
*lingen* Notarii Regii sistit, ex quo indice sat locuplete simul elucet preces
a *Ludovico* concessas fuisse tum ad beneficia cum, tum sine cura, item ad
nasteria tum virorum, tum faeminarum pro *Monachatu* et *prebenda*, ut ib
dicitur.

Ad ejusdem *Cap.* § *XVI.* *Rupertum* Regem in serie sua omittit Au
ab hoc autem preces concessas fuisse demonstrat Diploma apud WÜRDW
*N. X.* ad Monasterium S. Albani Moguntiae tum adhuc Ord. S Benedicti
de hodierna Ecclesia Equestris extitit. In eodem dicitur, de jure et cons
„dine approbata hactenus fuisse observatum, quod Romanorum Reges, sacri
„ronis regiis receptis, ex coronationis eorum solempniis in singulis Eccle
„Monasteriis apudque personas Ecclesiasticas, religiosas et seculares . . .
„unius idonee persone petere habeant provisione etc.

*Ad ejusdem Cap.* §. *XVII.* A *Friderico III.* preces ante indultum non
se porrectas inquit Auctor, sed contrarium denuo elucet ex *documentis* l
*allatis N. XII. et XIII.* quorum primum est mandatum procuratorium insir
di preces Capitulo S. Albani Mogunt. jam de anno 1442. Alterum mand
*Theoderici Archi-Ep. Mog.* ad Capitulum Frideslariense de executione ha
precum de eodem anno 1442.

*Ad ejusdem Cap.* §. *XX.* Denuo quoad *Maximilianum I.* emendand
Auctor ex documentis l. cit. recitatis a N. XVIII. seqq. Nimirum illico
quam *Maximilianus* vivente adhuc Patre Rex Romanorum electus fuerat

ces concessit, quod evidens est ex *Executorialibus Bertholdi Moguntini* l. cit. relatis 1487. Quam maxime notandum est in formula ibidem inserta *Maximilianum* nullam indulti mentionem facere, sed potius ad jus ex consuetudine debitum Antecessoribus suis provocare in verbis: Cum nuper divina dispensatione „ad regale sublimati fastigiam Augusti nomen suscepimus, debitum arbitramur, „ut inter alia regni Romani jura eciam laudabiles diutissimasque consuetudines „sine interruptione conservemus illesas, qua de re cum nobis pro predecesso„rum nostrorum vestigiis jus sit nominandi sive decernendi preces regules etc. Equidem Pontificem dato ad Ecclesias Germanicas *Brevi* concessioni huic obstitisse apparet ex alio *Brevi Revocatorio* prioris *Innocentii VIII.* de anno 1489. atque *Friderico III.* adhuc vivente dato, ubi Pontifex inquit *a te quidem per diversas literas in forma Brevis inhibitum fuisse ne preces Maximiliani admitterentur*, quod deinde revocat, easque admitti praecipit: idque denuo novo *Brevi* confirmavit anno 1492. quod extat *l. cit. N. XXI.* Denuo adhuc vivente *Friderico* id exaratum fuit, quippe qui ad 18. Aug. 1493. vitam protraxit, neque anno 1492. ut ait Auctor jam mortuus fuit. Accessit demum anno 1497. *Indultum* priorum declaratorium quod *exhibetur l. cit. N. XXII.*

Ad ejusdem Cap. §. XXVII A *Francisco I.* nullam plane mentionem Indulti factam fuisse, sed inveteratae solum consuetudinis, uti innuit Auctor, patet nunc uberius ex formula ejusdem Imperatoris impressa *l. cit. N. LVI.* immo vero in literis ad Archi-Ep. Mog. ibidem *N. LVII* inquit idem Imp. relatum „sibi fuisse a Nuntio Coloniensi in literis suis ad Capitula Germaniae inter alia „assertum fuisse, quod eidem per Summum Pontificem Preces sic dictae prima„riae collatae fuerint, jus autem istud per antiquam Imperatorum praerogati„vam per ipsos in Imperio praedecessores absque alia concessione ad se delatum „fuisse; Nuntium ignorare nec posse nec debere, qua ratione mentem suam „erga Summum Pontificem desuper expresserit, quem utique pro sua in servandis pactis religione a tali asserto longe alienum esse speret; vult deinde, ut hae literae a Capitulis non agnoscantur, nec responsum eisdem detur. *Josephum II.* quoque in suis formulis denuo nullam Indulti mentionem fecisse, patet ex ea, quae loco saepius citato N. LIX. affertur. MOSER in Tract. Von den Kayserlichen Regierungsrechten und Pflichten p. 486. ait narratum sibi Viennae a Nuntio Bullam, in qua facultas primariarum precum concedendarum contineatur, porrigi, eamque admitti sed non reseratam ad Acta reponi: idemque sub *Josepho II.* ita contigisse insinuat in dem neuesten Reichs-Staatshandbuch. 1. Theil. 2. Buch. 2. *Cap.* §. 3. sed qui per modum censurae hinc inde citato Tractatui plura interposuit assertum istud tanquam ita se habens non vult agnoscere, immo omnino potius rejicit.

*Ad Cap. V. §. V.* Recte monet Auctor resignantem in favorem, dum Precista adhuc nulla gaudeat praebenda, securum non fore, nam quidquid alias sit de resignationibus hujusmodi, Senatum Imperialem Aulicum pro Precista pronuntiaturum dubium non est, quo spectat Conclusum de anno 1751. 22. Oct. ad Ecclesiam S. Joannis Evangel. Leodii apud MOSER *cit. Tract. p. 505.* ubicum quidam Canonici successores etiam consentiente Curia Romana sibi deligere attentassent, nominationes hujusmodi et designationes, quatenus primis precibus contrariae sint, nullae et invalidae declarantur. De beneficio resignato permutationis causa vide Diss. Cl. DÜRR mox subjiciendam.

*Ad ejusdem Cap. §. VIII.* et seqq. Circa ea, quae hic Auctor deducit, an Precista simul praetendere possit dignitatem, item locum in Capitulo, videnda sunt denuo Conclusa plura recentiora Senatus Imperialis Aulici, in quibus tum dignitas tum locus in Capitulo Precistis adjudicantur, uti de anno 1756. 23. Dec. *Tardii* contra das Collegiatstifft St. Johann in Costanz. Fiat De„cretum sequentis tenoris: es habe Kayserl. Maj. aus denen beygeschlossenen „Exhibitis ersehen, wie daß der Kayserliche Precist Melchior Tardii, nach Ab„sterben des daselbstigen Probsten und Canonici Rettigs, in Gefolg seiner von „Kayserl. Maj. habenden Precum, sowohl dignitatem als praebendam be„hörig optiret, das Capitul hingegen diesem zuwider eine anderweite Wahl „eines Probsten gegen die Kayserliche Preces vorzunehmen sich unterstan„den habe. Allerhöchst dieselbe wollten daher nicht nur die attentative geschehene Probstwahl cassiren, sondern auch hiemit dem Capitul anbefohlen ha„ben, den Kayserlichen Precisten in den vollkommenen Besitz der durch Ab„sterben des vorigen Probsten und Canonici Rettigs erledigten und von ihm „legitime optirten Probstey und Präbend ohne allen Verzug einzusetzen, alle „inzwischen von der Probstey sowohl, als der Präbend etwa a die optionis „abgefallene fructus zu ersetzen; etc. Alia vide l. cit.

V. PE-

# V.

## PETRI AB ICKSTATT U. I. D.

Seren. Elect. Bavar. Consil. Aulici in Univers. Ingolstad. Jur. Prof. Publ. & Ordin.

## DISSERTATIO

# DE CAESAREO PRIMARIARUM PRECUM JURE

*Anno* 1765.

### §. I.

Nobilissimum non minus, ac suo in praxi momento dignissimum Imperialis precum primariarum Juris argumentum felici jam dudum calamo pertractarunt Viri in orbe erudito Nominatissimi. Perfunctorie suis in scriptis hinc inde de illo meminerunt BESOLDUS *thesaur. pract.* voce *primariæ preces pag. 763.*, PAURMEISTER *de jurisdictione lib. 1. cap. 4. §. 41. seq.*, HERMES *fascil. Jur. publ. C. 11. §. 6.*, FREHERUS *ad* PETRUM *de* ANDLO *de Romano Imperio lib. 2. cap. 6. pag. 179.*, LIMNÆUS *lib. 2. Jur. publ. pag. 9. §. 2. seq. pag. 166.*, SCHWEDERUS *introduct. Jur. publ. part. spec. Sect. 1. cap. 5. §. 13.*, & qui sunt reliqui publici Juris interpretes. Integris autem ac peculiaribus jus hoc regium opusculis exhaurire studuerunt JOANN. a CHOCKIER, AHASU. FRITSCH, ERN. FRIED. SCROETER, GERH. von STOECKEN, JO. EHRENFR. MAYER, ADAM. CORTREJUS, CONR. OLINGENIUS, MICH. HENR. GRIBNER, NIC. CHRISTOPH *de* LYNCKER, GEORG. HENR. AYRER, JO. PET. BANNIZA, sicca juris primariarum precum mentione haud contenti.

Scriptores.

### §. II.

Enimvero quamvis, quæ a Viris hisce omni nostra laude superioribus hoc in genere præstita, præclara omnino ac præstanti studio conquisita dignoscantur;

Ratio Instituti.

tur; quoniam tamen nondum omnia aut pro dignitate deducta, aut ex asse determinata reperire datum est, ulteriorem juris hujus cæsarei disquisitionem non plane supervacaneam fore existimavimus. Argumentum itaque nobis præstitutum ut naturali methodo evolvamus, 1.) *in naturam juris primariarum precum* inquiremus, 2.) *qua ratione illud sit exercendum*, ac 3) *quinam ejus in Germania effectus existant*, succincta serie determinaturi. Ante omnia tamen principia quædam generalia scopo nostro maxime inservientia stabilitum ibimus.

## §. III.

Jura Imperatoris qualia.

Summam & universalem Imperii Romano-Germanici Majestatem penes Augustissimum Imperatorem residere, &, cum eadem quæ connexa sint jura, in elementis jurisprudentiæ publicæ demonstratum damus. Atenim illa jura aut ex ipsa Majestatis Cæsareæ idea concipiuntur, aut in eadem rationem sufficientem haud agnoscunt. Si primum, Jura Imperatoris *generalia* (*primigenia*, *essentialia*, *Majestatica*) adpellantur. Si posterius, *specialia* (*secundaria*, *accidentalia*) audiunt.

COR. I. Quum itaque Jura Imperatoris specialia ex ejusdem Majestate per necessariam consecutionem deduci haud queant; facile consit, eadem aut leges imperii expressas & compactata, aut usum immemorialem & observantiam pro fonte agnoscere.

COR. II. Eadem facilitate colligitur, omnia Imperatoris Jura triplici fundamento inniti; vel enim fundantur in notione Majestatis, vel in legibus fundamentalibus scriptis, vel in antiqua consuetudine.

## §. IV.

Jus circa sacra proprie dictum quid.

*Jus circa sacra in sensu stricto & essentialiter consideratum* consistit in potestate sacramenta administrandi, definiendi articulos fidei, & in potestate ligandi & solvendi (*per prin. Jur. Can.*).

COR. Quisquis igitur non habet potestatem administrandi sacramenta, determinandi religionis dogmata, nec potestatem ligandi, & solvendi; eidem jus circa sacra proprie tale & in sensu stricto competere, dici nequit.

## §. V.

Jus Nominandi quid.

*Beneficium* seu *præbenda* est officium ecclesiasticum, cui certi reditus ita sunt adnexi, ut ab eo separari nequeant (vid. FLEURY *Inst. Jur. Eccles. pag. 321.*). Facultas vero personam quandam ad præbendam aut beneficium obtinendum designandi a Canonici Juris Doctoribus *jus Nominandi* salutatur.

SCHOL. Non raro tamen inter *jus nominandi*, & *jus præsentandi* insigne discrimen

men occurrere observamus. Illud videlicet, si significatu strictiori accipiatur, consistit in jure designandi subjectum habile ad beneficium ecclesiasticum: hoc vero in jure personam nominatam Collatori ordinario exhibendi, ut eidem beneficium conferatur. Sed quum hæc differentia ad propositum nostrum parum aut nihil faciat, jus præsentandi & nominandi sub generali significatu comprehendendum duximus.

## §. VI.

Quotuplex.

Beneficium, quodsi vel a nullo vel non jure possidetur, *vacans* nuncupatur. Quoniam itaque beneficia inter plures distribui nequeunt, salvis legibus fieri non poterit, ut quis ad actualem beneficii possessionem adipiscendam nominetur, nisi illud sit vacans: nulla tamen ratione implicat, ut cuidam spes muneris ecclesiastici nondum vacantis promittatur in casum, quo beneficium vacaverit. Atque eam ob causam nominatio in *realem* & *eventualem* dividitur. *Realis* est, per quam quis ad beneficium vacans obtinendum designatur; *eventualis*, quæ eum duntaxat in casum contingit, ut quis beneficium nondum vacans adipiscatur, si vacaverit.

COR. In jure igitur nominandi distinguenda a se invicem sunt jus designandi ad possessionem beneficii vacantis obtinendam, & jus promittendi spem beneficii nondum vacantis pro casu vacantiæ: primum dicitur *jus nominandi in specie*, secundum *jus exspectativam concedendi.*

## §. VII.

Jus nominandi non est necessario connexum cum jure circa sacra stricte dicto.

*Jus nominandi in regula quidem cum potestate ecclesiastica connexum est: ad eam tamen ita non pertinet, ut ab eadem separari nequeat.*

Jus enim expediendi negotia ad Ecclesiam pertinentia regulariter cum potestate Ecclesiastica connexum est, ut per se patet; quare quum beneficia sint res Ecclesiasticæ, jus quoque nominandi in regula potestati Ecclesiasticæ adnexum esse, statuendum (§. 5.) q. e. p.

Enimvero potestas Ecclesiastica principaliter & essentialiter considerata facultate administrandi sacramenta, facultate ligandi & solvendi, ac determinandi fidei dogmata absolvitur (§. 4.); manifestum itaque est, potestatem Ecclesiasticam essentialiter acceptam sine jure nominandi concipi posse: ergo jus nominandi ad jus circa sacra in sensu stricto sumtum ita non pertinet, ut ab eo separari nullatenus queat. q. e. a.

COR. I. Sua sponte inde consequitur, a Jure nominandi ad Jus circa sacra stricte dictum non valere consequentiam (§. 4. cor.).

COR. II. Porro inde concludimus, jus nominandi alicui, qui non habet jus circa sacra stricte dictum, vel ex concessione vel ex consuetudine competere posse.

COR. III.

COR. III. Quoniam tamen ea, quæ rei regulariter insunt, licet ab eadem abesse queant, *naturalia* dicuntur; satis constat, jus nominandi ad naturalia potestatis Ecclesiasticæ pertinere.

COR. IV. Cui ultro consequens est, jus nominandi ad eum, qui jus circa sacra stricte sumtum non habet, haud spectare, nisi illud aut ex concessione expressa aut ex consuetudine sibi proprium esse factum probaverit.

SCHOL. Optime dicta illustrari possunt exemplo Regum Christianissimorum, qui gaudent jure nominandi, quin jus circa sacra stricte dictum sibi arrogent.

## §. VIII.

*Jus nominandi ad beneficia Ecclesiastica olim Imperatoribus quoque competebat.*

Jus designandi personas ad beneficia Ecclesiastica, dum Ecclesia in primis etiamnum incunabulis versaretur, in Germania diversæ omnino rationis erat (*vide R. P. Zech Hierarchiam Ecclesiasticam Tit. 18.*). Partim enim ad imitationem Christi Pontifices Romani, partim clerus una cum populo, partim capitula per electiones, partim Patroni Ecclesiarum beneficia conferebant partim vero ipsis Imperatoribus, quoniam plurimarum Ecclesiarum Fundatores, Protectores & Advocati erant, tum ex consuetudine tum ex concordatis Jus investituræ competebat. Vi hujus juris Imperatores habebant facultatem personas denominandi & investiendi ad beneficia Ecclesiastica. Exercuit hoc Jus investituræ Carolus Magnus, exercuit Ludovicus Pius, & reliqui eorundem successores.

## §. IX.

*Sed hi abusi jure suo.*

Tam ampla Juris investituræ extensio erat, ut in collationibus quoque Episcopatuum, quin etiam officii Papalis consensus Cæsarei potissima ratio haberetur (*per pactum Carolinum*). Enimvero successu temporis abuti Jure suo cœperunt Imperatores, beneficia simoniace conferebant, ut præcipue factum testatur sub Henrico IV. *Lambertus* ad annum 1063. verbis: *Ab his Episcopatus & Abbatiæ & quidquid Ecclesiasticarum, quidquid secularium dignitatum est, emebatur; nec alia cuiquam, licet industrio atque egregio viro, spes adipiscendi honoris ullius erat, quam ut hos prius ingenti profusione pecuniarum suarum redemisset.* (*Vid. Glassey Hist. Ger. Polem. pag. 198.*).

## §. X.

*Hinc dubium ipsis redditum a summo Pontifice sub Henrico IV.*

Ausibus hisce temerariis sese opposuere pro ratione officii sui Romani Pontifices: quanquam in dubium vocari nequeat, multa ab iisdem tam directe quam indirecte fuisse suscepta, quæ Jure fieri haud poterant. Gregorius VII Henrico IV. Jus investituræ in controversiam vocabat, Regibusque in electionibus Clericorum. *Juxta sanctorum Patrum Canonicas Sanctiones prorsus nihil esse concessum aut permissum* adfirmabat (*vide Baronium pag. 349. §. 20.*); Henric

rico IV. per Legatum indicari faciebat, ut *secunda feria secunda hebdomada in quadragesima ad Synodum Roma occurreret, de criminibus, qua objicerentur, causam dicturus, alioquin sciret, se absque omni procrastinatione eodem die de Corpore sancto Ecclesia Apostolico anathemate abscindendum esse* (*vid. Glassey Historia Germ. polemica pag. 200.*).

## §. XI.

Isthac summi Pontificis declaratione exacerbatus Imperator Gregorium sede Apostolica indignum publice renuntiabat (*vid. Bruno in Bello Saxon. apud Freberum pag. 122.*) Pontifex vero his perceptis in Synodo Romana Henricum IV. per solennem excommunicationem corona privabat, verbis: *Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra sanctam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum & Italia gubernacula contradico, & omnes christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecere & facient, absolvo, & ut nullus ei, sicut Regi serviat, interdico* &c. (*vid. Bruno l. c. pag. 123.*)

Qui dethronisatus.

## §. XII.

Henrico IV. itaque corona spoliato Henricus V. ejus filius suffragante Pontificis auxilio in Imperatorem eligebatur, sub conditione, ne summo Pontifici jus investituræ in dubium vocaret. Postea vero quum Henricus IV. e vivis decessisset; Henricus V. solium satis firmatum ratus antecessorum suorum jura de novo urgebat, Pontifici per legatum insinuans, Jus investituræ Carolo Magno ab Hadriano I., & Ottoni I. a Leone VIII. esse concessum: se igitur jura antecessoribus suis competentia non esse neglecturum (*vid. Glassey l. c. pag. 230.*)

Sub Henrico V., qui litem renovavit, &

## §. XIII.

Nulla habita horum monitorum ratione Pontifex in Concilio Beneventano edictum novum publicabat, *ut, quicunque investituram Ecclesia vel ecclesiasticam dignitatem de manu Laici acceperit, & dans & accipiens communione privetur* (*Conf. Baronius ad annum 1108.*) Atque hanc ob causam Henricus V. anno 1110. numeroso exercitu Italiam inundabat, cui Pontifex Legatos obviam mittebat, qui Imperatorem mediis persuasoriis inducerent, ut Juri investituræ renunciaret. Quoniam vero Imperator respondebat, hoc modo omnia imperii jura esse collapsura; Pontifex Imperatori permittere, ut omnia regalia Capitulis unquam a Regibus concessa revocare posset, sibique revindicare: qua sub conditione Imperator juri investituræ renunciabat (*vid. Petrus Diaconus l. 4. Chron. Cassinat. p. 460.*).

## §. XIV.

Pacto hoc inito Imperator Romam veniebat, coronam de manu Pontifi cis accepturus. Ante vero quam Imperatori corona imponeretur, prius u juri investituræ jurato renunciaret, Pontifex prætendebat. Sed Imperator s ultro juraturum adserere, modo Clerici regalia sua se reddituros promitterent Ad quam Imperatoris petitionem tota Clericorum natio protestari, se per ho nimis gravatum iri dictitans. Imperator adhæc Pontifici objurgabat, quar ergo pacto suo non stetisset. Interim Pontifex excusationis suæ causam adle gabat, quasi Clericos nulla ratione persuadere potuisset, ut regalia sua Regi bus restituerent.

## §. XV.

Stupore & ira ad hæc adfectus Imperator Pontificem numerosa militum cohorte cingebat, captivumque securitatis propriæ causa ingentem post con flictum in castra trahebat (*vid. Otto Frising. l. 7. Chron. C. 14. & Petrus Diac c. l. pag* 465.). Pontifex diuturno tempore in captivitate detentus, spequ nulla redemtionis adfulgente tandem eo permotus, ut Henrico investituran Clericorum in vigore antiquo per juramentum & scripturam manu propria de super exaratam concederet (*Conf. Otto Frising. pag. 147. & Petrus Diaconu pag. 466.*): atque ita factum, ut Pontifex pristinæ libertati restitueretur, & Regis potestate salvus evaderet.

## §. XVI.

Atenim quum Imperator in Germaniam rediisset, mutata rerum scena instinctu enim & non interruptis Clericorum protestationibus permotus Ponti fex privilegium investituræ Imperatori confirmatum tanquam privilegium de nuo cassabat, juramentum ad majorem fidem editum, utpote metu injusto ex tortum pro irrito declarabat, & Imperatorem fulmine excommunicationi percutiebat (*Conf. Baronius T. 12. Annal. ad ann. 1111. pag. 91.*).

## §. XVII.

Tandem finivit per pactum cum Pontifice initum.

Post innumeras tandem difficultates anno 1122. cum consensu & præ via Statuum deliberatione Imperator Henricus V., & summus Pontifex Ca lixtus II. eo conveniebant, ut Imperatori jus investituræ per annulum & ba culum sive proprie dictum penitus sit ademtum; ut econtra Clerici regalia sua ab Imperatore acciperent, &, ne Imperator quidquam potestatis Ecclesiastica sibi attribuere videretur, ejusmodi investitura imposterum fieri deberet pe signum sceptri tanquam symbolum potestatis secularis (*conf. Baronius Tit. 12 pag*

*pag. 149.*). Atque ita facile est ad intelligendum, quomodo Imperatores jus denominandi & investiendi ad beneficia Ecclesiæ vacantia per pactum Calixtinum amiserint, eo solum reservato, ut regalia Clericis possent conferre.

## §. XVIII.

Inde origo Juris primariarum precum.

Quæ quum ita sint; facile quoque patet, per pactum Calixtinum eo rem devenisse, ut jam Imperatores non amplius Capitulis personam aliquam necessario eligendam ad beneficium vacans ecclesiasticum potuerint obtrudere. Quoniam tamen Imperatores per hoc pactum non desinebant esse Ecclesiarum Advocati & beneficiorum Fundatores; hisce sub prætextibus incipiebant commendare bene meritos ordinariis collatoribus rogantes, ut his beneficia conferrent. Hæ commendationes Imperatorum ab initio quidem nullam obligationem perfectam obtinebant, sed ab arbitraria collatorum admissione dependebant, ut per se patet; unde etiam nomine *precum* donatæ. Quoniam vero Imperatores sæpissimas ejusmodi preces & sine fine concedebant; injecta haud abs re est Clericis formido, ne tractu temporis ejusmodi preces in antiquum investituræ jus degenerarent. Quum tamen preces Imperatorias omnino contemnere consultum non haberent; probabilis inde conjectura evadit, quod Clerici ex benevolentia Imperatori indulserint, se ejusmodi preces velle quidem admittere: ne vero juribus suis præjudicium posset contingere, simul excepisse, ut ne tales preces ad Collatores ordinarios ab Imperatore toto regiminis spatio plus vice simplici dirigerentur. Imperatores hac occasione usi preces suas sedulo frequentabant; unde sensim sine sensu tandem jus pro Imperatoribus invaluit, vi cujus toto regiminis sui tempore in quibuslibet fundationibus ad unum saltem beneficium personam habilem possent præsentare, quod ab origine sua *Jus precum* fuit dictum. Deinde successu temporis effectum est, ut hæ Imperatorum preces omnibus aliis essent præferendæ; unde etiam *preces primariæ* adpellatæ: Jusque inde enatum *Jus primariarum precum fuit* insignitum.

## §. XIX.

Ejus definitio.

*Jus itaque primariarum precum* commode definiri poterit, quod sit jus nominandi sive præsentandi personam habilem ad beneficium Ecclesiasticum, Imperatori competens, sed semel tantum tempore regiminis exercendum.

COR. Quæ si penitius in animum revoces; satis constabit, jus primariarum precum esse reliquias antiqui investituræ juris, quod Imperatores per pactum Calixtinum amisere.

SCHOL. I. Alii alias Juris primariarum precum definitiones subministrant, quarum plurimas videre est apud AYRERUM *de Jure primar. precum Cap.* I.

§. 4.; sed quoniam nostram historiæ convenientissimam arbitramur, eam ceteris præferre lubuit.

SCHOL. II. Notandum præterea hic venit, hoc jus a non nullis *Jus primarum precum* nuncupari, indeque etiam Versio Germanica: Das Recht der ersten Bitte. Ast tam primum, quam alterum absque ratione sufficiente admissum statuimus (§. 18.).

§. XX.

Non implicat, Jus primariar. precum esse penes Imperatorem.

*Imperatores per se sunt capaces Juris primariarum precum.*

Quodsi enim Jus nominandi ad beneficia Ecclesiastica cuidam, qui jure circa sacra proprie dicto non gaudet, competere potest; recte quoque infertur, Imperatores juris primariarum precum haud esse incapaces (§. 19.). Enimvero contradictionem non involvit, penes eum, qui potestate Ecclesiastica instructus haud est, jus nominandi existere (§. 7. Cor. 2.); Imperatores itaque juris primariarum precum esse capaces, summa cum ratione adfirmamus.

COR. Facili negotio inde colliges, quomodo fieri potuerit, ut Imperatores Jus primariarum precum justo & legitimo titulo adquirerent.

§. XXI.

Jus primarum precum est jus perfectum.

*Jus* est facultas aliquid salvis legibus agendi; talismodi vero facultas aut cum coactione exerceri potest, aut minus. Si primum, *Jus perfectum*: sin posterius, *Jus imperfectum* dicitur.

§. XXII.

*Jus primariarum precum Imperatori competens inter Jura perfecta referri debet.*

Etenim Jus primariarum precum Imperatori competere & ad ejusdem prærogativas pertinere, nemo est, qui dubitet; concedendum igitur quoque, jus primariarum precum eminenter differre a qualibuscunque privatorum commendationibus pro lubitu susceptis. Sed quænam has inter & illud differentia intercedit, nisi Imperatori simul competeret jus iis, ad quod preces suas direxit, obligationem admissionis perfectam injungendi; ne igitur admittatur absurdum, juris primariarum precum exercitium cum jure cogendi connexum esse, statui debet. Quapropter quum jus, quod cum coactione exerceri potest, perfectum dicatur (§. 21.); jus primariarum precum inter jura perfecta locum habere, evidens est.

SCHOL. Fortean in contrarium te movet Etymologia nominis, atque exinde MONZAMBANO illud jus precarium esse existimavit; sed perpendas originem, quam sortitum est jus primariarum precum (§. 18.) suppeditatam, ac dubium absque omni difficultate removere poteris.

XXIII.

## §. XXIII.

*Jus Patronatus* in genere eſt jus concurrendi ad proviſionem beneficii cujusdam Eccleſiaſtici. Jus vero ita concurrendi vel ratione muneris Eccleſiaſtici, vel titulo fundationis, dotationis & advocatiæ, vel alio quodam ſeculari competit. Priori caſu jus patronatus vocatur *Eccleſiaſticum*, poſteriori autem *Laicale* (*vid.* R. P. ENGEL. *l. 3. tit. 38. de Jure Patronat.*).

Eſt jus patronatus laicum magis determinatum

## §. XXIV.

*Jus primariarum precum, quod Imperatori competit, eſt jus patronatus laicum, ſed magis determinatum.*

Etenim Jus primariarum precum eſt jus præſentandi aliquam perſonam habilem ad beneficium Eccleſiaſticum (§. 19.), igitur jus concurrendi ad proviſionem alicujus beneficii Eccleſiaſtici, *ergo Jus Patronatus* (§. 23.). q. e. p.

Quum vero jus primariarum precum Imperatori non competat ratione muneris Eccleſiaſtici, ut per ſe patet; conſequens eſt, inter jura patronatus laicalia illud eſſe numerandum (§. 23.). q. e. a.

Quoniam denique jus primariarum precum ſemel duntaxat toto regiminis tempore eſt exercendum (§. 19.), quam determinationem non involvit jus patronatus (§. 23.); ultro pateſcit, jus primariarum precum eſſe jus patronatus laicum magis determinatum. q. e. t.

## §. XXV.

*Jus primariarum precum ſe non fundat in Majeſtate Imperatoris.*

Non eſt conſectarium Majeſtatis Cæſareæ.

Nam ſi jus primariarum precum in Majeſtate Imperatoris rationem ſufficientem agnoſceret, ſequeretur, Imperatori facultatem collationes beneficiorum Eccleſiaſticorum pro lubitu ordinandi competere. Sed quum jus conferendi beneficia Eccleſiaſtica pertineat ad naturalia poteſtatis Eccleſiaſticæ (§. 7. Cor. 3.). & ordinariis Collatoribus in regula competat, uti nemo in dubium vocat; libera ejusmodi de beneficiis diſponendi facultas concedi nequit. Manifeſtum itaque eſt, jus primariarum precum in Majeſtate Imperatoris fundamentum haud agnoſcere.

Alio modo ſic procedit demonſtratio: quicquid ex fine civitatis politicæ, id eſt, ex tranquillitate, ſufficientia & ſecuritate non concipitur, neque inter conſectaria Majeſtatis civilis referri poteſt; ſed jus primariarum precum non concipitur ex tranquillitate, ſufficientia & ſecuritate civitatis, utpote quæ omnia obtineri poſſunt absque primariarum precum jure; jus igitur primariarum precum non eſt majeſtatis civilis, ergo nec Imperatoriæ conſectarium.

 SCHOL.

SCHOL. I. Contrarium statuere conati sunt, qui potestatem Ecclesiasticam imperio civili adnexam esse defendunt: ast eorum argumenta tam ex genuinis Juris Canonici, quam Juris Publici universalis Ecclesiastici principiis confutari satis queunt.

SCHOL. II. Alii porro, qui juris primariarum precum fundamentum ex Majestate repetunt, opinionem suam exinde corroborare volunt, quoniam passim *Juris Regii* nomine insignitur; sed sciant illi, jus primariarum precum non dici Jus Regium, quasi ex notione Majestatis conciperetur, sed quia Regibus proprium est.

## §. XXVI.

Neque in concessione expressa Pontificis fundatur.

*Neque Jus primariarum precum beneficio summi Pontificis, aut expressæ ejusdem concessioni adscribendum.*

Quodsi enim Jus primariarum precum beneficio & gratia summi Pontificis in Imperatores esset translatum, certe id probari deberet ex authentico quodam diplomate, in quo & de tempore dati privilegii, & de Pontifice, qui concesserit, & de Imperatore, qui illud acceperit, indubitato constaret; quoniam ejusmodi privilegium Imperatoribus gratia summorum Pontificum concessum esse non potest præsumi, idque eo magis, quum Pontifices tanta nunquam non de antiquo investituræ jure moverint litigia. Atenim diploma hujusmodi in orbem eruditum hactenus nondum emanavit, & licet DURANDUS *l. 4. p. 3. de prabend. & dignit.* §. *restat. n. 7.* se tale privilegium vidisse bullatum scribat, id tamen necdum nobis videtur satisfacere, quum nec de tempore, nec de Imperatore, nec de Pontifice ibi mentio injiciatur, adeoque genuini diplomatis fidem merentis charačteres desiderentur. Recte itaque concludimus, fundamentum Juris primariarum precum in beneficio & concessione Pontificis expressa haud esse collocandum.

SCHOL. Reliqua, quæ huc trahuntur diplomata, non tam de concessione Juris primariarum precum a Pontifice facta, quam de indulto ad ejusdem exercitium necessario intelligenda sunt.

## §. XXVII.

Nec in Coronatione Imperatoris.

*Coronatio Imperatoria* est actus solemnis, quo electus in Imperatorem corona aliisque insigniis ornatur & ungitur. De hac ex publici juris disciplina notandum nobis modo est

1.) Coronationem Imperatoris olim fuisse duplicem, *Italicam* scilicet & *Germanicam*. Illa a Romano Pontifice peragi debebat, sed post Caroli V. tempora, qui ultimus Banoniæ a Papa Clemente VII. anno 1529. fuit coronatus, ob rationes speciales in desuetudinem abiit. *Germanica* vero coronatio secundum constitutionem Aureæ Bullæ Aquisgrani per Electores Ecclesiasticos fiebat, & adhuc hodie in viridi est observantia.

2.) Per

2.) Per eam Imperatori Jura imperii minime conferri, quoniam electio legitima imperanti Majestatem tribuit; id quod etiam ex eo corroboratur, quoniam Provisores imperii regimen interimisticum tantummodo usque ad notitiam electionis & sponsionis in capitulationem jurato factæ continuant.

3.) Adeoque eam jura in Imperatorem electam collata, solemnibus duntaxat ritibus confirmare.

## §. XXVIII.

*Sicut jus primariarum precum non fundatur in beneficio Pontificis (§. 26.); ita neque eorum adstipulamur sententiæ, qui illud ex Coronatione Imperatoria repetere volunt.*

Etenim posita hypothesi fundamentum juris primariarum precum quærendum esset vel in Coronatione Italica, vel Germanica. Non primum, quia Coronatio Italica dudum ab usu recessit (§. 27. n. 1.) salvo primariarum precum jure. Neque secundum statui poterit, quum per Coronationem Germanicam Imperatori jura Imperii haud conferantur (§. cit. n 2.), sed tantum solemni ritu collata esse declarentur (n. 3.). Nulla itaque ratio sufficiens suadet, ut fundamentum juris primariarum precum in Coronatione Imperatoria collocemus.

SCHOL. Quodsi ad stabiliendam opinionem adversam ob oculos ponere lubet diplomata, in quibus Imperatores ad Coronationem quoque Imperialem provocarunt; rem ipsam quidem ultro largior, sed liceat quoque innumera alia opponere diplomata, ubi nulla Coronationis Imperatoriæ fit mentio. Ac deinde si rationem, quam pro nostra opinione adduximus, curatius evolvas; facile erit ad intelligendum, Imperatores per hoc, quod in suis diplomatibus mentionem Coronationis suæ fecerint, non tam fundamentum juris primariarum precum, quam tempus exercitii indicasse.

## §. XXIX.

Multo minus in dignitate Imperatoris Canonicali.

*Æque parum rem videntur tangere, qui fundamentum Juris primariarum precum in dignitate Imperatoris Canonicali ponunt.*

Quippe eorum sententia in eo fere consistit, quod Imperatoribus Jus primariarum precum propterea competat, quod olim vi Coronationis Ecclesiarum quarundam facti fuerint Canonici. Enimvero præterquam quod Imperatores hodie in alia, nisi in illud Canonicorum Aquisgranensium, collegia vix recipi soleant; si in ejusmodi dignitate fundaretur Jus primariarum precum, consequens foret, Imperatori in nullis Germaniæ Ecclesiis, nisi in quibus Canonici honorem sustinet, illud jus competere, quia honoraria isthæc ac peculiaris dignitas respectu aliarum Ecclesiarum Titulum sufficientem haud potest tribuere. Quum vero consecutio ista evidentissimæ totius Germaniæ praxi adver-

verſetur; indubium quoque eſt, rationem, ob quam Jus primariarum precum Imperatori competit, ex dignitate ejusdem Canonicali non eſſe repetendam.

## §. XXX.

Sed in ſola conſuetudine.

*Jus itaque primariarum precum unice nititur in antiqua & adprobata conſuetudine, jure Advocatiæ ſpecialis Imperatoribus in Germaniæ Eccleſiis propriæ ſubnixa.*

Jus enim, quod neque ex compactatis, neque ex lege quadam tam generali quam ſpeciali, neque ex alio fonte determinato repeti poteſt, & quod per actus frequentiores diuturno temporis ſpatio continuatos introductum, cujusque executio dudum agnita, unice in antiqua nititur conſuetudine, uti nemo negat. Sed jus primariarum precum neque ex compactatis, neque ex lege aut privilegio, neque ex alio fonte expreſſo repeti poteſt (§. 25. 26. 28. 29.), & per actus frequentiores ab immemoriali tempore inoluit, uti tum ex ſucceſſiva juris primariarum precum origine (§. 18.) tum ex ſingulis Imperatorum, quos inter jamjam Rudolphus I. ad jus ab anteceſſoribus longo uſu derivatum provocavit, reſcriptis ac precum formulis abunde eluceſcit (*conf.* ILL. AYRER *de Jure prim. prec. Cap. 1. §. 17.*). Dubitari itaque nequit, jus primariarum precum in ſola conſuetudine antiqua fundamentum agnoſcere. q. e. p.

Quumque Imperatores Juris primariarum precum haud ſint incapaces (§. 20.); ſequitur ejusmodi conſuetudinem non inter irrationabiles, ſed adprobatas eſſe referendam. q. e. a.

Quoniam denique jus primariarum precum inde enatum eſt, eoquod Imperatores poſt pactum Calixtinum ſæpiſſimas commendationes ſub prætextu Advocatiæ ad collatores ordinarios direxerint (§. 18.); probabiliſſimum quoque nobis videtur, conſuetudinem, per quam jus primariarum precum invaluit, jure Advocatiæ ſpecialis Eccleſiarum Germaniæ fuiſſe ſubnixam. q. e. t.

SCHOL. Quod vero Imperatores in ſuis Diplomatibus ſæpe numero tam juris quam conſuetudinis commemorationem faciant; ita intelligendum haud eſt, quaſi ex lege ſcripta hoc jus competeret, ſed ſenſus exactæ interpretationis regulis conveniens, quod jus primariarum precum juſto modo & quidem ex conſuetudine ſit adquiſitum: quis enim varias juris ſignificationes ignorat?

## §. XXXI.

Cui non derogatum per concordata Nationis Germanicæ.

Antiquiſſimam iſthanc conſuetudinem legitimo ſubnixam titulo per concordata Nationis Germanicæ FRIDERICUM III. Imperatorem inter, & NICOLAUM V. Papam anno 1448. inita penitus abrogatam, ac proinde preces Imperatorias omnino eſſe ſublatas omni conatu demonſtrare voluit CONRADUS OLIGENIUS *in Diſſ. de primar. prec. Imperial. §. 30. ſeq. Concordata,*

*data*, loquitur, *sunt directe opposita precibus Imperialibus, quia in iis libertas Ecclesiarum confirmata ac ordinariis Collatoribus omnis electio relicta est, qua non summo Pontifici fuit reservata.* Argumentum hocce confutandum sibi sumsit acerrimus Juris Cæsarei vindex GRIBNERUS *in Diss. de prec. prim. absque indulto validis.* Nobis quoque ratiocinium GRIBNERI satis nervosum videtur, ut statuamus, *preces Imperatorum primarias per concordata Nationis Germanicæ haud esse abrogatas.*

Pro certo enim & indubitato habetur, jus primariarum precum jam dudum ante concordata Nationis Germanicæ inter Jura Imperatoris eminentiora fuisse numeratum; quare quum abrogatio non sit præsumenda, ex concordatis in substrato casu probandum esset, jus primariarum precum per transactionem Imperatori esse ademtum. Quoniam vero in concordatis Nationis Germanicæ de jure primariarum precum expressa non fit mentio, neque ante concordata ulla de eo controversia inciderat, adeoque illud Imperatoribus per transactionem ademtum esse, ex iisdem probari nequit; prono alveo consequitur, concordata Nationis Germanicæ Juri primariarum precum non ita esse opposita, ut illud omnino abrogaverint.

COR. Si itaque in concordatis Nationis Germanicæ libertas electionum stabilita; illa dispositio salvo primariarum precum jure intelligi debet: id quod eo magis certum est, quum ipse FRIDERICUS III. ab eodem NICOLAO etiam post concordata Nationis Germanicæ indultum petierit & impetraverit.

SCHOL. Quæ quidem quamvis ita se habeant; negari tamen haud potest, ex natura dispositionis in concordatis Nat. Germ. factæ aliquas juris primariarum precum restrictiones fluere, v. c. ex constitutione Mensium Papalium. Atque in eo vapulat GRIBNERI sententia, quod nullam plane limitationem videatur admittere.

## §. XXXII.

Quemadmodum vero Imperatoribus ex antiqua consuetudine, jure Advocatiæ specialis subnixa jus primariarum precum competit (§. 30.); ita quoque ex principio, quod olim Imperatores Monasteriorum reditus per suos Officiales administrarent, aliud quoddam jus longo tempore est introductum, vi cujus Imperator cuilibet monasterio Germaniæ reditus superabundantes habenti personam quandam laicam potest præsentare eo fine, ut illi toto vitæ spatio omnia ad sustentationem necessaria porrigantur, quod *jus literas hypostaticas* sive *alimoniales concedendi*, seu vulgo das Recht Brodt-Briefe zu ertheilen a publici juris Doctoribus est adpellatum.

Jus primariarum precum differt a Jure literarum alimonialium.

## §. XXXIII.

*Jus literas hypostaticas sive alimoniales concedendi differt a Jure primariarum precum.*

Etenim ex Jure literas hypoſtaticas ſive alimoniales concedendi monaſteriis reditus ſuperabundantes habentibus perſona quædam laica præſentatur eum in finem, ut illi omnia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria porrigantur (§. 32.). Enimvero jus primariarum precum pro ſcopo habet, ut perſonæ cuidam habili beneficium quoddam Eccleſiaſticum conferatur (§. 19.); differentia igitur juris primariarum precum a jure literarum alimonialium ex ipſis notionibus elucеſcit.

SCHOL. Plures equidem Doctores jus primariarum precum cum jure literarum alimonialium confundere ſolent, uti BESOLDUS *Theſaur. pract.* voce: *Primariæ preces.* WERNHER *Obſerv. pract.* voce: *Panis*-Brieſe. Aſt cogitent inſuper illi, qui horum in ſententias abeunt, formulas primariarum precum aliis plane verbis concipi, quam formulas literarum alimonialium (*vide* PFEFFINGER AD VITRIAR. *Tom.* 3. *pag.* 86. *ſeq.*).

## §. XXXIV.

t reſer- tum npera- ris.

Jura Imperatori competentia ab eodem indiſtincte exerceri haud poſſunt: ad exercitium enim quorundam conſenſus Statuum ſive Ordinum Imperii neceſſarius, reſpectu vero aliquorum ejusmodi neceſſitas haud adeſt. Jura Imperatoris, ad quorum exercitium conſenſu Statuum opus habet, *communicata* dicuntur: quorum vero exercendorum ſoli Imperatori facultas competit, *reſervata* audiunt.

COR. I. Quod Imperator in exercitio Jurium ſuorum ſit adſtrictus ad conſenſum Statuum, facti eſt, adeoque non præſumendum; in dubio itaque præſumi debet, jura Imperatoris eſſe reſervata.

COR. II. Quisquis igitur Jus aliquod Imperatoris communicatum eſſe adfirmat, ex lege aliqua fundamentali probare tenetur, Imperatorem in ejusmodi juris exercitio ad conſenſum Statuum adhibendum eſſe obligatum.

SCHOL. Jura Imperatoris communicata partim diſpoſitione *Pacis Weſtphalicæ Art.* 8. §. 1. 2. partim per *Capitulationes Cæſareas* determinantur. Nondum tamen hanc uſque in diem Doctores, ne ad lapidem offendant, conſultum duxere, adcuratam jurium reſervatorum Imperatoris ab ejusdem juribus communicatis ſeparationem inſtituere.

## §. XXXV.

*Jus primariarum precum Imperatori competens inter ejus reſervata numerandum.*

Non enim eſt præſumendum, jus quoddam Imperatoris eſſe communicatum (§. 34. Cor. 1.); quam ob cauſam quum ex nulla imperii lege fundamentali ſcripta, neque ex obſervantia probari poſſit, Imperatorem in exercitio Juris primariarum precum ad conſenſum Statuum Imperii eſſe adſtrictum, conſequens

ſequens eſt, jus primariarum precum Imperatori competens ad ejus reſervata pertinere (§. cit. Cor. 2.).

## §. XXXVI.

*Et quidem honorificum*

*Honorifici* nomine venit, quod certam tribuit prærogativam; quoniam vero reſervata, quæ ex notione Majeſtatis non concipiuntur, neque ad adminiſtrationem imperii pertinent, Imperatori prærogativam duntaxat conciliant, *honorifica* audiunt.

COR. Quapropter quum jus primariarum precum ſit reſervatum Imperatoris (§. 35.), quod ex Majeſtate non concipitur (§. 25.), adeoque nec ad adminiſtrationem Imperii pertinet; igitur *inter reſervata Imperatoris honorifica locum obtinet.*

## §. XXXVII.

*Ac commune.*

Porro Jura Imperatoris reſervata duplicis ſunt generis. Vel enim ita comparata dignoſcuntur, ut nullus alius in Imperio Romano-Germanico ſimile quoddam jus exercere queat, vel ejusmodi indolis haud eſſe reperiuntur. Reſervata, quæ Imperatori ita competunt, ut omnes alii in imperio ab ejusmodi juribus ſint excluſi, *privativa* nominantur: quæ vero ita conſtituta ſunt, ut quoque alii ſimilia jura exercere queant, *reſervata* Imperatoris *communia* paſſim vocari ſolent. Sic v. c. jus nobilitandi, jus famam reſtituendi ad reſervata Imperatoris communia pertinent, quoniam Domini territoriales talismodi juribus ſunt inſtructi præter Imperatorem: econtra jus inveſtiendi de feudis throni ut reſervatum Cæſaris privativum ſpectari debet. (*per Capitulat. art. 11.* §. 7.). *Vid.* THOMASII *Diſſ. de injuſta oppoſitione ſuperioritatis territorialis & reſervatorum Imperatoris.*

COR. I. Aliquod igitur Imperatoris jus pro reſervato communi venditans oſtendere debet, aliis quoque ſimile jus exercendi facultatem competere.

COR. II. Quumque is, qui ex mandato Imperatoris aliquod jus exercet, vices Imperatoris agat; ſequitur, ut inſuper probandum ſit, jus ejuscemodi ab aliis nomine proprio exerceri.

## §. XXXVIII.

Originetenus equidem jus primariarum precum ſolis duntaxat Imperatoribus competebat (§. 18.), adeoque illud nemo in Germania exercere poterat, niſi cui facultas ab Imperatoribus conceſſa. Quoniam tamen exercitium ſui primariarum precum juris Imperatores aliis haud raro demandaverant, aut eoquod analogam Majeſtatem habentes Cæſarem ut plurimum imitarentur; hinc ſuccedente tempore effectum eſt, ut plures alii in Imperio Romano Germanico jus primariarum precum ex conſuetudine proprium quodammodo ſibi facerent, il-

ludque suo ipsorum nomine exercere præsumerent. Abunde exinde colligitur, *jus primariarum precum olim ad reservata Imperatoris privativa pertinuisse*, ***hodiedum vero illud inter reservata ejusdem communia esse collocandum*** (*§. 37.*).

SCHOL. Atque in eo etiam posita est ratio, ob quam Doctores hodierna die generaliorem juris primariarum precum notionem sibi formaverint, & sic per determinationem subjecti ad preces Cæsareas deveniant.

## §. XXXIX.

[...]ila 1.) [...]mpetit [...]pera- [...]cibus [...]mine [...]oprio.

Enimvero ut ea, quæ modo adserta sunt, penitius enucleatiusque discutiamus; nostrarum partium esse censemus, paulo latius evagari, & quibusnam in Imperio Romano-Germanico præter ipsum Imperatorem jus primariarum precum nomine proprio sit attribuendum, disquirere. Solent hac super re eruditi sequentes movere quæstiones, an videlicet jus primariarum precum jure proprio competat Augustis Romanorum Imperatricibus, an Dominis territorialibus, an Regi Romanorum (vivente Imperatore) electo, an denique Vicariis Imperii in regimine intermistico constitutis: quid itaque hisce de controversiis sentiendum, pro instituti ratione explicare conabimur. Atque ut ab Augustis Romanorum Imperatricibus initium faciamus; permulti *iisdem jus primariarum precum nomine proprio competere* arbitrantur, & opinionem suam hoc fere argumento corroborant.

Inprimis, ajunt, non est intrinsecum aliquod impedimentum, quod Augustas Romanorum Imperatrices juris primariarum precum incapaces reddat; quum juxta celeberrimorum Canonistarum sententiam, & praxi suffragante feminis jus eligendi, & ad beneficia Ecclesiastica præsentandi possit competere.

Deinde provocant ad exempla, quæ de jure primariarum precum ab Imperatricibus exercito palam testantur. Eleonoram Friderici III. conjugem illud in principali Capitulo Buchau exercuisse commonstrat diploma, quod LUNIGIUS *in Archivio Imperii part. spec. Cont. 2.* in publicum evulgavit. Porro preces primarias ab Anna Caroli IV. uxore fuisse ad Magistrum Ordinis Johannitici directas colligitur ex alio diplomate, quod JO. BURCHARD MENCKEN *in script. rer. ger.* ex Diplomatario Caroli IV. depromptum exhibet.

Denique adserunt, jus primariarum precum ab hisce Imperatricibus non Jure cesso aut Vicario, sed proprio nomine fuisse exercitum. Nam in tabulis Eleonoræ ne verbulum occurrit, quod cessionem aliquam ab Imperatore factam aut vicariam potestatem argueret. In tabulis Annæ non tantum non altissimum de actu quodam mandati prævio silentium est, sed ex adverso clarissimis expressionibus contrarium statuitur. Adplicari huc poterunt verba:

Quia

*Quia pridem recolendæ memoriæ Divæ Rom. Imperatrices & Reginæ circa assumptæ regiæ dignitatis primordia, tam ex jure quam approbata consuetudine & laudabiliter diutius observata; ad quævis religiosa & dedicata loca preces suas primarias dirigere consueverunt. Nos ipsarum vestigia &c.* (*vid.* AYRER *Diss. cit. append. document. n. 81.*).

Confirmant suam adsertionem per hoc, quod Imperatrices vi suæ Majestatis & ex observantia, non ex Augustissimi conjugis arbitrio, jura illa eminentia habeant, quæ respiciunt propriam suam aulam, proprios Archi-Officiales, proprium jus præcedentiæ, proprium jus Imperialis Archivi, & alia plura intuitu totius Imperii Romano-Germanici competentia; inter quæ etiam jus primariarum precum referunt.

COR. Ex tenore allegatorum diplomatum rigorose inferunt, 1.) Augustas Romanorum Imperatrices jure primariarum precum vi consuetudinis, cui tamen forte ansam dedisse prævias Imperatorum concessiones haud abnegant, gaudere. 2.) easdem non tantum feminas, sed etiam masculos ad beneficia præsentandi facultatem habere.

SCHOL. I. Sed dubia iis in contrarium obmoventur sequentia; a) nimis durum & grave futurum esset capitulis, si prædictæ sententiæ sua veritate consisterent. Ast *respondent*, sibi jam non esse sermonem de eo, quod grave accidit capitulis, sed de eo, quod juris & consuetudinis esse diplomata commonstrant. b) hæc opinio non combinatur cum origine juris primariarum precum. *Negant* adsertum, & consuetudinem ex concessionibus Imperatorum fuisse natam contendunt. c) Imperatricibus tantum ea competunt jura, quæ de dignitate Imperatoris participant, & quæ illis ab Imperatoribus concessa. *Addunt* ad argumentum, nisi alia & plura jura ex consuetudine sibi adrogarint.

SCHOL. II. Nulli profecto dubitaremus adfirmantium ad sententiam accedere, nisi Doctores adhuc de veritate istorum diplomatum dubitarent (*vid. Wagenseil. de S. R. I. official. Cap. VIII.*). Donec itaque Doctores inter se conveniant, judicium nostrum liceat suspendere. Id saltem nobis certum est, nunc temporis nullum occurrere exemplum, quo Augustas jus primariarum precum nomine proprio exercuisse comprobetur.

SCHOL. III. Plura de jure primariarum precum Romanorum Imperatricibus adserto lecturus, si volupe sit, consulat specialem *dissertationem de Jure primariarum precum Imperatrici Augustæ competente* A JO. JACOB HALLER AB HALLERSTEIN *sub præsidio* GEORG. FRIDERI. DEINLINI habitam.

## §. XL.

2.) Dominis territorialibus.

An jus primariarum precum competat quoque Dominis territorialibus? non ita controvertitur: in genere tamen haud indistincte adfirmandum, vel negandum. Domini enim territoriales aut sunt Augustanæ Confessioni addicti, aut

aut Ecclesiæ Catholicæ militant. Principes Protestantes, quum summam in
eris potestatem sibi adrogent, in jure primariarum precum sibi vendicando h
multam sentiunt difficultatem. Quum tamen neque principiis religionis Cat
licæ adversetur, jus primariarum precum penes aliquem, qui jure circa sa
stricte dicto non gaudet, existere (§. 19. & §. 7. cor. 2.); Principes catho
etiam sæculares juris primariarum precum non sunt incapaces; quoniam aut
illo ex Jure territoriali haud sunt instructi, intuitu Principum Catholicorum
respiciendum erit, an Jus primariarum precum ex consuetudine proprium
fecerint, an vero talis consuetudo non adsit. Et ita intelliges, quid de J
primariarum precum Dominis territorialibus competente statuendum. (*c*
AYRERUM *l. cit. cap.* 4. §. 1.

## §. XLI.

An Regi Romanorum competat, litigatur.

Sed num etiam Jus primariarum precum Regi Romanorum (vivente I
peratore) electo absque concessione Imperatoris & nomine proprio recte trib
tur? circa hujus quæstionis decisionem non una omnium, sed diversæ admod
sunt Doctorum sententiæ. Alii enim Regi Romanorum Jus primariarum prec
nomine proprio concedunt, alii vero omnino abnegant.

Horum argumenta sunt, 1) quia jus primariarum precum per consue
dinem est introductum, hæc vero pro Rege Romanorum ostendi nequit. 2) I
Romanorum qua talis nulla Imperatoris Jura sine ejus concessione exercere
test (*per Capitulat.* JOSEPH. I. *art.* 47.), ergo nec Jus primariarum prec
3) Rex Romanorum tantum eligitur in spem successionis, & ut coadjutor I
peratoris existat; sed ex hoc non concipitur Jus primariarum precum nom
proprio competens. 4) Odiosa sunt restringenda, ast jus primariarum prec
capitulis & ordinariis collatoribus admodum odiosum est.

Qui Regi Romanorum jus primariarum precum jure proprio compet
contendunt, eidem aut duplices aut simplices duntaxat preces tribuunt. Il
rum denuo alii Regem Romanorum una vice Jus primariarum precum vivo
hucdum Imperatore & nulla ratione impedito, altera, si mortuo Imperat
ad apicem dignitatis cæsareæ ascenderit, exercendi facultatem habere exi
mant, sed solido fundamento destituuntur. Alii moderatius incedentes, li
exercitium juris primariarum Regi Romanorum invito Imperatore compet
haud largiantur, eidem tamen Cæsare vel per absentiam vel senectutem aut
versam valetudinem impedito, ac denuo post mortem Imperatoris primar
preces concedendi licentiam tribuunt; atque eorum sententia indubio quid
constat veritatis robore, ast in effectu nullas preces primarias Regi Romanor
qua tali nomine proprio adscribit.

I

Illorum denique, qui simplices Regi Romanorum preces vindicant, opinio in eo potissimum versatur, quod quidem Rex Romanorum qua talis vivente & invito Imperatore preces primarias sine præjudicio precum Imperialium concedere, sed ad solium imperii eluctatus easdem, ubi jam sunt exercitæ, non repetere possit. Fundamenta adsertionis suæ sequentia proferunt: 1) Rex Romanorum gaudet vera Majestate Imperii, ergo etiam juribus cum Majestate imperii connexis; sed jus primariarum precum per consuetudinem cum Majestate imperii utique connexum est. 2) licet Majestas Regis Romanorum intuitu jurium ad administrationem Imperii pertinentium sit suspensa, nihilominus pollet Juribus imperii honorificis, quatenus sine præjudicio Imperatoris exerceri queunt; jus vero primariarum precum inter jura imperii honorifica locum obtinet. 3) Rex Romanorum vivo Imperatore electus solet a summo Pontifice impetrare indultum; ergo nullum adest impedimentum, quod precibus Regis Romanorum primariis obstet, quia Capitulatio cæsarea tantum disponit de juribus imperii realibus: atque has ob causas Augustus Romanorum Rex JOSEPHUS II post impetratum a sede Apostolica indultum in variis Germaniæ Ecclesiis primarias preces concedere non dubitavit.

## §. XLII.

*Vicariis Imperii in regimine interimistico constitutis non competit facultas jus imperiale primariarum precum exercendi.*

Non competit Vicariis Imperii.

Vicarii Imperii secundum constitutionem *Aurea Bulla Tit. 5. §. 1. 2.* sunt provisores Imperii; quodsi vero in rationem hujus dispositionis limatiori judicio inquiratur, palam fit, vicarios Imperatori in administratione imperii esse substitutos, ut hoc deficiente salus imperii publica sufficienter obtineri queat; secundum analogiam igitur Juris publici Vicarii Imperii in regimine interimistico constituti aliis juribus non gaudent, nisi quæ pertinent ad administrationem imperii. Enimvero jus primariarum precum, quoniam est jus Imperatoris honorificum (§. 36), ad administrationem imperii non pertinet. Manifestum itaque est, vicarios imperii in regimine interimistico constitutos non habere facultatem jus Imperiale primariarum precum exercendi (*conf.* SCHILTER *Diss. De Vicariat. Imp. §. 11.* nec non GUNDLING ad COCCEII *Jurispr. pub. pag. 665. seq.*).

SCHOL. Quamquam vero dicta Analogiæ Juris Publici maxime consentanea sint; necessarium tamen judicamus ad ea, quæ ex GRIBNERI *Diss. de precibus primariis vicariorum Imperii* in contrarium adduci possunt, respondere. Dissentientes

1.) Argumentum repetunt ex ipsa muneris vicarii natura, & ideo sic ratiocinantur: quæ Imperatori ex legibus ac usu Germaniæ jura competunt, ea Vicariis quoque non sunt deneganda, nisi expressa ostendatur limitatio, lege

ge imperii definita; ergo etiam jus primariarum precum ipsis competit illud expresse ademtum doceatur. Quare quum jus primariarum precun cialiter ipsis ademtum nulla lege probari queat, illud Vicariis imperii a bendum. *Respondeo.* regula illa universalis, quam pro fundamento admi adeo indistincte vera non est: si de juribus imperii realibus intelligenc concedo: si de juribus honorificis, illam simpliciter nego, quoniam ana juris publici aliam plane suppeditat regulam.

2) Ad *Auream Bullam Cap.* 5. §. 1. provocare volunt, sequenti utentes disc loco citato Vicariis Imperii potestas ad beneficia Ecclesiastica præsen expressis verbis tribuitur; sed per hanc nihil aliud intelligi potest, qua primariarum precum, ergo Vicariis Imperii ex ipsa Aureæ Bullæ dispoi illud in tuto jam est collocatum. Sed *nego minorem.* Nam analogia Jur blici per facultatem præsentandi ad beneficia Ecclesiastica hic loci V concessam jus primariarum precum intelligi haud permittit; a tali ergo tate male ducatur argumentum ad jus primariarum precum. Imo magi venientem hujus loci explicationem hanc accipe: Compertum est, In toribus vi Juris Patronatus ad varia beneficia præsentandi facultatem co tere; quosi vero ejusmodi beneficia tempore interregni vacantia legitim pore non conferantur, secundum leges Canonicas ad Collatorem extr narium jure devoluto perveniunt. Hoc igitur ut præcaveri posset, eju beneficia conferendi facultas Vicariis Imperii per legem fundamentalem cessa.

3) Subsidium quærunt ex ipsa praxi, ideoque in medium proferunt diplom quo indubie constat JOH. GEORGIUM II. Electorem Saxoniæ, post tem FERDINANDI III., Vicarii munere functum primarias preces te interregni ad exemplum Imperatoris exercuisse. Exemplum hoc *conced* & ipsi largiantur, necesse est, preces istas a LEOPOLDO Imperatore o fuisse cassatas, uti bene notat CORTREJUS.

4) Rem penitus confecisse sese autumant, si ex *Capitulatione Cæsarea A* §. 15. suæ sententiæ fundamentum desumant. En, ajunt, ibi Sere Interreges præter ea jura, quæ in aurea Bulla sunt expressa aut ex Vi rum munere fluunt, ab Imperatore confirmari sibi fecere etiam illa, qu ctenus sibi ex ampliori interpretatione adseruerunt. Ergo quum facu jus primariarum precum exercendi jam dudum præterderint, illa quoq textum Capitulationis confirmata censeri debet. Ast *nego antecedens.* tulatio enim Cæsarea Vicariis Imperii jura prætensa non confirmat, f quæ tam ex Aurea Bulla, quam ex antiqua & non interrupta consue ipsis competunt. Deinde adhuc notandum est, jus primariarum precun usque nondum a Vicario Rhenano, sed a Saxonico duntaxat fuisse pr sum.

## §. XLIII.

Exercitium Juris primariarum precum.

Sufficere hæc possunt ad intelligendam juris primariarum precum c naturam proximum; nunc est, ut transeamus ad ejus exercitium non min curata attentione evolvendum. *Exercetur* autem jus primariarum precum, do Imperator re ipsa personam quamdam ad obtinendum beneficium ec

ſticum denominat. Ille, qui ex Jure primariarum precum ad beneficium quoddam eccleſiaſticum denominatur, *preciſta* titulo gaudet.

COR. Quodſi itaque officio noſtro ſatisfacere velimus; circa exercitium juris primariarum precum quinque diſtinguenda ſunt capita, quorum *primum* extenſionem juris primariarum precum, *alterum* qualitates preciſtarum, *tertium* requiſita ad legitimum exercitium, *quartum* tempus exercitii, *quintum* modum, quo jus primariarum precum exercetur, determinare debet.

## §. XLIV.

Ubi obtineat a.) in Genere.

Extenſionem Juris Cæſarei primariarum precum definituri fundationes, in quibus exerceri poteſt, a beneficiis, quæ precibus primariis adficiuntur, diſtinguere debemus. Ratione fundationum notanda eſt ſequens regula: *Præſumendum eſt, Imperatori facultatem competere preces primarias dirigendi ad quascunque fundationes & Eccleſias per univerſum Romanum Imperium conſtitutas.*

Jus enim primariarum precum per commendationes Imperatorum in omnibus vix non fundationibus & Eccleſiis per univerſum Romanum Imperium diſperſis longo tempore continuatas, & tandem ex conſuetudine in jus perfectum transmutatas eſt inductum, uti ex antecedentibus pateſcit; probabiles igitur adſunt circumſtantiæ, quæ præſumptionem faciunt, Imperatori facultatem competere preces primarias dirigendi ad quascunque & ſingulas fundationes per ſacrum Romanum Imperium ubilibet conſtitutas. Confirmant hanc propoſitionem, & indubiam reddunt partim formulæ precum a Carolo V. & Leopoldo conceſſarum, partim indulta Nicolai V. & Calixti III. Friderico III. data, in quibus Imperatori Jus *preces primarias ad omnes & ſingulos beneficiorum Eccleſiaſticorum Collatores & Collatrices, Capitula, Conventus, & Collegia & perſonas alias, de illis quocunque modo diſponendi Jus habentes, per univerſum Romanum Imperium conſtitutas porrigendi, dandi, concedendi* competere adſeritur.

## §. XLV.

Enimvero quum jus primariarum precum unice fundetur in conſuetudine (§. 30.), conſuetudini autem per aliam contrariam vel per privilegium derogari queat; porro quum conſuetudo illa tantum præſumtive ſit univerſalis (§. 44), ea vero, quæ præſumuntur, falſa eſſe poſſint; Conſequens eſt, Jus primariarum precum Imperatori non competere.

1.) In iis fundationibus & Eccleſiis, quæ exemtionis privilegio gaudent; inter quas PFEFFINGER ad VITRIARIUM *Tom. III. pag.* 88. Refert Eccleſias Collegiatas in Ducatibus Cliveníi & Juliacenſi, nec non in Comitatu Flandriæ, Leodienſes, ac Cœnobium Pfullingenſe.

2.) In iis, ratione quarum Imperator jam dudum per contrariam consuetudine jus suum perdidit. Huc recenset itidem PFEFFINGER *l. c.* Capitula C minense, Lebusiense, Brandenburgense & Havelbergense, Misnense, Gu cense, Seccaviense, & Lavantinense.

3.) In iis, quæ una cum territorio per leges fundamentales ab Imperio Roma separatæ, & ad Imperantes extraneos penitus translatæ sunt. Huc per nent Ecclesiæ Metenses, Virodunenses & Tullenses.

4.) In iis, in quibus per consuetudinem non esse introductum, probari pote adeoque ad quas preces antea nunquam directæ sunt, aut si porrectæ fectu caruerunt.

5.) In fundationibus extra Romanum Imperium sitis; sic Imperator preces n potest dirigere ad Collatores extraneos v. g. in Italia, nisi forte benefi in Germanico Imperio sita ad eorum collationem pertineant.

COR. Quodsi itaque fundationem aut Ecclesiam quandam Germanicam a Ju Cæsareo primariarum precum immunem esse statuas; probandum erit, privilegium exemtionis, aut contrariam pro Ecclesia vel nullam pro I peratore consuetudinem adesse, aut alia ratione Imperatorem jus suum p didisse.

## §. XLVI.

b.) In Specie; & hic obtinet 1.) quoque in fundationibus Protestantium.

Notum est, in Pace Religiosa & deinde Westphalica *Art. 5.* post bios tristissimosque bellorum eventus tandem exigente & Ecclesiæ Catholi & patriæ bono Protestantibus liberum Religionis suæ exercitium fuisse p missum, & varias fundationes Ecclesiasticas ex fatali necessitate usque ad a cabilem compositionem debuisse relinqui. Ab iis igitur temporibus orta distinctio fundationum *in Catholicas & Protestanticas*, quarum definitiones dictis facile colliges.

## §. XLVII.

*Jus primariarum precum Imperiale in terris quoque Protestantium obtinet.*

Quippe post Pacificationem Religiosam gravissima inter jureconsul Catholicos & Protestantes nata est controversia, an Imperator etiam in Ecc siis & fundationibus Augustanæ Confessionis Statibus relictis jure primar rum precum etiamnum uti posset. Hi sicut libertatem a Provisionibus Pon ficum, ita & a primariis Imperatorum precibus adfectabant. Illi vero Ju Imperatoris ex antiqua consuetudine competentia per dispositionem Pacis R ligiosæ haud esse abrogata contendebant. Post innumeras tandem hac sup quæstione disceptationes variasque ultro citroque habitas consultationes co muni Catholicorum & Protestantium suffragio Imperatori jus primariarum p cum in instrumento Pacis Westphalicæ *Art. 5. §. 18.* in terris quoque P testantium, salva tamen Religionis libertate, servatum & extra litem posit

t. si

fuit. *Cæsareum* itaque *primariarum precum jus ad fundationes & Ecclesias Protestantium quoque sese extendere* propalam liquescit.

## §. XLVIII.

2.) In fundationibus tam mediatis quam immediatis.

Quidquid in Imperio Romano-Germanico existit, aut potestati territoriali subjectum est, aut absque ullo intermedio nexu Imperatorem & Imperium agnoscit; illud in disciplina Juris Publici *mediatum*, hoc *immediatum* vocatur: Fundationes igitur in Imperio Romano-Germanico aut sunt *mediatæ* aut *immediatæ*.

## §. XLIX.

In fundationibus mediatis Imperatori jus primariarum precum *Art. 5. §. 26.* Pacis Westphalicæ tribuitur his verbis: *In quibuscunque fundationibus mediatis Sacra Cæsarea Majestas die 1. Jan. 1624. primarias exercuit preces, exerceat etiam in posterum.* Legis hujus fundamentalis determinationes si rite evolvas; manifestum est,

1.) Imperatori in fundationibus mediatis jus primariarum precum non plane abnegari.

2.) In iis tamen duntaxat illud habere locum, in quibus Imperator die 1. Jan. 1624. primarias preces exercuit.

3.) In illis igitur, in quibus die 1. Jan. ejusdem anni nullas preces exercuit, Imperatori neque jus primariarum precum amplius competere.

SCHOL. Quamvis vero propositiones istæ sua veritate consistant; obscurum nihilominus adhuc tibi videbitur verbum *exercuit.* Regulas bonæ Interpretationis in mentem revocans statim ex te ipso quæres, an ergo ad hoc, ut Imperator in fundationibus mediatis jure primariarum precum gaudeat, præcise requiratur, ut illud die 1. Jan. an. 1624. actu exercuerit; an vero sufficiat, ut illud potuerit exercere. Controversa est hæc quæstio, & multum agitata, neque etiam inutilis. Dicamus, quæ sentimus, & ad ea, quæ in contrarium obgeruntur, responsio detur.

## §. L.

*Quando in Instr. Pac. Osnab. Art. 5. §. 26. dicitur, quod Imperator primarias preces in fundationibus mediatis exercere debeat, ubi easdem die 1. Jan. an. 1624. exercuit; Jus exercendi, non actuale exercitium ejusdem anni & diei intelligitur.*

Etenim si per λη exercere in dato commate occurrens actuale exercitium esset intelligendum, sequeretur, 1.) in omnibus fundationibus mediatis, in quibus ante diem Januarii primam in anno decretorio fuissent exercitæ preces, per hanc dispositionem esse amissas, 2.) Constitutionem Pacis Westphalicæ

licæ omnino esse frustraneam ac effectu destitutam, quoniam hoc præcise die ullas ab Imperatore preces esse datas non est credibile. Sed *primum* menti paciscentium adversatur, quis enim in historia versatus persuadere sibi poterit Cæsareos eum sensum admisisse, qui Cæsaris jus in fundationibus mediatis omnino perimeret? *Alterum* in generalissimas ac naturales hermeneuticæ regulas impingit. Cum summo itaque fundamento, τὸ exercere dato commat insertum pro actuali & reali exercitio haud sumendum esse, statuimus. q. e. p.

Quam ob causam quum isthæc dispositio alium sensum menti paciscentium conformem habere nequeat, quam ut Imperatori jus primariarum precum in quibuscunque fundationibus mediatis competat, ubi die prima Jan. a. 1624 in possessione hujus Juris fuit, h. e., in quibus data die vel ante illam primarias preces exercuit, nondum tamen jus suum amiserat; facile quoque est a colligendum verbum *exercuit* jus aut facultatem exercendi denotare. q. e. a.

SCHOL. Qui pro reali & actuali exercitio militant, adeoque Imperatori usum juris primariarum precum in fundationibus mediatis præripiunt, nisi probare possit, se d. 1. Jan. 1624. primarias preces direxisse, hisce in arenam descendunt rationibus:

A.) Aliud est certo anno & die primarias preces exercere, aliud facultatem exercendi habere; ergo quum verba Pacis Westphalicæ sint sumenda in sensu proprio & strictiori verbum *exercuit* pro reali exercitio erit accipiendum. *Respondeo.* Totum argumentum procedit, si non sequantur absurda; non item si hæc emergant. Hoc enim casu mens potius, quam verba inspicienda.

B.) Fuit hæc summa cautio Protestantium, ut reale exercitium desiderarent quo magis libertati Ecclesiarum suarum consulerent; ergo menti paciscentium non contrariatur, verbum *exercuit* pro actuali exercitio interpretari. *Respondeo.* Dictitantur ista, sed non probantur. Non autem est præsumendum, Protestantes una statim manu adimere Imperatori voluisse, quod altera concesserant.

C.) Quando ratione bonorum Ecclesiasticorum mediatorum in Pace Westphalic pro norma stabilitur possessio d. 1. Jan. a. 1624. habita, possessio actualis intelligi debet; ergo a pari per verbum *exercuit* exercitium actuale intelligendum. *Nego consequentiam.* Primo enim casu ex acceptione verborum strictiori non fluunt absurda, quæ in secundo.

D.) Si hic loci non veniret reale exercitium, superflua plane foret primæ diei Januarii adjectio, quod dici non potest. Ast licet argumentum hoc speciem quandam veritatis præseferat, æque tamen parum stringit. Effectus enim adjectionis ejusmodi in eo est, ut siquis alius data die in possessione fuerit Imperator jure primariarum precum non gaudeat.

## §. LI.

**Qua ratione Imperator in fundationibus immediatis jus primariarum precum**

cum habeat, itidem in Pace Westphalica *Art. 5. §. 18.* expressa constitutione ita definitur: *Ubi Sacra Cæsarea Majestas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam in posterum.* Cui consequens est:

1.) Jus primariarum precum Imperatori in fundationibus immediatis competere, & quidem sine restrictione ad terminum aliquem decretorium, modo illud ante Pacem Westphalicam vi consuetudinis antiquæ exercuerit.

2.) Non vero, si ante Pacem Westphalicam a Cæsare haud sit exercitum.

COR. Quæ itaque si cum prioribus conferas; Differentia inter fundationes mediatas & immediatas facile liquescit.

SCHOL. Dubium quidem hic loci Doctoribus videtur, quid nomine fundationum immediatarum veniat, an soli Episcopatus, qui Imperatori & Imperio directe sunt subjecti, an Capitula quoque Metropolitana & Cathedralia potestati territoriali subdita sub iis sint comprehensa? Posterius adfirmant GAILIUS, & e. eo STOECKENIUS, AYRERUS, BANNIZA. Sed nulla ratio sufficiens suadet, ut horum sententiæ accedamus.

## §. LII.

*Ad quænam beneficia se extendat.*

Ad beneficia, quæ primariis precibus adficiuntur, quod attinet; eorundem definitiones passim a Juris Canonici Doctoribus traditas hic recensere supersedemus. Regulam tantummodo in rem nostram ex indultis summorum Pontificum Cæsarumque formulis depromptam suppeditare juvat, quæ, si strictiori verborum tenori inhæremus, hæc est: *Jus primariarum precum sese extendit ad omnia Germaniæ beneficia, tam curata quam non curata, tam Secularia quam Regularia, etiamsi Canonicatus & Præbendæ, dignitates, Personatus, administrationes vel officia fuerint, in Collegiata, Cathedrali vel Metropolitana Ecclesia, etiamsi ad ea consueverint qui per electionem assumi, ad Collatorum, Collatricum, Collegiorum, sive Conventuum ac Personarum prædictarum collationem, provisionem, electionem, præsentationem, seu quamlibet aliam ordinationem spectantia.*

COR. Beneficia igitur Sedis Apostolicæ provisioni reservata a Jure primariarum precum haud sunt exemta.

## §. LIII.

Quamvis vero Regula isthæc generalis nullam videatur pati exceptionem; *eandem tamen cum praxi, statutis ac consuetudinibus Ecclesiarum Germanicarum ex asse haud convenire communiter* tradunt, *atque ideo innumeris eam limitationibus derogationibusque oneratam* contendunt. Hac sua ex sententia jus primariarum precum ad beneficia curata, licet id expresse innuant tam indulta Pontificum quam Imperatorum formulæ, non extenditur. Sed omnem hic praxin defecisse minus est probabile, quum LUDOVICUS Bavarus ad Præposi-

positum in Northusen pro Hermanno filii Joannis dicti Schalel ad obtinendum beneficium curatum primarias preces direxerit. Excipiunt porro a nexu juri primariarum precum dignitates post Pontificalem majores in Cathedralibus Ec clesiis, aut principales in Collegiatis; Beneficia monocularia, quoniam Coll tores saltem quatuor beneficia Ecclesiastica conferre habeant, necesse est; Be neficia Juris Patronatus Laici, ne Patroni a fundationibus piis absterreantur Vicarias temporales, Beneficia manualia ad nutum revocabilia, perpetuo in corporata, commendata & quæ sunt reliqua (*conf.* CHOKIER *in Schol. ad pr ces primarias Sect. 2.* nec non BOEHMERI *Jus Eccl. tit. de præb. & digni* §. *103.*)

## §. LIV.

Elegans nec inutilis hic quæstio nobis haud est prætermittenda: *An Ji primariarum precum quoque extendat ad monachatum tam simplicem quam cum pr benda?* alii negant, alii dubitant. Nobis sufficiat adponere exempla, quæ e rerum Boicarum Scriptoribus a Cl. ANDREA FELICE OEFELIO edit Tom. I. pag. 759. seq. decerpsimus. Ex libello primariarum precum ibi i serto satis constat Ludovicum Bavarum Imperatorem preces primarias obtulisse.

1.) Abbati Laten. Trevirensis Diocesis pro Weigando filio Weigan militis de Bopardia pro Monachatu & Præbenda.

2.) Abbati & Conventui Monasterii in Grafschaft Colon. Diocef. pro A bero filii Eberhardi dicti During Castrensis in Bydinkap, pro Monacho.

3.) Abbati & Conventui in Nernsheim pro Chunrado de Pütz pro M nachatu & Præbenda.

4.) Abbati in Brunvviler pro Adolfo filio Waltrabi Sculteti in Sigber pro Monachatu & Præbenda Colon. Diocef.

5.) Abbati S. Cornelii pro Winriche filio ejusdem Sculteti pro Monachatu

6.) Abbati & Conventui in Hanay Mogunt. Diocef. pro Joanne fil quondam Volberti militis de Evershusen pro Monachatu.

7.) Abbati S. Albani in Moguncia pro Francone filio Franconis de M rel militis pro Præbenda & Monachatu.

8.) Abbati & Conventui Monasterii S. Walburgis Virginis Argentiner Diocef pro Symone filio Symonis de Chriech de Höchvelt pro Monachatu Præbenda.

9.) Abbati & Conventui Monasterii Tuiciensis Coloniensis Diocesis p Adolfo filio Irmegardie relictæ quondam dicti Püls, pro Monachatu.

10.) A

10.) Abbati & Conventui Monasterii Sibergensis Diocesis Coloniensis pro Theoderico filio Irmegarde relicte quondam dicti Püls pro Monachatu.

11.) Abbati & Conventui S. Pantaleonis Coloniens. Diocef. pro Henrico filio Wernheri militis de Vörstbach, pro Monachatu.

12.) Abbati & Conventui in Gladebach Coloniens. Dyocef. pro Ludikino filio Joannis de Winchelhausen, pro Monachatu.

13.) Abbati & Conventui S. Ludegeri in Munst. pro Hertvvino filio Eberhardi dicti Jud in Wepflaria, Monasteriensis Dyocesis pro Monachatu.

14.) Abbatisse & Conventui in Chappendorf pro Chunigundi filia Henrici Pincernæ de Appolde pro Præuenda & Monachatu.

15.) Abbati & Conventui S. Petri Erfordie Ord. S. Benedicti Mogunt. Dyocef. pro Rud. filio Rudolfi de Northusen Advocato Domini Moguntini pro Monachatu & Præbenda.

16.) Abbati & Conventui Monasterii in Erkla Paulina pro Alberto filio Henrici de Creuzzen pro Monachatu.

17.) Præposito & Conventui in Pavernberch pro Geroldo de Slyers pro Monachatu & Præbenda.

18) Abbati & Conventui in Planckfteten pro Chunrado Geyslingerio, pro Monachatu & Præbenda.

19.) Abbati in Schraeutzling pro Johanne de Tekenchoven pro Monachatu.

20.) Abbatisse & Conventui in Deurbach pro Kataryna filia Magistri Chunradi Gundelfingerii pro Monachatu & Præbenda.

21.) Ad fanctum Georgium extra muros Augustenses pro Henrico filio Chunradi Gundelvingerii pro Monachatu & Præbenda.

22.) Abbati & Conventui in Aurach pro Johanne filio Chunradi de Tann. pro Monachatu.

23.) Abbati & Conventui in Plaburen Costantiens. Dyocef. pro Ulrico de Plincheim Clerico, pro Monachatu.

24.) Abbati & Conventui Monasterii in Echenpronne prope Gundolving. Augustane Dyocef. pro Ulrico filio Strutmon Civis Augustens. pro Monachatu.

25.) Abbati & Conventui in Sturtzelbrunn pro Hartvvico filio Tilmanni Armigeri pro Monachatu.

26.) Prio-

26.) Priorisse in Weizzenburch Spirens. Dyoces. pro Susanna filia Henrici de Oterpach pro Monachatu.

27.) Præposito in Slechdorf pro Friderico filio Bercht. Præpositi in Tumendorf pro Monachatu.

28.) Abbati & Conventui in Rot, pro Ottone filio Eberhardi Fabri pro Monachatu.

## §. LV.

[Q]ualita- [P]re- [c]arum.

*Imperator vi juris primariarum precum alium præsentare nequit, quam qui habet omnes qualitates ad tale beneficium obtinendum necessarias.*

Si enim Imperator ad beneficium quoddam posset præsentare, qui determinatis qualitatibus instructus haud est; In Imperatoris potestate quoque positum foret, naturam fundationum pro lubitu immutare. Quam ob rem quum ejusmodi facultas Imperatori haud concedenda; Ex Jure primariarum precum quoque non habebit jus alium quendam ad beneficium Ecclesiasticum præsentandi, quam qui gaudet qualitatibus ad ejusmodi beneficium obtinendum necessariis.

COR. I. Persona, quæ requisitis ad beneficii cujusdam consecutionem qualitatibus instructa est, *habilis* dicitur; Imperator igitur primarias preces non nisi personæ habili concedere potest.

COR. II. Porro inde concluditur, si ad beneficium quoddam certa scientia, nobilitas avita, origo germanica, gradus Academicus, Professio religiosa, determinata quædam fides aut ætas requiratur; iisdem qualitatibus præditum præsentari debere.

## §. LVI.

Enimvero qualitates ad beneficii cujusdam consecutionem necessariæ aut per Jus Canonicum sunt determinatæ, aut ex Statuto quodam speciali vel consuetudine descendunt. Manifestum itaque est, siquis ad beneficium quoddam Catholicum sit denominandus, eundem tam requisitis Juris Canonici quam Statutariis esse præditum debere; Siquis vero ad beneficium protestanticum præsentandus, duntaxat requiri, ut qualitatibus per naturam & statuta determinatis gaudeat (§. 55.).

COR. Ex quo sua sponte fluit, irregulares ad beneficia Ecclesiæ Catholicæ non posse denominari.

SCHOL. Contendunt quidem nonnulli Imperatorem ad Statuta Ecclesiarum Catholicarum non esse adstrictum, atque ad exemplum Ferdinandi II. provocant. Sed egregie his pro more suo satisfecit Celeberrimus in nostra Universitate SS. Canonum Professor R. P. ZECH: Hoc loco, inquit, non loquimur de violenta coactione, sed de Jure. Imperator non vult plus sibi sumere erga Ecclesias Catholicas quam Protestantes: in his autem per Pacis Westphalicæ arti-

articulos adstringi se passus est, ut ad normam statutorum & observantiæ idoneum nominet *Art.* 5. §. 18.

## §. LVII.

Requisita ad legitimum exercitium J. pr. prec.

Per *indultum* Pontificis hic loci intelligimus declarationem expressam summi Pontificis, qua Imperatori licentiam tribuit jus primariarum precum exercendi.

## §. LVIII.

*Ad exercitium juris primariarum precum per se & ex natura rei non requiritur indultum Pontificis.*

Etenim jus primariarum precum nihil aliud est, quam jus patronatus laicum (§. 24.) consuetudine introductum (§. 30.). Quam ob rem quum expediti juris sit, ad jus Patronatus laicum consuetudine introductum legitime exercendum ex natura rei indulto Pontificis opus haud esse; ultro consequitur, neque ad legitimum juris primariarum precum exercitium ex natura rei indultum Pontificis requiri.

## §. LIX.

*Neque hodie Imperator indulto indiget ad jus primariarum precum in terris Protestantium legitime exercendum.*

Quum enim jus primariarum precum Imperatori ex consuetudine competat. (§. 30.), ac Protestantes Summæ Pontificis authoritati omnem in se jurisdictionem abjudicent; per se patet, indultum Pontificis intuitu Protestantium nullum habere effectum: ergo etiam Imperator indulto ad jus primariarum precum in terris Protestantium legitime exercendum non indigebit.

## §. LX.

*In fundationibus tamen Catholicorum jus primariarum precum imperiale hodiedum sine indulto Pontificis legitime non exercetur.*

Certum equidem nobis est, jus primariarum precum primis temporibus citra indultum Pontificis fuisse exercitum; Jam diu enim ante Concordata Nationis Germanicæ Rudolphum I. ex sola consuetudine primarias preces direxisse ejusdem rescripta innuunt: Neque alia ratione Carolum IV. & Wenceslaum illas concessisse constat. Enim vero successu temporis gratiæ Pontificum exspectativæ & Collationes extraordinariæ inolescebant. Quoniam vero per hasce collationes ordinariorum pene interierant, summique Pontifices contra gratias suas exspectativas preces imperatorias haud admittebant; ut Cæsarum preces primariæ effectum suum sortirentur, indulto Pontificis opus erat. Per Con-

cordata deinde nationis Germanicæ gratiis Pontificum exſpectativis modus ponebatur, ſimulque ratio, ob quam indulta antea erant petita, exſpirabat. Verum enimvero quum in ipſis concordatis menſes Papales conſtituerentur; Collatores ordinarii nimium ſe gravatos rati, ſi preces Imperatoris admitterent, varias exceptiones contra easdem opponebant: Quo itaque ſine obſtaculo aut impedimento preces primariæ in Eccleſiis reciperentur, Imperatores ſibi porro de indultis proſpiciendum exiſtimabant. Atque ita conſuetudinis eſſe cæpit, ut Imperatores ad legitimum juris primariarum precum uſum indulto Pontificio indigerent; poſſentque ad ulteriorem hujus rei confirmationem ob oculos poni omnia indulta ab Imperatoribus a tempore concordatorum impetrata. Hinc Clemens XI. Joſepho I. preces abſque indulto dirigenti ita reſtitit, ut demum poſt Imperatoris mortem ſint confirmatæ. Indulta deinde, ne hiſce difficultatibus ſeſe ſubjicerent, petiere Joſephi ſucceſſores Carolus VI., Carolus VII., & Franciſcus I. Tuto itaque ſtatuimus, *jus primariarum precum in Eccleſiis Catholicorum citra indultum Pontificis hodie ab Imperatoribus legitime haud exerceri.*

SCHOL. Solent autem Electi Romanorum Imperatores per Legatos obedientiæ, quos poſt Electionem Romam mitti moris eſt, præter favores Apoſtolicos indultum quoque primariarum precum a ſummo Pontifice & expetere, & ſpecialiter impetrare.

## §. LXI.

*Jus primariarum precum ab Imperatore in fundationibus Catholicorum ante indultum a Sede Apoſtolica impetratum exercere nequit.*

[...]npus [...]ercitii [...]is pri[...]iarum [...]cum.

Imperator enim jus primariarum precum ante exercere nequit, quam omnia adſint ad legitimam primariarum precum conceſſionem requiſita, ut per ſe liquet. Enimvero quamdiu indultum Pontificium non eſt impetratum, necdum omnia adſunt requiſita ad jus primariarum precum in fundationibus Catholicorum legitime exercendum (§. 60.). Imperator igitur jus primariarum precum in fundationibus Catholicorum ante exercere nequit, quam indultum a Sede Apoſtolica ſit impetratum.

SCHOL. Aliqui nihilominus adferunt, poſſe Imperatorem in Eccleſiis Catholicorum ante obtentum quoque indultum has preces concedere ex voluntate Pontificis præſumta. Re vero penſiculatius conſiderata haud difficulter intelliges, ejusmodi preces aliam, quam ſimplicis promiſſionis de Preciſta poſt obtentum indultum nominando, vim non habere (*conſ. laudat.* P. ZECH *de Jur. rer. Eccleſ. Sect.* 3. *pag.* 238.)

## §. LXII.

*In Eccleſiis vero & fundationibus Proteſtantium legitimum juris primariarum præ-*

*precum exercitium statim post electionem & coronationem Imperatoris, licet indultum Pontificis necdum sit impetratum, obtinet.*

Etenim Imperator ad jus primariarum precum in terris Protestantium legitime exercendum indulto Pontificis non indiget (§. 59.); ergo post electionem & coronationem nullum Imperatori obstat impedimentum, quominus in terris protestantium primarias preces legitime exerceat: dubitari itaque nequit, legitimum juris primariarum precum usum statim post electionem & coronationem Imperatoris, etiamsi indultum Pontificis nondum sit obtentum, in fundationibus & Ecclesiis Protestantium obtinere.

## §. LXIII.

Modus Exercitii Jur. pr. pr.

*Imperiale primariarum precum jus in qualibet Germaniae Ecclesia & fundatione eidem obnoxia semel duntaxat durante Imperatoris regimine exerceri potest.*

Nam jus primariarum precum Imperatori competens unicum in antiqua consuetudine fundamentum agnoscit (§. 30.); Pluries itaque exerceri nequit, quam qua per consuetudinem est introductum. Atenim per consuetudinem aliud non est introductum, quam ut preces primariae ad Collatores ordinarios ab Imperatore toto Regiminis Spatio vice simplici dirigantur (§. 18.). Caesareum itaque primariarum precum jus in qualibet Ecclesia eidem obnoxia durante Imperatoris regimine plus vice simplici exerceri nequit.

## §. LXIV.

Imperator Jus primariarum precum equidem semel duntaxat in Ecclesiis Germaniae durante suo regimine exercere potis est (§. 63.). Verum ratione hujus exercitii tres Casus sunt probe a se invicem distinguendi: vel enim Imperator personam quandam habilem ex Jure primariarum precum denominat ad beneficium vacans Ecclesiasticum vel nondum vacans. In posteriori iterum casu aut ad beneficium in certa Ecclesia primo vacaturum, aut ad illud, quod Precistae placuerit, fit denominatio.

COR. Jus igitur primariarum precum, quatenus exercetur ad beneficium vacans, est jus nominandi stricte dictum; Quatenus autem ex illo quis denominatur ad beneficium nondum vacans, speciem gratiarum exspectativarum constituit (§. 6. Cor.).

## §. LXV.

*Quando per Concilium Tridentinum Sess. 24. C. 19. gratiae exspectativae sunt sublatae ac damnatae; sub tali dispositione preces Imperatorum primariae non comprehenduntur.*

Constat enim, ut refert FAGNANUS *ad Cap. nulla X. de conceff. preb. n. 9.* aliquando dubitatum fuisse, an per dictam dispositionem Concilii Tridentini preces Imperatoriæ speciem gratiarum exspectativarum constituentes non censerentur sublatæ: Ast quæstione per Archi-Episcopum Cameracensem precibus, quas post Synodum Tridentinam Philippus de Monte ab Imperatore obtinuerat, gravatum delata ad S. Congregationem Concilii Tridentini interpretem, censuit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini hasce primarias preces non comprehendi dicto C. 19., quia Imperator speciali mentione dignus, ibi non nominatur. Et relatione facta ad Pontificem Gregorium XIII., ipse sententiam Congregationis adprobavit (*vid.* VAN ESPEN. *J. Eccl. part. 2. tit. 25. Cap. 9. n. 22.*).

## §. LXVI.

*Executio primariarum precum* est actus, quo Collatores, ad quos primariæ preces sunt directæ, compelluntur inviti ad beneficium Precistæ conferendum. Illi, quibus executio ejusmodi ab Imperatore committitur, *Executores primariarum precum* nuncupantur.

## §. LXVII.

*Si primariæ preces exercitæ, Imperator etiam Jus habet earundem Executores constituendi.*

Veritas hujus propositionis evincitur ex indubitata praxi, adeo ut ulteriori demonstratione haud egeat.

COR. I. Quum vero executores eum in finem constituantur, ut Collatores invitos compellant ad beneficium Precistæ conferendum (§. 66.); in propatulo est, alios constitui executores non posse, quam qui ratione beneficii habent jurisdictionem in Collatores.

COR. II. Ex quo porro manifestum est, precum primariarum ad Collatores Catholicos directarum executores, non nisi viros in dignitate Ecclesiastica constitutos; Si autem Collatores Augustanæ Confessioni sint addicti, ad quos preces sunt porrectæ, Dominos quoque territoriales constitui posse.

COR. III. Quoniam denique Imperator in rebus Ecclesiasticis & beneficiariis ex se jurisdictionem non habet; facile constat, Executores precum ad Catholicos directarum, non Imperatoris, sed Pontificis authoritate officium suum peragere. Corroborant hoc pleraque Pontificum indulta, & Imperatorum preces, quibus formula: *Nominamus & deputamus authoritate Pontificia* precum nostrarum executores, inserta est.

SCHOL I. Olim Imperatores executionem precum suarum plerumque Præsidibus Capitulorum, v. c. Decanis demandare consueverant. Quoniam vero hi variis sub prætextibus in exequendis precibus negligentiores esse solebant, cœpere postmodum Imperatores executionis officium deferre Potentioribus, v. g. Electoribus Ecclesiasticis & Episcopis: Quemadmodum de Ferdinando II., qui

qui executionem Archi-Episcopis Moguntinensi & Coloniensi commisit, compertum est.

SCHOL. II. Ut intuitu Catholicorum executio legitime suscipiatur, α.) litteræ monitoriæ ad Collatorem dirigendæ, quibus ad conferendum pacifica ratione inducatur. β.) Monitoriæ si destituantur effectu, ad minas procedendum. γ.) Minæ incassum si abeant, tandem irrogatio pænarum aut censura Ecclesiastica decernitur. δ.) Hæc contumacem ni moveant, potestate a summo Pontifice concessa beneficium ejusmodi Precistæ confertur. Intuitu Collatorum Protestantium tantæ ambages non sunt necessariæ, hic enim Domini territoriales, nisi monitoriæ & minatoriæ sufficiant, statim ad coactionem procedunt (*plura de his vide apud Cl.* BANNIZA *l. c. Cap.* 8.).

## §. LXVIII.

*Imperator quoque facultatem habet, alteri jus primariarum precum nomine suo exercendum concedendi.* Insigne hac super re exemplum habemus de Wenceslao Imperatore, qui an. 1376. Ruperto, Electori Palatino jus primariarum precum per Diœcesin Spirensem & Wormatiensem exercendum concessit.

COR. Quum vero Imperator alteri plus juris concedere nequeat, ac ipsi competit; sequitur

1.) Talis cessionarii jus per mortem Imperatoris exspirare.

2.) Eundem jus primariarum precum non amplius posse exercere, ubi Imperator illud jam exercuit (§. 63.).

## §. LXIX.

*Effectus juris primariarum precum. Et quidem 1.) Jura Precistarum recensentur.*

*Collatores, ad quos primariæ preces sunt directæ, ad recipiendum Precistam perfecte sunt obligati.*

Si enim jus primariarum precum Collatoribus, qui rogantur, obtemperandi necessitatem injungit, illi quoque ad recipiendum Precistam perfecte erunt obligati, uti primo intuitu elucescit. Sed quum jus primariarum precum sit jus Imperatoris perfectum (§. 22.), atque ideo etiam precum primariarum executores nominari queant (§. 68.); in aprico est, jus primariarum precum Collatoribus obtemperandi injungere necessitatem. Collatores itaque, ad quos preces porrectæ, ad recipiendum Precistam perfecte sunt obligati.

COR. Precista igitur ab Imperatore præsentatus habet jus perfectum a Collatoribus præbendam exigendi.

## §. LXX.

Et quidem *tanta inest precibus primariis efficacia, ut Precista Cæsareus omni-*

 *bus*

*bus aliis, licet anteriorem exspectativam habentibus debeat præferri.* Consentiu veritatem hujus adserti omnes, qui jus primariarum precum interpretai clare illud indicant Summorum Pontificum indulta, ac præclare illustrant Rescriptum Rudolphi II. Imperatoris pro Precista Cæsareo, Ottone a Du ad Capitulum Bremense anno 1585. missum, quam sententia in causa quorui Capitularium antiquiori provisione gaudentium & Augusti Alberti preces a peratore Leopoldo consecuti pronunciata (*vid.* PFEFFING. *ad* VITR *Tom. 3. pag. 98.*).

COR. Manifestum itaque est, si Precista Cæsareus, & alius antiquiori etiam p sione gaudens concurrant, precistam Cæsareum habere jus exigendi p rentiam.

## §. LXXI.

*Si precistæ conferatur beneficium, insimul quoque confertur dignitas, qu. tali beneficio connexa: personale vero officium, quod antecessor habuit, ad Pre non transit.*

Quando Precista adipiscitur beneficium, ea quoque conferantur n est, quæ ratione beneficii sunt realia, quia realia transeunt ad quemci possessorem. Sed dignitas cum beneficio connexa est realis, quia benefic hæret; ad Precistam igitur una cum beneficio transire debet. q. e. p.

Enim vero dignitates personales ad possessores minime propagantui go si precista præbendam nanciscitur, non etiam eo ipso confertur dignita sonalis, qua antecessor polluit q. e. a.

COR. Quæ quum ita sint; ad oculum patet, dignitatem Decanatus, Schola &c., quæ beneficio est adnexa, precistæ adcrescere: non item, si ante ejusmodi dignitatem vel per electionem vel per specialem concessionen ptus fuerit.

SCHOL. Optime in rem nostram facit sententia judicii Imperialis aulici, per anno 1737. Precistæ Rhodio adnexam præbendæ Scholasteriam adjudic

## §. LXXII.

*Jura ex Concessione primariarum precum quæsita per mortem Imperatoris exspirant.*

Expediti enim juris est, præsentationem legitime a Patrono factat exspirare, etiamsi is ante institutionem præsentati e vivis decedat: Nulla ratio sufficiens adferri potest, ob quam jura ex primariis precibus quæsi mortem Imperatoris extingui statuamus (§. 24.).

SC

SCHOL. Adſertionem hanc modernæ Eccleſiarum praxi conformem eſſe commonſtrant exempla, quæ in medium profert BANNIZA *l. c. Cap.* 7. §. 1. *ſub lit. b.*, ubi multas preces a Carolo VII. datas demum poſt ejus obitum in effectum deductas eſſe ſcribit.

## §. LXXIII.

Collatores ordinarii perfecte ſunt obligati ad recipiendum Preciſtam Cæſareum (§. 69.). Enimvero per hoc ipſis jus conferendi beneficia non eſt ademtum, quamdiu non conſtat, Preciſtam quendam Cæſareum adeſſe. Candidato igitur per preces nominato incumbit, ut ordinario collatori ante beneficium vacans preces ſibi ab Imperatore conceſſas eſſe indicet, quo hic reſciat in caſu vacantiæ manus ſibi eſſe ligatas. Actus, quo Candidatus preces primarias ab Imperatore ſibi conceſſas ordinario Collatori indicat, *inſinuatio primariarum precum* dicitur.

## §. LXXIV.

Quum autem non ſit præſumendum conceſſionem precum primariarum eſſe factam; neceſſarium inſuper erit, ut Preciſta preces ſibi ab Imperatore datas eſſe ſufficienter probet. Scriptura, quæ nomine Imperatoris eum in finem exaratur, ut exinde primarias preces conceſſas eſſe ſufficienter conſtet, *diploma primariarum precum* nuncupari amat.

SCHOL. Ante Friderici III. tempora Diploma primariarum precum ſub formula quadam arbitraria expediri ſolitum erat. Quum vero Fridericus III. multa ex indulto Nicolai V. in ſua diplomata tranſcriberet, quæ ad favorem Imperatoris tendere videbantur, anſam dedit ſucceſſoribus eadem formula utendi, ac eandem quodammodo communem reddendi, a cujus tenore nec hodie recedi conſuevit.

## §. LXXV.

Diploma primariarum precum duplici ratione ab Imperatore concedi poteſt. Etenim in illo preciſtæ vel tribuitur jus ad determinatum in certa Eccleſia beneficium, vel ad indeterminatum quoddam ſeu ad illud, quod Preciſtæ placuerit. In primo caſu diploma primariarum precum *definite*, poſteriori *indefinite* datum eſt.

COR. Quodſi itaque diploma primariarum precum definite datur, Preciſtæ vel tribuitur Jus ad beneficium jam vacans, vel ad illud, quod in certa Eccleſia primo vacaverit (§. 64.).

## §. LXXVI.

*Si diploma primariarum precum eſt indefinite datum, Preciſta aliquam præbendam ſibi placentem & pro lubitu exſpectare poteſt.*

Tunc

Tunc enim Precista præbendam sibi placentem exspectare potest do in ejus arbitrio positum, quamnam velit acceptare. Sed si diplo mariarum precum est indefinite datum, arbitrio precistæ, quamnam dam velit acceptare, relictum est (§. 75.); ergo aliquam sibi placentem exspectare.

COR. Candidato itaque primum aut ulterius beneficium vacans non ac nullum contingit præjudicium, si diploma primariarum precum ir concessum.

## §. LXXVII.

*Si vero Candidatus, cujus diploma erat indefinite datum, aliquam dam acceptaverit, jus eligendi & variandi amplius non habet.*

Si enim Candidatus ejusmodi beneficium acceptasset, & deinde vellet, sinistra isthac variandi ratione ordinario Collatori variis vicibu illudere. Quod quum non sit tolerandum, maxime conveniens est, modi Candidatus optionem amplius non habeat. Subintrat igitur hic quod semel placuit, amplius displicere nequit. Aliud enim est libe ceptandi, & aliud facultas post factam acceptationem variandi.

COR. Quæ si penitius inspicias; facile erit intellectu Precistam acceptat beneficio, aliud rursum petere posse.

1.) Quando acceptatio fuit invalida, v. c. si beneficium illud necdum v

2.) Si acceptans beneficium illud non possit consequi.

## §. LXXVIII.

*Quando diploma primariarum precum definite concessum est, Candic optionis non habet, sed beneficium determinatum intra mensem a die cognit tionis acceptare debet, nisi jus suum velit amittere.*

Precista enim plura sibi jura adrogare nequit, quam ipsi sunt c Quapropter quum eidem in casu, quo diploma primariarum precum datum est, jus tantummodo ad determinatum beneficium sit concessum aliam quoque expetendi facultate destituitur. q. e. p.

Alterum expresse indicant tam indulta Apostolica, quam ipsa Cæsarearum diplomata verbis: *quod NN. per se vel procuratorem su mensem a die nota sibi vacationis duxerit acceptandum.*

Tertium sequenti ratiocinio ostenditur: qui jure suo non utit tempus, intra quod eodem uti & potest & debet, illud amittit; inde Precistam, qui intra mensem a die cognitæ vacationis voluntatem suan

neficio non acceptando declarat, jure suo privari consequitur, si diploma sit definite datum.

## §. LXXIX.

*Notitia autem vacationis præsumitur, ex quo ipsa vacatio in loco, ubi beneficiatus, de cujus præbenda quæritur, defunctus est, ex publica sepultura innotuit.*

Ex eo enim tempore præsumendum est vacationem candidato cognitam fuisse, ex quo illa facillime ad ejus notitiam potuit pervenire, ne fraudibus detur occasio Sed ex quo vacatio in loco, ubi beneficiatus, de cujus præbenda quæritur, defunctus est, ex publica sepultura innotuit, ipsa ad notitiam facillime potuit pervenire; præsumendum igitur est ex illo tempore vacationem precistæ fuisse cognitam.

COR. Ex quo concluditur, si precista ex eo tempore vacationem sibi innotuisse neget, eidem adserti sui probationem incumbere.

SCHOL. Præfatus vero terminus in acceptando beneficio vacante Candidato præfixus propterea invaluit, tum ne diuturna nimis beneficiorum vacatio damnum inferat Ecclesiis, tum ne nimis diu anceps relinquatur collator ordinarius.

## §. LXXX.

*Jura precistarum ratione modi sunt personalia.*

Quum enim preces primariæ concedi nequeant nisi personis, quæ certis qualitatibus ac meritis singularibus sunt instructæ (§. 55.); consequens est, jura ex concessione precum primariarum oriunda non nisi personis qua talibus competere. Enimvero jura, quæ personis competunt, quatenus sunt tales, personalia ratione modi dicuntur; Nemo igitur, jura precistarum ratione modi esse personalia, facile negaverit.

Accedit, ni jura ex precibus primariis oriunda ratione modi forent personalia, Imperatorem beneficia suis precibus obnoxia quasi hæreditaria posse reddere; quod absurdum.

## §. LXXXI.

*Morte precistarum jus primariarum precum executioni nondum datum exspirat.*

2.) Qua ratione jura Precistarum exspirent determinatur.

Etenim jura ratione modi personalia cum ipso subjecto extinguuntur (*per notoria Juris*). Atenim jura ex concessione primariarum precum oriunda sunt ratione modi personalia (§. 80.); eadem ergo morte Precistarum exspirare, indubium est.

COR. Jus igitur præbendam exigendi ex precibus primariis ad hæredes non transit.

a.) Per mortem Precistæ,

## §. LXXXII.

*Quando Precista ante consecutionem beneficii e vivis decedit, Imperator habet jus alium in ejus locum surrogandi.*

Nam jure communi Patrono, qui ad beneficium quempiam semel tantum præsentandi jure gaudet, si præsentatus ante institutionem moriatur, alium rursus substituere licet propterea, quod jus præsentandi nondum plenarium habuerit effectum; ergo a potiori idem de jure Cæsareo primariarum precum statuendum erit.

COR. Ex hac propositione prono alveo deducitur,

1.) Ordinarium Collatorem beneficium precistæ destinatum post ejus obitum pro lubitu conferre posse.

2.) Non vero eundem hac facultate, si Cæsar alium in precistæ defuncti locum surrogaverit, pollere.

SCHOL. Theoremati, quod in Commate posuimus, obstare videtur, quod Jus primariarum precum semel duntaxat sit exercendum. Ast posterior in dato casu nominatio proprie non est secunda & iterata, quoniam cum priore una eademque censetur. (*Vid.* BANNIZA *l. c. Cap.* 7. §. 3. AYRER *Cap.* 6. §. 13.)

## §. LXXXIII.

) Per renunciationem

*Renunciare* dicitur, qui jure sibi competente se abdicat; quam ob rem quum jure suo se quis tam expresse quam tacite abdicare possit, renunciatio quoque tam *expressa* quam *tacita* est. *Expresse renunciat*, qui verbis declarat se jure suo non velle amplius uti: qui vero tale suscipit factum, ex quo clare constat, eum se jure suo abdicare, is *tacite renunciat*.

COR. Quare quum favori pro se introducto quilibet possit renunciare; precistam juri suo ex primariis precibus quæsito tam expresse quam tacite renunciare posse, in aprico est.

## §. LXXXIV.

*Precista, qui matrimonium init, aut professionem Religiosam emittit, juri suo ex primariis precibus quæsito tacite renunciat, si ejusmodi status cum precibus primariis non possit consistere.*

Qui enim tale suscipit factum, ex quo clare constat, alterum se velle jure suo abdicare, is tacite renunciat (§. 83.). Enimvero Precista in data hypothesi ejusmodi factum suscipit, ex quo clare constat, se jure ex primariis precibus quæsito velle abdicare, ut per se liquet. Eundem igitur juri suo ex primariis precibus quæsito tacite renunciare, evictum est.

§. LXXXV.

## §. LXXXV.

c.) Per Revocationem.

Per *Revocationem* hic loci indigitamus actum, quo Imperator Precistæ jus suum ex concessione primariarum precum quæsitum aufert.

COR. Quum vero jura quæsita alteri sine justa & legitima causa haud sint auferenda; satis patet Imperatori facultatem preces primarias sine justa causa revocandi non competere.

## §. LXXXVI.

*Quodsi autem Precista insignem ingratitudinis notam adversus Imperatorem contrahat, Imperator preces primarias revocandi jus habet, nisi beneficium Precistæ jam sit collatum.*

Etenim quum Patronus præsentatum insigniter ingratum post institutionem canonicam revocatione jure suo privare nequeat; quid prohibet; ne idem de Precista adversus Imperatorem ingrato admittamus. q. e. p.

Quoniam vero leges donanti jus donationem ob prægnantem donatarii ingratitudinem revocandi concedunt, & antequam beneficium Precistæ sit collatum, nullum adsit impedimentum, ob quod Precistæ jus suum auferri nequeat; nulla quoque subest ratio solida, cur Imperatori, si beneficium Precistæ nondum sit collatum, ob insignem ejusdem ingratitudinem primarias preces revocandi facultatem denegemus. q. e. a.

COR. Concludimus inde,

1.) Quando Imperator ob ingratitudinem precistæ beneficii possessionem nacti primarias preces revocat, hunc in possessione esse manutenendum.

2.) Si vero revocatio ob insignem adversus Imperatorem ingratitudinem ante Collationem beneficii contingat, jus precistæ omnino exspirare.

## §. LXXXVII.

d.) Per cessionem.

*Cessio* est plenaria & legitima juris sui abdicatio, ejusdemque in alium translatio.

COR. Precista igitur jus suum ex precibus primariis quæsitum alteri *cedit*, quando illud plenarie abdicat, & in alium transfert.

## §. LXXXVIII.

*Cessio a Precista contra Sacros Canones, statuta & observantias Ecclesiarum fieri nequit.*

Precista plus nequit in cessione, quam Imperator in præsentatione. Enimvero

vero Imperator contra Canones, statuta & observantias Ecclesiarum præsentare haud potest (§. 55. 56.); ergo etiam Precistæ jus suum ex precibus primariis quæsitum contra Sacros Canones, statuta & observantias Ecclesiarum alteri cedere non licebit, quoniam ejusmodi cessio est illegitima.

COR. Ut ergo cessio juris ex primariis precibus quæsiti legitime suscipiatur, fieri debet

1.) Absque ulla labe simoniaca, clancularíis conventionibus & alia ratione illicita.

2.) In personam habilem seu idoneam, quæ, prout necesse est nullo impedimento Canonico aut Statutario laboret.

## §. LXXXIX.

*Precista jus suum ex primariis precibus quæsitum sine consensu Imperatoris cedere prohibetur.*

Jus enim ex primariis precibus quæsitum est ratione modi personale (§. 80.). Sed juxta generalem & communem Doctorum regulam Jura ratione modi personalia absque voluntate concedentis vel expressa vel tacita cessioni non sunt obnoxia; ergo cessionem juris ex primariis precibus quæsiti sine consensu Imperatoris a Precista illegitime suscipi, summa cum ratione adfirmamus.

SCHOL. 1. Exempla cessionum a precistis factarum legere si volupe est, adeas velim PFEFFINGER *ad* VITRIAR. *Tom.* 3. *pag.* 97. nec non VORBURG *in Rud. Jur. Can. pag.* 718. speciali quoque Opusculo hanc materiam enucleavit RHEINHARTHIUS de potestate precistæ preces Imperatoris primarias per cessionem in alium transferendi.

SCHOL. 2. Ea, quæ contra Valorem Cessionis a precista factæ obmoveri possunt, argumenta accumulat BANNIZA *l. c. Cap.* 7. §. 8. & 9. Sed si requisita ejusmodi cessionis legitima in mentem revoces, omnia exigui esse momenti deprehendes.

## §. XC.

9.) Cui cognitio & decisio in precibus controversis competat, ostenditur.

*Quando ipsum primariarum precum jus Imperatoris ab Ecclesia quadam Catholica in dubium vocatur, cognitio & decisio litis non ad Imperatorem, sed ad Judicem Ecclesiasticum pertinet.*

Nam juxta vulgata Juris nemo potest esse judex in propria causa, quoniam judex potius pro se quam contra se sententiam laturus præsumitur. Verum enim vero si in data hypothesi cognitio & decisio litis ad Imperatorem pertineret, foret utique Judex in propria causa, & sane litigantes ejusmodi Ecclesiæ pessima re gauderent, etsi optimo fundamento niterentur. Quodsi itaque Impera-

peratori suum primariarum precum jus ab Ecclesia quadam Catholica dubium redditur, causæ cognitio ac decisio ad eundem minime pertinet. q. e. p.

Quum autem, si jus præsentandi patrono ab Ecclesia denegatur, controversia coram Judice Ecclesiastico dirimenda veniat, quoniam circa negotium Ecclesiasticum versatur; aliud quoque de lite inter Imperatorem & Ecclesiam quandam Catholicam circa primariarum precum jus suborta adstrui nequit. (§. 24.). q. e. d.

## §. XCI.

*Quodsi vero de Jure primariarum precum Imperatorem inter & fundationem quandam Protestanticam litigetur, causæ cognitio ad comitia Imperii spectat.*

Ex primis enim Juris publici Romano-Germanici principiis compertum est, causas Imperatorem inter & protestantes controversas in comitiis Imperii universalibus venire pertractandas.

## §. XCII.

Si demum inter Precistam & Ecclesiam super precibus primariis disceptatur, videndum est, ex quo capite Ecclesia Precistam admittere recuset, *si ex defectu v. c. nobilitatis Avitæ secundum talis Ecclesiæ statuta & observantias requisitæ litem moveat, cognitionem & decisionem ad forum Imperatoris; si vero ex capite defectus cujusdam Canonici exceptionem faciat, ad judicem Ecclesiasticum pertinere existimamus,*

Quando enim controversia incidit circa statum nobilitatis vel aliam causam politicam, quæ gravamen commune non continet, cognitio ac decisio ad forum Imperatoris spectat (*per pr. J. publ.*), sed in primo casu controvertitur de statu Nobilitatis vel alia quadam causa politica, quæ gravamen commune admixtum non habet, uti supponitur; ejusmodi igitur controversiæ decisio recte ad forum Imperatoris referimus. q. e. p.

Atenim quando super causis Juris Canonici agitur, causæ pertractatio ad judicem Ecclesiasticum pertinet; quam ob causam quum in primo casu super causa juris Canonici litigetur, eadem quoque coram judicio Ecclesiastico sine dubio examinanda venit. q. e. a.

SCHOL. 1. Ne tamen Ecclesiæ in secundo casu aliquid moliri contra jus Cæsareum videantur, æquitas postulat, ut ante omnia Imperatorem de defectu in precista deprehenso probe instruant, quo etiam constet, annon forte vitium sub- vel obreptionis lateat. Hæc niquid efficiant, juribus suis omni meliore modo invigilare ipsis integrum est.

SCHOL. 2. Nostram nunc habes de jure primariarum precum Cæsareo sententiam. Angustis Academicæ Dissertationis limitibus conclusi eramus, adeoque ut eam

 bre-

breviſſimis expoſitam daremus, opus erat. Si vita & otium ſuffecerit, jorem experientiam nacti ſpecialiora proferemus: ſit modo

## Animadverſiones Editoris.

Ad §. XXXIX. Incognita Auctori videtur fuiſſe lucubratio JENICHE *de Jure primarum precum Imperatricibus competente*, quae germanice ada denuo prodiit 1757. hoc titulo: Diplomatiſche und Rechtliche Abha lung von dem Recht der erſten Bitte einer Römiſchen Kayſerin: riae aliorum ſcriptorum ſententiae de hac re videri ibidem poſſunt §. 3. ga ſerie enumeratae. Praeter exempla *Eleonorae* Conjugis *Friderici III* *Annae* Conjugis *Caroli IV.* ab Auctore relata JENICHENIUS quoque ducit Diploma *Blancae Mariae* Conjugis *Maximiliani I.* et quidem ad E ſiam S. *Gumperti* Onolsbaci quondam Collegiatam Canonicorum, in forn autem precum ſuarum inquit: *hanc facultatem ſibi competere* ad *omnes et ſi los beneficiorum eccleſiaſticorum collatores, collatrices, Capitula, Collegia ſive ventus* etc. Se quoque ſententiae jus hoc Imperatricibus tribuenti acceſſu eſſe inquit Auctor, quodſi diplomata iſthaec indubia eſſent, et non potius varias cauſas graviter ſuſpecta; atenim dubia iſthaec citatus JENICHEN diſſolvere ſatis luculente conatus eſt; uti dum diplomati *Eleonorae* obmove quod ibidem ſe vocet *ſemper Auguſtam*, allzeit Mehrerin des Reichs ſub finem annos Imperii numeret, Unſers Keyſerthums im dreyzehen Jare; reſpondet citatus Scriptor hunc titulum *ſemper Auguſtae* inde us *Ludovico Pio* atque deinde ſub variis Imperatoribus in Diplomatis Aug rum apud HEUMANNUM, LÜNIGIUM et alios comparere: atque etiam annos Imperii in Diplomatis Imperatricum indubiis reperiri, uti in plomate *Theophaniae* Conjugis *Ottonis II* apud MABILLON *Annal. Or. Bened. T. IV. L. 50. N. 50.* Datum Kal. Apr. Anno DCCCCXC. Im *Dominae Theophaniae Imperatricis XVIII. Indictione III. Actum Ravennae fel* Alia denuo exempla ex citato jam HEUMANNO ibidem refert. Ex for lis deinde ab Imperatricibus uſitatis infert eſſe jus ipſis proprium, non a Marito primum ceſſum, uti in Diplomate *Annae dici, tam ex jure, quam ſuetudine laudabiliter diutius obſervata jus iſtud deſcendere*; illico porro iis perere, poſt connubium cum Imperatore celebratum, ita *Blancam Ma* dicere; *Quum nuper divinis auſpiciis ad regalis ſublimitatis apicem prov ſauſtum Auguſtae nomen conſequutae fuerimus* etc. ex eodem fonte deducit jus nequaquam reſtringi ad Collegia faeminarum, ſed ad omnes Eccleſia:

1

ndi, cum *Anna* in formula sua dicat sibi jus *istud proprium esse dirigendi preces* *quaevis religiosa et dedicata* loca; adde verba *Blancae Mariae* jam supra re-:a: demum, cum considerari debeat tanquam actus merae facultatis, prae-iptionem quoque Imperatricibus opponi non posse. Quoad hoc ultimum nen recte inquit MOSER in Tract. Von der Landeshoheit im Geist-hen 1773. *p.* 159. ejusmodi quid dici tantum posse, ubi Jus primariarum ecum aliud quoque fundamentum habet v. g. quoad Protestantes exerci-im die 1. Jan. 1624. Aliud esse, si observantia unicum sit fundamentum rum precum, hoc enim in casu non tam quaeri, an jus ejusmodi exerceri tuerit aut non; sed potius, an reipsa exercitum fuerit.

*Ad §. XL.* Quoad Dominos territoriales Protestanticos jus primarum pre-m non multis difficultatibus obnoxium fore exin existimat Auctor, quoniam i jus in sacra vendicent; atenim apud hos quoque suis sane difficultatibus omnino ›jacere videri potest apud MOSER in *Tract. paulo ante citato a p. 147. seqq.* m sane ipsum jus Cæsareum primarum precum observantia nitatur, frustra oad Dominos territoriales ad superioritatem territorialem aut jus in sacra pro-:abitur, sed et hic observantia controversiam decidat necesse est; quare argu-ntum quoque ab uno Statu ad alium fieri nequit, cum observantia uni, non m alteri favere possit. Suprema quoque Dicasteria in judicando, dum hujus-›di controversiæ ad ea deferuntur, ad eandem potissimum respicere vide l. cit. eterum inter preces ex observantia Dominis territorialibus, aut etiam eorun-n Uxoribus competentes, et Archi Episcopales aut Episcopales ingens est di-imen, quippe quae nulla ratione Superioritate territoriali nituntur; de his cumenta plura collegit WÜRDWEIN *Subsid. diplom. Tom. 3.* notatque in Prae-ione sequentia, eas esse a) antiquissimas, cum Diploma *Mathiae Archi-Ep.* *·g. N. I. sit* de anno 1323 cumque ibidem ad antiquam jam consuetudinem ovocetur, facile colligi has preces tempora *Rudolphi I.* aut exaequare aut po-is transcendere. b) ex ejusdem tenore elucet, preces hujusmodi in exordio :ationis fuisse concessas, c) pro una tantum persona d) ex Elencho adducto . XIV. sub *Jacobo* Archi-Episcopo elucet has preces etiam ad Monasteria tum ·orum tum faeminarum directas fuisse, atque inde N. XIII. occurrit formula isdem *Jacobi*, ut aliqua in Monialem recipiatur. e) in sua origine verae qui-m preces fuerunt, quibus tamen deinde comminationes et praecepta accesse-nt, quemadmodum et in aliis f) antiquiores non extenduntur ad dignitates, denuo Imperatoriae g) datae sunt pro praebenda aut jam vacante, aut etiam :atura h) insinuatio eodem modo ut in Imperatoriis fieri solet; sic et tran-iptio in personam aliam obtinet; hactenus quidem Imperatoriis satis sunt iformes; differunt tamen in nonnullis, uti quod i) exspirent, si ante mor-i Archi Episcopi Moguntini concedentis effectum consecutae non fuerint, quan-

quanquam de Colonienſibus ex Art. XXXIV. Capitulationis *Ferdinandi* Coadjutoris Colonienſis anno 1595. adducto N. XXIX. aliud elucet. k) non dantur executioni in menſibus Papalibus, in quibus Archi-Epiſcopi ex indulto beneficia conferunt. l) Hodie Moguntiae conceduntur Canonico Capitulari Eccleſiae Moguntinae, a quo in alium denuo conferuntur, m) in concurſu cum Imperatoriis iisdem cedere debent. Hanc materiam ſpeciali ſyſtemate excolendam promittit Cel. Dürr in lucubratione mox ſubjicienda, cujus proinde promiſſi a Viro hoc eruditiſſimo et debitis ad has materias ſubſidiis inſtructo implementum avide exſpectamus.

# VI.

FRANCISCI ANTONII DÜRR U. J. D.
Juris publici et Histor. in Univ. Mogunt. Prof. Publ. et Ordin. &c.

## DISSERTATIO
DE
# BENEFICIO ECCLESIASTICO AUTHORITATE EPISCOPALI LEGITIME PERMUTATO, AD EFFECTUM PRECUM PRIMARIARUM IMPERIALIUM HAUD VACANTE.

*Mogunt.* 1773.

## *PRÆFATIO.*

*Prodierunt quidem hactenus plurima de Precibus primariis Imperialibus tam ex parte Catholicorum, quam Protestantium scripta; nec non omnes Publicistæ ac Canonistæ in suis Commentariis & Compendiis de iis verba faciunt: Verum ex ipsis rerum argumentis & praxi Beneficiali edocti fuimus, in Controversiis circa quæstiones particulares in materia primariarum precum enatis, parum solatii inveniri in ejusmodi scriptis, quæ plerumque nonnisi generalia de Precibus primariis sæpius ad nauseam pertractant, specialia autem vel tacent omnino, vel memorant quidem, sed non pro rei dignitate ex genuinis principiis deducunt; magnus adhuc eatenus scribendi campus aperitur. Quatenus Capitulum clausum obstet Precistæ, & an obligetur ad observandos annos carentiæ? Deductum quidem fuit contra vulgares sententias in Dissertationibus, quæ in nostra Universitate recentius de iisdem Argumentis prodierunt, verum supersunt adhuc multa alia capita, ex quibus mihi præsens Thema pro Dissertationis Inauguralis specimine eo lubentius selegi, cum illud jam variis vicibus, & adhuc novissime ante aliquot annos in Diœcesi Moguntina in disceptationem pervenerit; contigit equidem, quod duarum Ecclesiarum Collegiatarum Canonici suas præ-*

*bendas Canonicales coram Eminentissimo nostro qua Ordinario permu rint, acceptata quoque & confirmata fuit prævia causa cognitione ha permutatio authoritate Episcopali; dum autem alter horum permutanti voluit sumere possessionem Præbendæ Canonicalis ex permutatione ab Emin tissimo Ordinario confirmata in Ecclesia, ubi adhuc avide exspectabat Pr sta Imperialis Præbendæ vacantis eventum, sic mox hic se opposuit ac con apprehendam Præbendæ permutatæ possessionem solennem interposuit pro stationem, addendo: Præbendam illam quæstionis ex permutatione vacant sibi tanquam Precistæ Imperiali pro optione fuisse apertam; deducta fui dubio procul causa hæc contentiosa ad Consilii Imperialis aulici Tribunal Precistam, nisi alio adhibito salutari remedio lis hæc in suis natalibus fui suffocata; haud superflua igitur erit nostra opera, si determinationem hu controversiæ in forma Responsi adductis argumentis pro utraque parte m tantibus proposuerimus.*

# CAPUT I.

## De Argumentis pro Precista Imperiali militantibus.

Videntur quidem pro Precista Imperiali in casu substrato varia militare ar menta primo obtutu admodum speciosa, & quidem

I.) Ipsum Diploma Precum Imperialium collativum, cui ab antiquis tro temporibus inserta semper legitur expressa clausula; quod Precistæ conf tur *jus ad beneficium Ecclesiasticum, quod in præsentia sive proxime quomodolibet care contigerit.* Vid Diplomata Precum Imperialium inter Adjuncta AYR *Commentationis ad jus primar. precum*, & in MOSERI deutschen Staatsrec T. III. C. 31. §. 71. b. Idem confirmant tot alia Rescripta Imperialia in f rem Precistarum data, vi quorum injungitur Capitulis *ad primum, sive mo sive resignatione, sive quovis alio modo vacaturum beneficium* Precistas *admit* Conf. Conclusa Consilii Imperialis Aulici in MOSERI deutschen Staats *chiv* de A. 1752. P. I. p. 61. seq. Quodsi igitur Precistæ Imperiali tribu jus ad præbendam *quomodolibet*, seu quacunque ratione vacantem, sic & illi c petet jus ad Præbendam ex capite permutationis vacantem, cum inter spe vacationis Præbendarum (quarum triginta numerat REBUFFUS in Tract *Regia nominatione ad prælat.* §. *monasterii* verbo: *Vacantibus*) referatur quoque catio ex capite permutationis: recte enim argumentamur ab universali ad pa culare, dum genus continet omnes suas species & propositio indefinita æqu let universali per axiomata Philosophorum notoria.

II.) Si casus permutationis Præbendæ ab effectu primariarum precun

cipiendus foret, posset sub hoc prætextu facile everti & ad nihilum redigi jus Precistæ Imperialis, continuoque eludi Imperiale Reservatum, cum præbendatus senio confectus, cujus beneficium ex naturali ordine sperare poterat Precista, permutando juvenem substituere posset beneficiatum, unde & in hanc rem scribit JOH. ANDR. BRAND in differt. *De jure Cæsareo primariarum precum.* C. V. §. 5. except. una. *Chockierium, Hermesium, Wiestnerum, aliosque a primis precibus excipere beneficia resignata ex causa permutationis coram Ordinario,...... eo quod hæc non censeantur vacare, nisi ad effectum, ut conferantur illis, qui permutationem fecerunt, .... verum his scriptoribus tuto me non committerem, si quod beneficium haberem, illudque vel permutare vel resignare in favorem tertii, aut in manus Papæ vellem præsente adhuc Precista, qui litem facile mihi movere posset, & non sine ratione, nam si id liceret, in fraudem juris primariarum precum resignationes ejusmodi fieri possent, hinc tutius longe est, exspectare, usque dum Precista beneficium aliud vacans collatum sit.* = hisce accedit.

III) Argumentum a paritate desumtum, scilicet non obstat resignatio in favorem facta Precibus Imperialibus: delatis enim ad Pontificem Benedictum XIV. ab Imperatore, qui semper hucusque prætenderat, beneficia tam in favorem resignata, quam in exspectativam Coadjutoribus data, Precibus Imperialibus subesse, *a)* querelis, quod per ejusmodi resignationes in Curia Romana acceptatas evertatur facillimo negotio jus primariarum Precum, suoque destituatur effectu, declaravit Imperatori, prout certiores redditi sumus, Pontifex, quod nolit imposterum acceptare resignationes in favorem factas vel confirmare Coadjutorias Canonicales extante adhuc Precista Imperiali necdum proviso; jam autem, quod juris est in casu, si vacet præbenda ex capite resignationis in favorem, juris quoque ut sit, necesse est, in casu, si vacet Præbenda ex capite permutationis, cum in utroque casu identitas rationis, præjudicium scilicet Precistæ Imperialis videatur subintrare; multo minus igitur

IV.) Obstare poterit Precistæ Imperiali acceptatio & confirmatio permutationis ab Ordinario facta, cum Episcopi Germaniæ Reservato Imperatoris circa collationes Precum, ejusque Precistæ per suos actus confirmatorios præjudicare nullo modo possint, unde & frequentia in similibus Causis ab Imperatore ad Episcopos & Principes Ecclesiast. Germaniæ gravissima Mandata dehortatoria, inhibitoria, & respective cassatoria prodierunt, qualia partim in MOSERI auserlesenen Reichshofraths-*Conclusis*, partim inter Adjuncta alle-



*a)* Sic Consilium Imp. Aul. die 22. Octob. 1751. declaravit invalidas denominationes Coadjutorum cum spe succedendi a quatuor Canonicis Ecclesiæ S. Joannis Evang. Leodii factas in detrimentum Precistæ Imper. Caroli Ernesti L. B. de Breidenbach in Bürresheim. in MOSERI deutschen Staats-*Archiv* de A. 1752. P. I. p. 60. seq.

allegatæ AYRERI *Commentationis*, & alibi legi possunt: spectat huc de i permutationis casu *Conclusum Consilii Imp. Aul.* die 9. Jul. 1753. conditum Causa Joannis Bapt. von der Driesche presbyteri Mechlinensis Diœceseos c tra Hubertum Reinerum Moreau & Sebastianum de Sluse puncto prima rum Precum in MOSERI Staats-*Archiv* de A. 1753. P. XI. C. 6. p. 8 sequentis tenoris: = Cum inclusione Exhibiti de præsent. 18. Jun. a „rescribatur Domino Cardinali Episcopo Leodiensi, Sacram Cæsaream Ma „tatem primas preces in Ecclesia Collegiata S. Bartholomæi Leodii Joa „Bapt. von der Driesche præsbytero Diœces. Mechlin. contulisse, has pre „legitimo tempore dictæ Ecclesiæ Decano & Capitulo fuisse insinuatas, c „nuper Sebastianus de Sluse ejusdem Ecclesiæ primariarum Precum a Divo „rolo VII. sibi collatarum beneficio Scholasticus & Canonicus Canonicatun „Scholastici munus cessis sibi a Reinero Moreau beneficiis Ecclesiasticis perr „tasset, Sebastiani de Sluse attentata permutatione Canonicatum & Schola „munus vacasse, Joannem von der Driesche competente sibi primariarum P „cum jure ea optasse, quare Sacram Cæsar. Majestatem Domini Cardinalis E „scopi æquitati confisam eundem jubere, ut Joannem Bapt. von der Dries „contra Sebastiani de Sluse & Reineri Moreau machinationes protegat in „pienda possessione Scholastici muneris & Canonicatus ei præsto sit, & qui „cræ Cæs. Majestati obtemperaverit, in termino duorum mensium humilli „Sacram Cæsar. Majestatem informet. =

# CAPUT II.

## De Argumentis, quæ pro permutantibus authoritate Episcop beneficia Ecclesiastica militant.

Verum Rationibus hisce in contrarium adductis non attentis, juri, ejus Analogiæ conformior est sententia, quod Preces primariæ Imperiales haud a ciant Præbendas ex permutatione vacantes, & quidem ex solidioribus hisce f damentis, quia

1mo.) In Jure Canonico communi concessa est præbendatis facultas, stis ex causis & accedente authoritate superioris Ecclesiastici permutandi inte sua beneficia Ecclesiastica per Cap. 5. X. *de Rer. permut.* & Cap. 6. *de Except.* quidem ea ratione, ut Ordinarius non possit rejecta permutatione admittere signationem, sed præcise permutantibus beneficia ex causa permutationis vac tia conferre teneatur; idquod clarissime dispositum fuit in Clementina Unic *Rer. permut.* vi cujus Pontifex Clemens V. in Concilio generali Viennensi decla

vit: = *ne concessione Juris utentibus præsertim circa spiritualia illudatur, si qua beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata aliis, quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis.* = Causæ autem, cur beneficia ex permutatione vacantia ab Episcopo haud libere cuivis, sed præcise permutantibus conferenda sint, non solum est illa, quod permutantes tantum sub conditione permutationis resignent sua beneficia Ecclesiastica ad manus Episcopi, adeoque quod adsit resignatio haud pura, sed conditionata saltem, conditione autem haud acceptata nec fiat resignatio: sed accedunt adhuc aliæ causæ longe graviores: Scilicet jubet non solum frequenter necessitas vel utilitas Ecclesiæ, ut fiant ad evitanda scandala, nec non ob alias urgentes rationes translationes Clericorum & beneficiorum permutationes, quæ in ejusmodi circumstantiis authoritate Episcopali invitis etiam sæpius permutantibus, imo invitis etiam post debitam pro consensu interpellationem Patronis decerni possunt, nec a quopiam, cum salus reipublicæ sacræ suprema lex sit, impediri, prout præter REBUFFUM, GARCIAM, aliosque recte sentit ESPENIUS *in Jure Eccles. Univ.* P. II. T. 27. c. 2. n. 26. Sed & accederet illud ex contrario plerumque incommodum, quodsi nempe beneficia ex capite permutationis vacantia resignantibus, qui ex hisce respective beneficiis suam congruam antea habuere sustentationem, haud iterum mutuo conferrentur, nulli amplius tales resignantes Clerici adscripti forent Ecclesiæ, sed cum dedecore Ordinis Clericalis suis privati alimentis vel mendicare vel contabescere, vel ex illicito forsan quæstu victum sibi parare tenerentur, quæ autem contra Canones eo magis impingunt, cum Ecclesia de congrua suis Clericis sustentatione prospectum semper esse velit, & per Canones resignationes beneficiorum, nisi de sustentatione resignantis Clerici fuerit facta cognitio & provisio, tanquam nullæ cassentur, imo ad beneficia permutata vi Capituli 8. X. de *Rer. permut.* detur regressus.

2do.) Dum sub finem Sæculi XII. Mandata sic dicta de providendo de beneficiis vacaturis S. Pontifices Romani ad Episcopos, aliosque collatores ordinarios dirigere incœperunt, tales exspectantes Pontificii seu Mandatarii Apostolici autem beneficia ex capite permutationis resignata, quasi vere & libere vacantia sibi conferri prætendebant, rescripsit Pontifex Bonifacius VIII. Birecensi Episcopo in Capit. Un. de *Rer. permut.* in 6to. *licet in tua Diœcesi aliqui authoritate Apostolica beneficia proxime vacatura exspectent, illos tamen qui secundum formam juris sua beneficia in eadem Diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes libere ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant, nolumus occasione præmissa æquitatem præferentes in hac parte rigori circa faciendam permutationem beneficiorum hujusmodi, quæ alias minime resignassent, ullatenus impediri.* Quodsi igitur

3tio.) De jure Canonico communi præbendæ ob permutationem resignatæ

tæ non proprie, & ad liberam collationem vacent, sed præcise permutantibus sint conferendæ a Superiore Ecclesiastico, ita ut etiam exspectantes seu Mandatarii Pontificii a talium præbendarum optione excludantur, sic fortissimum exinde deducitur argumentum, quod ex iisdem rationibus, quibus accedit juris analogia, exspectantes seu Precistæ vel potius Mandato de providendo Imperiali instructi ab optione talium præbendarum ad liberam collationem haud vacantium excludantur: constat enim fide historica, & eatenus eruditi ALEXANDER NATALIS ad Sæc. XI. & XII. C. VII. Art. 6. n. 6. THOMASSINUS de *veteri & nova Ecclesiæ disciplina* P. II. L. 1. C. 54. §. 2. seq. & ex novissimis Canonistis RIEGGER Professor Canonum Vindobonensis in suis *Institutionibus Jurisprudentiæ Ecclesiast.* T. I. p. 402. seq. ex Protestantibus autem J. H. BOEHMER *in Jure Eccles. Prot.* L. III. Tit. V. §. 51. conveniunt, quod preces Imperiales in illa, quam hodie conspicimus, forma ætate Sæculum XIII. haud superent. *b*) Dederunt equidem jam Sæculo XII. non solum Pontifices & Episcopi, sed & Reges, Principes & potentiores, prout adhuc hodie sæpissime fieri solet, litteras commendatitias, quas *preces* nominarunt, ad Capitula Ecclesiarum & ad Collatores in favorem unius vel alterius personæ sibi gratæ vel bene meritæ eo fine, ut vacantem actu præbendam vel proxime vacaturam commendato præ aliis Candidatis conferrent; liberum autem ab initio fuerat Capitulis, quibus competebat facultas quovis mense per majora suos eligendi Clericos, quousque Precibus hujusmodi vel litteris commendatitiis deferre vellent, ipsum etiam vocabuli *Precum* Etymon hoc satis confirmat, quod favores ejusmodi originetenus non ex jure perfecto prætendi potuerint ab intercedentibus, multo minus ex Imperio mandari, sed in forma precum fuerint petiti. *c*) Interim tamen Superioribus hisce tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus ex rationibus politicis, ne scilicet hi ex

*b*) Certitudinem Precum Imperialium ad tempora Rudolphi Habsburgici refert MOSER in dem deutschen Staatsrecht T. III. C. 31. §. 5. p. 830. Verum cum Rudolphus jam provocet ad consuetudinem, sic exinde eruitur, quod preces Imperiales saltem a quibusdam ejus antecessoribus jam fuerint collatæ; antiquissimum autem diploma Precum Imperialium, quod hactenus detectum & inventum fuit a Consil. Imp. Aul. SENCKENBERGIO, concessum fuit a Conrado IV. Germaniæ Rege: de cætero dolendum, quod vir hic illustris fatis impeditus edere haud potuerit Tractatum *de primariis Precibus Imper.*; cujus spem fecerat, exspectanda enim fuerat ab ipso pragmatica hujus argumenti deductio & quidem eo magis, cum Consilium Imperiale Aulicum in effectu sit forum beneficiale Germanicum, ubi illustres ratione precum & concordatorum enatæ controversiæ Beneficiales deciduntur.

*c*) Prout idem constat de Tributis & Collectis, ad quæ primitus non erant obstricti subditi, sed in necessitatibus a Dominis Territorialibus *per preces* ad instar subsidii charitativi efflagitabantur, unde adhuc hodie nomen antiquum precum vulgo deren Landbeeten in variis Germaniæ provinciis superest.

ex denegatione Precum offenderentur, vel ab iis alia ratione gravarentur Capitula, *d*) sed potius ut mutua sperare possent obsequia, protectionem & gratias, denegare non facile poterant effectum ejusmodi Precibus; potissimum captanda erat benevolentia, si preces tanquam primæ seu in effectu unicæ durante regimine a neo-Rege vel Episcopo noviter electo vel Domino territoriali noviter constituto ad Ecclesiarum Capitula dirigebantur; dum igitur aliquoties precibus hisce primis delatum fuit, sic successores Reges, Episcopi ac Domini territoriales idem tanquam jus ex observantia stabilitum prætendebant; primus inter hosce Superiores Pontifex suas litteras commendatitias ad beneficia ultra montana sub initium Sæculi XIII, quo tempore Curia Romana suum in præbendas exterorum dominatum stabilire incœpit, in mandata de providendo commutavit, adjuncta non solum comminatione censurarum Ecclesiasticarum contra renitentes, sed & denominatis simul litterarum illarum Pontificiarum executoribus, prout nos docet Cap. 30. X. *de Rescriptis*: Ad exemplum Pontificis alii quoque superiores tam Ecclesiastici, quam Sæculares, scilicet Imperatores, Reges, Episcopi, *e*) Principes Sæculares, ac Domini territoriales directas ad subjectos sibi collatores præbendarum Preces primarias adjunctis comminationibus & denominatis executoribus successive armarunt, licet non pari omnes effectu, dum Regum etiam, Episcoporum & Dominorum territorialium precibus non omnia Capitula Ecclesiarum Germanicarum, potissimum Metropolitanarum & Cathedralium detulerunt, sed potius induxit multitudo talium precum Capitula, ut consuetis antea per majora Capituli Electionibus Canonicorum abolitis substituerent Turnos vel fixos vel errantes. *f*) Quod autem concernit Preces Imperiales, de quibus unice modo nobis est quæstio, sic & illæ prout ipsa precum diplomata probant, adinstar Precum Pontificiarum successive in preces armatas seu Mandata, quæ

*d*) Tum enim temporis jam verificabatur axioma: Groser Herren Bitten seynd Befehlen, cujus autem Parœmiæ interpretationem neglexit Hertius in suo Tract. *de Parœmiis Juris Germanici*, egregie autem tam ex sacro & profano jure, quam ex Historia illustrari posset.

*e*) Ad excolendum elegans de primariis precibus Episcopalibus argumentum nemo hactenus apposuit manum, exponet autem illud in Systema redactum D. Præses in Diss. *De primariis Episcoporum Germaniæ Precibus.*

*f*) Antiqua hæc est Turni in Ecclesia Cathedrali Spirensi introducti formula: = Nos Decanus & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Spirensis attendentes quanta „retroactis temporibus nostrorum Antecessorum tam in Spiritualibus, quam „temporalibus propter assumptionem & electionem personarum plerumque „minus idonearum ad Canonicatus & præbendas Ecclesiæ nostræ ob multi-„tudinem & concursum Nobilium, Magnatum, & potentum hujusmodi Ca-„nonicatus & præbendas *importunis precum instantiis* petentium ipsa nostra „Ecclesia pericula & incommoda est perpessa, ex quibus disciplina Choralis „periit,

quæ pro re nata etiam executioni dabantur, abierunt. g) Licet autem varia Capitula suæ tenacia libertatis in conferendis suarum Ecclesiarum præbendis, Precibus ejusmodi per tempus noluerint deferre, debuere tamen successive cedere Precibus hisce, quæ respectu plurimarum in Germania Ecclesiarum suum habuerant effectum, & hac ratione per universam successive Germaniam jus primariarum Precum Imperialium fuit stabilitum h). Ex hac autem genuina Precum Imperialium Origine & Historia prona fluit consequentia, quod cum Preces Imperiales seu potius Mandata de providendo Cæsarea ex imitatione Mandatorum de providendo Pontificiorum enata sint, ex juris analogia nec plura, nec majora prætendere possit Precista Imperialis, seu Mandato de providendo Cæsareo munitus, quam arrogare sibi potest instructus tali mandato Pontificio: Cum igitur secundum deducta Mandata de providendo Pontificia non afficiant præbendas ex permutatione vacantes, sic nec illas afficere possunt Mandata de providendo Cæsarea.

4to.) Preces Imperiales spectant tantum ad modos obtinendi beneficia in Germania ex Consuetudine receptos, modus autem hic non in præjudicium actu jam antea præbendatorum, ut hi communi priventur facultate permutandi beneficia de Jure Ecclesiastico ipsis competente, suisque destituantur alimentis, sed ut pro futuro saltem in præjudicium Collatorum ordinariorum, quibus sua in conferendis præbendis libertas restringitur, fuit introductus, unde & Precista Imperialis in regula spectato jure, ejusque analogia majores prærogativas, quam alii ad beneficia alio legitimo modo præsentati, prætendere nequit, sed in omnibus juri communi Canonico, statutis Ecclesiarum & observantiis adinstar aliorum beneficiandorum se accomodare tenetur; hisce accedit

5to.) Un-

„periit, divinusque cultus extitit diminutus, summo igitur opere expedire „arbitramur, ut de ipsis Canonicatibus & præbendis ejusdem Ecclesiæ nostræ conferendis salubriter disponamus &c. = Argumentum de Turnis pariter adhuc incultum deducet D. PRÆSES in Differt. *De Electionibus Canonicorum, Turnis & Denominationibus utilibus in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Germaniæ receptis.*

g) In antiquis Precum Imperialium formulis Executores Precum haud occurrunt.

h) Miranda autem erat eatenus Capitulorum Ecclesiarum Metropolitanarum Moguntinæ & Trevirensis, nec non Cathedralis Wirceburgensis constantia, quæ solæ pristinæ tenaces libertatis usque ad initium præsentis sæculi Preces Imperiales nunquam admiserant, sed illas novissimis demum temporibus ad captandam benevolentiam Imperialem acceptarunt, in specie autem, prout ex actis constat, semper urgebat Capitulum Metropolit. Mogunt. quod Imperator jam perpetuus Præbendæ Regiæ sit collator, adeoque non duplici onerari possit denominatione Capitulum,

5to.) Unanimis fere scriptorum tam Catholicorum, quam protestantium sententia, qui omnes defendunt, quod in casu, si ex causa permutationis vacet beneficium Ecclesiast. precibus primariis Imperialibus locus non sit, & quidem ex parte Catholicorum hanc sententiam tuentur PARISIUS *de Resignationibus.* L. X. Q. 7. n. 18. LEURENIUS *fori Beneficial.* T. II. Q. 608. WIESTNER *Instit. Can.* L. III. T. 5. n. 163. SCHMIER in *Jure Can.* L. III. Tr. I. P. 2. c. 4. n. 323. PIRRHING *in Jure Can* L. III T. 5. n 382. WAGNERECK p. 491. §. speciem., CHOCKIER *de Prim. prec.* p. 36. n. 8. RIGANTIUS *ad Reg. Cancell.* XXVI n. 135 P. ZECH *in suis Comment. ad Jus Can. de Jure Rerum Ecclesiast* &c. ex Protestantibus FRITSCH in Diss *de Jure precum primar.* C. I. n. 19. JOH. EHRENFRID MAYER in Tract *de Jure primar. precum.* Th. 104. STOLCKEN in Comment. *de Precibus primariis Imperatoris* Th. 53. AYRER in Comment. *de Jure prim. prec.* C. VI. §. 2. p. 186.

# CAPUT III.

## Quo Argumenta in Capite I. adducta diluuntur.

Neque alicujus ponderis sunt Argumenta in Capite I. allata; nam quoad

*Primum* licet in Diplomatibus Precum Imper. collativis tribuatur Precistæ jus ad præbendam, *quomodolibet vacare contigerit*, adeoque quicunque vacationis modus in folle exprimatur, hæc tamen verba sunt intelligenda in terminis habilibus, salvisque exceptionibus in Jure Canonico Communi ejusque analogia fundatis, scilicet, quod non alius subaudiatur vacationis modus, quam si præbenda vere, proprie ac ad liberam alias Collatoris ordinarii collationem vacet, prout jam annotavit CHOCKIER *de prim. prec.* p. 36. n. 8. quoad

*Secundum.* Supponimus permutationem beneficiorum legaliter, ex justis causis, & bona fide fuisse peractam; si enim dolose & in fraudem Precistæ facta foret, tunc utique huic præjudicare non posset, sicut enim dolus nemini patrocinari potest, sic & in specie cum confidentia beneficiorum pacta circa beneficia fraudulenta proscripsit PIUS IV. Pontifex in Constitutione: *Romanum Pontificem* A. 1564. publicata in *Magno Bullario Romano* T. X edit. sic dictæ Luxemburg. p. 136. seq. adeoque exceptio firmat regulam, quod in Thesi Preces Primariæ præbendam vacantem ex permutatione bona fide & justis ex causis facta non afficiant, permutantes enim utuntur jure sibi ob justas causas per Canones concesso, vel utitur jure suo Episcopali Episcopus, dum ex justis causis permutationem beneficiorum etiam invitis injungit, seu in effectu beneficiatos permutat vi Cap. 5. X. *de Rer. permut.* ubi Urbanus IV. Pontifex declarat: *Si autem*

*Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas.* add. Cap. 17. X. *de Præbendis.* Per accidens autem est, si Precista ob defectum veræ vacationis longius ab optione præbendæ excludatur; de cætero eatenus quoque accedimus allegato BRANDIO & per modum Cautelæ ad evitandas lites a Precista forsan frivole movendas inservire poterit, si majoris securitatis causa permutantes de Precistæ consensu sint solliciti, vel permittentibus illud circumstantiis differant permutationem, donec Precista de beneficio sit provisus, & quidem eo magis, cum constet, principia Consilii Imperialis Aulici in dijudicandis causis primariarum precum eo inclinare, ut pro extensione jurium primariarum precum & plerumque in favorem Precistarum ferantur sententiæ; interim ea, quæ pro cautelis inserviunt & sunt consilii, non sunt necessitatis, nec sequitur exinde, quod Precista fundatam in jure intentionem habeat ad Præbendam ex justa per mutatione ac saltem conditionate & nonnisi in sensu improprio vacantem, neque intentio Augustissimi Imperatoris esse potest, ut Consilium Imperiale Aulicum jus primariarum precum contra juris analogiam in præjudicium tertii jus quæsitum anterius habentis vel in detrimentum authoritatis Episcopalis beneficiorum permutationem pro circumstantiis necessario dictantis extendat, sed potius ut intra legitimos limites Reservatum Imperiale contra injustas violationes tueatur, neque etiam Consilium Imperiale Aulicum pro sua inferendis sententiis æquitate perpensa argumentorum a nobis productorum gravitate justitiam causæ fundatæ denegabit. Ad

*Tertium.* Supposita antecedentis certitudine *i)* magna est disparitas inter permutationem beneficiorum ex justis causis legitime peractam, & inter resignationem unice in favorem factam; illa, si intra justos limites exerceatur, fundatur in jure Canonico & antiqua jam Ecclesiæ disciplina, vi cujus translationes & permutationes beneficiatorum sæpius fiebant, *k)* resignatio autem in favorem est creatura novioris saltem praxeos beneficialis, *l)* in puncto Juris Canonici non fundata, imo tanquam abusus disciplinæ Ecclesiasticæ plane pro-scri-

*i)* Imo dantur multi Jure consulti non sine rationibus negantes, beneficia Ecclesiastica bona fide & non præcise in fraudem Precistæ resignata in favorem alicujus vacare ad effectum Precum Imperialium: in STAPHORSTII *Historia Eccles. Hamburg.* P. I. Tomo II. p. 537. duo extant Responsa Juris non inconcinne ob similem casum A. 1707. in Capitulo Hamburg. enatum elaborata, ubi pro Resignatario responderant facultates juridicæ.

*k)* Conf. VAN ESPEN, THOMASSINUS, GIBERT &c. de hoc argumento.

*l)* Praxis hæc demum post Clementem V. Pontificem enata sub Joanne XXII. qui sedit ab A. 1316. ad 1338. prout fatetur RIGANTIUS *ad Reg. Concell.* XLV. n. 6.

ſcribenda foret, prout egregie contra Rigantium deduxit celeber. NELLERUS in erudita Diſſert. *De ſtatu Reſignationum ad favorem apud Germanos.* §. XXVII. ſeq. adeoque non ſine cauſa urgebat Imperator tales reſignationes in favorem recentius introductas juri primariarum Precum antiquiori præjudicare non poſſe, & ſua ex parte declaravit Pontifex, ſe reſignationes in favorem, ſub quibus autem legitimæ permutationes haud intelliguntur, cum præjudicio Preciſtæ Imperialis admiſſurum non eſſe.

*Ad Quartum.* Sicuti certum eſt ex una parte, quod Epiſcopi Germaniæ Juri primariarum Precum Imperiali, ſi intra juſtos exerceatur limites, præjudicare non poſſint, ſic etiam ex altera parte merito, & absque offenſa Auguſtiſſimi tuentur Epiſcopi ſua Jura Epiſcopalia contra illegitimas Precum Imperialium extenſiones a Preciſtis attentatas, defenduntque contra tales Preciſtas permutationes beneficiorum legitime & ex juſtis rationibus peractas, & prævia cauſæ cognitione authoritate Epiſcopali confirmatas.

T a n t u m.

 VII. FRAN-

# VII.

## FRANCISCI XAVERII ZECH S. J. U. J. D.

et SS. Can. in Universit. Ingolstad. Prof. Publ. et Ordin.

DISSERTATIO HISTORICO-JURIDICA

DE

# BENIGNITATE MODERATA ECCLESIAE ROMANAE IN CRIMINOSOS AD SE CONFUGIENTES

SEU

## DE JURE ASYLI ECCLESIASTICI.

*Ingolstad.* 1761.

## *PRÆFATIO.*

Per *Excessum æque ac defectum frequentissime in Cultu Virtutum peccari, fatendum est: fatendum pariter, veras genuinasque Virtutes a malevolis cavillatoribus frequentissime de excessu æque ac defectu per calumniam accusari. Singulare hoc fatum premit Ecclesiam Romanam, ut ab Adversariis suis nunc* Rigoris, *nunc* Benignitatis *nimiæ arguatur* a). *Doctrinam Illius circa Usuras a nimia severitate vindicavit Dissertatio terna, quæ inscribitur* RIGOR MODERATUS. *Præsenti Dissertationi argumentum dabit* BENIGNITAS MODERATA Ecclesiæ Romanæ in Criminosos ad se confugientes. BENIGNITATEM *Ecclesiæ in hoc negotio omnes prædicant; multi vituperant.* MODERATIONIS *vocem suppeditat* BENEDICTUS *XIII.* b), *dum de Immunitate Ecclesiarum agens*, consueto Apostolicæ Sedis MODERAMINE *se Statuta suorum Prædecessorum, & nominatim* GREGORII *XIV. Constitutionem declaraturum profitetur, qui idem*

GRE-

a) BÖHMERUS *in Dissert. Prælim. ad Tom. IV. Jur. Eccles. Protest.* traducit Ecclesiam Romanam sub nomine *Matris Indulgentissimæ.*

b) Concil. *Rom. Tit. XXVIII. c.* 1.

GREGORIUS *Constitutionem illam* congrua MODERATIONE adhibita *ediderat. Eodem encomio* BENIGNITATEM *Ecclesiæ in admittendis Confugis jam pridem condecoravit* HINCMARUS Rhemensis c), *dum ait:* si nosse quiscunque desiderat, quid Autoritas Ecclesiastica de ad se, ut ad Matris sinum, confugientibus MODERATE decernat, suggerimus, ut inter alia Beati Gregorii revolvat Epistolas &c. &c. *Si quid in hac re peccatur, non Ecclesiæ Constitutionibus, sed sinistræ earum interpretationi, contemptui, vel abusui tribuendum est: cum præsertim ipsi Summi Pontifices recentissimis suis Decretis nolint subjicere omnes prorsus Provincias, nisi earum Moderatores eandem Disciplinam suis subditis convenire judicaverint. Unde conformiter huic Menti Apostolicæ Sedis, Dissertatio præsens non definit, quid ubique observandum sit: sed præ oculis ponet Constitutiones etiam ultimorum Pontificum, ex quibus quælibet Provincia in usum deducet, quæ pro Veneratione Ecclesiarum simul, & pro Salute publica expedire videbuntur* d) *Nostrum non est judicare, an juste vel injuste ab usu Romanæ Ecclesiæ discedant Mores variarum Regionum. Quamvis enim per recentiores quasdam Constitutiones abrogentur Consuetudines* Generales, *nequaquam tamen improbantur omnes particularium locorum, vel Provinciarum Consuetudines, nisi expressa & clara fiat earum mentio, aut tanquam corruptelæ declarentur. Porro pro solidiore Asyli Ecclesiastici notitia non recensebimus solos Ecclesiæ Canones, sed stabilita prima Asyli origine, Imperatorum, Regum, Principumque Constitutiones, ac Regnorum Christianorum observantiam in medium proferemus, ut omnibus pateat, Ecclesiam in hoc negotio nihil constituere, quod non Sæculares Principes omni æquitati & rationi convenire judicaverint.*

## *CONSPECTUS DISSERTATIONIS.*

### *DE JURE ASYLI ECCLESIASTICI.*



 IV. *De*

c) In Opusculo *de Divortio Lotharii Regis, & Teutbergæ ad Interrogat.* 22. *m. fol.* 449.

d) Plurimum posse consuetudinem in hoc negotio, patet ex diversa variarum Regionum praxi, quam Aula Romana non videtur improbare. Exempla videri possunt apud NAVARRUM *Manual. C.* 25. *n.* 20. *seq.* COVARRUV. *lib.* 2. *Variar. C.* 20 ANT. FABRUM *Cod. lib.* I. *tit.* 4. JUL. CLARUM *Sentent. lib. V. §. fin. quæst.* 30. BAJARDUM *in Addit. ibid.*

# CAPUT I.

## De diversis Asylorum generibus.

### §. I.

Jus Asyli. Asyli vocabulum ex græco fonte deducitur *a*); denotatque locum inviolabilem & sanctum, qui eo confugientibus securitatem præstat, ut sine piaculo ibi lædi, aut inde abstrahi non possint. Nihil frequentius est, quam ut *Asyli* nomen accommodemus omnibus locis, ubi quis refugium in suis calamitatibus reperit *b*). *Asylos* etiam Græci Scriptores dicunt, homines a violentia tutos, quos ut sacrosanctos lædere non licet, nec apprehendere. Tales erant Tribuni Plebis apud Romanos *c*), Caduceatores *d*) & Legati *e*). *Asylum* igitur, de

*a*) Derivant nonnulli a græca Præpositione α & voce συρειν, *trahere*, quasi *Asyrum*, unde neminem per vim extrahi liceat. Alii deducunt a συλαω *eripio*: unde συλη *spolium*; adeoque *Asylum* erit idem, ac *tutum a præda.*

*b*) PHILIPPUS Episcopus Eustettensis in *Vita S. Walburgis Virg.* dicit, quod Monasterium Heydenheimense sub hac Abbatissa fuerit *Asyle & portus omnium laborantium.*

*c*) PLUTARCHUS *Quæst. Rom. m. pag.* 283. ait, quod Tribunum Plebis Romani venerati fuerint tanquam ἱερον, και ἁγιον, και ασυλον.

*d*) JULIUS POLLUX *in Onomast. lib. VIII. c.* 11. hoc elogio honorat Caduceatores & Legatos: ασυλοι δε ησαν.

*e*) *Sancti habentur Legati. L. ult. ff. de Legationib. Proprie dicimus sancta, quæ san-*

de quo præsens Dissertatio agit, dicitur *Locus refugii*, *immunitatem contra vim præstans f*).

§. II.

Apud Hebræos in Urbibus Refugii;

Primam *Asyli* originem referre licet in Legem Mosaicam: ubi *Vindex sanguinis*, qui scilicet occiso ita erat sanguine conjunctus, ut proximus esset hæres, potestatem habebat interficiendi homicidam, quamprimum eum comprehenderit *g*). Cum tamen veniam mereri aliqui censerentur, jussit Deus *h*), sex *Urbes Refugii* ex iis, quæ Levitis assignabantur, constitui, in quibus, *donec staret ante populum expositurus causam suam i*), securitatem ab ultore sanguinis obtineret ille, qui ex errore & ignorantia, non tamen sine culpa aut negligentia levi quemdam occidisset, cum quo illi nullæ inimicitiæ intercessissent. Erant autem hæ Civitates cis Jordanem *Cedes* in Galilæa montis Nephtali, *Sichem* in monte Ephraim, *Hebron* in monte Juda: trans Jordanem *Bosor* in solitudine de tribu Ruben, *Ramoth* in Galaad de tribu Gad, *Gaulon* in Basan de tribu Manasse *k*). Exemplum ejusmodi cædis, cujus autorem Urbes Refugii tuebantur, præbet sacer Codex in eo, qui cum amico suo *abierit in silvam ad ligna cædenda*, & *in succisione lignorum securis fugerit manu*, *ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit*, & *occiderit l*). Hæc enim cædes non adeo fortuita est, ut non intercessisse censeatur levis saltem culpa, ab eo vitanda, qui ante usum securis diligentius exploraverit, an ferrum firmiter manubrio inhæreat *m*).

§. III.

Et ad Tabernaculum:

Præter Civitates Refugii a violentia in Veteri Testamento tuebatur confugientes ad se *Altare Templi*. Dum enim Deus eum, qui *per industriam*, &

*sanctione quadam sunt confirmata. L. 9. §. 3. ff. de divis. rer. & qualit. Sanctum dictum est a sagminibus: sunt autem sagmina quædam herbæ, quas Legati Populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret: sicuti Legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur Cerycia. L. 8. §. 1. ibid.*

*f*) Germanice *Freyhung*. gallice *Franchise*.

*g*) *Numer. XXXV. 19.*

*h*) *Ibid. v. 6. seqq. Deuteron. XIX.* JOSUE *XX.*

*i*) JOSUE *XX. v. ult.*

*k*) Hebræi Scriptores apud SELDENUM *de Jur. nat. & gent. juxta discipl. Ebræor. lib. IV. c. 2.* ajunt, etiam reliquas quadraginta duas Civitates Levitis assignatas, jure Asyli gavisas esse cum aliquo tamen discrimine.

*l*) *Deuteron. XIX. 5.*

*m*) Si cædes casu mere fortuito accidisset, non opus erat migratione, seu fuga in Urbem Refugii.

& insidias occidisset proximum suum, *ab Altari* avelli & morte plecti praecipiebat; recte concluditur, eum, qui *ex errore vel culpa levi* homicidium fecisset, *ab Altari* non esse rapiendum ad mortem *n)*, sicut in Urbe Refugii occidi non poterat, nec violenter inde extrahi: sed potius si animum a dolo liberum comprobasset, ex Tabernaculo ad aliquam Refugii Civitatem deducendus erat, additis custodibus, qui eum ab iratis occisi cognatis securum redderent. Cum autem Hebræi Legis Doctores præceptum Divinum de occidendo homicida variis conditionibus limitarent; admittebant tamen Judicium Regium, & Forense extraordinarium, ex arbitrio Regis pro singulari necessitate tranquillitatis publicæ constituendum, quo ille etiam homicida, cui ordinaria Legis sententia mortem non dictaret, occidi posset. Et hi quoque, si se ad Altare tutelæ causa contulissent, tuti a pœna capitali hujus extraordinarii Judicii erant *o)*.

## §. IV.

[...]thenis [...]ud Am Misericordiæ;

Ab Hebræis ad Græcos transibat Jus Asyli, non iis tamen restrictum limitibus, quos Lex Mosaica constituebat, sed laxissime criminosis & calamitosis omnibus apertum in præcipuis Græciæ Urbibus. Celeberrima erat *Ara Misericordiæ*, cujus Numini, quod magna habeat in tota hominum vita & casuum varietate momenta, soli ex omnibus Græcis singularem quendam honorem habebant Athenienses *p)*. Narrant, Hillum Dejaniræ & Herculis filium, reliquosque ex eodem natos, post obitum Herculis, pulsos ab Eurystheo, Athenas confugisse; ibique postquam tam facile auxilium impetrassent, hanc Aram consecrasse, asserentes, apud Athenas tantummodo sedes Misericordiam posuisse *q)*. Eos qui ad hanc Aram ex peregrinis etiam ditionibus confugissent, tam officiose exci-

*n)* *Exod. XXI.* 13. 14. Unde de Tabernaculo intelligi possunt verba ejus loci: *Constituam tibi locum, in quem fugere debeat.*

*o)* Putant Rabbini, Joabum non tam ob cædem Abneri & Amasæ olim commissam, sed ob crimen læsæ Majestatis & Perduellionis, quod vivente adhuc Davide *declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset*, 3. *Reg. II.* 28. in amplexu Altaris necatum fuisse: ex qua ipsa causa Salomon etiam Abiathar Sacerdotem mortis reum pronuntiavit: *equidem vir mortis es, Ibid. v.* 26. Vid. SELDEN. *loc. cit.*

*p)* PAUSANIAS *in Atticis.*

*q)* PLACIDUS LACTANTIUS *in Comment. ad Statium*, qui *lib. XII. Thebaid. v.* 497. de Atheniensi Ara Clementiæ canit: *Fama est, defessos acie post busta paterni Numinis, Herculeos sedem fixisse nepotes.* Imo censet hic Poëta, potius *Cælicolas . . . sic sacrasse loco commune animantibus ægris confugium,*

excipiebant Athenienses, *ut præ ingenti humanitate pro iis sæpe bella gerere non sint veriti r)*.

§. V.

In eadem Urbe Atheniensi simile privilegium concedebatur loco, ubi THESEUS erat sepultus. Constitutum ibi erat perfugium inviolabile servis & omnibus vilioris conditionis hominibus, qui potentiorum violentiam timebant. Dabatur id Thesei honoribus, utpote qui, dum viveret, tutelaris atque auxiliaris fuisset, & benigne abjectorum accepisset preces s). Etiam Christianus Imperator Græcorum imitatus est morem Atheniensium. Nam Theophilus, qui sæculo IX. Solium Constantinopoli obtinuit, tantum honoris Filiæ defunctæ detulit, ut cadaver in arca argento obducta reposuerit, & cujuscunque flagitii reis sepulcrum ejus, Asylum constituerit t).

Et sepulcrum Thesei:

§. VI.

Non minori honore etiam aliæ Græciæ Urbes Templa Deorum suorum prosequebantur. Phliasii Deæ, quam Heben nominant, *honores multos habebant, summum vero omnium, quod qui supplices huc confugissent, cujusvis criminis impunitatem consequerentur: quin & qui vincti ante fuerant, ad ejusdem luci arbores, compedes suspendebant u)*. Templum Aleæ Minervæ fuit antiqua religione Peloponneso universæ sacrosanctum: neque violari eos fas erat, qui illuc confugissent. Recenset PAUSANIAS x) exempla eorum, qui eo confugerunt; & ne postulatum quidem esse ait, ut dederentur.

Apud Phliasios & Peloponnenses:

§. VII.

Exemplo Græcorum, etiam Romulus Asylum aperuit. Ne enim vana novæ suæ Urbis magnitudo esset, vetere consilio condentium urbes, in loco, qui Livii tempore septus densis sentibus *inter duos Lucos* dicebatur, plenam securi-

Romæ inter duo Lucos;



r) THEOPHILUS in Paraphrasi græca *in Jur. Civ. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* ex hac Ara & cultu Atheniensium desumit memorabile exemplum Juris Civilis, quod uni loco est aptatum & utile, alteri forte noxium. Ait enim, apud Lacedæmonios magna in veneratione esse Legem Lycurgi, qua peregrini expelluntur: Athenienses autem hanc Legem pene irridere, utpote qui adeo absunt ab expellendis peregrinis, ut confugientes ad se etiam armis tueantur.

s) PLUTARCHUS *in Theseo.*

t) CEDRENUS *Histor. Compend.*

u) PAUSANIAS *in Corinthiacis.*

x) *In Laconicis.*

curitatem eo confugientibus spondebat, fano etiam extructo, ut Religionem prætexeret negotio, quo Romanæ Urbis vires augeret, finitimorum autem oppidorum robur imminueret y). Hoc Asylum, primis temporibus pro attrahendis novæ Urbis incolis apertum, patebat postea ipsis incolis, & securitatem contra alienam vim præbebat, suadente id loci religione, & reverentia in primum Conditorem z).

## §. VIII.

Ad Templum Dianæ:

Paucis aliis locis eam immunitatem concedebant veteres Romani. Dianæ Templum in Aventino Monte cum jure Asyli a Servio Tullio Rege ædificatum narrat DIONYSIUS HALICARNASSEUS a). Suaserat enim Rex iste Latinarum Urbium Primoribus, ut Templum cum inviolabili refugio communibus impensis Romæ construerent, quo Civitates quotannis convenientes privatim simul & publice Sacra facerent, forumque rerum venalium exercerent designatis temporibus: & si qua offensa populis incideret, inter ista Deorum Sacra conciliarentur ex aliorum populorum arbitrio. Annuentibus omnibus, dictum Dianæ Templum ædificatum fuit, collatis oppidatim pecuniis.

## §. IX.

Ad Statuas Imperatorum.

Verum sub Imperatoribus potissimum, non Religionis studium, sed adulatio frequentem Asyli usum Romæ induxit. Initium ei mori fuit a Templo Julii Cæsaris, quod Triumviri extruxere, hoc jure, ut perfugium in eo cunctis esset, nec ejici, abripive possent, qui impunitatis causa in illud confugissent b). Non Templo tantum, sed Imagini etiam & Statuæ Julii Cæsaris, atque Augusti id reverentiæ dabatur, ut ejusdem complexus, vel obtentus vim omnem

y) LIVIUS *Lib. I. c.* 8. narrat, ex finitimis populis turbam omnem sine discrimine, liber an servus esset, avidam novarum rerum perfugisse. Sed DIONYSIUS *Halicarnass. Antiq. Rom. lib. II.* ait, multos ex vicinis Italiæ Urbibus, tyrannide vel paucorum potentia pressos, attractos esse a Romulo, *modo essent ingenui.* Juxta PLUTARCHUM *in Romulo*, omnes recipiebant, neque servum dominis, nec creditoribus nexum, nec Magistratibus dedebant homicidam: verum inviolatum locum ex Oraculo Apollinis præstare se afferebant: hac autem ratione Urbs brevi est frequentata.

z) DIO CASSIUS *Rom. Hist. lib. XLVII.* dicit, Romuli Asylum, postquam is multitudinem virorum ejus nomine collegit, deinde titulum tantum loci sancti, inviolatique habuisse, non rem; ita obseptum, ut nemo omnino in id posset intrare.

a) *Antiquit. Roman. lib. IV.*

b) DIO *loc. cit.*

omnem arceret *c*). Res tamen eo evasit, ut non periculi solum fuga, Imago Imperatoris esset, sed calumniæ occasio: ea enim arrepta, inferre injuriam licebat, non solum vitare. Quippe incedebat deterrimo cuique licentia, impune probra & invidiam in bonis excitandi, arrepta Imagine Cæsaris: libertique etiam ac servi, Patrono vel Domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. Cum de hac re in Senatu Romano ageretur, C. Cestius disseruit, Principes quidem instar Deorum esse: sed neque a Diis nisi justas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave Urbis Templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur: abolitas Leges, & funditus versas, ubi in foro, in limine Curiæ ab Annia Rufilla, quam fraudis sub Judice damnavisset, probra sibi & minæ intendantur: neque ipse audeat jus experiri, ob effigiem Imperatoris oppositam *d*).

§. X.

Propter abusus

Haud absimiles querelæ ex Græcia perferebantur ad Senatum. Crebrescebat enim Græcas per Urbes licentia atque impunitas Asyla statuendi: complebantur Templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obærati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum ut ceremonias Deum protegentis. Igitur placitum, ut mitterent Civitates Jura atque Legatos. Et quædam quod falso usurpaverant sponte omisere: multæ vetustis superstitionibus, aut meritis in Populum Romanum fidebant. Missis Legatis diversa ratione stabiliverunt Jus Asyli apud se Ephesii, Magnetes, Aphrodisienses, Stratonicenses, Hierocæsarienses, Cyprii, Pergamenses, Smyrnæi, Tenii, Sardiani, Milesii, Cretenses &c. *e*).

§. XI.

In Græcia restringitur.

His auditis, facta Senatus-Consulta, per quæ multus quidem honor antiquis Religionibus est habitus, modus tamen præscribebatur, jussique populi ipsis in Templis Senatus-Consultum æneis inscriptum tabulis affigere, tum ad sacrandam memoriam, tum ne specie Religionis in ambitionem delaberentur, memores semper, quod omne jus suum ex Romani Senatus beneficio obtinerent *f*). Præsertim Samiis Junonis, & Cois Æsculapii delubro, vetustum

O o 2 Asyli

*c*) Querebatur apud Senatum Tiberius (referente SUETONIO *in Tiberio*) de Agrippina, eam modo ad Statuam Augusti, modo ad exercitus confugere velle.

*d*) Hæc aliaque plura TACITUS *Annal. lib. III. c.* 36.

*e*) *Ibid. c.* 60.

*f*) Igitur nimis generali dicto SUETONIUS *in Tiberio* affirmat, Tiberium *abolevisse jus, moremque Asylorum, quæ usquam erant.*

Asyli jus ut firmaretur petentibus, benignas aures præbuit TIBERIUS *g*). Pro Samiis stabat antiquissimum Decretum Amphictyonum *h*): pro Cois antiquitati accedebat meritum ex loco; nam Cives Romanos Templo Æsculapii induxerant, cum jussu Regis Mithridatis apud cunctas Asiæ Insulas & Urbes trucidarentur *i*).

## §. XII.

icebat onfuge- e ad Sta- uas;

Quamvis ad Statuas Principum confugiendi facultas non levium abusuum ansam daret: nihilominus Romani, aliæque Gentes patere hoc Asyli genus voluerunt servis contra sævitiam Dominorum, ac etiam aliis ingenuis contra Potentiorum injurias. Unde JUSTINIANUS *k*) laudat Antoninum Imperatorem, qui *consultus a quibusdam Præsidibus Provinciarum de his servis, qui ad Ædem sacram, vel ad Statuam Principum confugiunt, præcepit, ut si intolerabilis videatur sævitia Dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, ut pretium Dominis daretur.* Cum autem nonnulli Domini ejusmodi servos tanquam fugitivos habere & punire vellent, Responsum ULPIANI Pandectis insertum est *l*), quo servi ad Statuam Cæsaris, aut aliud Asylum confugientes, nequaquam pœnis fugitivorum subjacere judicantur, nisi quis antea fugerit, & postea se ad Asylum contulerit.

## §. XIII.

'on ta- ien ad in- idiam al- eri cre- ndam.

Pronum tamen erat, ut malevoli quidam ad invidiam alteri creandam, & inurendam crudelitatis notam hoc Asyli genus quærerent. Unde variis Senatus-

*g*) TACITUS *Annal. lib. IV. c.* 14.

*h*) AMPHICTYON Hellenis filius, in conventu Græcarum Civitatum Leges tulit, ab eodem *Amphictyonicas* dictas, quarum vinculo mutuam amicitiam conservarent, & barbaris se formidabiles redderent. DIONYSIUS *Halicarn. Antiquit. Rom. lib. IV.* Hoc exemplum vetustum imitatæ postea sunt plures Græciæ Civitates, quarum conventus idem Amphictyonum nomen sortiebantur, indeque prodierat præsens Decretum. Eandem politiam inter multas Italiæ Urbes stabilivit SERVIUS TULLIUS, ut dictum §. 8. eandemque servant hodie Conventus Statuum Generalium Belgii confœderati; Diæta Pagorum Helvetiorum; Comitia Imperii Ratisbonæ.

*i*) MITHRIDATES ad omnes Urbium Asiæ Præfectos literas dedit, quibus imperabat, ut trigesimo ab acceptis literis die, omnes tum Romani, tum Itali cum liberis & uxoribus trucidarentur, atque insepulti feris relinquerentur. PLUTARCHUS *in Sylla*, una die centum quinquaginta millia; VALERIUS MAXIMUS *Exempl. memorab. lib. IX. c.* 2. octoginta millia Civium Romanorum interfecta esse scribunt. APPIANUS *de Bellis Mithridatic. pag.* 185. & 209. fuse exhibet tristes actus hujus Tragœdiæ. M. TULLIUS CICERO *Orat. pro Leg. Manil.* extimulat Romanos ad maculam istam delendam.

*k*) §. 2. *Instit. de his qui sui vel alien. jur. sunt.*

*l*) *L. quis sit.* 17. §. 12. *de Ædilit. Edict.*

status- Consultis & Rescriptis Imperatorum hæc licentia fuit coërcita *m*), ut ejusmodi confugæ censerentur potius pro alterius injuria, quam pro propria securitate, cui servandæ alia Legum remedia suppetunt, ad Statuas Principum confugere, nisi quis forte ex carcere ruptis vinculis evasisset; pro hoc enim justa securitatis quærendæ præsumptio militat. Imo etiam *in eum*, *cujus instinctu ad infamandum Dominum servus ad Statuam confugisse compertus erit*, *præter corrupti servi actionem*, *quæ ex Edicto perpetuo competit*, *severe animadvertitur n*). Ne autem vel crudelitati Dominorum, vel malitiæ servorum nimium indulgeretur, voluere Imperatores, ut qui ad Statuas confugerint, intra decem dies nec inde avelli, nec sponte discedere possint: causa enim intra hoc tempus cognita, vel securitati confugientis consulendum, vel malitia ejus plectenda erat. *o*).

## §. XIV.

**In Germania constituit Asylum Imperator.**

In Germania nostra inter Prærogativas Superioritatis Territorialis, qua gaudent Status Imperii, numeratur etiam ASYLI CONSTITUTIO. Pro toto Imperio jus istud competit soli Imperatori, qui locum quemdam, sive Civitatem, sive Ditionem tali immunitate donare, ac Refugii privilegio munire potest, ut criminis cujuspiam reus ex quacunque Imperii Provincia ad illum confugiens, securitatem adipiscatur. Alii autem Principes Imperii in suo tantum Territorio Asylum constituere possunt *p*). Asyli per Imperatores concessi exempla multa passim occurrunt. LUDOVICUS *Pius* Cœnobio Lindaviensi Asylum in sontium refugium concedit *q*). HENRICUS VI. Imperator Brisacense Castrum in Asylum ædificavit *r*). MAXIMILIANUS I. CAROLUS V. & FER-



*m*) *L.* 28. §. 7. *ff. de pœnis.*

*n*) *L.* 5. *ff. de Extraord. Crimin.*

*o*) *L. un. C. Theodos. de His qui ad Stat. confug.* Eadem Lex ab Impp. VALENTINIANO, THEODOSIO, & ARCADIO Anno Christi 386. lata, refertur *in Codice Justinianeo sub eod. tit.* omissa tamen mentione decem dierum, intra quos confugæ nec abripi, nec discedere possint, donec negotium examinetur.

*p*) Territorialis potestatis Jura Comitibus Imperii competentia deducuntur etiam ex Jure Asyli per comites de Ysenburg ann. 1286. concesso Monasterio Marienborn. Literas fundationis refert *Jo. Adam Kopp de insigni differ. inter S. R. I Comites & Nobiles Immediatos. in supplemento N.* 2. *addita observ.* 1.

*q*) BRUSCHIUS *de Monaster. German. Centur* 1. ubi agit de Lindaviensi Parthenone. famosum confirmationis Diploma adscribit Ludovico II. sed P. MAXIMIL. RASSLER vendicat illud Ludovico Pio. & cum P. WAGNERECK operose defendit contra CONRINGIUM, & TENZELIUM.

*r*) OTTO *Frising. Chron. lib. VII. in fin. Rex Henricus Castrum quoddam in Brisgau-*

FERDINANDUS I. confirmant jus Asyli in Curia, quod Cœnobium Adelbergense Ordinis Præmonstratensis in Wirtembergia, nunc a Protestantibus occupatum, habet in Civitate Esslingensi *s*). Idem MAXIMILIANUS confirmat Monasterio Hirsaugiensi in eadem Wirtembergia Jus Asyli in via media inter duo Monasteria, & in ponte, quo ab uno transitur ad alterum *t*). Simile Privilegium obtinuit Reutlinga, Civitas Imperialis Circuli Suevici, quæ Asylum præbet in homicidiis ex calore iræ, vel ad defensionem suam extra ipsam Civitatem, & ejus pomœria perpetratis *u*).

## §. XV.

Et Principes Imperii.

Quod Principes Imperii in suo Territorio Asylum concedere possint subditis suis, ac etiam forensibus delinquentibus in Provincia sua, satis certum est. Cum enim ipsis competat jus concedendi vitæ veniam reis, & remittendi injuriam violatæ suæ Jurisdictionis; multo magis competit jus aperiendi Asylum, quod non ab omni pœna liberat. Majus dubium est, an ejusmodi Asyla securitatem etiam præstent subditis alienis, alibi delinquentibus, & ad ditionem talis Principis confugientibus? Affirmandum id plane videtur hodiernis moribus, juxta quos remissiones reorum non fiunt ex necessitate: consequenter Princeps retinere & tueri potest ejusmodi reos ad se confugientes. Si alicubi hujus generis Asyla existant, solent vicini jure retorsionis immunitatem dare delinquentibus in ditione Principis, qui Asylum concessit. Dictum est (§. XIV.) Reutlingenses etiam peregrinis securitatem præbere in homicidio extra suam civitatem & ejus pomœria commisso: jure talionis autem ille, qui in Civitate Reutlingensi, ejusve Territorio delictum commiserit, sive civis, sive peregrinus fuerit, in vicino pago Pfullingen securum confugii locum invenit *x*). Quibus autem conditionibus hæc Asyla olim concessa fuerint, & quem usum hodie habeant, non est hujus loci, fusius examinare.

§. XVI.

*sagaugia, Bresacum dictum, in refugium pauperum, velut misericordiæ Asylum, cœpit ædificare, cunctosque confugientes illuc a totius injustitiæ violentia, Regali potentia studuit defensare.*

*s*) Vid. *Docum. rediviva Monaster. Wirtemberg. sub. tit. Monaster. Adelbergense.* §. 23. & 24.

*t*) *Ibid. sub. tit. Monaster. Hirsaugiens.* §. 27.

*u*) Confirmationem hujus Privilegii a MAXIMILIANO I. Imperatore Anno 1495. concessam, & Decisionem juxta hoc Privilegium factam Anno 1624. videre licet apud PHILIP. KNIPSCHILD *de Jur. Civit. Imper. lib. III. c.* 44. *n.* 28. *seq.* Addatur MYLERUS AB EHRENBACH *de Jur. Asylor. c.* 6. *n.* 15. *seqq.* PFEFFINGER *ad Vitriar. Tom.* 3. *fol.* 1267. *seqq.*

*x*) MYLERUS *loc. cit. c.* 8. *n.* 17.

## §. XVI.

Immunitatem habent Palatia Principum.

Magnam ab omni violentia securitatem præbent Palatia Principum, quorum Sanctitas prohibet vim inferre, verbera infligere, gladio alterum aggredi, imo etiam gladium solummodo stringere, manum levare ad pulsandum, provocare ad duellum &c. Licite tamen quis etiam in Residentia Principis defensionem sui suscipit cum internecione injusti aggressoris, servato moderamine inculpatæ tutelæ. Explodenda etiam est opinio eorum, qui sub lege de non fundendo sanguine in Palatio Principis, comprehendi putant Chirurgum, qui secta ægri vena sanguinem elicit y): *quis enim existimet, voluisse Legislatorem medicam manum, quæ præmio potius invitanda erat, ulla penitus pæna afficere? & eam Legem non coarctet ex subjecta materia, ut de ea sanguinis fusione intelligatur, quæ in speciem vel levis delicti cadat* z). Ad injustam vero læsionem præcavendam, frequenter in primo Palatiorum aditu signa quædam sunt posita, quæ introeuntes pacis Burgensis, & violatores pœnæ commoneant: violare autem Sanctitatem Residentiarum censetur, qui eo confugientes, & Asylum quærentes, inde invitos absque permissu Principis extrahit a). Similiter violentia inferri non debet in ædibus, ab Aula dependentibus, aut singulariter privilegiatis b).

## §. XVII.

Et prætendunt ædes Legatorum

Eandem Immunitatem suis ædibus deberi prætendunt Legati Principum: Principis enim Autoritas læsa censetur, quando læditur Legatus personam Principis referens. Scopus hujus tractationis non est, ut jura ejusmodi Asylorum examinentur: soli Asylo Ecclesiastico operam impendimus. Legi meretur CAROLUS PASCHALIUS c), qui & ipse Regis Galliæ Legatus erat apud Rhœtos, suamque de hac re disputationem hac conclusione finit: nequaquam securitatem in Legati ædibus obtinere debere eum, qui postulatur publicæ Majestatis, aut atrocissimi criminis reus est: extra talia, tamque periculosa crimina fatetur, præcipua quadam prærogativa esse ædes Legatorum, quo nunquam intrandum, nisi reverenter ac permissu Domini: quem respectum usque eo por-

y) CORASIUS *Miscell. lib. II. c.* 18. *n.* 9. *seq.*

z) ALCIATUS *lib. I. de Verb. signif. n.* 14.

a) De securitate in Palatiis Principum Vid. STRYCKIUS *Dissert. Vol. IV. disp.* 20. *c.* 1. *n.* 197. *seqq.* item *Vol. XI. disp.* 8. *c.* 3. *a n.* 20. VITRIARIUS *Inst. Jur. publ. lib. III. tit.* 17. §. 76. ibique PFEFFINGERUS.

b) Nihilominus Leopoldus I. Imp. Anno 1687. mandavit, ut nocturnarum turbarum rei, si ad ejusmodi ædes (Freyhäuser und Hofquartier) confugiant, inde extrahantur. *Lunig Corp. Jur. milit. p.* 2. *fol.* 705.

c) In libro qui inscribitur *Legatus, Cap.* 76.

porrigi æquum putat, ut si quis calamitosus, aut iniqua vi oppressus, I
ædibus utatur ut perfugio, ne hunc inde domestica inhumanitas extrahat,
eum peregrina humanitas excepit: quo furoris prolapsa quondam est n
tudo Achæorum, cum quosdam Lacedæmonios vi extraxit e diversorio l
torum Romanorum, nequicquam Legatis vociferantibus, eo se facto, ju
Gentium violari. Sed graves propterea pœnas Romanis dederunt, nar
PAUSANIA *d*).

§. XVIII.

Qui Jus suum extendere volebant Romæ,

Non domos tantum suas, sed etiam vias publicas & plateas, quæ
domos sunt, facinorosis & debitoribus tutum refugium esse voluerunt Ora
Regum & Principum in Urbe Romana, signatis etiam *Franchitiarum* nomi
mitibus in via, quo Justitiæ Ministris ingredi non liceret. Abusus iste in
Urbe Romana, videbatur nimium præjudicare, non solum tranquillitat
blicæ & juribus Creditorum, sed etiam summæ Autoritati & Majestati Pc
cis. Unde varii Pontifices *e*) gravissimis Constitutionibus has Franchitia
Asyli prætensum jus abolere conati sunt in Ædibus Cardinalium, Magn
& Oratorum cujusvis Principis. Parum observatas fuisse has Constituti
notum est. Sed INNOCENTIUS XI. quamprimum ad Solium Pontifi
elevatus fuit, mox efficacissime urgere statuit earum executionem, deci
que nullum externum Legatum ad Urbem admittere, qui non renuntiasset
tenso juri *Franchitiarum*. Sub hac lege admissus est Legatus Poloniæ, H
niæ & Angliæ. Etiam Imperator eidem Decreto subjecit suum Oratorem
que Regina CHRISTINA jus istud sibi tribui petiit.

§. XIX.

Non sine magnis turbis.

Post mortem Annibalis Estrei Legati Gallici, similem renuntiationei
egit Pontifex a Legato recens in Gallia nominato Marchione LAVARDI
Rege id abnuente, INNOCENTIUS ante adventum Legati 4. Id. Maji i
nova Constitutione, quæ incipit *Cum alias ... abominabile & detestandum*
*chitiarum nomen, quæ vulgo dicuntur Quartieri, contra omne jus fasque usur*
*penitus abolere volens*, prædictas Constitutiones Pontificum innovavit, c
mavit, Apostolica Autoritate roboravit, ac quatenus opus esset, de novo
posuit, decrevit, ac perpetuo & inviolabiliter executioni dari mandavit.
cet autem priores Pontifices negotium hoc ad Regimen politicum potius j
nere credentes, pœnas solum temporales intentarint: INNOCENTIUS
tra etiam in Excommunicationem latæ sententiæ, sibique reservatam, e

c

*d*) *In Achaicis, sive libr. VII.*

*e*) JULIUS III. ann. 1552. PIUS IV. 1562. GREGORIUS XIII.
SIXTUS V. 1585.

idere statuit & declaravit, qui in Alma Urbe Franchitias habere & tueri præsumpserint, aut qui ad ea loca confugerint; ratus, eos incidere in pœnas Bullæ Cœnæ, quæ §. XX. anathematizat omnes illos, qui per se, seu alios directe vel indirecte, sub quocunque titulo vel colore invadere, destruere, occupare & detinere præsumpsissent in totum, vel in partem, Almam Urbem, ceteraque loca in eadem Bulla expressa, ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, nec non supremam Jurisdictionem in illis, Romano Pontifici, ac eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpassent, perturbassent, retinuissent, vel aliis modis vexassent &c. &c. Cum autem his insuper habitis, Lavardinus iter suum prosequeretur, & octingentis armatis comitantibus, mense Novembri Urbem ingressus, pristinum jus Franchitiarum tueretur, ea exinde dissidia inter Aulam Pontificiam & Gallicam orta sunt, quæ memorare nimis longum esset. Cessit tandem Rex Christianissimus sub ALEXANDRO VIII. Pontifice: & ex illo tempore mos ille impediendi ministros Justitiæ ab ingressu Platearum, quibus contiguæ sunt ædes Legatorum, aut aliorum Magnatum, in Urbe Romana penitus sublatus est *f)*.

## §. XX.

Optimo jure securitas tribuitur publicis scholis, ita ut scholares, aut Doctores in illis capi aut extrahi non possint *g)*. Imo Universitati nostræ Ingolstadiensi Privilegium concessum est, ut fortuiti homicidæ tutum Asylum habeant in Collegiis, & ædibus Juris Consultorum, modo cæsus non sit scholaris *h)*. Alicubi minorum Magistratuum ædes ejusmodi immunitatem, vel ex anti-

**Securitas datur in scholis publicis, variisque aliis locis.**



*f)* Constitutio INNOCENTII XI. & huic insertæ Constitutiones priorum Pontificum referuntur in Bullario Romano. *Edit. Luxemb. Tom. VII. Const. XIX.* Acta hujus Causæ recensentur in variis libellis anonymis eo tempore scriptis, & ab illis Autoribus, qui postea scripserunt de Vita INNOCENTII XI. aut LUDOVICI XIV. Inter hos Mr. DE LARREY *Histoire de France sous le Regne de Louis XIV. Tom. V. pag.* 161. *seqq.* & 179. *seqq.* Item ZIEGLERUS, WICQUE FORTIUS, & CHRISTIANUS THOMASIUS *in Dissert. de Jure Asyli Legatorum ædibus competente.* ubi complectitur, quæ in aliis libellis eo usque editis circa controversiæ hujus historiam narrantur.

*g)* REBUFFUS *de Privileg. Universit. privil.* 102. testatur, ob læsam securitatem scholarum aliquos fuisse suspensos, eorumque Ducem ad mulctam condemnatum &c. Hunc sequitur HORATIUS LUCIUS *de Privileg. student. c.* 51. JULIUS CLARUS *sent. lib. V.* §. *fin. quæst.* 30. *n.* 25. RITTERSHUSIUS *de Jure Asyl. c.* 3. *n.* 29. SEBAST. GUAZZINUS *Tract. ad Defens. Inquisit. def.* 1. *c.* 37. *n.* 63. DECIANUS *Tract. crim. lib. VI. c.* 30. *n.* 11. qui extendit ad Advocatos, quod non possint capi in foro, ubi causas agunt.

*h)* Privilegium hoc concessit Dux LUDOVICUS, declaravit ALBERTUS, confirmavit MAXIMILIANUS Anno 1642. in hodiernis *Constitut. & Privileg. c.* 11. *n.* 6.

antiqua consuetudine, vel ex privilegio obtinuerunt. Absque ullis limitibus hoc jure usi vel abusi fuerant Scabini in Monthabur Archidiœcesis Trevirensis: limites certos posuit, & crimina quædam excepit RICHARDUS Archiepiscopus sæculo decimo sexto *i*). Exempla habemus Asyli privatis ædibus concessi *k*). Insuper Tormentis bellicis, si quis ad ea confugit, is honor tributus legitur, ut securitas a violentis Lictorum manibus impetretur saltem per tres dies, infra quos causam suam Reus possit liberius defendere *l*). Non minus apud Romanos securitatem sibi pollicebantur confugientes ad signa Militaria *m*).

## §. XXI.

Indulgentiam criminum præstant læti eventus:

Aliud Immunitatis genus præstant læti eventus, aut singulares solemnitates. Nam criminum *abolitio publice fit ob diem insignem, aut publicam gratulationem: vel ob rem prospere gestam n*). Juxta Legem Mosaicam Anno Jubilæo, seu quinquagesimo celebrabatur remissio & propitiatio *o*). Romani ob gravem pestilentiam, inter cetera remedia Numinis placandi, dum per octo dies Sacra facerent, vincula captivis in eos dies ademerunt: religioni autem deinde fuisset, eos rursus vinciri quibus eam opem Dii tulissent *p*). Et universim moris erat, ut vinctis catenæ demerentur, quoties supplicationes aut Lectister-

*i*) Diploma RICHARDI idiomate Germanico conceptum, refertur a Rev.mo DE HONTHEIM *Hist. Trevir. Tom. II. n.* 934. *pag* 611. *geben am Fritag nach Sanct Apolonien Tag, im Jahr unsers Herrn tausend fünffhundert und achtzehen, nach Gevvonheit in unserm Stifft zu schreiben.* Trevirenses autem olim inchoaverunt annum a 25. Martii, ut patet ex pluribus diplomatibus ejusdem operis: consequenter dictum Diploma datum erat Anno 1519. juxta stylum Calendarii Juliani.

*k*) Superioritas Territorialis antiquissima Domus Hohenlohicæ ostenditur ex concessione Juris Asyli, quod in oppido öhringensi Anno 1253. Godefridus de Hohenlohe concessit cuidam molendino, & adjacenti horto his verbis: *Dise Mülen und auch der Garte hant daz recht, swer drinn entrinnet, den sol nieman druz nemen ane gerichte.* D. HANSELMANN *de superiorit. Territ. Dom Hohenloh.* §. 29. & *Docum.* 43.

*l*) Ita statuitur in Articulis ad rem tormentariam pertinentibus, & a Carolo V. confirmatis apud LUNIG *Corp. Jur. Milit. part.* 1. *fol.* 5.

*m*) TACITUS *lib.* I. *Annal. c.* 39. *Neque aliud Munatio Planco periclitanti subsidium, quam castra primæ Legionis: illic signa & aquilam amplexus, religione sese tutabatur.* Item AMMIANUS MARCELLINUS *lib.* 25. *qui fraudum conscius & noxarum ad militaria signa confugit.*

*n*) *L.* 8. & 9. *ff. ad SC. Turpillian.*

*o*) *Levit. XXV.* 9 10.

*p*) LIVIUS *lib. V. c.* 13.

sternia indicebantur *q*). Thessali quando Peloria celebrabant, inter alia lætitiæ & humanitatis signa, etiam vinctos solvebant *r*). Syracusani, interempto Tyranno Hieronymo, capta Acradina, in libertatis recuperatæ testimonium, vinctos carcere emiserunt *s*). Constantinus M. propter Crispi atque Helenæ partum, criminosis omnibus indulsit, præter veneficos, homicidas atque adulteros *t*). Chilpericus Rex Francorum, post multa aliorum funera filio nato, jussit omnes custodias relaxari, vinctos absolvi, compositionesque negligentum fisco debitas omnino non exigi *u*). Si nova Nupta Principis in ipsius aulam solemniter inducitur, malefactores currui sponsæ inhærentes securitatem obtinent *x*). Kenulphus Merciorum Rex, qui ad finem sæculi octavi Regnum adiit, Edbrithum Cantuaritarum Regem captivum, liberum dimisit ad Altare Ecclesiæ, quam exædificaverat, ipso Dedicationis die *y*).

## §. XXII.

Et Festa Solemnia

Paschali præsertim tempore Christiani Imperatores, exceptis quibusdam criminibus, vinctos liberarunt, qui prima vice delictum commisissent *z*): quæ clementia etiam in aliis Christianæ Ecclesiæ solemnitatibus alicubi fuit captivis exhibita *a*). Unde in Capitularibus Regum Francorum *b*) statuitur,

 ut

*q*) ALEXANDER ab ALEXANDRO *Genial. dier. lib. V. c.* 27.

*r*) ATHENÆUS *Dipnosoph. lib. XIV.* narrat, quod Pelasgi cuidam Peloro, qui post montes in Hæmonia ingenti terræ motu diffractos, amænissimam regionem detectam esse nuntiaverat, lautas mensas apposuerint, & regione illa occupata, singulis annis Festum istud maxima celebritate transegerint, unde saturnalitiæ feriæ ortum duxisse creduntur.

*s*) LIVIUS *lib. XXIV. c.* 32.

*t*) *L.* 1. *Cod. Theod. de indulgent. crim.*

*u*) GREGORIUS TURONENS. *Hist. lib. VI. c.* 23.

*x*) WEHNERUS *Observat. pract. V.* Sicher Glaid.

*y*) Willelmus Malmesburiensis *de Gest. Reg. Angl. lib. I. c.* 5.

*z*) *L.* 3. *C. de Episc. audient.* Hanc legem PHOTIUS *Patriarcha CPolitanus in Nomocanone tit. VII. c.* 1. refert. Hunc morem commendant etiam Monachi in Literis ad Concilium Ephesinum II. datis, quæ recitantur in *Actione I.* Concilij Chalcedonens. & petunt absolutionem a vinculo excommunicationis, quo se injuste ligatos credebant.

*a*) MATTHÆUS PARIS. *ad An.* 1171. cædem S. THOMÆ *Cantuariensis* ex eo etiam exaggerat, quod peracta fuerit *in diebus Natalitiis, in quibus homicidæ, & rei læsæ Majestatis habent pacem & gaudium.*

*b*) *Capitul. lib. VI. c.* 107.

*ut Episcopi Judices publicos commoneant, ut in dies celeberrimos, hoc est, Nativitatem Domini nostri JEsu Christi, & Sanctam Resurrectionem, ac Pentecosten, quicunque miserrimi vinculis detinentur, relaxari debeant, & propter ipsam reverentiam Domini nostri JEsu Christi ipsi debeant absolutionem promereri. Et Judex, si Pastorem commonentem despexerit, quamdiu loci illius Episcopo visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.*

§. XXIII.

Exercitatio Virtutis, Asyli genus est.

Nolo attingere aliud Asyli genus, in quod digitum intendit EPICTETUS. Hic apud ARRIANUM, qui ejusdem Dissertationes refert e), docet, qua ratione per exercitationem Virtus animi acquiratur. Eum qui facile irritatur monet, exerceat se, ut convitia ferre possit; ut non doleat, si contumeliis afficiatur: hac enim exercitatione eo profecturum spondet, ut etiam verberibus ab aliquo affectus, perinde non turbetur, acsi Statuam complecteretur, quo scilicet complexu ab omni metu & violentia liber evaderet. Censet igitur hic Philosophus, firmata per exercitationem virtute, eam animi tranquillitatem etiam inter injurias obtineri, quam præstare Asylum solet. Difficilis est ad hoc Asylum ascensus.

# CAPUT II.

## De Natura & Causis Asyli Ecclesiastici.

§. XXIV.

Asyli Ecclesiastici Definitio:

Præmittere oportuit præcedenti Capite, diversa Asylorum genera, ne confundantur cum Asylo Ecclesiastico, ad cujus notionem genuinam tradendam nunc accedimus. *Asylum* igitur *Ecclesiasticum* juxta hodiernos mores, est *Locus Refugii sacer aut religiosus, immunitatem contra vim præstans intuitu Christianæ Religionis.*

§. XXV.

Effectus:

Duo Asyli hujus effectus probe considerandi, nec inter se permiscendi sunt, *primus* quod securitatem præstet ab omni violentia: *alter*, quod post se trahat liberationem a pœna capitali. Utrumque hunc effectum nobis exhibent mores & acta primitivæ Ecclesiæ usque ad nostra tempora, ut ex dicendis patebit.

§. XXVI.

e) *Lib. III. c. 12.* quod περὶ ἀσκήσεως inscribitur.

## §. XXVI.

Obtinetur per preces Episcoporum exemplo S. Gregorii Nazianzeni:

Immunitas hæc cum a violentia, tum a supplicio mortis, obtenta semper fuit vel per Preces Episcoporum; vel per confugium ad Ecclesiam. Nam Episcopi pro reis, etiam non confugientibus ad Ecclesiam, apud Judices & Principes intercedebant: isti autem pro summa in Episcopos reverentia precibus his quantum poterant, deferebant. Plena sunt Latinæ & Græcæ Ecclesiæ monumenta exemplis eorum, qui zelum suum pro eripiendis a capitali supplicio reis demonstrarunt. S. GREGORIUS NAZIANZENUS d) militiæ desertorem Duci Olympio sistit supplicem, laudans singularem Ducis *benignitatem, quam*, ait, *nunc quoque per nos petit, atque implorat Aurelius miles tuus, quem dementem quidem perfugam voco, prudentem autem supplicem, quoniam in manus nostras confugit, ac per nostras in tuas, canitiem nostram & Sacerdotium (quæ tibi venerationi esse sæpe confessus es) instar imperatoriæ cujusdam imaginis obtendens: en tibi hunc offert sacrifica hæc manus & incruenta &c.* Quæ verba rationem & energiam harum precum eleganter manifestant.

## §. XXVII.

S. Martini

Non poterant Principes Episcopum alio potentiore modo ad suam voluntatem flectere, quam si intercessionem ejus respuere simularent. S. MARTINUS nullis quidem Imperatoris Maximi comminationibus adigi poterat, ut in Ithacii Episcopi, aliorumque ejus gregalium, qui Priscillianum morte plecti curaverant, communionem veniret: unde etiam Imperator respuebat preces, quas pro Narsete Comite & Leucadio Præside ad gladium damnatis, item pro Hispanis Priscilliani sectatoribus, jam morti destinatis, MARTINUS interposuerat. Comperto Imperatoris jussu de necandis Narsete & Leucadio, ac de Tribunis in Hispaniam cum jure gladii mittendis, nocturno etiamnum tempore in palatium Vir sanctus penetrat: spondet, si parceretur, se communicaturum. Maximus indulget omnia: postridie Felicis Episcopi Ordinatio parabatur: hujus igitur diei communionem MARTINUS iniit, satius æstimans ad horam cedere, & de rigore disciplinæ Ecclesiasticæ remittere, quam his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat e). Vicissim



d) *Epist* 78.

e) Ita fere SULPITIUS SEVERUS Dialogo 3. B. GREGORIUS *Turonensis* hoc S. Martini exemplo animavit Episcopos ad constantiam in tuenda Ecclesiastici Asyli Immunitate, his verbis: *Quid Maximus Imperator? nonne cum beatum Martinum compulisset communicare cuidam homicidæ Episcopo: & ille quo facilius addictos morti liberaret, Regi impio consensisset, prosequente Regis æterni judicio, ab Imperio depulsus Maximus, morte pessima condemnatus est? Ita ipse* GREGORIUS *Turonens. Hist. Franc. lib. V. c. 18.*

ſim Principes non alia magis ratione honorare Epiſcopos credebantur, q ſi ad eorum preces ſe faciles præberent in liberandis captivis *f*).

## §. XXVIII.

S. Remigii:

Eadem charitate B. REMIGIUS tam vitam, quam rerum poſſeſſic obtinuit Eulogio Viro præpotenti, qui apud Regem Clodoveum ſuper R Majeſtatis crimine convictus ad interceſſionem hujus Sancti Epiſcopi c gerat *g*). Quantopere in hoc intercedendi pro miſeris ſtudio eminueri EPIPHANIUS Epiſcopus Ticinenſis, eloquenter commendat ejus ſucc ENNODIUS. Erat in Epiphanio adhuc juniore, *ſermo ad doctrinam cong fabricatus ad blanditias, ad interceſſiones jam tunc artifex h*). Ad Diacon promotus, & ab Epiſcopo variis negotiis adhibitus, *interceſſionum etiam certamina proludebat. Nam ubicunque pro remediis miſerorum Epiſcopi mitte imperio, tanta exigebat beneficium arte ſupplicandi, ut ſentirent ſibi in cauſis pr complurimi, ipſum per ſe Epiſcopum non veniſſe i*). Poſt adeptum Epiſcopatu *terceſſionum tantam ſibi propoſuit curam, ut ipſum ſe miſeris inferre crederet ſtiam, quam per negligentiam a quibuscunque permiſiſſet inferri k*).

S. Epiphanii:

## §. XXIX.

S. Syneſii.

Neque ullis præviis injuriis hi Sancti Epiſcopi ab interceſſionis c dimovebantur. Elegans exemplum nobis præbet SYNESIUS Cyrenes copus. Hic Anno ſalutis 411. Ptolomaide coacto Presbyterio Andror Pentapolitanæ Provinciæ Præſidem anathemate feriit, ſcripta etiam epiſtol alios Epiſcopos hujus rei admoneret *l*). Simulabat pœnitentiam Andror unde multis aliis deprecantibus dictam epiſtolam ad alios Epiſcopos m diſtulit SYNESIUS. Verum nova Andronici facinora impellebant V ſanctum, ut ſententiam executioni daret *m*). Nihilominus poſtquam A

*f*) MICHAEL *Palæologus* Imperator *aperuit cuſtodias publicas, & mult detentorum vinculis ſolvit; damnatis quoque gratiam indulſit ſupplicii c exules revocavit, & quibus erat iratus, condonavit offenſas, interceden triarcha Joſepho.* Ita PACHYMERES *Hiſtor. Michaël. Palæol. l. IV.*

*g*) FLODOARDUS *Hiſt. Eccl. Rhemenſ. lib. 1. c.* 14.

*h*) ENNODIUS *in vita Epiphanii. m. fol.* 363.

*i*) *Ibid. fol.* 367.

*k*) *Ibid. fol.* 372.

*l*) SYNESIUS *Epiſt.* 58. ubi inter alia: *Andronico nullum Dei fanum ape omnis illi religioſa ædes, ac ſepta claudantur.*

*m*) *Ibid. Epiſt.* 72.

nicus, pro facinorum suorum castigatione in eam miseriam incidisset, ut commiseratione dignus videretur, SYNESIUS adeo ferventer ipsi adjumento fuit, ut Magnatibus per intercessiones suas molestus fuerit, & Theophilum Alexandrinum enixissime rogaverit pro Andronico in gratiam Aulæ restituendo *n*)

## §. XXX.

Has preces non improbat S. Hieronymus.

Severiore quidem spiritu agebatur S. HIERONYMUS. Hic tamen non improbat Intercessiones Clericorum & Episcoporum pro afflictis: improbat solummodo nimis sæculares modos, sibi & miseris conciliandi Judices. Damnatis enim opiparis conviviis a Clerico structis, respondet ad id, quod sibi opponi poterat, his verbis: *quodsi obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris atque subjectis: Judex sæculi plus deferet Clerico continenti, quam diviti; & magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes aut si talis est, qui non audiat Clericos pro quibuslibet tribulatis nisi inter phialas; libenter carebo hujuscemodi beneficio, & Christum rogabo pro Judice, qui magis & citius subvenire potest, quam Judex o*).

## §. XXXI.

Per talem indulgentiam honorabatur Consecratio Templorum:

Unde etiam Civitatum Magistratus nullo majore obsequio solemnem Episcoporum aut Ecclesiarum consecrationem, seu primum introitum se honorare posse credebant, quam si vinctos ex carcere liberarent. Merito miramur generosum animum Mizlai Principis in liberandis captivis, quorum libertatem petiverat S. OTTO Bambergensis Episcopus, antequam procederet ad ceremonias consecrandi Templi, quod Stettini ædificaverat *p*). Agnoverat enim, quam

n) *Ibid. Epist.* 89. ad Theophilum sic scribit; *Andronicus & antea faciebat, & modo patitur injuriam. Est autem Ecclesiæ animus ejusmodi, ut depressos extollat, elatos deprimat. Hunc igitur Andronicum oderat quidem eorum merito, quæ perpetrabat, ideoque eo illum recidere passa est: nunc vero miseretur, quod illum quavis imprecatione graviora expertum sentiat: adeo ut potentibus etiam viris ejus gratia molesti fuerimus . . . quare nos hic eum funesto e tribunali extraximus, ceterisque in rebus ei leviores multo calamitates reddimus. Quod si qua tua illum pietas cura ac solicitudine dignabitur, magno hoc mihi argumento fuerit, hominem a Deo non omnino esse derelictum.*

o) S. HIERONYMUS *Epist.* 2. *ad Nepotian. de vita Cleric. c.* 13.

p) Vid. Vita S. OTTONIS ab Ebbone conscripta *lib. III. c.* 2. *in Act. SS. die* 2. *Julij. fol.* 444. Ibi narratur, quod liberatis reliquis, unus arctius & occultius teneretur in vinculis, Danici cujusdam Principis filius, cujus pater Mizlao grandem pecuniæ summam debebat: pro hac enim obtinenda filius tenebatur captivus. Cum hujus quoque liberatio peteretur, post magnam luctam, demum dicebat Mizlaus: *Deum testem invoco, quod etsi corpus*

quam Deo charum esset hujus sancti Viri studium in liberandis captivis, cum non multo ante S. OTTO longe absens civem Stettinensem in Dania captivum e carcere eduxerit, & patriæ restituerit *q*).

## §. XXXII.

it pri- |s in- |itus |isco- |rum.

Frequenter enim prodigiosis eventibus proditum est, quantopere Deus hanc Episcoporum charitatem probet. Ad preces S. GERMANI Episcopi Autisiodorensis surdæ quidem erant aures hominum: sed cœlesti virtute aperti sunt carceres, & captivi quasi in triumpho ducebantur ad Ecclesiam *r*). S. EPARCHII precibus resuscitatus est a morte, qui non obstantibus ejus precibus, fuerat suspensus *s*). Alius narratur intercessione B PETRI de Luxemburgo miro eventu a suspendio liberatus *t*). S. ANIANUS, Episcopus Aurelianensis electus, ab Agrippino Viro illustri & militum Magistro petiit, ut vinctos in carcere, pateretur abire liberos. Recusabat ille, nescio quid causæ prætexens: sed cum vellet in Templum precandi causa ingredi, ab alto decidit lapis in caput ejus, diramque plagam infligit. Sensit illico ea causa id accidisse, quod Sancti Episcopi preces rejecisset. Cum sanguinis fluxus sisti non posset, mors imminere credebatur. Episcopo autem Crucis signum vulneri imprimente, sanguis sistitur: redeunt vires: aperiuntur carceres *u*). Quo illustrius hoc fuit documentum, quod morem hunc pium Deus ratum habeat; eo gravius ferebat Ivo Carnotensis Episcopus, dum suspicabatur, hunc ipsum morem everti ab Episcopo quodam Aurelianensi, cui manus imposuerat. Suadente Jvone, in primo Civitatis ingressu curaverat quidem hic Episcopus, Clericum quendam liberari e carcere: hunc tamen postea rursum carceri mancipatum intelligens Ivo, arguit Episcopum de fide non servata *x*). Refertur etiam

*pus meum pro nomine ejus martyrio consecrarem, non amplius quid, nec animo meo gravius agere possem; quam quod hunc, tanto mihi debito obnoxium, quem nullo pacto relaxari decreveram, nunc animo meo violenter reluctans, pro honore Dei omnipotentis, & amore Domini mei Episcopi absolvo &c.*

*q*) *Ibid. lib. III. c.* 1. *fol.* 440.

*r*) Contigit id Ravennæ Anno 448. quo tempore Valentinianus III. Imperator cum Matre Placidia ibidem commoraretur. *Act. SS. Tom.* 7. *Julii in vita S. Germani lib. II. c.* 2. *fol.* 219.

*s*) GREGORIUS *Turonens. Hist. lib. VI. c.* 8. *Act. SS. die* 1. *Jul. fol.* 113. *seq.*

*t*) *Act. SS. die* 2. *Julii fol.* 604.

*u*) SURIUS *in vita S. Aniani die* 17. *Novembr.*

*x*) Ivo *Carnotens. Epist.* 121. inter alia sic scribit: *non promittunt bonos exitus ista principia. Unde si vultis amplius nos amicos habere & adjutores; aut Dio-*

etiam Senatus-Consultum Parisiense, anno 1322 editum, quo id Privilegium recens electo Episcopo Aurelianensi confirmatur, *ut prisionarios liberet, ac eisdem injungat pœnitentias salutares, prout ei visum fuerit expedire. y)*. Hoc tamen Privilegium Edicto Regio declaratum & coërcitum fuit, exclusis ab eo beneficio certis sceleratis, anno 1753. & 1758. *z)*.

## §. XXXIII.

Alter modus obtinendi Asylum per confugium ad Ecclesiam.

Pro reis & captivis iis etiam, qui ad Ecclesiam non confugerant, ex pio Religionis zelo preces olim interponebant Episcopi merebanturque benevolas Judicum aures, ut ex dictis manifestum est: imperia autem adhibebant, quando de iis agebatur, qui ad Ecclesiam confugissent, aut quorum mors ulciscendis Ecclesiæ injuriis fuisset impendenda *a)*. Episcopis enim & Sacerdotibus Ecclesiarum cura commissa est, quæ utpote summo Deo consecratæ, singularem exigunt reverentiam, ne per violentiam in ipsis exercitam, injuria inferatur ipsi Deo, qui confugientes ad Ecclesiam in suam tutelam videtur suscipere non tantum insontes, sed etiam sceleratos.

## §. XXXIV.

Causa I. Asyli concedendi est exemplum Mansuetudinis Christi.

Præcipua Ratio constituendi *Asylum Ecclesiasticum* fundatur in singulari favore Christianæ Religionis. Ad hanc promovendam tendunt omnes causæ, quæ pro concedendo Asylo adduci solent. Harum prima est exemplum Christi, cujus mansuetudinem in adultera a pœna mortis liberanda *b)* aliisque peccatoribus benigne recipiendis, imitari student Episcopi. Male Autores nonnulli hujus Christianæ Mansuetudinis & Asylorum causam ex eo derivant, quod antiquiorum sæculorum Episcopi illicitum crediderint, ut humanus sanguis in pœnam criminis fundatur *c)*. Falso quidem hæc mens affingitur Ecclesiæ Ro-

 manæ:

*Diaconum Curiæ traditum liberate, aut pro ejus liberatione, quod exigit cura pastoralis, sine dilatione perficite. Quod si non feceritis, patens erit procul dubio, quod consilio vestro, vel vestrorum captus fuit, nec eum fides, sed fraus in introitu vestro liberavit.*

*y)* Vid. THOMASSINUS *Vet. & nov. Eccles. Discipl. p. II. lib.* 3. *c.* 99. *n.* 1.

*z)* Edicta Regia referuntur in publicis pagellis ad annos 1753. & 1758.

*a)* S. AUGUSTINUS *Epist.* 133. *alias* 159. scribit ad Marcellinum, *si non audis amicum petentem, audi Episcopum consulentem: quamvis quoniam Christiano loquor, maxime in tali causa, non arroganter dixerim, audire te Episcopum convenit jubentem.* Similia habet *Epist.* 134. *alias* 160.

*b)* JOANN. *VIII.* 3. *seqq.*

*c)* *Vid.* PFAFFII Dissertatio *de Ecclesia sanguinem non sitiente.*

aboleri sub comminatione Censurarum Ecclesiasticarum jubet *l*). Nec Decre tum Concilii Viennensis, nec Literæ GREGORII XI. ad Carolum V. Regen Galliarum datæ efficere poterant, quo minus Galli, præsertim Parisienses re tinerent veterem consuetudinem, negandi Confessarium, sicut adhuc hodie ib negatur Sacra Communio reis ad mortem ducendis *m*). Confessarii copia u permitteretur, impetravit demum a Rege Carolo VI. Petrus de Craon, fort ad expiandum suum crimen, quo Oliverio de Clisson Comiti stabuli Regii, cæ dem impactis gravibus vulneribus machinatus fuerat. Edicto Regio de Pœni tentia his miseris administranda obtento, prope locum suppliciis publicis de stinatum, memoratus Petrus de Craon Parisiis poni curavit lapideam Crucen Insignibus suis ornatam, ad cujus pedes longo posthac tempore criminosi con fitebantur Sacerdoti peccata sua, antequam mortem subirent *n*).

## §. XXXVII.

Causa III. Occasio Clementiæ exhibendæ Judicibus data,

Inter causas concedendi Asyli solet assignari, quod hoc modo optata Ju dicibus detur occasio exhibendæ Clementiæ, quam rigor Justitiæ excluderet Rationes permittendi Asylum non satis perspiciebat Macedonius Comes, dun ad Augustinum satis acute scribit *o*) : *Officium Sacerdotii vestri esse dicitis inter venire pro reis, & nisi obtineatis, offendi, quasi quod erat officii vestri, minime re portetis. Hic ego vehementer ambigo, utrum istud ex Religione descendat.* Ratio nem sui dubii reddit Macedonius ex eo, quod crimen probare videatur, qu illud impunitum relinquit. Fuse S. Augustinus respondet Macedonio, Episco pos intercedendo non intendere approbationem criminum, sed potius emen dationem, & utilem correctionem, de qua Causa modo locuti fuimus. Alian auten

*l*) *Clement. 1. de Pœnit. & Remiss.*

*m*) NATALIS ALEXANDER *Hist. Eccl. sæcul. 3. dissert. 7.* affirmat, damna tis ad mortem in Gallia dari quidem absolutionem, non tamen Eucharistiam Propositionem hanc notabant ejus Censores : ipse autem respondet, han facti quæstionem esse, cujus ipse testis oculatus sit. Hunc tamen moren negandi Eucharistiam non vigere per totam Galliam, colligo ex Autor *Glossarum in Sanctionem Pragmaticam Galliæ Tit. Quomodo Divin. Offic. si celebr. V. inclinent. Lit. f. fol.* 672. ubi ait : *si homicidis vel latronibus in capti vitate pœnitentibus portatur Corpus Christi, talibus non subvenitur, ut a car cere liberentur, licet illa die Justitia sit differenda.* Certe in multis aliis Re gionibus non subtrahitur hisce hominibus Eucharistia juxta *c. 4. de Hæret in 6. & Pii V. Const. cum sicut.* 91. ubi confirmat Indulta & gratias Confra ternitatis de Misericordia.

*n*) Hæc recenset P. DANIEL *Histoire de France ad ann.* 1401. *Edit. Paris. fo* Tom. 2. pag. 828. In edit. German. part. 6. pag. 119.

*o*) Inter Epistol. AUGUSTINI *Epist. 152. alias* 53.

autem rationem huc pertinentem subnectit AUGUSTINUS p), ex qua gratæ Judicibus debeant esse intercessiones Episcoporum: scilicet ut præbeatur ipsis occasio mitigandi rigorem Justitiæ, qua via imitabuntur Clementiam DEI erga peccatores, & conciliabunt Reipublicæ animos subditorum, quos terrent comminatione pœnarum, & solantur indulgentia criminum. Præsentiebat Macedonius ejusmodi responsa Augustini. Unde in memoratis suis literis ait: *hoc mihi propositum est, ut Intercessoribus, præsertim talis meriti qualis tu es, etiam gratiam agam. Pleraque enim, quæ sponte facere videri nolo, ne remissio severitatis alios armet in crimina, opto bonis Intercessoribus relaxare, ut quod libens concedo, salva severitate Judicii, alterius merito videatur indultum.*

## §. XXXVIII.

Saltem pro remittenda pœna mortis

Hoc severitatis Judicialis, & lenitatis Ecclesiasticæ temperamentum S. CHRYSOSTOMUS utilissimum esse judicat in Republica q): & S. AMBROSIUS inter misericordiæ opera, quibus possimus pro peccatis nostris satisfacere, recenset cum officium intercedentis Sacerdotis, tum benignitatem parcentis Principis r). Nec tamen Justitiæ, ubi Reipublicæ interesse credebatur, obstare volebant Episcopi suis apud Judices Intercessionibus s), sicut nolebant, ut Judices sæculares se opponerent correctioni Clericorum t): salva enim vita

Qq 3 &

p) *Epist.* 153. *alias* 54. § 19. *Prodest ergo & severitas vestra, cujus ministerio quies adjuvatur & nostra: prodest & intercessio nostra, cujus ministerio severitas temperatur & vestra. Non vobis displiceat, quod rogamini a bonis; quia nec bonis displicet, quod timemini a malis ... Ita formidabitur ultio cognitoris, ut nec intercessoris religio contemnatur, quia & plectendo & ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur.*

q) *Homil.* 6. *ad Popul. Antioch. Judices terrent; inde Sacerdotes consolentur: Magistratus minantur; ideo Ecclesia confirmet. . . . per utraque Deus salutem nostram disponit: nam & Magistratus ipse armavit, ut lascivientes terreant: & sacerdotes ipse elegit, ut dolentes consolentur.*

r) S. AMBROSIUS *in Psalm.* 118. *Octon.* 8. *vers. funes peccatorum.*

s) S. GREGORIUS M. ut legimus *lib. VIII. Epist.* 51. & apud JOANNEM *Diacon. in vita lib. III. c.* 47. Leontium Exconsulem acerbe objurgat ob nimium rigorem: non tamen vult protegere reos, nisi in quantum Justitia patitur. *Debet Gloria Vestra meminisse, quia nunquam Epistolas meas pro commendatione alicujus accepit, nisi ut protectionem vestram favente Justitia, præstaretis.*

t) Idem *lib. IV. epist.* 18. ad Exarchum Ravennatensem: *Satis grave est, si illic habere pravam contingat actionem refugium, unde disciplinæ decet prodire censuram ... unde iterum quæsumus, ut Excellentia Vestra in talium se causarum defensione non misceat, ne & Deus suam defendat injuriam, & inter nos aliorum pariat culpa discordiam.*

& integritate membrorum, non impediebant pœnas, quæ correctioni peccantium serviebant *u*). S. CHRYSOSTOMUS tuebatur Eutropium in Ecclesia latentem, ne interficeretur: sed præstita per jusjurandum securitate vitæ, non obstitit, quo minus in Cyprum relegaretur *x*). THEODORICUS Rex & sanctitati Ecclesiæ & Justitiæ consultum credebat, dum Jovinum homicidii reum, & ad Ecclesiam confugientem, in Siciliam relegavit, Ætnei incendii spectaculo terrendum *y*). Illis etiam temporibus, quibus severiores peccatoribus pœnæ infligi ab Ecclesia solebant, credebatur pro expiando facinore sufficere Pœnitentia Ecclesiastica *z*). Unde CAROLUS M. ejusmodi criminosos Pœnitentiæ Canonicæ subjectos, volebat congregatos in uno loco laboribus utilibus exerceri, ne circumvagantes novorum scelerum perpetrandorum occasionem captent, vel periculum subeant *a*).

§. XXXIX.

*u*) S. AUGUSTINUS *Epist.* 100. *alias* 127. ad Donatum Proconsulem Africæ de Donatistis hæreticis sic scribit: *Ex occasione terribilium Judicum ac legum, ne in æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari; nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse.* Eandem mansuetudinem commendat AUGUSTINUS *Epist.* 139 *alias* 158. Item *Epist.* 133. *alias* 159 dehortatur Marcellinum a cæde Circumcellionum, *non quo scelestis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri; sed hoc magis sufficere volumus; ut vivi & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insani ad sanitatis otium legum coërcitione dirigantur, vel a malignis operibus alicu utili operi deputentur. Vocatur quidem & ista damnatio: sed quis non intelligat magis beneficium quam supplicium nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxetur audacia, nec pœnitendi subtrahatur medicina.*

*x*) ZOSIMUS *Hist. lib. V.*

*y*) CASSIODORUS *variar. lib. III. epist.* 47.

*z*) Eleganter S. BERNARDUS, latronem quendam supplicio eripiens, Comit Theobaldo eundem repetenti respondit: scio hunc latronem esse sceleratissimum, omniumque tormentorum acerbitate dignissimum. Non me ergo existimes hujusmodi peccatorem impunitum velle relinquere, quin potius cogito ipsum tortoribus tradere, & dignam ex eo capere ultionem, quæ utiqu tanto dignior erit, quanto diuturnior. Tu illum decreveras brevi supplici & momentaneo interitu consummari: sed ego eum faciam diuturno cruciatu & morte longissima mori. Tu furcis appensum per unum, aut per plurimo dies mortuum in patibulo, manere permitteres: ego crucifixum per anno plurimos faciam in pœnis jugiter vivere & pendere. Ita refertur in vita S Bernardi, quæ præmittitur operum editioni Coloniensi *lib. VII. c.* 15. ubi a ditur, quod homo iste ultra triginta annos in Clarevallensi Monasterio sanct vixerit.

*a*) *Capitular. lib. VI. c.* 379.

## §. XXXIX.

Causa IV. Ut rei haberent spatium se defendendi.

Præter salutem animæ accedit in favorem reorum alia aperiendi Asyli ratio, ut scilicet illis securus locus, & opportunum tempus suppeteret causam suam tuendi, & præriperetur occasio præcipitis sententiæ Judicum *b*). Nam Judiciorum ordo in condemnandis criminosis non ea ubique accuratione observabatur, qualem præscribunt Leges Romanæ, aut observant hodierna Tribunalia. Plurimi condemnabantur vel ex levibus indiciis, vel ex malitia accusatorum, vel ex vanitate purgationis vulgaris. Unde etiam Carolus M. Judices tum demum in supplicio capitali juste processisse præsumebat, quando eorum æquitas ab Episcopis laudabatur *c*). Cum igitur Ecclesia nequaquam impedire soleat, ne criminosi, aliis suis obligationibus satisfaciant; hinc S. GREGORIUS eos, qui ob gestorum officiorum rationes sibi timebant, accepta securitate ex Asylo egredi voluit *d*).

## §. XL.

Causa V. Reverentia Templis debita.

Denique ipsa Templorum Sanctitas, & Reverentia illis debita exigit, ut rei eo confugientes securitatem ab omni violentia obtineant, & per Clementiam supremi Numinis, quam implorant protegantur. Res ista vix poterit aptioribus verbis exponi, quam quibus utitur THEODOSIUS Imperator in suo Edicto *e*), quæ proin apponi & legi merentur: *Vetus jam inde a Paganismi temporibus consuetudo, naturalisque Legis sanctio, pietatis causa obtinuit, ut apud omnes nationes, publicæ administrationes, humanæque functiones a religione sacrisque ceremoniis semper secernerentur; sacraque non solum in summo rerum fastigio, sed veluti in quodam posito in terris cælo collocarentur, quo accedere solis puris sanctisque fas esset.* .. Recensita dein Paganorum religione erga Templa & Idola, pergit Imperator: *quanto magis par est, ut nos Religionem nostram omni cum observantia custodiamus. . . ut unicus extremusque miserorum, opeque destitutorum portus patentiore aperto sinu hujuscemodi confugientes excipiat. Nemini qui maris fluctus & scopulos*

*b*) In hanc sententiam S. GREGORIUS M. *lib. I. Epist.* 35. curæ Joannis Episcopi Ravennatensis commendat Maurilionem in Ecclesia latentem, quo & Maurilio rationes suas absque suspicione oppressionis exponat, & Georgius Præfectus, rationes sine laceratione suæ opinionis exequatur.

*c*) *Capitular. ann.* 779. *cap.* 11.

*d*) S. GREGORIUS *lib. VIII. Epist.* 50. sic scribit: *Gloriosum Gregorium Exprafectum, vel alios qui in septis Ecclesiasticis residebant, hortari studiose curavimus, ut exire & rationes suas exponere debuissent: qui egredientes . . accepto verbo ad Siciliam ire parati sunt.*

*e*) Integrum exhibetur in *Codicis Theodos. tom.* 3. *fol.* 395. *recent. edit.* Ex isto Edicto desumpta est Lex *pateant, C. Theod. & Justin. de his qui ad Eccles. confug.*

*pulos declinat, convenit terra adimere tranquillitatem: bellum, in quem steterit acies adversus eum sese dedentem minas deponit. Asylum olim defendit variis criminibus obstrictos, legum aspernans autoritatem: Majores etiam nostri, ne aliquo modo timore perculsis humanitas denegata videretur, in nostris quoque Statuis Aram saluti constituerunt; ita ut si qui vel extrema imaginum nostrarum vestigia forte contigerint hi ab omnibus minis adversa fortuna liberati ac securi gaudeant. Jam si statua complexus propter Regiam Majestatem tantum præsidii miseris conciliat: quantum opis illis debet esse paratum, qui salutis causa ad sacrosancta Altaria confugiunt? .. qualis enim naufragorum in suis calamitatibus misericordia reliqua erit, si littus præcludas, & fontem siti laborantibus perturbes? aut quanam humanis calamitatibus medicina supererit, si calamitosis Deus ipse denegetur?*

## §. XLI.

ad DEI et Sancto- rum honorem.

Injuria etiam ipsis Cœlitibus inferri creditur, si securitas non præstetur illis, qui ad ipsorum tumulos vel Ecclesias confugiunt. Unde fuit semper tanta fiducia in hac Ecclesiarum Immunitate, ut etiam impiissimi, qui nulla Templorum religione alias movebantur, non raro salutem suam, ita disponente DEO in Templis quærere & invenire debuerint: qua ratione benignitatem suam Ecclesia conformiorem reddit Clementiæ DEI, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, magnisque beneficiis inimicos suos cumulat, quos etiam certa scientia nunquam emendandos prævidet; cum tamen Ecclesia spem semper foveat de corrigendis vitiis eorum, qui ad sinum suum confugiunt *f*). S. CHRYSOSTOMUS magnum exinde decus accedere Ecclesiæ judicabat, quod defenderet Eutropium, qui jura Ecclesiæ antea multoties violaverat, & Edictum Arcadii contra jus Asyli obtinuerat *g*). Ante Chrysostomum similem benigni

*f*) S. AMBROSIUS *Epist.* 51. postquam Judici cuidam proposuerat exemplum Christi impunitatem donantis mulieri adulteræ, subdit: *habes quod sequaris potest enim fieri, ut ille criminosus possit habere spem correctionis. Si sine baptismo est, ut possit accipere remissionem: si baptizatus, ut pœnitentiam gerat & corpus suum pro Christo offerat. Quantæ sunt ad salutem viæ!*

*g*) S. CHRYSOSTOMUS in celebri illa Homilia in Eutropium, quam eo audiente & ad aram hærente ad Populum habuit, sic loquitur: *quoniam multi sunt e nostris adeo inhumani, ut nos etiam incusent, qui eum sacrario exceperimus: illorum duritiam nostris sermonibus mollire volens, miserias istius traduco. Quid enim est, quæso dilecte, quod indigne fers? dices, quia in Ecclesiam confugit qui eam indesinenter impugnabat. Atqui hoc potissimum nomine glorificandus erat Deus, quod permisit eum in tanta constitui necessitate, ut & potentiam Ecclesiæ & Clementiam disceret: Potentiam, eo quod in tantam inciderit mutationem ob simultatem, quam cum illa habebat: Clementiam vero, quod infestatorem suum*

nignitatem exhibendam S. BASILIUS censebat Judici, qui BASILIUM ob propugnatam Templi immunitatem multis contumeliis affecerat, & demum contra furorem populi ad Templum confugere coactus fuerat *b*).

## §. XLII.

Non dissimulanda est hoc loco erronea quorundam persuasio, quæ olim invaluerat, scilicet eum, qui aliquando Ecclesiæ Asylo gaudere meruit, a supplicio & Judice criminali immunitatem obtinuisse pro tota sua vita, etiam quoad crimina posthac commissa, cum videretur sortitus forum Ecclesiasticum *i*). Imo hoc argumentum promovebant aliqui latius, sibi persuadentes, eum in jus deinceps a quocunque Judice vocari non posse, nec de quantocunque crimine, publico Judicio damnari, qui semel Episcopo crimen suum confessus esset: nam vere ad tutelam Ecclesiæ confugisse censeri, qui ad Episcoporum pedes accidit, arcana pandens conscientiæ, & reatus animæ confessus. Super hac quæstione consultus fuit HINCMARUS Rhemensis Archiepiscopus, ex occasione controversi divortii inter Lotharium Regem & Teutbergam conjugem. Ex dicta enim opinione argumentum aliqui ducebant, causam divortii non posse trahi ad alium Judicem, quando crimen, cujus causa Matrimonium irritum esset, in

Immunitas hæc non extenditur ad crimina futura

 secreta

*suum objecto nunc scuto protegat, & alarum obtentu tueatur, præteritarumque injuriarum oblita, sinus ei amantissime pandat. Hoc enim quovis trophæo splendidius, quavis victoria illustrius, hoc Ethnicos, hoc Judæos pudefacit: hoc placiditatem vultus ejus ostentat, quod hosti captivo parcat, & ab omnibus desertum ac contemptum, ut amantissima mater suis velamentis occultet, Regis simul iræ, & intolerabili populi furori ac odio se opponens. Hoc ipsum est eximium Altaris ornamentum. Dices, hoccine ornamentum, hominem scelestum, avarum, rapacem Altare contingere? Cave talia dixeris: quandoquidem & meretrix pedes ipsius Christi contigit, incesta illa & impura: nec tamen hoc in crimen Domino Jesu cessit, sed in laudem magnam & admirationem: neque enim purum impura offendit, sed scelestam meretricem purus & inculpabilis suo contactu purificavit &c. &c.*

*b*) S. GREGORIUS *Nazianzenus Orat.* 20. *in laudem Basilii dicta*, eventum hunc fuse narrat de nobili vidua, quam Judex ex Ecclesia ad Nuptias, invitam extrahere volebat: Basilius autem omni vi retinebat. multis hic contumeliis afficiebatur a Judice, donec populus, re cognita, correptis armis in Judicem irrueret. *Quid igitur audax ille & insolens Judex? supplex erat, miserabilis, calamitosus, quovis homine dejectior*: quoad in conspectum prodiens Basilius, ac populum per vim retinens, *supplicem suum, & vexatorem a periculo vindicavit.*

*i*) Hujus persuasionis abusus forte etiam nostris temporibus timebatur in Hispania. Nam ut refert PETRUS MURILLO *in Cursu Juris Canonici ad Tit.*

secreta confessione fuisset expositum coram Episcopo. HINCMARUS *k)* respondet, hoc quam absurdum sit, quemlibet sensatum, licet ignoret Leges Ecclesiæ, recognoscere: & de secreta Confessione, quam publicari non licet, conjugès legibus Christianis ac publicis sociatos, ab eodem conjugii jugo dissolvi non posse, neque tale conludium, ad Ecclesiasticam pietatem dici debere confugium.

# CAPUT III.

## De Legibus Principum circa Jus Asyli Ecclesiastici.

### §. XLIII.

Asylum restringit THEODOSIUS Anno 392.

Nec Principis Legem, nec Ecclesiæ Canonem reperimus, quo inductum sit primitus Jus Asyli Ecclesiastici. Ipsa natura duce, & ratione magistra factum videtur, ut eodem, quo Templum Salomonis, & Templa ipsa Paganorum gaudebant, Ecclesiæ etiam Christi privilegio fruerentur. Certe antiquior Constitutio Imperatorum de Asylo ad nos non pervenit, quam THEODOSII M. *l)*, quæ arctando potius, quam dilatando Asylorum privilegio servit, indubitato argumento, jam pridem ea Immunitate gavisas esse Ecclesias, a tempore Constantini *m)*. Verba Legis Theodosianæ sunt: *Publicos debitores n), si confugien-*

*Tit. de Immun. Eccles. in fin.* in Edicto Regio de desertoribus militibus ad Ecclesiam confugientibus publicato 20. Augusti Anno 1736. expressis verbis cavetur, extractionem ex Ecclesia, præmissa cautione de pœnis ordinariis non infligendis factam, non obstare, *quin castigentur, si nova delicta commiserint, nec poterunt allegare Ecclesiæ immunitatem violatam.* Quæ cautio in nostris Regionibus censeretur supervacanea.

*k)* In opusculo *de Divortio Lotharii Regis, & Teutbergæ Reginæ. ad Interrog. 22. fol.* 449.

*l)* *L.* 1. *Cod. Theodos. de his qui ad Eccles. confug.* ARCADIO II. & RUFINO *Coss. Anno* 392.

*m)* Ad annum 355. refertur id, quod AMMIANUS MARCELLINUS gentilis *lib. XV. c.* 5. narrat Coloniæ Agrippinæ factum, sub Constantio Imperatore, scilicet Silvanum, *ad conventiculum ritus Christiani tendentem*, densis gladiorum ictibus trucidatum. Item *lib. XXVI. c.* 4. sub Valentiniano Augusto Anno 364. Hilarius auriga Magiæ damnatus, *Laxius retinente carnifice subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium &c.*

*n)* Per *publicos debitores* intelliguntur debitores tributorum. Imo etiam alias appellatio *debitorum* sumitur pro publicis debitoribus, ut ostendit GOTHOFREDUS *ad L.* 6. *Cod. Theod. de divers. Rescript.*

*giendum ad Ecclesias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos, qui eos occultare probantur, Episcopos exigi. Sciat igitur praecellens Autoritas tua* (inscribitur hæc Lex Romulo Comiti Sacrarum Largitionum) *neminem Debitorum posthac a Clericis defendendum: aut per eos, ejus quem defendendum esse crediderint, debitum esse solvendum.* Extorsit forte hanc Constitutionem ipse Romulus, cui inscripta est, rigidus Tributorum exactor, quem eam ob causam reprehendit S. AUGUSTINUS o), rigorem ejusmodi Legum expertus. Confugerat enim ad Augustinum Fascius quidam, decem & septem solidorum debitor: hos Augustinus exhibere compulsus est, nisi vellet ipsum Fascium tradere, qui merito corporalem metuebat injuriam, cum non esset solvendo p).

## §. XLIV.

Ejusque Duces.

Dum THEODOSIUS Imperator restringendo Asylo intentus erat, haud dubie etiam ejus Duces huic Privilegio non multum favebant. Ad hæc enim tempora spectare videtur, quod scribit ISIDORUS PELUSIOTA q) ad Cyrenium Ducem his verbis: Chartam nobis cives miserunt, pro Ecclesiæ foribus fixam, ut inquiebant, antequam urbem ingredereris, quæ & omnibus purgandi sui potestatem adimit, & perfugium in Ecclesiam claudit: quod quidem non solum crudelitatis, sed etiam impietatis suspicionem habet. Nam si nec causæ dicendæ potestatem facis, nec fugam in Ecclesiam permittis, nimirum hac ratione & calumniatores exacuisti, & injuriarum numerum auxisti. Quonam igitur pacto eum, cui injuria infertur, conservabis? qui ne a potente Adversario conficiatur & opprimatur, quod Judicem non habeat, qui suas injurias ulciscatur, ad inexpugnabile Templum confugit? Dein scribit ad Rufinum r), imploratque ejus auxilium pro civibus contra Cyrenium. Ubi inter alia: *nec Ecclesia opem huic malo ferre potest*, scilicet ob Asylum prohibitum.

## §. XLV.

Item ARCADIUS contra fraudes Judæorum Anno 397.

Paucis post annis repressæ sunt fraudes Judæornm, qui post commissa crimina, vel contracta debita, simulato Baptismi suscipiendi animo, Immunitate Ecclesiarum abutebantur ad deludendos Creditores ac Judices. Igitur ARCADIUS & HONORIUS Impp. statuerunt s): *Judæi qui reatu aliquo, vel debitis*



o) *Epist.* 247. *alias* 211.

p) *Ibid. Epist.* 268. *alias* 215.

q) *Lib. I. Epist.* 174.

r) *Epist.* 178. Intelligitur autem haud dubie famosus ille Rufinus, necatus Anno 395. in quem CLAUDIANUS duos libros scripsit.

s) *L.* 2. *Cod. Theod.* & *L.* 1. *Cod. Justin. de his, qui ad Eccles. confug.* CÆSARIO & ATTICO *Coss. Ann.* 397.

*tis fatigati simulant se Christianæ Legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum, arceantur, nec ante suscipiantur, quam debita universa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati.* Simile quid statutum erat de Scenicis *t*): *Scenici & Scenicæ, qui in ultimo vitæ, necessitate cogente interitus imminentis, ad DEI summi Sacramenta properarunt, si fortassis evaserint, nulla posthac in theatralis spectaculi conventione revocentur. Ante omnia tamen diligenti observari ac tueri sanctione jubemus, ut vere & in extremo periculo constituti, id pro salute poscentes (si tamen Antistites probant) beneficia consequantur* &c. *u*).

## §. XLVI.

Qui instigante Eutropio Privilegium Asyli omnino tollit Anno 398.

Restringunt hæ Leges privilegium Asyli: sed omnino sublatum illud volebat scelestissimus Eutropius, favore Arcadii in plurimorum perniciem abusus. Dum enim Eutropius impotenter non tantum Imperium, sed etiam animum Arcadii gubernat, omnibus sibi infensis machinabatur exitium. Inter hos Timasium strenuum Ducem exilio multabat; ejusque Conjugem Pentadiam *x*) præter alios, quos ulciscendi animo persequebatur, ab Asylo Ecclesiæ extrahere moliebatur. Impetravit igitur ab Arcadio, ut ederetur Lex, qua omne Asylum occluderetur, illique etiam, qui eo jam confugissent, extraherentur *y*). Integram quidem hanc Legem non reperimus, cum mox per sanctiorem Constitutionem abrogata, imo e publicis Commentariis erasa fuerit *z*). Illius tamen fragmenta GOTHOFREDUS *a*) se reperire existimat in variis Codicis Theodosiani Legibus *b*), quæ quidem Leges non universim abrogant Asyli privilegium, sed eos solummodo arcent, qui privatis aut publicis rationibus involvuntur *c*): Cohibent etiam Clericos, & Monachos, ne reos ad suppli-

*t*) VALENTINIANUS Imp. *L.* 1. *Cod. Theodos. de scenicis.* GRATIANO A. II. & PROBO *Coss. Ann.* 371.

*u*) Ex ultimis verbis desumitur, sacramentorum collationem pendere ex arbitrio Episcopi. Mox quidem in allegata lege sequitur, quod debent moneri Judices, scilicet ad id, ut omnis fraus simulati morbi evitetur. Vid. GOTHOFRED. *ibid. in comment.*

*x*) Quam postea Diaconissam consecratam fuisse, dixi *Hierarch. Eccles.* §. 475. *not.* 49.

*y*) NICEPHORUS *Lib. XIII. c.* 4.

*z*) SOZOMENUS *Hist. Eccl. lib. VIII. c.* 7.

*a*) *Ad L.* 3. *Cod. Theod. de his qui ad Eccles. confug.*

*b*) *L.* 3. *de his qui ad Eccles. confug. L.* 16. *de Pœnis. L.* 57. *de Appellat. L.* 33. *de Episcop.*

*c*) *Dicta L.* 3. sic loquitur ARCADIUS: *si quis in posterum publicis, privatisve ratio-*

plicium ductos e manibus lictorum violenter eripiant *d*). Sive igitur hæc fuerint fragmenta feralis illius Constitutionis, & eraso præcipuo articulo servata; sive distinctis Edictis sint edita, certe ad idem Arcadii tempus pertinent.

## §. XLVII.

Ipso tamen Eutropio ad Ecclesiam confugiente.

Eutropius mox impietatis suæ pœnas dedit. Legem contra Asylum procuderat Anno 398. sequente autem Anno 399. gratia Arcadii excidit, & ex Palatio profugus, ad Ecclesiam supplex accurrit *e*). Qua occasione S. CHRYSOSTOMUS celebrem illam Homiliam in Eutropium ad copiosissimum populum habuit, ipso Eutropio ad aram hærente & audiente. Ubi inter alia egregie dicta refellit illos, qui contra Eutropium incitati, eum ex Asylo ejiciendum



*rationibus involutus, ad Ecclesiam confugiens ... a Clericis fuerit defensatus, nec statim conventione præmissa pristinæ conditioni reddatur, Decuriones quidem & omnes, quos solita ad debitum munus functio vocat, vigore & solertia judicantum ad pristinam sortem, velut manu mox injecta revocentur ... sed etiam hi, quos Oeconomos vocant (hoc est, qui Ecclesiasticas consuerunt tractare rationes) ad eam debiti vel publici vel privati redhibitionem, amota dilatione cogantur, in qua eos obnoxios esse constiterit, quos Clerici defensandos receperint, nec mox crediderint exhibendos.*

*d*) *L.* 16. *Cod. Theod. de Pœnis. Addictos supplicio & pro criminum immanitate damnatos, nulli Clericorum, vel Monachorum (eorum etiam quos Cœnobitas vocant) per vim atque usurpationem vindicare liceat, ac tenere. ... Ad Episcoporum sane culpam (ut cetera) redundabit, si quid forte in ea parte Regionis, in qua ipsi populos Christianæ Religionis, doctrinæ insinuatione moderantur, ex his, quæ fieri hac lege prohibemus, a Monachis perpetratum esse cognoverint, nec vindicaverint.* Prior Legis hujus pars repetitur in *L.* 57. *de Appellat.* Integer autem iste textus habetur in *Cod. Just. l.* 6. *de Episcop. audient.* Consonat Edictum THEODORICI *Regis c.* 114. *si addictos, damnatosque judiciis Clerici vel quilibet alii violenter eruerint, ipsi ad pœnam, vel ad dispendia teneantur, quæ sententia in convictos prolata statuisse monstrabitur: & si conniventia Judicis vel conludio hoc claruerit perpetratum, quinque auri libras idem Judex cogatur exsolvere.*

*e*) Diversas ruinæ Eutropii causas assignant scriptores, SOCRATES *Hist. Eccles. Lib. VI. c.* 5. SOZOMENUS *Lib. VIII. c.* 7. NICEPHORUS CALLISTUS *lib. XIII. c.* 4. causam refert ad minas in Augustam prolatas. ZOSIMUS autem *Hist. lib. V.* narrat Gainem postulasse, *ut malorum omnium maximus Autor Eutropius sibi dederetur, in quem ipse statueret, quidquid vellet &c. &c.* ubi hic Historicus Ethnicus videtur dicere, quod Ecclesia habuerit jus Asyli ab Eutropio, cum tamen ex dictis contrarium constet. Græce ἐκκλησίαν ἔχουσαν ἐξ ἐκείνου τὸ ἄσυλον. BARONIUS *ad Ann.* 399. *n.* 8. vertit latine sic: ad Ecclesiam, quæ *ab illo tempore* jus Asyli consecuta retinet. Cum Baronio sic legit Editio Basileensis Zosimi.

dum clamabant, his verbis: *Dices, at præclusit hujus loci refugium, legibus scriptis, quibus hoc irritum facere conatus est. At nunc reipsa didicit, quale sit, quod fecit: & suomet facto legem suam primus abrogavit, factus orbis totius spectaculum: & sileat licet, omnes tamen admonet: nolite hæc facere, ne, qualia ego, patiamini.*

## §. XLVIII.

Abrogatur Lex ARCADII.

Vix innotuerat casus Eutropii, mox Episcopi Africani Carthagine congregati ad Honorium Imperatorem, qui regnabat in Occidente, miserunt duos Episcopos pro abroganda Constitutione Arcadiana, quæ in Oriente quidem edita, facile turbare potuisset etiam Ecclesias Occidentis. Huc enim pertinet, quod in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ *f*) refertur ex Concilio Carthaginensi *post Consulatum gloriosissimi Imperatoris Honorii Augusti IV. & Eutychiani V. C. 5. Kal. Majas Karthagine in Secretario Basilicæ Restitutæ.* Quæ Epocha coincidit cum Anno 399. Summa eorum, quæ in Concilio acta sunt, ibi additur: *In hoc Concilio legationem susceperunt Epigenius, & Vincentius Episcopi, ut pro confugientibus ad Ecclesiam, quocunque reatu involutis, legem de gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere.* Abunde provisum Immunitati Ecclesiarum credebant Imperatores, dum ipso facto priorem Legem damnabant, adeo ut neque Eutropium tot scelerum reum ausi sint ex Ecclesia extrahere, donec illum CHRYSOSTOMUS traderet, promissa vitæ gratia, exilio multandum *g*), quamvis postea ab exilio reductus, capite truncatus fuerit *h*).

## §. XLIX.

Nova Lege HONORII.

Postea tamen Anno 414. CONSTANTIO & CONSTANTE Coss. in favorem Asyli Ecclesiastici publicata est Lex HONORII & THEODOSII Junioris his verbis: *Fideli devotaque præceptione sancimus, nemini licere ad Sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere, sub hac videlicet definitione: ut si quisquam contra hanc Legem venire tentaverit, sciat se Majestatis crimine esse retinendum* *i*). Hac igitur Lege plenissime restituuntur Ecclesiarum Asyla, quæ Eutropius aliis voluit sublata, sibi ipsi gaudebat salutaria.

## §. L.

Post turpem Templi profanationem.

Dum supra S. Chrysostomum Eutropio præsente & aris inhærente ad Populum dixisse insinuavimus, facile colligere datur, illo tempore exteriora Templi

*f*) Apud HARDUIN. *Concil. tom.* 1. *col.* 894.

*g*) Hæc pœna Exilii continetur in *L.* 17. *Cod. Theod. de pœnis. data* 16. *Kal. Febr.* THEODORO *Consule, eraso scilicet jam nomine Eutropii, qui ad initium anni Collega Theodori fuerat.*

*h*) SOZOMENUS *lib. VIII. c.* 7.

*i*) *L.* 2. *C. de his qui ad Eccles. confug.*

Templi loca nondum participasse privilegium Asyli: pronum enim fuisset Eutropio, salva Immunitate se oculis infiniti Populi subducere, & acerbos aculeos Sancti Oratoris evitare. Contigit postea fœdissimus casus, qui occasionem dedit novæ Legi, qua Jus Asyli etiam extra intimi Templi ambitum extenditur. Primarii cujusdam Magistratus servi, crudeliter ab hero suo habiti ad Ecclesiam confugerant, ferrumque in manibus habentes ad sanctiorem Sacrificii aram irruerunt: jussi inde exire, adeo non parebant, ut potius Divinas ceremonias impediverint, diebusque pluribus strictos enses obviis quibusque intentaverint. Postquam Clericum quendam trucidarunt, alterum vulnerarunt, postremo tandem seipsos interemerunt *k*).

## §. LI.

Novis Legibus.

Ad præcavendas ejusmodi turbationes Sacrorum, Legem tulerunt THEODOSIUS & VALENTINIANUS Anno 431. *l*), qua sanctitas Asyli Ecclesiastici ab irruentium, ibique commorantium vesania firmatur, ampliando fines & terminos Asyli: prohibendo, ne confugæ in Templo cibum sumant, aut dormiant; neque arma secum ferant vel in templum, vel in omne ædificium, quod Asyli jus habet. Lectu dignissima est tota hæc Constitutio, cujus fragmenta tantum Corpori Juris inserta sunt: integer autem textus refertur in Actis Synodi EPHESINÆ *m*), & a GOTHOFREDO *n*) erudito Commentario illustratur. Potiora exinde suis quæque locis referentur.

## §. LII.

Stabilitur sanctitas Asyli:

Lex ista, mox post tumultum servorum barbarorum lata, valde generalibus concepta est verbis; prout fieri amat, quando subitis & recentibus malis efficax

*k*) NICEPHORUS CALLISTUS *Hist. Eccl. lib. XIV. c.* 32. SOCRATES *lib. VII. c.* 33. Historia hæc paucis verbis attingitur a MARCELLINO *Comite in Chronico* ANTIOCHO & BASSO Coss. *Barbari urbe Augusta enutriti ad Ecclesiam nostram hostili ritu confluunt: ignem in Ecclesiam ad comburendum Altare dum infesti jaciunt, invicem sese, resistente Deo, trucidant.*

*l*) ANTIOCHO V. C. *Cons. & qui fuerit nuntiatus.* Data autem Lex est 10. Kal. April. Unde infertur, Anicium Bassum, qui in Fastis Consularibus ad eundem annum notatur, non nisi post hunc diem fuisse Consulem renuntiatum. Præcipua Legis summa inserta est Codici Theodosiano & Justinianeo, sub titulo de *his qui ad Ecclesiam confugiunt*: ibi quidem quartum, hic autem tertium locum inter Leges hujus tituli occupat.

*m*) *Tom. V. c.* 21. juxta interpretationem, & Ingolstadiensem editionem THEODORI PELTANI S. J. ex qua SEVERINUS BINIUS suæ Conciliorum Collectioni inseruit *Tom.* 1. *a fol.* 844. & NICOLAUS COLETUS *noviss. Edit. Venet. Tom. III. a fol.* 1751.

*n*) *Tom. III. ad lib. IX. Cod. Theod. tit.* 45. *a fol.* 395.

efficax remedium opponitur. Sequenti Anno 432. sedato jam tumultu, & residente perturbatione, posita Constitutio eorundem Imperatorum o) accuratius distinguit inter servum inermem, & armatum, ad Ecclesias confugientem. De inermi cavent Imperatores, ne plus uno die servus confuga a Clericis retineatur, sed domino nuntietur, eo fine, ut dominus deposito mentis æstu, & nullis iracundiæ reliquiis in mente residentibus, in honorem Ecclesiæ & ejus respectu, ad cujus auxilium convolavit, impertita peccati indulgentia, servum abducat. Familiare enim semper fuit, & nunc quoque est, ut qui alicujus indignationem metuunt, vel experiuntur, utantur intercessione Clericorum. Alterum Legis hujus Caput est de servo armato in Ecclesiam irruente: hi scilice illico, non exspectato diei lapsu, domino indicari, reddique debent, abstrahendi etiam quibuscunque viribus; Ecclesia enim non patet homini ex stat servili in hostilis & homicidæ conditionem transeunti p).

## §. LIII.

*Statutis pœnis in transgressores.*

Proxima, quæ in Compilatione Legum Romanarum reperitur, est *Le Sexta Cod. Justin. de his qui ad Eccles. confug.* publicata a LEONE Imperatore eodemque tertium Consule Anno 466. Tota Asyli disciplina, quam Imperator observatam voluit, accurate in hac Constitutione continetur. Decern LEO, nullos penitus cujuscunque conditionis sint, de sacrosanctis Ecclesiis expelli, aut protrahi confugas, nec pro his Episcopos vel Ecclesiarum Oeconomos exigi, quæ ab ipsis debeantur: qua ratione derogatur Legibus Theodosi & Arcadii supra relatis, quæ publicos debitores ab Asylo arcent, vel Episcopos pro ipsis ad solutionem adstringunt. LEO igitur Imperator omnes confugas in Ecclesiis, earumque finibus per priores Leges definitis, plenissim vult esse securos, nec ibidem ita detineri atque constringi, ut ei aliquid aut victualium rerum, aut vestis negetur aut requies. Tanta autem severitate Imperator id urget, ut capitale & ultimum supplicium minetur iis, qui contra hanc legem aliquid *moliri aut facere, aut nuda saltem cogitatione atque tractat ausi fuerint tentare*: Præterea jubet, ut si quidem confugæ in sacris locis public se offerant quærentibus conveniendos, possit cum ipsis, servata locis reverentia, agi de iis, de quibus in judicio conveniuntur; si vero latuerint intra fine loc

o) Relata plenius in *Cod. Theod. Leg.* 5. & exinde brevius in *Cod. Justin. Leg.* 4 *de his qui ad Eccles. confug.*

p) Has aliasque similes Leges generali Constitutione confirmavit THEODOSIUS *Anno* 439. quæ relata est in *Codicem Justinianeum L.* 22. §. 1. *Episcop. & Cler.* ibi: *quin etiam omnia privilegia, quæ sacrosanctis Eccl siis, confugarum ... causa Legibus sunt præstita, intacta atque illibata se vari præcipimus.*

loci ſacri, curabit ille, qui Eccleſiæ præeſt, ut ejusmodi confugæ, qui actione civili pulſantur, per ſe vel Procuratorem ad examen Judicis reſpondeant: ſi hoc facere detrectent, judiciorum legumque ſolitus ordo ſervetur, ut ex ipſorum bonis, quibuscunque juſtis petitoribus ſatisfiat. Hæc de ingenuis, liberisque perſonis ſtatuuntur. Si vero Servus aut colonus, vel adſcriptitius, vel alia hujusmodi perſona conditioni ſubdita, ad ſacroſancta ſe loca contulerit, curandum eſt, ut impetrata delicti venia, ſecuri ad locum ſtatumque proprium revertantur, rebus quas ſecum habuerint, reſtitutis: *diutius enim eos in Eccleſiis non convenit morari, ne patronis ſeu dominis per ipſorum abſentiam obſequia juſta denegentur, & ipſi per incommodum Eccleſiæ, egentium & pauperum alantur expenſis.*

## §. LIV.

*Et cœleſtibus oſtentis.*

Legi huic, qua Imperator ita conſuli reverentiæ Templorum credebat, ut tamen Juſtitiæ vis non inferatur, occaſionem forte dederat id, quod circa illa tempora Conſtantinopoli contigit in Monaſterio Acœmetorum, cui præerat S. MARCELLUS q). Ardaburius in Aula Leonis potentiſſimus, perſequebatur Joannem quemdam: hic contra crudelem & potentem inimicum tutius receptaculum invenire non ſciebat, quam dictum Monaſterium S. Marcelli. Ardaburius ſibi tradi jubebat Joannem. abnuente Marcello mittit milites, qui circumdarent Monaſterium, & vi extraherent confugam. Ipſi Monachi urgebant Abbatem ſuum, ut traderet hominem, cujus cauſa pernicies inſtaret Monaſterio: ſed conſtantia S. Marcelli nequaquam frangebatur. Militibus ad vim faciendam jam expeditis, apparuit ſupra Monaſterium ſplendidiſſimus ignis, & in eo relucens S. Crucis ſignum. Milites exinde tela & fulgura in ſe contorta conſpicientes, projecerunt arma, & vel fuga ſibi conſuluerunt, vel proſtrati DEum placare ſtuduerunt. Si occaſione miri hujus eventus Legem tulit Leo Imperator, eam tamen in ipſa urbe Conſtantinopolitana vim ſuam habere noluit: ſed ad ſe pro caſibus particularibus recurri juſſit, ut reverentiam locorum ſacrorum pro rerum exigentia tueretur: cui juſſioni conformis eſt *Lex octava Cod. Juſtin.* in ſæpius allegato titulo, deſumpta ex Græca Collectione Eccleſiaſticarum Conſtitutionum his verbis: *qui propter potentem perſonam ad Eccleſiam confugit, doceat Imperatoriam Majeſtatem per Archiepiſcopum & Eccleſiæ Defenſores.*

## §. LV.

*Excipit quædam crimina JUSTINIANUS*

Leonis Imperatoris Conſtitutionem in quibusdam Articulis moderatus eſt JUSTINIANUS Anno 535. *per Novellam 17.* ubi *cap. 6.* monet, ut Judices



q) SURIUS *ad diem 29. Decembr. in Vita S. Marcelli.* FLEURY *Hiſtoir. Eccleſ. Tom. VI. lib. 29. n. 26.*

dices datam fidem de securitate non violent, si verbis eorum confisi rei ab A lo exeant, causam suam acturi: si vero ferendæ sententiæ se subjicere nol jubetur Judex *sacris eum terminis restituere, & ibi executionem inferre temper & cum debita venerabilibus locis reverentia.* Pergit *Cap.* 7. his verbis: *N autem homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus te norum custodies cautelam: sed etiam inde extrahes, & supplicium eis inferes. enim talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus, ut non talia a sumptoribus patiantur. Deinde Templorum cautela non nocentibus, sed læsis dat lege: & non erit possibile utrumque tueri cautela sacrorum locorum, & lædenten læsum. Publicorum vero Tributorum exactiones etiam intra templa decenter f procurabis: quoniam fiscalium ratio & militibus, & privatis, ipsisque Templis cunctæ Reipublicæ utilis & necessaria est. Auxiliabuntur autem tibi ad hoc etiam L amabiles Ecclesiarum Defensores & Oeconomi: nullum horum, qui fiscalia Tributa igunt, abripientes exactioni: sed neque permittentes violentum aut seditiosum ali pati exactionem inferentes: scientes quia si quid tale gesserint, de suo satisfacere co cogentur.* Hac autem ratione in usum reducuntur ea, quæ supra a TH. DOSIO constituta narravimus *r*).

## §. LVI.

Violatores autem Asyli punit.

Plures ejusdem Imperatoris JUSTINIANI Constitutiones pro J Asyli, præsertim in favorem Ecclesiæ Majoris, quæ erat S. Sophiæ Cpoli, gere est in Jure Græco-Romano *s*), ubi inter alia Episcopus, qui confug tradiderit, suo Pontificatu primum spoliari, dein illis ipsis suppliciis subjici betur, quibus subjectus fuerit confuga a domino, qui hominem recepit. *Q si etiam aliquis magna potentia præditus, & Præsidum potestatem gerens, confug tem ad Ecclesiam vi de manu Pontificis eripere fuerit ausus, deque adytis Ecclesi lius extrahere, ad quam idem ille confugit, idque per se, vel per subditum: is A gistratus sui cingulo spoliatus, & flagris cæditor, & duriter tractator, omnesque cultates ejus publicantor. Non enim patimur ejusmodi quiddam tentari prorsus in verso Romanis subdito Imperio, & Christianæ Reipublicæ statu.*

## §. LVII.

Ejus Leges conciliantur.

Constantinus Porphyrogennetus *t*) refert Justiniani Privilegium Ec siæ Majori concessum, ut omnes etiam homicidæ, adulteri & raptores A

*r*) Recensitas Imperatorum Leges de Jure Asyli breviter complectitur HARM NOPULUS *Promptuar. Jur. Civ. lib. II. tit.* 9.

*s*) Latine redditum est studio JOANNIS LEUNCLAVII, editum autem MARQUARDUM FREHERUM *m. fol.* 72. & 73.

*t*) *Tom.* I. *Juris Græco-Romani fol.* 109.

ibidem gauderent; aliud item ejusdem Edictum, quo ejusmodi homines ab Asylo arceantur. Combinari posse hæc Edicta censet, ut homicida, cujus facinus occultum est, & ad forum Judiciale non perductum, in Templo veniam delicti consequatur, sincera confessione apud Sacerdotem peracta, & impleta pœnitentia, quam Presbyter dictaverit: si vero homicidium sit publicum, & per accusationem ad Judicem delatum, idque voluntarie & meditato perpetratum (cædes enim ignoranter admissa nec latam in homicidas legem metuit, nec Asylo indiget) sane nullum Asylo locum esse CONSTANTINUS statuit. *Nam cædem illam spontaneam nec Mosaica Lex concedi vult, nec Romana, a Sanctis Patribus approbata &c.*

## §. LVIII.

Ad CONSTANTINO.

Hanc Constitutionem mox mitigavit dictus Imperator CONSTANTINUS, *prioris Legis severitatem cum benigniore Decretorum Ecclesiasticorum censura commutans.* Scilicet homicidas ad Ecclesiam confugientes non quidem ad mortis pœnam deposcit, sed perpetuo exilio pellit ab eo loco, quo cædes commissa est: bona autem ejus addicit hæredibus vel occisoris, vel occisi pro variis circumstantiis, quæ accurate designantur *u*). Si homicidium animo meditato fuerit perpetratum, jubet Imperator, ut *citra exceptionem tondeantur, & Monachorum cœtibus aggregentur: neque tantum ad tempus pœnitentiæ præstitutum, verum & per omnem vitam suam in Monasterio gubernentur.* Qui vero non deliberato animo, nec meditate, sed ex temeritate quadam, aut iracundia abreptus cædem admiserunt, *perpetuo quidem exilio præter alia subjicientur, solitariam tamen vitam non cogentur amplecti.*

## §. LIX.

Et MANUELE.

Hanc ipsam Constitutionem emendat Manuel Comnenus Græcorum Imperator *x*), ita ut homicida ad Majorem Ecclesiam confugiens, postquam Ecclesiasticæ pœnæ adversus eum processerint, perpetuo quidem exilio multetur, non tamen cogatur ad vitam Monasticam: *metuendum enim, ne vitam hanc Angelicam adversante animo ingressus, eaque per vim suscepta, reverendo habitu ad ludibrium utatur.*

## §. LX.

Imperatores Græci fovebant Asylum.

Universim de Imperatoribus Græcis affirmari potest, quod maximam reverentiam erga Ecclesias Asyli privilegio donatas exhibuerint, & eo confugientibus vitæ gratiam fecerint. Omittere non possum illustre exemplum ab illustri Autore, scilicet ANNA Comnena *y*) relatum. Narrat hæc Natalibus &



*u*) *Loc. cit. fol.* 112.

*x*) *Ibid. fol.* 163.

*y*) *Alexiad. lib.* 2.

& Eruditione illustrissima fæmina, orto in Aula Byzantina dissidio inter Nicephorum Botoniatem Imperatorem, & Comnenam familiam, Matronas hujus Regiæ Domus nocturnam fugam arripuisse ad Magnæ Sophiæ Templum: venisse autem adhuc inter tenebras *ad S. Nicolai Templum, quod Refugium solent appellare, prope magnam Ecclesiam dudum erectum ad salutem & tutelam eorum, qui deprehensi essent in criminibus, velut magni ipsius Templi pars quædam, de industria, ni fallor, in illum ipsum Asyli usum paratum a priscis Imperatoribus, qui magna Indulgentia regere sibi subjectos, & quærere causas parcendi peccantibus consueverant z).* Misit Imperator, qui eas ad palatium reduceret. Verum Dalassena Comnenorum Mater, impetrato ingressu in magnam DEI Ecclesiam, sacris portis validissime arreptis, audacter clamabat, se nisi manus sibi abscinderentur, nulla unquam vi dimovendam de sancto loco, nec Templo discessuram, quoad promissæ ab Augusto salutis pignus accepisset Crucem. Straboromanus (ad abducendam eam ab Imperatore missus) hæc audiens, quam ferebat Crucem de collo suspensam offerebat. Cui Dalassena: non a vobis, inquit, præstari mihi cautionem & fieri fidem volo, sed ab Imperatore talia postulo, eorumque signum & arrhabonem Crucem peto, non minutam aut molis exiguæ, sed magnitudinis idoneæ, ut manifestum, & quod neminem latere posset, extaret indicium jurisjurandi sibi præstiti. Re cognita Imperator ad ipsam mittit Crucem quam petierat a), securitatem illi plenam sanciens, sicque demum egressam Templo concludi præcepit cum Filiabus & Nuribus in Gyneceo Petriorum b). Ita fere ANNA *Comnena*

§. LXI.

oque
ebantur.

Ipsis etiam Imperatoribus Græcis, a quorum Edictis magna reverentia Asylis accesserat, eadem saluti fuerunt. Andronicus Senior a Nepote suo Andronico Juniore in ipso Palatio cum armatis militibus obrutus, omnique Ducum atque militum ope destitutus, ad Sacram Imaginem DEI Genitricis Hodegetriæ confugit, ante multos dies in Palatium translatam, quæ ei firmo solatio erat. Et certe etiam Andronicus Junior reverebatur hanc pietatem, graviterque Ducibus & Tribunis suis edixit, ne Avum Imperatorem vel manu, vel ullo contumelioso dicto violarent c).

§. LXII.

z) Majori Ecclesiæ S. SOPHIÆ Jus Asyli concessum fuisse a JUSTINIANO ejus Conditore, supra dictum est.

a) De Cruce vel sacris Reliquiis mitti solitis, fidei faciendæ, vel securitatis firmandæ gratia, vide Notas CAROLI DU FRESNE ad hunc locum ANNÆ *Comnenæ m. fol.* 32.

b) De Monasterio Petrio multa notat idem CAROLUS DU FRESNE.

c) Ita narrat NICEPHORUS GREGORAS *Hist. Rom. Lib. IX.* Hanc imaginem

## §. LXII.

Antiqui Reges Francorum.

Reges Francorum ad Dignitatem Imperialem evecti strenue imitati sunt suos tum in solio Imperatorio, tum in Regno Francorum Antecessores. Nam Guntramnus Clotharii I. Filius Anno 585. *agnoscens intra Regni sui spatia, universa scelera, quæ Canonibus & Legibus pro Divino timore puniri consuerant, suadente Adversario boni operis perpetrari*, Synodum Matisconensem II. convocari curavit, ut his malis remedium poneretur *d*). Cum præter alia in *Can. 8.* hujus Concilii jus Asyli sancte observandum esse statueretur, Rex Guntramnus non tantum Judicibus Regni sui observantiam decretorum Concilii singulari *Præceptione* severe inculcavit, sed ipse etiam memorabili exemplo sanctissime observavit. Nam *e*) dum Rex in festivitate S. Marcelli, quæ in urbe Cabillonensi celebrabatur, peractis solennibus ad Sacrosanctum Altare communicandi gratia accessisset, venit quidam quasi aliquid suggesturus: qui dum properat contra Regem, culter ei de manu delabitur: eo repente apprehenso, alium cultrum evaginatum in manu ejus reperiunt. Nec mora, eductus a Basilica Sancta, vinctus & tormentis addictus, confitetur se emissum ad interficiendum Regem, dicens: sic enim tractavit, qui me misit: quia cognovit Rex multorum in se odia adgregata, & suspectus ne percutiatur, omnino se a suis vallari præcipit, nec reperitur aditus, qualiter ad eum cum gladiis posset accedere, nisi in Ecclesia, in qua securus & nihil metuens stare dignoscitur, transverberetur. Sed & his, de quibus locutus fuit, apprehensis, multis interemtis, hunc verberatum plagis, dimisit vivum, quia nefas putavit, si is qui ab Ecclesia eductus fuerat, truncaretur.

## §. LXIII.

Venerabantur.

Non absimili exemplo reverentiam suam erga sanctitatem Asyli, ostendit Childebertus Rex *f*). Cum enim Sunnegisilus Comes stabuli, & Gallomagnus Referendarius de conspiratione in Regis vitam denuntiarentur, conscientia terrente latebram intra Ecclesiarum septa petiere. Ad quos Rex ipse procedens ait: egredimini in judicium, ut cognoscamus de his, quæ vobis objiciuntur,

 si

nem MICHAEL *Palæologus* in curru triumphali in Urbem invexit, ipse pedibus currum secutus. Vid idem NICEPHORUS *lib IV.* Vocabatur *Hodegetria*, id est, viæ monstratrix aut ductrix, summa semper in veneratione ab Imperatoribus habita.

*d*) GREGORIUS *Turonens. Hist. Franc. lib. VIII. c.* 20. HARDUINUS *Collect. Concil. Tom.* 3. *col.* 467.

*e*) Idem GREGORIUS *lib. IX. c.* 3.

*f*) *Ibid. lib. IX. c.* 38.

si vera sint, an falsa. Nam, ut opinor, in hanc Ecclesiam fuga dilapsi non essetis, nisi vos conscientia terruisset: verumtamen promissionem habete de vita, etiamsi culpabiles inveniamini; Christiani enim sumus, & nefas est vel criminosos ab Ecclesia eductos punire. Deprehensis dein sufficientibus proditionis indiciis, iterum Ecclesiam petierunt, ejecti postea in exilium; sed petente per Legatos Guntramno iterum revocati fuerunt.

## §. LXIV.

Asyli:

Eodem imbutus spiritu Clotharius II. decrevit, ut *nullus latronem, vel quemlibet culpabilem, sicut summis Episcopis convenit, de atrio Ecclesiæ trahere præsumat. Quod si sunt Ecclesiæ, quibus atria clausa non sint, ab utraque parte parietum, terræ spatium arpennis pro atrio observetur* g). *Quod si cujuslibet servus deserens suum dominum ad Ecclesias confugerit, & ibi primitus dominus ejus advenerit, contentio excusatur; reddatur furtum, ut se de pretio redimat* h).

## §. LXV.

ios imi-
ur.

His in Regno Francico Antecessoribus, uti etiam Græcis Imperatoribus nequaquam cessit CAROLUS M. Quamvis enim ejus tempore severissimis Legibus Justitiæ rigor urgeretur, temperabatur hic tamen Sacrorum Canonum æquitate, & reverentia Ecclesiarum, quæ tutum semper præstabant refugium. Censent quidem aliqui *i*), sub initium Regni CAROLI M. abolitum fuisse Asyli privilegium, idque eruunt ex eo *Capitulari k*), quo statuitur, *ut homicidæ & ceteri rei, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur, neque eis ibidem victus detur.* Verum legitimus sensus hujus Constitutionis clarius traditur alibi *l*), ubi post verbum *excusentur*, ita habetur: *& si se emendare noluerint, nullus eis victus detur.* Jam alibi observavimus, Ecclesiæ nihil magis cordi esse, quam ut confugæ ad sinceram vitæ emendationem perducantur. Hanc fuisse CAROLI M. mentem, satis patet ex *Capitulari pro partibus Saxoniæ* sancito Anno 789. cujus *Caput primum* his verbis concipitur: *Placuit omnibus, ut Ecclesiæ Christi, quæ modo construuntur in Saxonia, & DEO sacratæ sunt, non minorem habeant honorem, sed majorem & excellentiorem, quam fana habuissent Idolorum.*

g) Decretio CLOTHARII II. *circa Ann.* 595. *c.* 13.

h) *Ibid. c.* 15. dicitur autem *c.* 14. *nullus confugiens foris ante dicta loca, pro operarum cupiditate se dicat exire. Quod si fecerint, & capti fuerint, ad dignum sibi supplicium condemnentur.*

i) P. DANIEL *Histor. Franc. ad ann.* 779.

k) *Capitular. Ann.* 779. *c.* 8.

l) *Addit. IV. Capitularium c.* 126.

rum. Ex quo supposito connaturaliter sequitur *Caput secundum: si quis confugium fecerit in Ecclesiam, nullus eum de Ecclesia per violentiam expellere præsumat, sed pacem habeat, usquedum ad placitum præsentetur: & propter honorem DEI, Sanctorumque Ecclesiæ ipsius reverentiam, concedatur ei vita & omnia membra. Emendet autem causam, in quantum potuerit, & ei fuerit judicatum, & sic ducatur ad præsentiam Domini Regis, & ipse eum mittat, ubi Clementiæ ipsius placuerit.* Consultum enim non est, ut ejusmodi homines permaneant in loco perpetrati criminis. Unde in supra adductis Constitutionibus Constantini Porphyrogenneti & Manuelis Comneni solicite cavetur, ne homicidæ, quibus in reverentiam Ecclesiæ vita donatur, habitent deinceps, aut etiam vitam Monasticam agant *in eo solo, quod interfecti sanguinem male quasi diducto rictu oris excepit.*

## §. LXVI.

CAROLUS M.

In hanc sententiam alibi CAROLUS statuit m), ut *Reum confugientem ad Ecclesiam nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam, vel ad mortem, ut honor DEI & Sanctorum ejus conservetur: sed Rectores Ecclesiarum pacem & vitam ac membra eis obtinere studeant: tamen legitime componant, quod inique fecerunt.* Scilicet condonata pœna mortis debebant confugæ satisfacere obligationibus naturalibus ac civilibus; & ad eum finem etiam Judici sistebantur, salva securitate vitæ & membrorum, quam obtinebant, modo ad atrium Ecclesiæ confugissent. *Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, intra ipsius atria Ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse Ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat; sed liceat ei confiteri quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum producatur* n). Quæ hoc loco de Atrio Ecclesiæ dicuntur, ad alia etiam loca Ecclesiæ adjacentia extendit CAROLUS o): *Ut eos timoris necessitas non constringat circa Altaria manere, & loca veneratione digna polluere, depositis armis qui fugerint: quod si non deposuerint, sciant, se armatorum viribus extrahendos. Et quicunque eos de porticibus, & de atriis, & de hortulis, de balneis, vel de adjacentiis Ecclesiarum abstrahere præsumpserit, capite minuatur.*

## §. LXVII.

Et LUDOVICUS Pius.

CAROLI Pietatem secutus est Filius LUDOVICUS *Pius* dictus, qui in Capitulis ad Legem Salicam additis, primo mox loco de honore Ecclesiarum soli-

m) *Capitular. lib. V. c.* 155. item *Addit. III. Cap.* 30. Refertur a GRATIANO *c.* 9. *XVII. q.* 4.

n) *Capitular. II. Anno* 803. *c.* 3. ubi Capitula addita ad Legem Salicam. Item inter Leges Longobard. CAROLI M. *Leg.* 103. Item *Capitular. lib. I. cap.* 134.

o) *Capitular. lib. VII. c.* 174.

solicitus, vitæ gratiam etiam illi concedit, qui in Ecclesia, vel ejus atri minem interfecisset: voluit tamen, vitam pecuniis redimat, & *congruam nori pœnitentiam secundum Judicium Canonicum* subeat *p*).

## §. LXVIII.

Moderamen ponit FRANCISCUS I.

Frequentissimus Asyli usus in Galliis semper perstitit usque ad Fr cum I. qui ob plurimos abusus hinc inde gliscentes, non quidem jus omnino abrogavit; sed tamen multum moderatus est *q*), ita ut extractus a clesia reus a Senatu Regio quæstioni subderetur, & pro varietate crimini plecteretur morte, vel restitueretur Ecclesiæ. Hac Lege Galli dicunt impunitatis sublatum esse: non tamen sublatam reverentiam & honorem plorum *r*).

## §. LXIX.

Veteres Germani.

Apud veteres Germanos summopere colebatur Jus Asyli in Ecc Documento nobis sunt Leges Bajuvariorum *s*) statuentes I. si culp aliquis confugium ad Ecclesiam fecerit, nullus eum vi abstrahere sit, postquam januam Ecclesiæ intraverit, donec interpellat Presbyt Ecclesiæ vel Episcopum. II. Si Presbyter responsum dare ausus non rit, & si talis culpa est, ut dignus sit disciplina, cum consilio Sacerdoti faciat, quia ad Ecclesiam confugium fecit. III. Nulla sit culpa tam g ut vita non concedatur propter timorem Dei & reverentiam Sanctorum, Dominus dixit: qui dimiserit, dimittetur ei; qui non dimiserit, nec ei tetur. IV. Si quis autem homo contumax & superbus timorem Dei, v verentiam Ecclesiarum sanctarum non habuerit, & fugientem servum vel quem persecutus fuerit, de Ecclesia vi abstraxerit, & Deo honorer

*p*) *Capitular. I. ann.* 819. *c.* 1. & *Capitular. lib. IV. c.* 13. *siquis aut ex levi aut sine causa hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat.*

*q*) *Ordinat. Anno* 1539. *sur le faict de la Justice. art.* 166. de qua vid. FE *de l'Abus lib. VIII. c.* 3. *n.* 8. FLEURY *Inst. Jur. Can. p.* 2. *c.* 7. verba ipsius ordinationis attexere juxta stylum illius temporis concepta marium sic ponitur: *Franchise n'aura plus de lieu es choses civiles, n' y minelles, quant a la prinse.* Ipse textus sic habet: *Qu'il n' y aura lieu munité pour debtes, ny autres matieres civiles, & se pourront toutes pe prendre en franchise, & sauf a les reintegrer, quand y aura prinse d decernée a l'encontre d' eulx, sur les informations faictes des cas, dont i chargez, & accusez, & qu'il soit ainsi ordonné par le juge.*

*r*) PETRUS ÆRODIUS *Rer. Judic. lib. I. tit.* 9. *c.* 4.

*s*) *Tit.* 1. *c.* 7. ARNULPHUS Imp. Rex Bojariæ, sub quo titulo etiam thiæ dominabatur, omnem ibidem securitatem præstari jubebat confu bus ad Ecclesiam, ut refert MEGISERUS *Annal. Carinth. lib.* 6. *c.* 62.

lederit, componat ad ipſam Eccleſiam quadraginta ſolidos Judice cogente, & pro fredo ad fiſcum quadraginta ſolidos, ut ſit honor Deo & reverentia Sanctorum, & Eccleſia Dei ſemper invicta ſit. Similia fere reperiuntur in antiqua Legum Germanicarum collectione, quæ *Speculum Suevicum* vocari ſolet *t*).

## §. LXX.

Et Angli,

Non minor Templorum reverentia erat olim in Anglia. Pauca annotare ſufficiat. CAMBDENUS *u*) de Agro Eboracenſi (vulgo Yorkeshire) inter Brigantes, loquens, mentionem facit Beuerleæ Monaſterii, quo Joannes cognomento de Beuerly Archi-Epiſcopus Eboracenſis abdicato Epiſcopatu ſe contulit, diemque circa Annum Chriſti 721. obiit. Hujus memoriam adeo ſanctam habuerunt Reges, & præcipue ATHELSTANUS *x*), ut multis & magnis immunitatibus locum dotaverint, & Aſyli Jus conceſſerint, quod obæratis, & rerum capitalium ſuſpectis liberum & tutum erat perfugium *y*).

## §. LXXI.

Servabant Jus Aſyli

Magnum quoque nomen ac famam in Anglia habuit Monaſterium *de Belle* dictum, in agro Suſſexenſi: ibi Wilhelmus Normandiæ Dux, primusque ejus nominis Rex Angliæ, *Conqueſtor* dictus, vicerat Haraldum, quem multi Angliæ Proceres Regem proclamaverant, multis vulneribus confoſſum Anno Æræ Chriſtianæ 1066. Victoriam cœlo tribuebat Wilhelmus, & ideo Monaſterium S. Martino Turonenſi ſacrum in loco prælii ædificavit, multis magnis-



*t*) In Codice meo MS. *fol. LXV.* Ita legitur: Von Kirchen frid. Als ein menſch icht tůt, und fleucht in ein Kyrchen, es ſey herr oder Knecht, weib oder mann des Gewalts ſich niemand annemen ſol, das er in herauszjech, oder im icht laids tů in der Kirchen. Er ſol Got fürchten, und ſol die Kirchen ern ꝛc. . . . und mag das menſch in die Kirchen nicht, und Vächt es der Richter an der Kirchen tür, Er ſol alſo guten frid haben, als ob er wär in der Kirchen. Swer im darüber icht tåt laids: der muß die Buß als wol leiden, die davor geſchriben iſt, als ob er in aus der Kirchen zug. Die geweichten Freithöff habent das ſelb recht, was die Kirchen hat.

*u*) *In Britannia. fol.* 578.

*x*) LENGLET *Tablet. Chronologiq. p.* 2. *ad ann.* 924. ponit mortem Eduardi I. Regis Angliæ, cui ſucceſſit Filius ADELSTANUS.

*y*) In hoc loco CAMBDENUS ſtatutam fuiſſe cathedram e ſaxo narrat cum hac inſcriptione:

HÆC SEDES LAPIDEA FREEDSTOOLL
DICITUR i. PACIS CATHEDRA
AD QUAM REUS FUGIENDO
PERVENIENS OMNIMODAM
HABET SECURITATEM.

que privilegiis attributis. Inter alia vero, ut verba Diplomatis sonant: *si quis latro vel homicida, vel aliquo crimine reus timore mortis fugiens ad hanc Ecclesiam pervenerit, in nullo lædatur: sed liber omnino dimittatur. Abbati vero ipsius Ecclesiæ liceat ubique latronem vel furem de suspendio liberare, si forte supervenerit* z).

## §. LXXII.

Quorum Leges

Idem WILHELMUS Rex confirmavit Leges olim a S. Eduardo Confessore Rege Anglorum observatas vel constitutas. Exhibebatur ipsi quædam Legum Ecclesiasticarum collectio, ubi primo loco dicitur: *Pax sancta Ecclesiæ, de quocunque reatu quis hoc tempore sit culpabilis, & venire potest ad sanctam Ecclesiam, pacem habeat vitæ & membri &c.* a). In alia collectione Regi exhibita, Constitutio quinta inter Ecclesiasticas his verbis concepta erat: *Ubicunque reus vel noxius ad Ecclesiam præsidii causa confugerit: ex quo atrium Ecclesiæ tenuerit, a nemine insequente nullatenus apprehendatur, nisi per Pontificem vel Ministros ejus. Quod si fugiendo, domum Sacerdotis, vel Curiam ejus intravit, eandem securitatem & pacem habeat, quam & apud Ecclesiam: dum tamen domus Sacerdotis & Curia ejus in fundo Ecclesiæ consistant. Hic si latro vel raptor est, quod male cepit, si ad manum est, reddat: & si illud penitus extirpaverit, & de suo proprio unde reddat habuerit, in integrum ei cui damnum intulit restituat. Quod si more solito latro taliter egerit, & forte fortuito ad Ecclesiam & Sacerdotum domos frequenter evaserit: ablatione restituta, Provinciam forisjuret, nec redeat: & si forte reditum fecerit, nullus eum hospitari præsumat, nisi a Rege data licentia* b).

## §. LXXIII.

Postea confirmantur.

Contra hanc Legem varie peccabatur subsequentibus temporibus. Unde Prælati Angliæ inter alias querelas sexdecim Articulis comprehensas, Anno 1316. Regi Eduardo II. exhibitas, quibus Rex responsionem suam apposuit, decimo loco hanc posuerunt: *Item quandoque aliqui confugientes ad Ecclesiam, abjurant terram secundum Regni consuetudinem: & persequuntur eos Laici, vel inimici eorum, & a publica strata per eosdem abstrahuntur & suspenduntur, vel statim decapitantur: & dum sunt in Ecclesia, custodiuntur per armatos infra cæmeterium,*

&

z) Hæc narrat CAMBDENUS *in Britannia, de Sussex fol.* 225. ubi addit: *Asyli autem jura hic & passim a Principibus nostris in indigrioribus illis criminibus refiguntur. Videbant enim amoto supplicii metu, ferociam, & scelerate agendi libidinem increscere, & impunitatis spem, maximam esse peccandi illecebram.*

a) HARDUINUS *Collect. Concil. tom. VI. p.* 1. col. 989. has Leges idiomate Nortmannico expressas refert.

b) *ibid. col.* 986.

*& quandoque infra Ecclesiam, ita arcte, quod non possunt exire locum sacrum, causa superflui ponderis deponendi; nec permittitur eis necessaria victui ministrari.* Responsio. *Qui terram abjuraverint, dum sunt in strata publica, sunt in pace Regis, nec debent ab aliquo molestari: & dum sunt in Ecclesia, custodes eorum non debent morari infra cœmeterium, nisi necessitas, vel evasionis periculum, hoc requirat: nec arceantur confugi, dum sunt in Ecclesia, quin possint habere vita necessaria, & exire libere pro obsceno pondere deponendo. Placet etiam Domino Regi, ut latrones & appellatores, quandocunque voluerint, possint Sacerdotibus sua facinora confiteri: sed caveant Confessores, ne erronee hujusmodi appellatores informent c).*

## §. LXXIV.

Reges Merciorum in Anglia.

Inter Regna a Saxonibus olim inter Britannos erecta, magnum nomen habuit Regnum Merciorum, cujus Rex Withlafius, in Monasterio Croylandiæ, ope Abbatis Siwardi, & Edeldrithæ Virginis ibi reclusæ, contra hostes occultatus & defensus est. Gratum igitur animum ostensurus, in Synodo Londini habita Anno 833. ubi cum Egberto Rege West Saxoniæ, Episcopis & Proceribus utriusque Regni, consilia capiebat contra Danos litora Angliæ assidue infestantes, dicto Monasterio varia dona & privilegia concessit, præcipue Jus Asyli his verbis: *Volo etiam & præcipio, quod quicunque in regno meo pro quocunque delicto reus inventus, & legibus obnoxius fuerit, si fugerit ad dictum Monasterium, & coram Abbate dicti Monasterii, qui pro tempore fuerit, gratiam sanctissimi Confessoris Guthlaci, ibidem corporaliter quiescentis invocans, fidelitatem et & servitium juraverit sempiternum, salvus & securus protectione Abbatis & Monachorum suorum, in quocunque servitio per totam Insulam Croylandiæ ipsum posuerint, sicut in Asylo, vel in camera mea propria, pace mea & impunitate gaudeat: nullusque ministrorum meorum ultra illum insequi audeat, nec in aliquo molestare, sub pœna perditionis dextri sui pedis, quicunque in meo regno istud meum privilegium tentaverit in aliquo violare: liceatque dicto fugitivo in quibusque aquis, quæ dictam Insulam ambiunt, navigare & piscari, ac aliter, quocunque modo a Dominis suis assignatus fuerit, laborare, absque ministrorum meorum, vel alicujus alterius calumnia vel gravamine &c. d).*

## §. LXXV.

Rx Visigothorum in Hispania

Gens Visigothorum, utcunque audiatur barbara, præter alias præclarissimas Leges, venerationi Ecclesiarum in Hispania consuluit severis Constitutionibus. In his decernitur, *ut quemcunque homicidam seu maleficum lex puniri præcipit, & præterea qui ex suo dispositio, vel malæ voluntatis assensu, tale nefas commiserit, nulla tunc occasio, nullaque unquam ab hac sententia potestas excuset. Et*

Tt 2 etiamsi

c) Ibid. tom. VII. col. 1401.

d) Ibid. tom. IV. col. 155.

*etiamsi contigerit eum ad Altare sanctum fortasse confugere, non quidem præsumat eum absque consultu Sacerdotis persecutor ejus abstrahere: consulto tamen Sacerdote, ac reddito Sacramento, ne eundem sceleratum publicæ mortis pœna condemnet, Sacerdos eum sua intentione ab Altari repellat, & extra Chorum projiciat: & sic ille, qui eum persequitur, comprehendat. Cui ab Ecclesia ejecto, non alias mortiferas inferat pœnas, sed in potestate parentum, & eorum cujus propinquus occisus fuerit, contradendus est: ut excepto mortis periculo, quidquid de eo facere voluerint, licentiam habeant. Quatenus dum malorum pravitas conspicit constituta sibi supplicia præterire non posse, vel metu saltem territus a malis abstineat, quem malæ voluntatis intentio ad illicitum facinus sponte sæpe præcipitat e).*

## §. LXXVI.

[...]nciunt [...] Asyli:

In eodem Legum Codice sequentes Leges continentur f). I. *Nullus de Ecclesia ausus sit aliquem violenter abstrahere, nisi ad Ecclesiam confugiens armis se fortasse defensare voluerit.* II *Qui ad Ecclesiæ porticus confugerit, & non deposuerit arma quæ tenuit: si fuerit occisus, percussor in loco sancto nullam fecit injuriam, nec ullam calumniam pertimescat.* III. *Si quis de Altaribus servum suum aut debitorem, non traditum sibi a Sacerdote, vel ab Ecclesiæ custodibus, violenter distraxerit: si honestioris loci persona est, ut primum de eo Judici fuerit relatum, Altario cui injuriosus fuit, cogatur exsolvere solidos centum: inferioris vero loci persona det solidos XXX. Quod si non habuerit unde persolvat, correptus a Judice, in conventu centum flagella suscipiat. Dominus vero servum, sive creditor debitorem, recipiat excusatum.* IV. *Eos, qui ad Ecclesiam vel Ecclesiæ porticus confugerint, nullus contingere præsumat: sed Presbytero vel Diacono repetat ut reformet: & seu debitor, seu reus, qui confugerit, si non meretur occidi, apud repetentem Ecclesiæ cultor interveniat, ut ei veniam det, & exoratus indulgeat. Quod si debitor aliquis ad Ecclesiam confugerit, eum Ecclesia non defendat: sed Presbyter aut Diaconus debitorem sine dilatione restituat: ita ut ipse qui debitum repetit, nequaquam cadere aut litigare eum præsumat, qui ad Ecclesiæ auxilium decurrit: sed præsente Presbytero vel Diacono constituatur, intra quod tempus ei debitum reformetur. Quod licet Ecclesiæ interventui Religionis contemplatione concedatur, aliena tamen retinere non poterunt.*

## §. LXXVII.

[...]tem Reges Gothorum in Italia.

Alii Gothorum Reges, qui Italiam occupabant, uti jus Asyli tuebantur, ita etiam Edictis moderabantur, ne in perniciem boni publici ex multorum abusu

e) *Leg. Wisigothor. lib. VI. tit.* 5. *leg* 16. Conditor hujus legis inscribitur FLS. CHDS. REX. Id est, Flavius Chindaswindus Rex. Regnare cœpit anno Christi 642. mortuus Anno 649.

f) *Lib. IX. Tit. III.*

abusu & malitia evaderet. THEODORICUS Rex *g*) sic statuit: *Si servus cujuslibet nationis ad quamlibet Ecclesiam confugerit, statim Domino veniam promittente reddatur: nec enim ultra unum diem ibidem residere praecipimus. Qui si exire noluerit, Vir religiosus Archidiaconus ejusdem Ecclesiae, vel Presbyter atque Clerici, eundem ad Dominum suum exire compellant, & domino indulgentiam praestanti sine dilatione contradant. Quod si hoc suprascriptae religiosae personae facere forte noluerint, aliud mancipium ejusdem meriti domino dare cogantur: ita ut etiam illud mancipium, quod in Ecclesiae latebris commoratur, si extra Ecclesiam potuerit comprehendi, a domino protinus vindicetur.* Item: *Si quis in causa publici debiti ad Ecclesiam quamlibet convolaverit, Archidiaconus eum compellat egredi, ad edenda legibus ratiocinia sua: aut si hoc facere noluerit, ejus substantiam, quam ad Ecclesiam detulit, sine mora contradat. Quod nisi fecerit, quanti interest utilitatis publicae, Archidiaconus cogatur exsolvere.*

# CAPUT IV.

## De Canonibus Ecclesiae circa Jus Asyli.

### §. LXXVIII.

Non quidem primis tribus;

Facile intelligimus, nullos Ecclesiae Canones de jure Asyli Ecclesiis competente inquirendos esse in monumentis eorum saeculorum, quibus & Templa publica Christianorum nondum patebant, & Magistratus Ethnici administrabant Rempublicam. Prima etiam Concilia apud Graecos habita, nihil de hoc negotio statuebant, cum ipsi Imperatores Cpolitani suam curam & autoritatem pro reverentia Templorum interposuerint, quam jure optimo exigebat Religio Christiana, postquam Fanis Idolorum & Statuis Principum plenissima Immunitas fuerat concessa.

### §. LXXIX.

Sed tamen quarto saeculo reperitur vestigium Legis Ecclesiasticae de Asylo:

Nimia tamen fiducia asserit PETRUS SARPI *h*), totis quingentis annis post Christum natum, nullum esse Ecclesiasticum Canonem, qui de hac Immunitate decernat. Nolo allegare dubiae autoritatis Canones *i*). Id quod de



*g*) *Edicti cap.* 70. & 71. quod refertur *in Corpore Juris Germanici ad finem.* Qua autem ratione THEODORICUS venerationem Ecclesiae cum Justitia composuerit, exemplum supra relatum est *Cap. II.* §. 38.

*h*) *Fra* PAOLO, *de Jure Asylor. c.* 1.

*i*) Talis est *C.* 8. *XVII. q.* 4. *ex Epistol.* S. AUGUSTINI alias 187. nunc rejecta in Appendicem inter suspectas vel spurias *ad Tom.* 2. *fol.* 3. *epist.* 6. qua boni-

de S. AMBROSIO legimus, dubitare nos non permittit de Lege Ecclesiastica vigente jam sæculo quarto. Nam, ut PAULINUS, & ex eo BARONIUS, in Vita S. Ambrosii narrat, cum Anno 396. Honorius tertium auspicaretur Consulatum, ac populo consueta munera exhiberet in Circo, confluente illuc populo, Cresconius quidam, qui metu pœnæ confugerat ad Ecclesiam, vi abstrahebatur a militibus Stiliconis. Hi enim stipatum Clericis hominem, ante Altare positum irrumpentes hostiliter invaserunt. Erant autem milites Ariani, qui velut de triumpho nobili exultantes, captivum hominem secum ducentes ad carcerem, inde ad ludos spectandos in Circum se contulerunt, maximum luctum relinquentes Ecclesiæ. Nam Ambrosius ante Altare prostratus execrandum facinus lamentabatur. At quid Deus? dum plorat Sacerdos, admirando quodam modo ulciscitur de Sacrilegis. Considentibus enim illis in Circo, Leopardi e cavea dimittuntur: qui perinde ac non ad venationem, sed ad illorum internecionem essent dimissi, veloci saltu se proripientes, ac in eos insilientes, illæsis ceteris, ipsos tantummodo sævissime laniarunt. Stilico autem facinoris primus autor sibi timens, facti pœnitens, non tantum captivum reddidit Sacerdoti, verum etiam se illi subjiciens, indictam ab eo ad multos dies pœnitentiam, pie religioseque exegit k). Hæc Pœnitentia Ecclesiastica Leges supponit Ecclesiasticas.

## §. LXXX.

Certius sæculo quinto in Concilio Arausicano:

Legum Ecclesiasticarum certius documentum, quod Annum quingentesimum præcedit, nobis præbet Concilium Arausicanum I. Anno Christi 441. celebratum, ubi decernitur *Can. 5. eos qui ad Ecclesiam confugerint; tradi non oportere, sed loci reverentia & intercessione defendi.* Item *Can. 6. Si quis autem mancipia Clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.* Credibile non est, Arausicanos Patres adeo severas censuras minatos fuisse, nisi præcessissent alii Canones Jus Asyli stabilientes.

## §. LXXXI.

Et sexto in Concilio Aurelianensi,

Unde Concilium Aurelianense I. tempore Clodovei Regis Anno 511. habitum, æque ad Ecclesiasticos Canones, ac ad Leges Romanas se refert: tam hæ

Bonifacium Comitem a Communione Fidelium separat ob hominem de Ecclesia raptum, quæ si genuina sit, longe annum Christi quingentesimum præcessit, & haud dubie præcedentes Canones supposuit. Item *Can. 10. ead. C. & q.* ex Epistola GELASII, ubi rata habetur excommunicatio Municipum Beneventanæ Civitatis, qui Curialem suum ad Ecclesiæ septa confugientem, captata Sacerdotis absentia, reluctantem violenter abstraxerant. Epistola autem hæc non extat hodie amplius, uti etiam illæ, ex quibus desumptus est *Can. 32. 33. & 34. ead. Caus. & quæst.*

k) Ita Legitur in Vita S. AMBROSII præfixa ejusdem operibus.

hæ igitur, quam illi antiquiores esse debent, quamvis fortasse non omnes ad nos pervenerint. Cum autem in illo Concilio tota ratio, & forma Asyli enucleate contineatur, juvat ejusdem Canonem primum integrum apponere, his verbis conceptum: *De homicidis, adulteris & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, id constituimus observandum, quod ECCLESIASTICI CANONES decreverunt, & Lex Romana constituit: ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Ecclesiæ, vel domo Episcopi, eos abstrahi omnino non liceat, sed nec aliter consignari, nisi ad Evangelia datis sacramentis de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere sint securi: ita, ut ei, cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat. Quod si Sacramenta sua quis convictus fuerit violasse, reus perjurii non solum a communione Ecclesiæ, vel omnium Clericorum, verum etiam & a Catholicorum convivio separetur. Quod si is cui reus est, noluerit sibi intentione faciente componi, & ipse reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab Ecclesia Clericis non quæratur.* Dein *Canone tertio* distincte exponitur, quid juris sit circa servum ad Ecclesias confugientem *l*).

## §. LXXXII.

Paucis post annis Concilium Epaonense servis ad Ecclesiam fugientibus immunitatem solummodo a corporalibus suppliciis decernit: & Concilium Ilerdense in Hispania Clericos præsertim punit, qui servum aut discipulum ex Ecclesia extrahere ausi fuerint *m*). Cum autem illo sæculo quidam servilis conditionis homines, confugiendo ad Ecclesiam, se sufficientem libertatem ad matrimonium pro arbitrio suo contrahendum adipisci censuerint: contra ejusmodi vanam persuasionem Canonem statuit Concilium Aurelianense IV. postquam graves censuras in Asyli Ecclesiastici violatores contorsisset *n*). Hos etiam acerrime persequitur Concilium Matisconense II. cujus Decreta Guntramnus Rex non tantum servanda præcepit Judicibus Regni sui, sed ipse quoque Canonem de Jure Asyli religiosissime servavit, uti supra, §. LXII. dictum est *o*).

Aliisque

§. LXXXIII.

*l*) Uterque Canon refertur a GRATIANO *c.* 36. *XVII. q.* 4. vid. HARDUIN. *tom.* 2. *col.* 1009.

*m*) Concil. Epaonense Anno 517. *Can.* 39. sic statuit: *servus reatu atrociore culpabilis si ad Ecclesiam confugerit, a corporalibus tantum suppliciis excusetur. De capillis vero vel quocunque opere, placuit a dominis juramenta non exigi.* Id est, domini non prohibentur ejusmodi servos radere, vel cuicunque operi addicere. Concilium Ilerdense circa Ann. 524. *c* 8. sic habet: *Nullus Clericorum servum aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam, extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec digne pœniteat, a loco, cui honorem non dedit, segregetur.* Refert GARSIAS LOAISA *in Collect. Concil. Hispan. fol.* 98. GRATIANUS *C.* 19. *XVII. q.* 4.

*n*) Concilium Aurelianense IV. Anno 541 *C.* 21. & 24.

*o*) Concilium Matisconense II. Anno 585. *Can.* 8. *nulli permittentes, quolibet dignitatis*

## §. LXXXIII.

ulo imo:

Sæculo Septimo in Concilio Rhemensi sub Episcopo Sonnatio, quod Labbeo Anno 625. Harduino autem Anno 630. celebratum videtur, statutum refert Flodoardus *p*) hunc Canonem: *Si quis fugitivum ab Ecclesia absque Sacramento, quo ei jurandum est, ut de vita, tormento & truncatione securus exeat, qualicunque occasione abstraxerit, communione privetur. Similiter si quis jus Sacramenti præstitum violaverit, communione privetur. Ille vero qui sanctæ Ecclesiæ beneficio liberatur a morte, non prius egrediendi accipiat libertatem, quam pœnitentiam se pro scelere esse facturum promittat; & quod ipsi canonice imponetur, impleturum.* Eodem Sæculo Hispani Episcopi anno primo Regis Ervigii in Concilio Toletano XII. congregati, volente & consentiente Rege, confugientibus ad Ecclesiam, per triginta passus ab Ecclesiæ januis innoxie progredi permittebant, modo in domos ab Ecclesiis separatas se non recipiant *q*).

## §. LXXXIV.

avo & no:

Ad Canones Sæculi Octavi & Noni referri possunt ea, quæ præcedente Capite inter Leges Principum ex Capitularibus Regum Francorum attulimus: ad Sacros enim Canones pertinere censentur, cum illa in conventu Episcoporum & Abbatum fuerint sancita, & pro majore efficacia concilianda, a Regibus promulgata. Ad finem Sæculi Noni, pro reformandis moribus in Germania celebratum est Concilium Triburiense; ex hujus *Canone vigesimo* refert Gratianus *r*) sequens Decretum: *Si quis contumax, vel superbus timorem Dei vel reverentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem ipse persecutus fuerit, de atrio Ecclesiæ, vel de porticibus quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit, pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat, & ipse publica pœnitentiæ justo judicio Episcopi mulctetur.* Memorabilis est *Canon*

*nitatis gradu functo, fugitivo etiam in locis sacris violentiam inferre. Si enim mundani Principes suis Legibus censuerunt, ut quicunque ad eorum Statuas fugerit, illæsus habeatur; quanto magis hi permanere debent indemnati, qui patrocinia immortalis regni & cœlestis adepti sunt?*

*p*) *Hist. Eccl. Rhemens. lib. II. c.* 5.

*q*) Concilium Toletanum XII. Anno 681. seu Era Hispanica 719. *Can.* 10. Refertur *in C.* 35. *XVII. q.* 4. Vid. Harduin. *tom.* 3. *fol.* 1724. Loaisa *fol.* 598.

*r*) *C.* 20. *XVII. q.* 4. Canon iste non omnino respondet Concilio Triburiensi celebrato Anno 895 quod habetur apud Harduin. *tom.* 6. *p.* 1. *col.* 435. haud dubie Gratianus, qui plura Capitula hujus Concilii in suum Decretum retulit, pleniorem textum præ oculis habuit.

*Canon quadragesimus sextus* ejusdem Concilii, juxta quem si mulier adultera, quam maritus capitali sententia plectendam Judici tradere cogitat, ad Episcopum confugerit; hæc marito, nisi vitæ securitatem obtineat, non reddatur: maritus vero, quamdiu ipsa vivit, nullo modo alteram ducat.

## §. LXXXV.

In Concilio Coyacensi Anno 1050. continentur Decreta Ferdinandi I. Regis Castellæ, & Sanciæ Reginæ, omnium Episcoporum ac Optimatum Regni Hispaniæ. Ibi *Capite XII.* præcipitur, *ut si quilibet homo pro qualicunque culpa ad Ecclesiam confugerit, non sit ausus aliquis eum inde violenter abstrahere, nec persequi infra dextros s) Ecclesiæ, qui sunt triginta passus: sed sublato mortis periculo, & corporis deturpatione, faciat quod Lex Gothica jubet. Qui aliter fecerit, anathema sit, & solvat Episcopo mille solidos purissimi argenti.* Circa idem tempus, NICOLAUS Papa II ad Episcopos Galliæ misit decreta quædam Synodi Romanæ Anno 1059. celebratæ. Inter illa sic legimus: *De confiniis Cœmeteriorum, sicut antiquitus a Sanctis Patribus statutum est, statuimus ita: ut major Ecclesia per circuitum sexaginta passus habeat, Capellæ t) vero, sive minores Ecclesiæ, triginta. Qui autem confinium earum infringere tentaverit, vel personam hominis aut bona ejus inde abstraxerit, & nisi publicus latro fuerit, quousque emendet, & quod rapuerit reddat, excommunicetur.* Spatium hoc videtur concessum Ecclesiis pro Cœmeterio, quod debet esse majus in Ecclesiis majoribus u). Concilium autem Claromontanum Jus Asyli etiam extendit ad Cruces in viis publicis positas x)

Undecimo:



s) *Dextrorum* appellatione veniunt passus mensurandi. Vid. Du FRESNE *Glossar. V. dextri.* Ubi plura de spatio, ad quod extra Ecclesiam extenditur jus Asyli. In Formulis, quas edidit LINDENBROGIUS *N.* 140. dicitur: terra illa *habet in longo dextros tantos, in lato dextros tantos.*

t) *Capella* dicebatur olim pro Capsa, in qua Martyrum Ossa conderentur. Unde apud MARCULPHUM *lib.* 1. *form.* 38. legimus *super Capellam Domni Martini jurare.* Vid. BIGNONIUS *in notis ibid.*

u) Epistola Nicolai extat apud HARDUIN. *tom.* 6. *p.* 1. *col.* 1058. dictus Canon refertur a GRATIANO *C.* 6. *XVII. q.* 4. ubi tamen majoribus Ecclesiis tantum statuuntur 40. passus, forte per errorem Amanuensis. Majores Ecclesiæ publicorum Sacrorum causa exstructæ, videntur hoc loco opponi Capellis seu Oratoriis, a Nobilibus & Magnatibus in fundis propriis exstructis, sacrorum privatorum causa, cum aliarum Capellarum usus eo tempore tam frequens ac hodie, nondum fuerit.

x) Conc. Claromontanum Anno 1095. *C.* 29. *si quis ad aliquam Crucem in via persequentibus inimicis confugerit, liber, acsi in ipsa Ecclesia, permaneat.* Item

## §. LXXXVI.

Sæculo duodecimo Concilium Rhemense Anno 1131. celebratum ab Innocentio II. contra Pseudo-Pontificem Anacletum, *can. 14.* præcipit, *ut in eos, qui ad Ecclesiam vel Cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat: quod qui fecerit, excommunicetur.* Altero mox anno, plures convenerunt Episcopi apud Villam Creissanam in agro Narbonensi *ad celebrandam ejusdem loci Ecclesiæ dedicationem in honorem B. Martini: ad constituendam quoque ibidem, ad monimentum tam futurorum, quam præsentium salvitatem. Qua, communi omnium qui aderant consilio, instituta & firmata, qui præsentes erant Episcopi locum ad eandem salvitatem circum exinde designaverunt, & ejus continentiam Crucibus infixis terminaverunt,* & anathemate ferierunt omnes, qui intra easdem Cruces vel incolam, vel peregrinum, sive omnino aliquem læserit, aut quidquam violenter abstraxerit. Majori autem autoritate Jus Asyli firmavit Concilium Lateranense II. Anno 1139. quod *Can. 15.* repetit verba nuper in Concilio Rhemensi posita.

## §. LXXXVII.

Circa hæc tempora Episcopus Aurelianensis ad Sugerium Abbatem, qui Regni habenas sub Ludovico VII. tractabat, scripsit, Civitatem illam Interdicto a se perculsam fuisse, quod ejus Judices pertinacius abnuissent reum suum Ecclesiæ reddere, quem ab ipsis aris abstraxerant *y*). Laudes Aurelianensi contulit & faces subdidit Hildebertus Cœnomanensis Episcopus, dein Turonensis Archi-Episcopus, Epistola ad eum scripta *z*), quæ sic incipit: *Audivimus & valde lætati sumus, Fraternitatem vestram pro eorum liberatione, qui de Ecclesia violenter abstracti sunt, satis episcopaliter desudasse. Ceterum qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Credimus autem vos perseveraturos, quoniam & honorem Ecclesiæ Christi diligitis, & Canonicas non ignoratis sanctiones &c.* Finit Hildebertus Epistolam suam, dicendo, etiam illum non posse abstrahi ab Ecclesia, qui Judicibus promiserat, se non fugiturum ab Ecclesia.

§. LXXXVIII.

Item *Can.* 30. *Quodsi quis pro securitate Ecclesiæ vel prædictæ Crucis aliquod crimen peregerit, & ad Ecclesiam vel Crucem confugerit, accepta securitate vitæ & membrorum, reddatur Justitiæ.*

*y*) Apud THOMASSIN. *p.* 2. *fol.* 868. *n.* 7.

*z*) *Epist.* 49. quæ extat in Bibl. SS. PP. ubi adducit Hildebertus locum ex Capitularibus, & ex S. Augustino, quem utrumque GRATIANUS retulit *C.* 8. & 9. *XVII. q.* 4. Nos autem Capitulum illud adduximus *Capite priori*, ubi de Constitutionibus Caroli M. dictum: Epistolam vero S. Augustini suspectam diximus ad initium hujus Capitis. Videtur Hildebertus desumpsisse hæc loca ex Gratiano, consequenter adhuc vixisse circa Annum 1150. quo tempore Decretum Gratiani prodiit.

## §. LXXXVIII.

Et in Anglia.

Anno 1142. Wilhelmus *a*) Wintonienſis Epiſcopus & Sedis Apoſtolicæ Legatus celebravit Londini Concilium, Stephano Rege præſente & Epiſcopis, eo ſcilicet tempore, quo nullus honor vel reverentia ferebatur Dei Eccleſiæ, ut ait MATTHÆUS PARIS. ibi *ſancitum eſt, ne aliquis, qui Eccleſiam, Cœmeteriumque violaverit . . ab alio, quam ipſo Papa poſſit abſolvi. Statutum eſt etiam, ut aratra in campis cum ipſis agricolis talem pacem habeant in agris, qualem haberent in Cœmeterio ſi extitiſſent.* Neceſſaria erat major ſeveritas ob bella privata ubique perſtrepentia illis ſæculis, quæ peſſima fama laborant in Hiſtoriis Eccleſiaſticis. Obſervatu etiam dignum eſt, quod eodem ſæculo Lucius III. Pontifex ex ſuppoſito Jure Aſyli argumentum ducat, ne cauſæ criminales in Eccleſiis vel Cœmeteriis agitentur: *abſurdum enim eſſe*, ait, *& crudele, ibi judicium ſanguinis exerceri, ubi eſt tutela refugii conſtituta b*).

## §. LXXXIX.

Decretalis INNOCENTII III. fundamentum hodierni Juris de Aſylo:

Perverſitas illorum temporum eo evaſit, ut priorum ſæculorum Decreta clariſſima vel in oblivionem, vel in contemptum veniſſe videantur. Hinc Innocentius III. Pontifex, Jurium Eccleſiaſticorum æque gnarus ac tenax *c*) accurate reſcribendo declarat Jus Aſyli, eo temperamento adjecto, quod mores illius ſæculi exigebant, ne graviſſima quædam ſcelera ſub ſpe impunitatis liberius perpetrarentur. Cum famoſa hæc Decretalis fundamentum ſit, cui poſteriorum Pontificum Decreta ſuperſtruuntur, oportet eam integram hoc loco apponere *d*): totus contextus ſic habet. *Inter alia, quæ nobis Regalis Providen-*

Uu 2 *tia*

*a*) MATTHÆUS PARIS *Hiſt. Angl. ad Ann.* 1142. *fol.* 76. dicit, Wilhelmum celebraſſe Concilium; eundem tamen eodem anno eſſe mortuum, & ſucceſſiſſe Henricum. Unde alii, qui Concilium referunt ad Annum 1143. dicunt celebratum eſſe ab Henrico Epiſcopo. Vid. ROGERUS DE HOVEDEN *Annal. p.* 1. *ad ann.* 1143. *fol.* 279. *b.* HENRICUS HUNTINDONIENSIS *Hiſtor. lib. VIII. fol.* 225.

*b*) *C.* 5. *de Immunit. Eccleſ.*

*c*) Idem INNOCENTIUS III. Papa *Epiſtol. ad Strigonienſ. & Colocenſ. Archiepiſcopos* & eorundem Suffraganeos data (*Operum tom.* 2. *fol.* 252.) conqueritur de Hungaria his verbis: *Cum Eccleſia Dei in Regno Ungariæ in tanta reverentia olim conſueverit haberi, ut ſi etiam publicus latro ad eam ob tutelam ſui corporis confugiſſet, ſub ejus conſiſteret immunitate ſecurus; & quamdiu lateret ibidem, tanquam innocens ſervaretur: nunc evacuata omnino tanta per iniquitatis filios libertate, non tantum nocentes perſonæ, verum etiam res ſacræ, & aliæ ibidem pro ſecuritate depoſitæ, violenter ab Eccleſiis extrahuntur.*

*d*) Decretalis hæc refertur in *c.* 6. *de Immun. Eccleſ.* inſcribiturque in quibusdam Codi-

*nia suis literis intimavit, quid de illis fieri debeat, qui maleficia perpetrantes, confugiunt ad Ecclesias, ut pro reverentia sacri loci debitas pœnas valeant evitare, solicite requisivit. Nos igitur tuis quæstionibus respondentes, juxta Sacrorum Canonum instituta, & traditiones Legum Civilium ita duximus in hujusmodi distinguendum, quod confugiens ad Ecclesiam, vel liber vel servus existit: si liber, quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam: sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent & membra, & vitam; super eo tamen quod inique fecit, est legitime puniendus: & hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus populator agrorum, qui dum itinera frequentat, vel publicas stratas obsidet, ob transgressionis insidias ab Ecclesia extrahi potest impunitate non præstita, secundum Canonicas sanctiones. Si vero servus fuerit, qui confugerit ad Ecclesiam, postquam de impunitate sua dominus ejus Clericis juramentum præstiterit, ad servitium domini sui redire compellatur, etiam invitus, alioquin a domino poterit occupari. Tu ergo Fili Charissime, cum in Regno tuo aliquid horum contigerit, juxta præmissam distinctionem sic procedere studeas, quod Ecclesiarum honor, & immunitas servetur illæsa, & malignandi facultas pravæ voluntatis hominibus auferatur.*

## §. XC.

[Regulis de]-[claratur a] [Grego]-[rio IX.]

Ab hoc tempore Romani Pontifices circa Asylum vix aliud statuerunt, quam ut dictæ Decretali Innocentianæ varias declarationes adjecerint. Gregorius IX. e) *Ecclesia, in qua Divina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium Immunitatis adimendum* esse declarat: *quia obsequiis Divinis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda.* Dum etiam *nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel earum Cœmeteriis committere non verentur: qui nisi per Ecclesiam, ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri . . . cum autem in eo in quo delinquit, puniri quis debeat; & frustra Legis auxilium invocet, qui committit in Legem: mandamus,* ait Gregorius ad Toletanum & Compostellanum Archiepiscopos, *quatenus publice nuntietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos f).* Idem Gregorius compilationi Decretalium inseri jussit Legem *Exodi c. 21. si quis*

Codicibus *Illustri Regi Scotiæ*, qui fuerit Willelmus vel Alexander II. circa initium sæculi decimi tertii: in aliis *Regi Conatiæ*, quæ est Provincia Hiberniæ, cujus Provinciæ Princeps Rodericus, supra reliquos Hiberniæ Regulos se extollens, se Regem Hiberniæ nominabat, & fastu suo occasionem dedit bello, quo Henricus II Rex Angliæ Hiberniam subjugavit: de qua re videri potest POLYDORUS VERGILIUS *Histor. Angl. lib. 13. fol. 220.*

e) C. 9. de Immunit. Eccles.

f) C. 10. Ibid.

*quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab Altari meo evelles eum, ut moriatur g).*

## §. XCI.

Sæculo XIII. Jus Asyli stabilitur in Anglia.

Sæculo Decimo tertio Angliæ Proceres prosequebantur strenue oppressiones Jurium Ecclesiasticorum, quorum propugnatio sub Henrico II. Martyrem dedit S. Thomam Cantuariensem. Hanc ipsam Sedem obtinens Bonifacius, postquam precibus & exhortationibus nihil profecerat, Concilium Provinciale Lambethense convocavit Anno 1261. magnaque Spiritus Apostolici libertate constituit, quæ suo muneri, & libertati Ecclesiarum conformia videbantur. Inter alia, *de his qui ad Ecclesiam confugiunt*, ita statuit: *Item cum ad Immunitatem Ecclesiæ confugientibus aliquando vix in alimentis valeat subveniri, propter arctam custodiam, quæ frequenter apponitur circa ipsos; ac aliquando confugientes hujusmodi ab Ecclesiis vel Cœmeteriis, aut viis publicis, post terræ abjurationem violenter sæpius extrahantur; ac sic extracti, in præjudicium Immunitatis Ecclesiæ, crudeliter occidantur; statuimus, quod qui talibus confugis, quos quidem Ecclesia tenetur tueri, alimenta impedierint ministrari, secundum arbitrium Ordinariorum, per Censuram Ecclesiasticam castigentur. Illos vero qui hujusmodi confugas ab Ecclesia, vel Cœmeterio, vel alio quocunque loco Ecclesiasticam Immunitatem habente, post abjurationem Patriæ, aut a via publica extrahentes, vel extractos taliter ausu sacrilego occidentes, tunc sub Ecclesiastica protectione consistant, omnibus pœnis sacrilegii decrevimus puniendos, una reliquum minime consumente. In Ecclesia autem vel Cœmeterio nulla omnino deputetur custodia contra fugientes ad Ecclesiam, per potentiam laicalem. Quodsi secus præsumptum fuerit, tam custodes, quam qui eos apposuerint, in forma Juris per excommunicationis sententiam arceantur. Illos autem tantummodo tueatur Ecclesia, quos Canones præcipiunt esse tuendos.* Non absimili Decreto in eos, qui personas ad Ecclesiam confugientes, vel res ibidem depositas inde violenter rapiunt, invehitur Concilium Londinense Anno 1268. ab Othobono Cardinale Sedis Apostolicæ Legato celebratum *h*).

## §. XCII.

Et in Gallia.

Non minus in Regno Franciæ, in quo Ecclesiarum libertas & honor eisdem debitus, servari retroactis temporibus, præ Regnis ceteris atque Provinciis, abundantius consuevit, Zelosi Prælati lamentabantur oppressam ea ætate Immunitatem Ecclesiarum. Unde Simon Cardinalis S. Cæciliæ, & Apostolicæ Sedis Legatus Anno 1276. Episcopos suæ Legationis in urbem Bituricensem convocavit, & inter alios pro Disciplina Ecclesiastica articulos, *c.* 12. violatores Asyli Ecclesiastici, feudis & beneficiis, si qua ab Ecclesiis taliter vio-



g) *C.* 1. *De Homicid. volunt.*

h) Conc. Londinense Ann. 1268. c. 13.

latis obtinent, privat, eorumque filios ad eadem inhabiles declarat *i*). SIFRIDUS autem Archiepiscopus Coloniensis in Synodo Anno 1280. celebrata *c.* 13. statuit, ut confugæ, qui privilegio Asyli gaudere non videntur, stricte custodiantur, ne effugiant, donec Episcopus causam examinaverit. Sed BERTRANDUS Episcopus Nemausensis in Synodo sua Anno 1284. non videtur velle ad se referri causam publici latronis, depopulatoris agrorum, vel ejus, qui homicidium vel mutilationem membrorum in ipsis Ecclesiis, vel eorum cœmeteriis commisit k). Synodus EXONIENSIS Anno 1287. refert se ad Statutum Cardinalis Ottoboni in Concilio Londinensi editum, cujus mentio in præcedente §. facta est. *l*).

## §. XCIII.

ti etiam seculo IV.

Concilium Nugaroliense ab Auscitanæ Provinciæ Episcopis, Præside Amaneo Archiepiscopo, Anno 1303. celebratum *cap.* 6. violatores Ecclesiastici Asyli Excommunicationis sententia ferit: iidem sub Archiepiscopo Guilielmo de Flavacourt Anno 1326. apud Marciacum congregati *c.* 11. in memoriam & observantiam revocant Statutum Simonis Cardinalis in Synodo Bituricensi editum (*supra* §. *92.*). Quo eodem anno Rhemensis Provinciæ Episcopi sub Archiepiscopo Guillermo de Tria in Synodo Silvanectensi *cap.* 5, similes pœnas statuunt in eos, qui confugientibus ad Ecclesiam alimenta ministrari prohibent, seu ipsos extrahunt sine autoritate Diœcesani. Nihilominus cum in Gallia ad initium hujus Sæculi Decimi quarti variæ hæreses gliscerent, & propterea Concilium Viennense Anno 1312. variis decretis munus Inquisitorum ordinasset *m*); hinc ne sub prætextu Immunitatis Ecclesiasticæ impedimentum poneretur dictis Inquisitoribus per Regnum Franciæ constitutis; JOANNES XXII. Papa

*i*) Subscriptio Concilii Bituricens. facta est *Idib. Septembris Anno Domini* 1276. *Romana Ecclesia vacante.* Illo ipso autem die electus fuit Joannes XXI.

*k*) Liber Synodalis Ecclesiæ Nemausensis, sub Rubrica de Veneratione Ecclesiarum. *In aliis autem casibus confugientes ad Ecclesias, vel prædicta loca religiosa, cum rebus suis in eis existentibus, a Rectoribus & Clericis Ecclesiarum defendantur, nec ab aliquo extrahantur sine nostra licentia speciali.*

*l*) Synod. Exoniensis c. 15. *Sanctam Matrem Ecclesiam, quæ nemini claudit ingressum vel gremium redeundi, non solum Patres Apostolici, sed etiam Romani Principes in unitate multiplici decorarunt: ut sit ipsa tanquam pia mater, quæ in sinu suo recolligit universos: ita singuli boni, sive mali, ad ipsam confugientes, sub ipsius chlamyde proteguntur illæsi. Hanc libertatem Ecclesiasticam bonæ memoriæ Othobonus, quondam in Anglia Sedis Apostolicæ Legatus, prudenter attendens &c.*

*m*) Hæ Ordinationes referuntur in *Clementinis Tit. de Hæreticis.*

Papa Anno 1316. ad instar MARTINI Papæ Quarti, Prædecessoris sui *n*), reos hæreseos ab Asylo excludit, mandatque, quatenus contra illos, quos de hæretica pravitate fore culpabiles, vel de illa notabiliter suspectos esse constiterit, accusatos etiam de labe prædicta, conversos quoque Judæos, & postmodum patenter, vel verisimilibus indiciis apostatantes a fide, juxta qualitatem delicti exequantur libere Officii sui debitum, acsi ad Ecclesias & loca prædicta minime confugissent *o*).

## §. XCIV.

In Hispania:

Sicut in Gallia & Anglia, ita etiam in Hispania Legati Sedis Apostolicæ Immunitatem Ecclesiasticam ferventer defendebant. Unde Anno 1322. apud Vallem Oleti (Valladolid) Palentinæ Diœcesis, autoritate Guillermi Episcopi Sabinensis, & Sedis Apostolicæ Legati celebratum fuit Concilium, cujus *cap.* 17. contra eos, qui temporalem Jurisdictionem indebite exercent, & Immunitatem Ecclesiasticam exquisitis fraudibus infringere moliuntur, sic statuitur: *Quosdam confugientium, ut habet fide digna relatio, intra ipsam Ecclesiam constringunt compedibus & catenis; quosdam vero sic arcte custodiunt, ut eis victualia non possint aliqualiter ministrari; alios etiam dormire vel quiescere non permittunt: & quandoque eos vulnerant, mutilant, comburunt, & occidunt, & aliis modis affligunt, contra Ecclesiasticam libertatem. Volentes igitur horum ausus temerarios juris remedio refrenare; statuimus, ne aliquis seu aliqui præfatis modis, vel aliquo ipsorum infringere Ecclesiasticam audeant libertatem: alioquin Officiales, Episcopi & alii, atque eis præstantes in his scienter consilium, auxilium & favorem, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto. Si vero Communitas hæc fecerit, vel fieri præceperit; eo ipso Ecclesiastico subjaceat interdicto, pœnis, & aliis in jure statutis in suo robore duraturis.*

## §. XCV.

Urgente Pontifice

Quod præstiterunt Legati Pontificii, id urgebant ipsi Pontifices Literis suis; his URBANUS V. Pontifex Anno 1364. excitavit Petrum Archiepiscopum Narbonensem ad celebrandum Concilium, asserens, succrescente Prælatorum desidia, omissaque continuatione Conciliorum hujusmodi, pullulare vitia, crescere indevotionem populi, Ecclesiasticam libertatem minui, cultum Divinum negligi, irrogari a Laicis Clero gravamina, & in temporalibus bonis ad Divi-

*n*) Literas Martini IV. ad Episcopos per Regnum Franciæ, ne impediant Inquisitores ab extrahendis ex Ecclesia suspectis de hæresi &c. Vid. apud RAYNALDUM *Annal. Eccles. ad ann.* 1281. *n.* 18.

*o*) *Bullarii Tom.* 1. *Bulla* 1. JOANNIS XXII. fol. 168. VINCENTIUS PETRA *tom.* 4. *ad eand. Bull.*

Divinum deputatis obsequium, sentiri non modicum detrimentum *p*). His a tationibus excitati tres Archiepiscopi, Narbonensis, Tolosanus, & Auxitanus, harum Provinciarum Prælatos convocarunt in Civitatem Vaurensem, Co tionibus ibi editis, quæ centum triginta & tria capita complectuntur. nonagesimum tertium fere iisdem verbis contextum est, quibus Concili turicense & Marciacense supra relata usa sunt. Extenditur Constitutio a qui confugerint *ad Archiepiscopalium seu Episcopalium domorum tutelam.* Du tem priora Concilia extrahi confugas prohibent, *præterquam in casibus a* ( *bus permissis*, addit Synodus Vaurensis, hos casus antea per Ordinarios e esse declaratos. Statuit insuper, ut violatores Asyli, *quousque plene sa rint Ecclesiis violatis, & illis quorum interest, Christiana careant sepultura; in articulo mortis ab excommunicationis sententia super prædictis a quoquam absoluti. Et loca, ubi talia perpetrata fuerint, subjaceant Ecclesiastico inte donec competens præstita fuerit emenda.*

## §. CXVI.

uærelæ ucis Bra- ntiæ.

Quantacunque fuerit Pontificum solicitudo pro tuenda Immunitate siastica; non minor tamen fuit Providentia, ne ex abusu Asyli flagitia i cerent. Querebatur Joannes Brabantiæ Dux, & Magistratus Bruxellensis nonnulli scelerati homicidia & alia enormia scelera perpetrent, speran punitatem suorum excessuum per Ecclesiæ defensionem obtinere &c. *Martinus* V. paulo post electionem suam Constantiæ III. Non. Januar. per Bullam: *Humilibus supplicum votis &c.* concessit dicto Duci & Magi *ut liceat eis per se vel Officiales suos ad hoc per eos pro tempore deputatos, hu perpetratores, latrones, fures, depopulatores* (agrorum) *& aggressores* (p rum itinerum ac stratarum) *nec non furta in Ecclesiis, vel homicidia etia Ecclesias per insidias committentes, qui sub spe prædicta ad aliquam Ecclesiam quod Cœmeterium confugerint, eis prius de hoc legitime convictis coram loci rio . . . ab ipsis Ecclesiis . . Vicarii ad hoc licentia petita, absque tamen s effusione & membrorum mutilatione recipere & educere autoritate Apostolica mus &c. q*).

## §. XCVII.

uærelæ Hispano- um.

Simili modo querebatur Henricus Castellæ Rex, plures in Castell eatis in locis sacris, Asylis fretos, ingentia flagitia admittere, cumque cædibus, & adulteriis se contaminaverint, confugere ad Ecclesias, a cum Judicum imperio ad tribunalia rapiantur, Præsules de violata Eccl

*p*) Apud Harduin. *Collect. Concil. tom.* 7. *col.* 1793.

*q*) In Tractatu inscripto: *Motivum Juris* impressum Mandato Archi Mechliniensis Anno 1700. *fol.* 12. seq.

libertate agere, Censurasque Ecclesiasticas incutere: has vero ut irritas haberi a Judicibus, cum ex eo sceleratis hominibus addatur audacia, & Respublica evertatur; oboriri exinde plerumque graves contentiones, an Censuræ jure vel injuria inflictæ sint: cumque ob locorum intervalla difficile & arduum esset, Sedem Apostolicam consulere; flagitante Rege, PIUS II Archiepiscopo Hispalensi jus & autoritatem contulit, ut de Censuris Magistratibus publicis irrogatis cognosceret, easque vel firmas, vel irritas renunciaret *r*).

## §. XCVIII.

Et Anglorum de abusu Asyli.

Ejusmodi querelæ delatæ etiam sunt ex Anglia ad JULIUM II. Pontificem, qui hac de causa Diploma Apostolicum eo misit, Anno 1504. 13. *Kal. Junii* datum, cujus initium his verbis concipitur: *Romanum decet Pontificem taliter providere, quod Immunitates, quæ Ecclesiis ob reverentiam Divini Nominis, & ad præsidium innocentium provida moderatione concessæ fuerunt, malis ad pejora perpetranda audaciam non præbeant, sed illas taliter moderari, quod exinde & Ecclesiis Privilegia conserventur, & delinquentium effrenata temeritas compescatur.* Recensitis dein Anglorum querelis, Pontifex Autoritate Apostolica statuit & ordinat, *quod deinceps, quoties contigerit in dicto Regno* (Angliæ) *hujusmodi criminis Læsæ Majestatis reos, vel suspectos ad dicta loca* (Ecclesiastica) *etiam quovis exemptionis privilegio munita confugere, quamvis de criminibus hujusmodi, aut eorum aliquo convicti non fuerint, custodes ad custodiendum illos in dictis locis, ne inde aufugiant, deputari debeant, & si dicti Criminis Læsæ Majestatis rei vel suspecti, aut homicidæ, latrones, vel itinerum & publicarum viarum effractores seu insidiatores, in dictis locis moram trahentes, vel inde exeuntes, de novo prædicta crimina, vel eorum aliqua, aut deteriora, vel alia similia committere præsumpserint, vel inde recedentes ad prædicta, vel alia quæcunque loca etiam quacunque Immunitate gaudentia confugerint, ab illis licite extrahi, & Justitiæ commiti possunt s*)



*r*) Ita RAYNALDUS *Annal. Eccles. ad Ann.* 1459. *n.* 25.

*s*) Summam harum Literarum refert RAYNALD. *ad Ann.* 1504. *n.* 35. Integras recenset *Bullar. Roman. Edit. Luxemburg. Tom. X. fol.* 6. Addit autem Pontifex in fine plenissimas derogationes, & nominatim non obstare vult OTTONIS & OTTOBONI olim in Anglia Apostolicæ Sedis Legatorum Constitutiones. De OTTOBONI Constitutionibus vid. supra in Synodo Londinensi & Exoniensi. OTTO autem Legatus Concilium Londini celebravit Anno 1237. Multa de hoc Legato & Concilio narrat MATTHÆUS PARIS *Hist. Angl. ad eundem annum.* Simile fere Rescriptum pro moderando Asylo ab INNOCENTIO VIII. datum ad petitionem Henrici VII. Anglorum Regis, refertur in *Continuatione Histor. Eccl. Abbatis* FLEURY *Tom.* 24. *lib.* 116. *ad Ann.* 1488. *N.* 93. *seq.* & apud BZOVIUM *Annal. Eccles.*

## §. XCIX.

Privilegia quædam revocat Pius IV.

Concesserant nonnulli Romani Pontifices quibusdam Communita Universitatibus; Confraternitatum & aliorum piorum locorum Rectorib cultatem, singulis annis die Veneris in Parasceve, vel alio certo die, unur micidam in locis Pontificiæ ditionis e carceribus, meritisque suppliciis lib di, & salutiferæ Cruci vel Altari præsentandi; aut patriæ dimittendi. autem scelerati quidam sicarii ansam inde viderentur sumere humanum sa nem sub spe liberationis effundendi: simul etiam illi, in quorum manu legiorum usus aut executio sita erat, eis ut plurimum non ad Christianan tatem uti, sed potius ad quæstum, & favores importunos in animarum su perniciem, & bonorum scandalum imprudenter abuti solerent; hinc I IV. *t*) omnia & singula ejusmodi Privilegia revocavit, cassavit, irritavi annullavit: sibique soli & Pontifici pro tempore existenti reservavit arbit an ejusmodi damnati homines misericordiæ locum reliquerint.

## §. C.

Asylo certam normam præscribit.

Sicut juxta dicta nonnulli Pontifices concesserunt facultatem reos dam ex carceribus ad tutelam Ecclesiæ transferendi; ita vicissim alii Ponti nominatim SIXTUS V. & PIUS V. *sancto Zelo ducti diversas facultat Indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam a Jure non permissis, ex Eccles minosos & delinquentes, compluribus sæcularibus Principibus, eorumque Curiis & gistratibus sub variis modis & formis concesserunt. Experientia postmodum d tum ob diversitatem & differentiam hujusmodi Indultorum, tum quia pleriqu rundem Principum Ministri, ex boc ipso illa diversimode, etiam latius quam par & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt; illisque abuti cœpe subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis & Immunitatis Eccles perturbationem & confusionem; alibi vero ne ipsos quidem Laicos indultis buju*

*Eccles.* ad *Ann.* 1487. *N.* 12. occasionem hujus Bullæ refert POLYI VERGILIUS *Hist. Angl. lib.* 26. *fol.* 568. *& seq.* ubi enarrat motus I cisci Lovelli, & Humfredi Staffordii ex Asylo egredientis & re male regredientis.

*t*) In Literis *Dum ad solitam* 19. *Kal. Januar.* 1564. datis, quæ contine *Tom. II. Bullarii Const.* 92. Procemium est lectu dignissimum: *Dum a litam Romani Pontificis JEsu Christi Vicarii Clementiam, tanquam ad uberantem pietatis fontem pro gratiis impetrandis undequaque concurr ipseque more pii Patris omnes uti filios dilectissimos in intimis Charitati Misericordiæ visceribus indulgenter amplectitur, usi nonnunquam evenit de privilegia flagitando reportari, quæ licet prima petitionis specie nihil commodi secum afferre videbantur, illorum tamen concessionem subsequen: perientia Reipublicæ damnosam, meritoque esse convincit improbandam &*

*nti voluisse, aut potuisse, quod Populis, inveterata erga Ecclesias reverentia, devotis & assuetis, scandali potius quam quietis occasionem præberent.* His rationibus permotus Pontifex GREGORIUS XIV. sublata omni differentia, quæcunque Indulta Pontificia ad uniformem regulam reducere, *u*) libertatique Ecclesiarum opportune providere constituit, ita tamen, ut exigente perversorum hominum malitia, ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, aliquid in quibusdam casibus permiserit, ultra id, quod prisca Majorum Disciplina, & vetus sacrorum Canonum norma præscripserat.

## §. CI.

GREGORIUS XIV.

Per Literas igitur Apostolicas, datas Nono Cal. Junii Anno Incarnationis Dominicæ 1591. inprimis vult GREGORIUS, ut Immunitas Ecclesiastica non suffragetur Laicis ad Ecclesias, locaque sacra & religiosa confugientibus I. si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. II. Depopulatores agrorum. III. Qui homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumve Cœmeteriis committere non verentur. IV. Qui proditorie proximum suum occiderint V. Rei Assassinii; VI. Hæresis, VII. Læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis. Præcipit proin Pontifex Ecclesiarum Prælatis, ut Laicos ad loca sacra seu religiosa confugientes, qui prædictorum delictorum aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando a Curia sæculari fuerint requisiti, Officialibus Curiæ sæcularis tradi & consignari curent & faciant. Decernit autem, ut Curia sæcularis a prædictis locis delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo autoritatem habentis, capere, extrahere aut incarcerare non possit, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis expressis culpabiles, tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire, & assistere recusaverint; tuncque reverentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit cum scandalo & tumultu extrahere curent. Declarat insuper facultatem dandi dictam licentiam pertinere ad solos Episcopos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis: occurrente autem casu in loco exempto & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio. Prædicti autem Laici delinquentes, ex locis sacris dicto modo extracti ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & ibi sub tuto & firmo carcere ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per

 Cu-

*u*) Abusum horum Indultorum ipse GREGORIUS Pontifex, adhuc Cremonensis Episcopus, expertus esse dicitur, abducto ex ejus cubili ad publicos carceres confuga, qui sub Ejus lecti Episcopalis sponda latitarat.

Curiam sæcularem, detineri debeant, donec, cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina excepta commiserint, demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari, quacunque appellatione postposita, consignentur. De crimine tamen hæresis cognitio ad solum forum Ecclesiasticum pertinere declaratur: & prohibetur, ne Curia sæcularis contra Ecclesiasticas personas procedat aut se intromittat. Contra hæc aliquid attentantes, declarantur ipso facto Censuras & pœnas incurrere, quæ contra libertatis, Juris & Immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones sunt promulgatæ.

## §. CII.

*Post plurium Pontificum deliberationes.*

Constitutio hæc passim recepta & multis annis in usum deducta fuit. Crescente demum hominum impudentia ac temeritate, & auctis in dies sceleribus, multi a Sede Apostolica suppliciter petierunt ut criminum numerum, quibus sacrum Asylum minime permittitur, latius amplificaret. Actum hac de re fuit sub CLEMENTE IX. & X. sed nihil novi constitutum x). Sub CLEMENTE XI. eadem in examen revocata fuerunt, omnibus, qui in hanc rem congregabantur unanimiter censentibus, Gregorianum Decretum magis extendendum esse: unde varia crimina sunt notata, quæ adjungi posse videbantur. Hæc tamen in lucem prolata tunc non fuerunt. Proposita nempe fuit quæstio, an si reus sæculari Curiæ committendus sit, priusquam id fieret, defensionis tempus ipsi reo tribuendum videretur? Hæc controversia, quæ dissentientibus Deputatis, componi tunc non poterat, reliquorum omnium, quæ agebantur, cursum continuit, & eorum, quæ jam sancita fuerant, promulgationem impedivit. Postea vero coactis novis cœtibus ea omnia confirmata sunt sub BENEDICTO XIII. & ab hoc Pontifice promulgata y), occasione Concilii Romani eo tempore celebrati, ubi dicitur, quod Constitutio GREGORII XIV. tractu temporis, vel quia multifariam a Doctoribus exposita, vel quia in ipsis Tribunalibus Ecclesiasticis praxi est observata dissimili, quotidianæ tantummodo videatur esse fori utriusque Judicibus disputationi z).

## §. CIII.

*Dubia declarat BENEDICTUS XIII.*

In hac igitur Constitutione BENEDICTUS XIII. declarat, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis

x) Hæc & sequentia narrat PROSPER LAMBERTINUS, postea Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. in *Institut. Eccles. Edit. Lat. Rom. Inst.* 41.

y) Per Literas Apostolicas *Ex quo Divina &c.* Anno 1725. 6. Id. Junii, relatas in *Appendice Concilii Romani Num. XXV. fol.* 277.

z) Concil. Roman. *Tit.* 28. *c.* 1.

quis publicus latro, & grassator, cui ex Gregoriana Constitutione Immunitas Ecclesiastica minime suffragetur, dici valeat; dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit. Dein per eos, qui homicidia aut mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committunt, intelligi & ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludi vult illos, qui stantes in Ecclesia vel Cœmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant: nec non eos, qui stantes extra Ecclesiam aut Cœmeterium occidunt stantes intra Ecclesiam vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant. Item ob crimen Assassinii non modo Mandatarios, sed etiam Mandantes excludit, qui certum præmium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium re ipsa patratum fuerit.

## §. CIV.

*Et plura crimina excipit.*

Criminibus hoc modo declaratis, alia quædam adjungit Pontifex, Ecclesiæ Immunitate prorsus indigna, dum ab Asylo repellit I. eos, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt & abducunt, addita declaratione, tam hujus, quam supradictorum in Ecclesia commissorum delictorum reos, non illius tantum Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse aut debere. II. Interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato. III. Falsificantes Literas Apostolicas. IV. Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. V. Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascunque monetas aureas vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum & commercium: vel ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii; atque participes censeri possint. VI. Illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum &c.

## §. CV.

*Modumque procedendi præscribit.*

Dein quoad modum recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, rejecta omni alia interpretatione, praxi, aut declaratione, normam ab omnibus observandam præscribit, ut Curia Ecclesiastica, quando super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate a Curia sæculari subministrantur indicia ad capturam sufficientia, procedere teneatur ad de-

linquentis extractionem cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, asportando extractum ad suos carceres: ubi vero ex processu informativo constat de crimine excepto, & adversus extractum talia resultant indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit, quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur ultra torturam, eo tandem casu extractum Ministris & Officialibus Curiæ sæcularis tradere & consignare possit ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione, restituendi extractum Ecclesiæ, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, Pontifici reservata, quatenus idem extractus indicia purgaverit. Demum cognitionem de exceptis criminibus, soli Episcopo tribuit, prout etiam fecit GREGORIUS XIV. Admonet etiam Episcopos, ut magno zelo atque constantia Immunitatem Ecclesiasticam tueantur: *ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causa potius, quam miserationis, & justitiæ titulo, Ecclesiastica Privilegia asserere velle videantur* a)

## §. CVI.

...ae am-
...antur
...ntra
...mici-
...s in Di-
...nePon-
...icia:

Anno a promulgatione hujus Bullæ decimo, CLEMENS XII. considerans crebra, quæ in temporali Sacræ Romanæ Ecclesiæ ditione, ac etiam in Urbe Romana patrabantur homicidia, eas inire voluit *rationes, per quas omnis spes, ac fiducia impunitatis, quæ illecebra peccandi persæpe esse solet, delinquentibus adimatur.* Itaque per Constitutionem *In supremo Justitiæ solio* Kal. Febr. Anno 1735. *Contra homicidas ac deferentes arma prohibita in alma Urbe & reliquo Statu Ecclesiastico* editam, decrevit, *ut occisor pœna ordinaria puniatur, licet homicidium secutum sit in rixa, si homicida rixæ autor fuerit:* item *ut calor iracundiæ a pœna ordinaria delinquentem nusquam eximat, ubi inter tempus rixæ, ac patratum homicidium sex horarum spatium intercesserit.* Insuper Constitutionem BENEDICTI XIII. Laicos animo præmeditato, ac deliberato proximum suum interficientes, a beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ excludentem ad ipsos Ecclesiasticos cujuscunque gradus & Ordinis existant, extendit, dummodo tamen causa admissi per eos homicidii ab illorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, & ab eo, si rei reperti fuerint, citra pœnam sanguinis ad præscriptum SS. Canonum condigna puniantur animadversione. Ulterius declarat, homicidii reos natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis tam Laicos, quam Clericos, atque omnes & singulos sive Laicos, sive Clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dicta BENEDICTI Constitutione comprehensos esse, ita scilicet, ut illorum extractio e loco immuni, atque traditio Curiæ sæculari quoad Laicos ad ejusdem Cu-

a) Bullæ Benedicti XIII. presse inhæret Mandatum Serenissimi Episcopi Augustani Josephi, tertio Nonas Maji 1748. publicatum.

Curiæ sæcularis requisitionem fiat a Curia Ecclesiastica, & Clerici ab ipsa Curia Ecclesiastica ex officio omnino extrahantur. Item declarat, omnes, qui ex causa & occasione homicidii etiam in rixa commissi cum armis seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, inquisiti & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis præfatæ beneficio minime etiam gaudere.

## §. CVII.

**Et aliis quibusdam Provinciis a CLEMENTE XII.**

Præscribit ibidem ordinem servandum in extractione reorum e loco Immuni, conformem fere Constitutioni BENEDICTI XIII. Quando autem ad reum Curiæ sæculari tradendum BENEDICTUS exigit indicia *ultra torturam*, CLEMENS de delicto excepto petit indicia *ad torturam tantum sufficientia*. Quæ autem Constitutionibus GREGORII XIV. & BENEDICTI XIII. *in cunctis Christiani Orbis partibus juxta earum tenorem ac dispositionem inviolabiliter retinendis ac custodiendis*, per modum extensionis & ampliationis adjecit CLEMENS XII. nusquam ad ceteras Regiones, in quibus non adeo multiplicia grassantur homicidia, neque ultra ditionem Ecclesiasticam extendere, & ampliare intendit. Nihilominus postea, petente Rege Catholico Philippo ad Regna Hispaniarum, & petentibus Duce ac Gubernatore Reipublicæ Januensis, CLEMENS hanc dispositionem ad Dominium & Ditiones tam terræ firmæ, quam Regni Corsicæ, & Insulæ Caprariæ eidem Reipublicæ subjectas, *in quibus homicidia quoque frequentissima sunt*, extendit & ampliavit, per Brevia concessa 14. Novembris 1737. & 14. Januarii 1740. quæ incipiunt, *Alias nos b*).

## §. CVIII.

**Et BENEDICTO XIV. addita declaratione:**

Hanc Constitutionem, adjuncta Erudita Dissertatione Parochis suis publicavit, & populo publicari mandavit PROSPER LAMBERTINUS, tunc Archiepiscopus Bononiensis *c*): qui sub BENEDICTI XIV. nomine ad Solium Pontificium evectus, illam magis declaravit, & ad plures Provincias, quarum Reges aut Principes id expetierant, ampliavit, nominatim ad Regna utriusque Siciliæ, & Sardiniæ, ad Rempublicam Lucanam &c. &c. *d*). Plurium autem dubiorum declarationem singulari Constitutione edidit die 15. Martii 1750. ubi I. declarat, sub Ecclesiasticis Personis, ad quas CLEMENS XII. suam Bullam extendit, intelligi etiam quoscunque Regulares: item pari jure cum Viris

*b*) Constitutio CLEMENTIS XII. continetur in *Bullario Romano Tomo XV. fol.* 14. *&c.* Brevia autem *ibid. fol.* 157. *&* 306.

*c*) *Cit. Instit.* 41.

*d*) Formula extensionis habetur in Bullario Benedicti XIV. *Tom.* 1. *Const.* 88.

Viris censeri Mulieres, & Milites quoad exclusionem ab Immunitate Ecclesiastica. II. Cum CLEMENS excluserit reos homicidii in rixa commissi *cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum*: BENEDICTUS declarat, sub hac ordinatione comprehendi etiam illos, qui *baculo aut saxo proximum suum occiderit*, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, & nocendi animo ac voluntate prodiisse, conformiter Divinæ Legi *e*). III. Decernit, ut vulnerans aliquem, si Chirurgi grave vitæ periculum adesse retulerint, e loco immuni servatis servandis extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restituatur, ubi vulneratus ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat. IV. Monet Episcopos, ne extractionem delinquentium diutius quam par est, protrahant. Nec enim Ecclesiastici Zeli officium in eo statuendum est, ut Justitiæ cursus per Apostolicas Constitutiones præscriptus adversus facinorosos homines impediatur: verum in Ecclesiæ Immunitate, aliisque omnibus Ecclesiasticorum locorum & personarum juribus asserendis & sustinendis; cum ea, contra sacrarum Legum præscriptum, infringi, ac violari contingat. V. Concedit Episcopis, ut pro locis a Curia Ecclesiasticæ residentia remotis, deputent viros Ecclesiasticos, qui indicia ad extractionem necessaria juridice colligant, ut his inspectis, iidem Antistites prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantocyus decernendam procedere valeant. VI. Decernit, hæc locum habere in ditione Pontificia, & aliis Provinciis, ad quas Constitutiones prædictæ extensæ fuerunt. VII. Innovat pœnas statutas in violatores Ecclesiasticæ Immunitatis; loca immunia obsidere præsumentes; impedientes ne ad confugas alimenta deferantur; aut aliis artibus ad deditionem adigentes, quos præter alias pœnas & Censuras, omni beneficio Ecclesiastici confugii & Asyli privatos esse decernit. VIII. Circa eos, qui in alterius Ditionis Diœcesi, quam ubi delictum commissum fuit, Asylum quærunt, & a Curia sæculari loci delicti requiruntur, supposita consuetudine mutuæ extraditionis reorum, statuitur, ut Episcopus illius loci, in quo delictum commissum fuit, indicia ad capturam requisita excipiat, eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens Asylum cepit, sine mora transmittat, ut hujus scilicet Antistitis autoritate, aliisque servatis servandis, a confugii loco extrahi, ac si ita res ferat, externæ postulanti Curiæ valeat consignari.

## §. CIX.

*Nominatim in Caussis Inquisitionis.*

Sequenti anno 1751. Idem Pontifex Epistola Encyclica ad Inquisitores contra hæreticam pravitatem deputatos scripta, confirmat Constitutionem JOANNIS XXII. (supra §. XCIII.) contra Hæreticos ac Judæos a fide suscepta in Apostasiam incidentes, eam tamen methodum adhibendam præscribit, ut

*e*) *Numeror. XXXV.* 17. 18.

ut Inquisitor, quoties hujusmodi reus ab Ecclesia extrahendus erit, Episcopum de hac re certiorem faciat sine communicatione indiciorum. Ubi autem de aliis criminibus exceptis agatur, quæ vel ratione delicti, vel ratione personæ ad Sacri Tribunalis cognitionem pertineant, serventur omnia in aliis Constitutionibus decreta; communicentur Episcopo indicia, & extractio nonnisi autoritate Episcopi fiat. Si autem crimen non sit exceptum, reus Immunitate gaudeat. Eadem servanda decernuntur quoad fugitivos e carcere, triremе, vel loco relegationis, si in Asylum se recipiant *f*).

## §. CX.

Et contra Duellantes.

Demum idem Pontifex 4. Id. Nov. 1752. in Constitutione *Detestabilem*, Constitutionem BENEDICTI XIII. de homicidio deliberato, clarioribus terminis ad eos, qui in duello occidunt, applicat his verbis: „Statuimus atque „decernimus, ut si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, homi„nem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex „vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tanquam interficiens proxi„mum suum animo præmeditato ac deliberato, ad formam Constitutionis fel. „record. Prædecessoris nostri BENEDICTI P. XIII. quæ incipit *Ex quo Divi„na*, data IV. Id. Junii Anno Domini 1725. ab Ecclesiasticæ Immunitatis be„neficio exclusus & repulsus omnino censeatur; ita ut a cujuscunque sacri aut „Religiosi loci Asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de Jure servandis, „extrahi, & Judicis competentis Curiæ pro merito puniendus, tradi possit & „debeat; super quo Nos Episcopis, aliisque Superioribus Antistitibus, ad quos „respective pertinet, & pertinebit in posterum, necessarias & opportunas fa„cultates præsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc „altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immu„nem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, & Legum „severitatem evadere posse prospiciatur; volumus, & respective permittimus, „ut, quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum ad„esse retulerint, percussor ipse, prævio semper Decreto Episcopi, & cum as„sistentia Personæ Ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputatæ, ab hujusmodi „loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Ju„dicibus indicta, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes „vivat ultra tempus a Legibus, quæ de homicidio sunt, constitutum; alioquin „in easdem pœnas incidant, quæ in memoratis BENEDICTI XIII. Literis „constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem „expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, „postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.



*f*) Bullar. BENED. XIV. *Tom. III. Const.* 40.

## §. CXI.

Constitutio Clementis XIII. pro Palatinatu.

Ante paucos annos SS. D. N. CLEMENS XIII. ad preces Serenissimi Electoris Palatini CAROLI THEODORI constituit *g*), ut in oppido Manhemii carcer aliquis a Laicali potestate exemptus Jurisdictioni Diœcesani, nimirum Episcopi Wormatiensis subjiciatur, ejusque carceris Custodes & Ministri in his, quæ ad custodiam reorum ex locis immunibus extractorum pertinent, dicto Episcopo, Ejusque Officio & Vicariatui omnino parere teneantur. Cum igitur contigerit, delinquentem Laicum ad Ecclesiam, aliumque locum immunem in Palatinatu confugere, si quidem is publica voce & fama reus arguatur ejusmodi criminis, cui juxta Canonicas Sanctiones Ecclesiasticæ Immunitatis præsidium denegatur, non alio ad id requisito argumento, satis esse & fore declarat Pontifex, ut ad illius extractionem procedatur per Ministros Curiæ Laicalis, prævia tamen semper licentia seu facultate in scriptis obtinenda & concedenda, a Superiore Ecclesiastico, seu ab alia persona ad id deleganda, & cum interventu, & præsentia Ecclesiasticæ Personæ per eundem Superiorem deputanda ad hoc, ut extractio hujusmodi cum districta modestia, & sine populi scandalo perficiatur. Hæc licentia in scripto obtinenda, & Personæ designatio fiat ab ipso Episcopo, vel Ejus Vicario Generali in locis, ubi isti resident: alibi vero a Vicariis Foraneis, hisque deficientibus a Parochis locorum, quos scilicet Vicarios Foraneos, atque Parochos Episcopus semel in conferendo singulis Eorum officio, irrevocabiliter delegabit: hi tamen de licentia ad extractionem Rei a se data, quamprimum certiorem reddent Episcopum, vel Ejus Vicarium Generalem. Reus autem hac ratione extractus ad Ecclesiasticum carcerem supra designatum illico deducendus, ibique custodiendus erit nomine Ecclesiæ, & sub omnimoda dispositione Episcopi, quoadusque idem Episcopus, vel alius ab eo ad id deputatus de indiciis a sæculari Curia allatis satis cognoverit, & sua sententia in scripto proferenda declaraverit, constare, aut non constare de crimine excepto. Si constet, Reus erit Curiæ sæculari tradendus; si non constet, ad locum immunem, unde eductus fuerat, restituendus erit.

## §. CXII.

Item pro Bavaria circa crimina Militaria.

Recentissime idem Pontifex CLEMENS XIII. ad instantiam Serenissimi Electoris Bavariæ decrevit, ut a S. Congregatione Immunitati Ecclesiasticæ præposita tribuatur Episcopis Bavariæ facultas ad triennium duratura *h*), extrahendi cum debita decentia & interventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo depu-

g) Per Literas sub plumbo, quæ incipiunt *Inter graviores.* datas *prid. Cal. Octobr.* 1758.

h) A die 26. April. 1760.

deputandæ, Milites reos desertionis, aut cujusvis alterius delicti Militaris, a quibusvis Ecclesiis & locis immunibus suæ Diœcesis, ac illos consignandi eorum Præfectis, reportata tamen prius ab iisdem promissione more Nobilium de non plectendis ejusmodi Militibus morte, aut aliqua gravi pœna corporis afflictiva, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ adversus contravenientes, Romano Pontifici, præterquam in mortis articulo reservatæ. De hac concessa facultate Eminentissimus Præfectus Congregationis Immunitatis, Cardinalis Delci monuit Ordinarios Bavariæ, cum potestate subdelegandi aliis.

## §. CXIII.

Quæ enumerantur

Igitur Sereniss. Elector per Decretum ad Legionum Præfectos datum 23. Junii 1760. jussit moneri Milites de hoc Pontificio Indulto, & exactam ejus executionem demandavit. Ut autem singuli scirent, quænam essent Delicta Militaria, catalogus eorum Decreto adjectus est hoc ordine, hisque latinis verbis: I. Punctum desertæ aciei. II. Præmaturæ deditionis. III. Deserti seu neglecti vexilli. IV. Violatæ subordinationis. V. Oppositionis simplicis vel violentæ. VI. Emansionis. VII. Desertionis. VIII. Transfugii, id est transitionis ad hostes. IX. Proditionis. X. Malversationis seu de Residuis. XI. Falsi. XII. Detentæ aut detractæ pecuniæ. XIII. Ablatæ annonæ. XIV. Detenti Salarii. XV. Expilationis. XVI. Excessus. XVII. Conspirationis. XVIII. Seditionis. XIX. Injuriarum verbalium. XX. Injuriarum realium, seu verberationis aut vulnerationis. XXI. Provocationis. XXII. Duelli. XXIII. Plagii. XXIV. Furti erga commilitonem commissi. XXV. Autochiriæ, vel Mutilationis propriæ. XXVI. Canicidii dolosi. XXVII. Illicite contracti Matrimonii. XXVIII. Concubinatus. XXIX. Neglecti servitii. XXX. Alienatæ vestis militaris, aut Amunitionis seu armorum. XXXI Desertæ Vigiliæ vel Stationis. XXXII Simulatæ ægritudinis tempore expeditionis bellicæ. XXXIII. Oblitæ vel omnino divulgatæ Parolæ. XXXIV. Ebrietatis intempestivæ. XXXV. Vis publicæ. XXXVI. Vis privatæ. XXXVII. Transcensi muri, aut valli. XXXVIII. Correctionis Excessivæ. XXXIX. Abscissionis Crinium.

## §. CXIV.

Quædam declarantur:

Formulæ Sententiarum & Responsorum Juridicorum circa Delicta in Decreto Bavarico enumerata, obvia sunt in libris, qui de Judiciis militaribus tractant, nominatim apud LUNIG in Corpore Juris Militaris, ejusque Appendice. Pœnas autem militares recenset CAROLUS de AQUINO Lexic. Milit. part. 2. V. Pœna. Singulare tamen in hoc Decreto videtur crimen *Canicidii dolosi*. Nempe Canicidium censetur esse opus infame excoriatorum, qui passim macula aspersi existimantur: unde honesti milites militare recusant in consortio

sertio talis hominis, qui ejusmodi sordido opere se inquinaverit: dolose autem canem occidere judicatur, qui eo fine id facit, ut aliis suum consortium aversantibus, ipse ineptus fiat ad servitia militaria. Nulla autem macula inuritur illi, qui ex honesta causa, forte ad avertendum damnum, explosa fistula canem rabidum, in obvios irruentem, glande plumbea sternit. Similiter macula asperguntur Milites, qui equos tabe confectos sepeliunt, vel quocunque modo contrectant: nihilominus nihil contra decentiam status sui fecisse judicati sunt milites illi, qui, absente alio his muniis destinato, ejusmodi equum ex loco stationis suæ, jubente præfecto militari extraxerant, ne locus fœtore cadaveris inficeretur *i*) Cavendum, ne honestatis & decentiæ studium degeneret in vesanam superstitionem. Crimen ultimo loco notatum, scilicet *abscissionis Crinium*, intelligi mihi dictum est, si quis studiose calvitiem sibi inducat, ne pari cum aliis cultu capitis uti possit: fictorum enim crinium usus inter gregarios milites consuetus non est. Majoris culpæ reum se facit, qui commilitoni suo crines per ludibrium abscindit.

## §. CXV.

milia censenr.

Si occasio se offerat, dictum Indultum Pontificium inter Milites Bavaros in Praxin deducendi, non dubito, quin adhuc alia quædam crimina, præter enumerata, inter militaria censenda sint, quæ in relato Decreto non adeo claris verbis recensentur, E. G. Violati Arresti, si Miles domi se continere jussus, clam ædes deserat, & in locum Asyli se conferat. Item si quis ex hostili exercitu captus, contra datam fidem ex loco sibi assignato aufugiat, vel condicto tempore in captivitatem non redeat *k*). Item si Miles dum se in armis exercet, incauta fistulæ explosione in ædes stramine tectas, culpabilem causam incendio dedit *l*). Item si in sua statione, ubi vigilias agere deberet, dormiens deprehendatur *m*) Item si quis equum suum vendat, vel studiose inutilem reddat, vel alium procurare negligat, animo se eximendi a servitiis militaribus *n*). Item si Salvam Guardiam, ut vocant, seu vivam, seu literis affixis con-

*i*) Ita judicatum refert LUNIG *in appendice Corp. Jur. Milit. fol.* 317.

*k*) Sententiam Regis Daniæ in ejusmodi fugitivos Officiales Suecos latam Anno 1714. refert cit. LUNIG *fol.* 290. *seqq.* Repressalias autem opposuerunt Sueci. *ibid. fol.* 296. *seqq.*

*l*) *Ibid. fol.* 330.

*m*) *Ibid. fol.* 378. ubi postea *fol.* 494. deciditur quæstio, an talis miles in somno deprehensus, mox occidi possit?

*n*) talis declaratur infamis, & relegatur. *art.* 117. *Augusti Ducis Brunswic. apud Lunig Corp. Jur. milit. fol.* 1152.

concessam, violat & infringit o). Hæc & similia delicta haud dubie Præfecti militares Bavari sub Indulto Pontificio inter militaria comprehendi, data occasione dicent, & extractionem Rei ex loco immuni postulabunt.

## §. CXVI.

Porro Crimina hæc nec omnia sunt capitalia, nec omnia numerantur inter excepta, quæ delinquentem privent Immunitate. Indultum enim Pontificium & intentio Serenissimi Electoris id solum intendere videtur, ut persona Militis retineatur sub vexillo, nec occasione Asyli subducatur servitiis militaribus. Si autem crimen tale sit, quod etiam juxta Constitutiones Pontificias Asylo non gaudeat E. G. occisio in duello, debebit hoc ipsum more alias præscripto ab Episcopo declarari: quo casu datæ Reversales Præfecti Militaris de non plectendo milite morte, aut aliqua gravi pœna corporis afflictiva, non impedient pœnam ordinariam. Istæ enim Reversales intelligi solummodo debent in eo sensu, quod pœna mortis aut æquivalens irroganda non sit, si miles gaudere Asylo declaretur. Unde si Judex militaris credat, crimen esse de jure communi exceptum, debebit post militem sibi ad normam Indulti Pontificii traditum, rationes suas exhibere Episcopo, cujus judicio standum erit.

*Additur observatio circa hoc Indultum.*

## §. CXVII.

Hac occasione non importunum videtur, recensere, quid unus, alterque Episcopus circa Milites ad Ecclesiam confugientes statuerit. HUMBERTUS GUILIELMUS, a Precipiano Archiepiscopus Mechliniensis die 10. Octobris 1692. Inhibuit primo, ne quis ullos Milites in Asylum recipiat, quos certo compererit nullo alio fine, seu intuitu eo confugisse, quam ut Vexillis suis sese subtrahe rent, ac ita crimen, vulgo desertionis, in ipso Asylo impune committerent. 2. Si ejusmodi Desertores jam in loco Asyli consistunt, jubet, negotium ad se deferri, ut præmissa summaria causæ cognitione, permittatur, si ita videatur, ut Præfecti possint tales milites ex Asylo educere, prævio juramento, quod nulla infligetur pœna capitis, sanguinis, mutilationis aut fustigationis. 3. Si miles vexilla sua deseruerit, & postea apprehensus manibus apprehendentium elapsus sit, & ad Asylum confugerit, gaudebit omnino jure Asyli. 4. Si miles, ob aliud crimen ad Asylum confugerit, ac Præfecti ejus contendant, ei jus Asyli non competere, tenebuntur Episcopo authenticas informationes consignare. Juxta Mandatum Serenissimi Episcopi Augustani JOSEPHI, supra allegatum, Militibus ad Ecclesiam confugientibus, quamdiu in actu desertio-

*Constitutiones quorundam Episcoporum de Militibus.*

 nis

o) Hoc delictum arbitrio Judicis puniri, & pœnam extendi posse ad mortem, tradit MENOCH. *de Arbitr. Judic. lib. II. cent. 4. cas. 338. n. 13.* JOACH. BURGER *Observat. milit. cent. 1. observ. 79.*

nis sunt, Asyla nequaquam patrocinantur, sed ipsi, si militiæ semet libere addixerint, tanquam res furtiva, per desertionem Principi ablata, ad similitudinem servorum, restitui debent, prius tamen per supremum Magistratum, cujus est jus aggratiandi, præstita sufficiente cautione, de non inferenda morte, aut mutilatione, aliave gravi pœna, prout nostrum erit desuper cognoscere. Quodsi antehac profugi, & post pœnitentia ducti sub signa redire voluerint, tanquam criminis non excepti rei excludi ab Asylo nequeunt, cum sæculari tamen Judicio pro remissione vel moderatione pœnæ, uti supra, compositio fieri poterit.

§. CXVIII.

Transitio ad sequentes Observationes.

Hæc fere sunt, quæ in Sacris Canonibus & Constitutionibus Pontificiis de Jure Asyli ordinata legimus. Oportet jam, ut super iis, quæ per quatuor Capita, serie historica recensuimus, Observationes quasdam annectamus.

# CAPUT V.

## Observationes in Mores Populorum, Leges & Canones circa Asylum.

§. CXIX.

Observ. I. Consensus omnium Populorum in constituendis Asylis.

Attentionem nostram simul & admirationem meretur, tam constans & concors diversissimorum Populorum consensus in constituendis Asylis. Nullum abstraxit innata barbaries ab aperiendo miseris perfugio: nullius in administranda Justitia Rigor ab erigenda Clementiæ Ara retrahebat. Homines se esse non credebant, nisi tale humanitatis monimentum apud se construerent. Accidit non raro, ut privatorum quorundam furor, & vindictæ cupiditas moliretur evertere hæc loca perfugii: sed adeo irriti fuerunt eorum conatus, ut ipsi potius Asyli eversores salutem ibidem quæsiverint (*C. II. § 41. C. III. §. 47*). Quantumcunque autem favorabilis sit perfugii & Immunitatis constitutio, nulla tamen Jura permittunt Asylum profanum aperire in alieno territorio *p*), absque permissu & indulgentia Principis, cui locus ille est subditus: unde mirantur multi, neminem magis in aliena Urbe jus liberi perfugii profanis, quas inhabitabat, ædibus, imo toti plateæ, in qua ædes erant, arrogasse, quam Legatum illius Aulæ, quæ in Regno suo sacrarum etiam Ædium Immu-

*p*) Ubi hodie remissiones reorum non sunt in usu, videntur rei semper habere Asylum in territorio alieni Principis, præsertim si impetret ab eodem salvum conductum.

Immunitatem suæ Jurisdictioni & Cognitioni subjecit. Habuit autem Causa illa ex ratione longi usus & præscriptionis Patronos acerrimos, qui tamen ipsi Asylum Ecclesiarum, plurium sæculorum autoritate fulcitum, libere violant, & Rempublicam evertendam conclamant, si in Templo Dei Asylum, tot sæculis firmatum, reis pateat. Adeo in diversos sensus abripit sinister animi affectus!

## §. CXX.

*Observ. II. Diversi fines in iis aperiendis.*

Licet omnes populi in aperiendis Asylis conspiraverint, non idem tamen omnibus præstitutus erat finis. Romulus pro augendo populo novæ suæ Urbis (*c. 1.* § 7): alii pro servis & oppressis (*ibid.* §. 5.): Moyses contra privatorum vindictam perfugium constituit (*ib.* §. 2.). Alicubi Majestas Principis tuebatur ad se confugientes: ubique Religionis cultus, & reverentia Numinis saluti erat Reis sub tanta protectione latentibus. Impium credebant Reges, abstrahere calamitosos a sinu illius, cujus Clementiam ipsi quotidie implorant, & experiuntur: Immunes a vi habebant illos, qui ad tutelam Deitatis confugissent: imo gratulabantur sibi opportunam occasionem parcendi vitæ reorum. Potentiorum violentia per loci Immunitatem coercenda erat: Justitiæ rigor per Templi sanctitatem leniendus.

## §. CXXI.

*Obs. III. Asylum Ecclesiasticum ipso usu indroductum est, naturali ratione suadente.*

Ex his consequitur, non multum esse indagandum in primas Leges vel Canones, quibus constitutum sit Jus Asyli Ecclesiastici. Facile sibi quisque persuaderi patietur, non tam a Lege eum in finem lata, quam ipso usu & consuetudine introductam esse Asyli Ecclesiastici Immunitatem, naturali ratione suadente, ut eadem saltem Immunitas præstetur Templis veri Dei, quæ fuerat concessa Statuis Principum, & Fanis Idolorum (*c.* 2. §. 40. *c.* 3 §. 65.). Opus igitur non est, ut confugiamus ad Canones quosdam dubiæ fidei (*c.* 4. §. 79.): sufficiunt alii a nobis adducti, qui etsi non sint desumpti ex primis Conciliis generalibus; nihilominus sufficienter demonstrant, quid passim in Ecclesia fuerit custoditum.

## §. CXXII.

*Obs. IV. Jus Asyli præcipue viguit in Anglia:*

Id notatu dignum occurrit, Immunitatem Asyli Ecclesiastici in nullo Christiano Regno adeo religiose ac scrupulose observatam fuisse, quam in Anglia & Gallia. Plurima Britannicæ Religionis exempla proferuntur ab Historicis illius gentis. Unicum delibare lubet ex fatis Huberti de Burgo, nobilissimi Viri, Comitis Cantiæ, sub Henrico III. Rege Angliæ *q*). Hubertus falsis

*q*) Fuse hæc facta sparsim recenset MATTHÆUS PARIS ad Ann. 1232. a fol. 363. usque ad 389.

ſis criminibus delatus, fugit ad Eccleſiam, ex qua eum extrahi Rex juſſit: perium tamen ſuum ex aliorum gravibus commonitionibus revocavit. Hu tus ob patentes Regis Literas ſecurum ſe credens, iter arripuit ad S. Edr dum. In via, audiens ſibi inſtare miſſos a Rege ſatellites, in Sacellum fugit: inde a militibus vi extractus; Londinenſi tamen Epiſcopo excomn cationem minitante, reſtitutus eſt. Juſſit autem Rex, Sacellum milite cir dari, ne Hubertus evaderet, nec a quoquam cibum acciperet. Hic præop Regis miſericordiam experiri, quam fame perire, ſponte de Sacello ex ſeque cuſtodibus tradidit: vinctus dein ſub arcta cuſtodia in turri Londi poſitus eſt: demum pacato nonnihil Rege, in Caſtello de Diviſis ſub liber ſtodia ſervabatur. Inſidiantibus autem vitæ ejus inimicis, pia fraude duc cuſtodum ex Caſtello ad Eccleſiam villæ parochialem delatus eſt: inde a quis cuſtodibus violenter abſtractus, conquerentibus multis Epiſcopis, in dem Eccleſiam concedente Rege remiſſus eſt. Rex tamen iratus, Vice-C Provinciæ illius dedit per literas in mandatis, ut Eccleſiam obſideret, d Confuga in ea ex ciborum inedia moreretur. Cum autem eo tempore fer diſſidium inter Regem & Magnates Regni, Hubertus raptus eſt ex Eccleſ Diviſis a viris armatis, amicis ſuis, armisque militaribus indutus, in Wa adductus eſt, ac Regis hoſtibus ſociatus, poſtquam Rex ejus fidelitatem & rita tam male fuiſſet remuneratus. Demum pace compoſita Hubertus in tiam Regis rediit. Ex his elucet gravis pugna inter flammam odii a dela bus excitatam, & inter ſcintillam Religionis in Rege emicantem; qui lice tentem in Templo impie enecare fame non horruiſſet, ipſi tamen Eccleſiæ inferre non fuit auſus.

## §. CXXIII.

Obs. V. Et in Gallia,

Pariter in Hiſtoriis Francorum paſſim ſunt obvia ſpecimina religioſ ſervantiæ erga Immunitatem Eccleſiarum. Inſigne exemplum Guntramni I ſupra relatum eſt (*c.* 3. §. 62.): qui eandem reverentiam prodidit inter fu æſtus, & immodicos crudelitatis impetus *r*). Nam Anno XV. Childeber gis, qui eſt Guntramni nonus & viceſimus, dum hic ipſe Guntramnus p vam Voſacum (hodie Wasgaw) venationem exerceret, veſtigia occiſi buba prehendit: cumque cuſtodem ſilvæ arctius ſtringeret, quis hæc in regali gerere præſumpſiſſet, Chundonem cubicularium Regis prodidit, quem apprehendi & vinctum Cabillonem duci juſſit. Cum uterque in præſenti gis ſtaret, & Chundo conſtanter negaret, a ſe præſumpta eſſe, quæ objicere Rex campum (Duellum) pro more illius temporis ineundum pronuntiat. bicularius conſtituit pro ſe nepotem, qui cum ſilvæ cuſtode congreſſus, lancea pedem ejus transfigit: dum hic ex vulnere reſupinus ruit, puer ext

*r*) Gregorius *Turonenſis Hiſtor. Francor. lib. X. c.* 10.

cultro, qui de cingulo pendebat, collum ruentis incidere tentat: & vicissim cultro sauciati per ventrem transfoditur: unde ambo extincti sunt: quod videns Chundo, ad Basilicam S. Marcelli fugam iniit. Acclamante vero Rege, ut comprehenderetur, priusquam limen sanctum attingeret, comprehensus vinctusque ad stipitem, lapidibus est obrutus. Damnabat postea Rex suam crudelitatem ob levem noxam in Virum fidelem exercitam: ad nostrum tamen propositum elucet, ferventes præcipitis iræ æstus extinguendos fuisse, si Chundo limen sanctum attigisset.

## §. CXXIV.

**Obs. VI. Ipsi Reges usi sunt hoc beneficio Ecclesiæ.**

Ipsi etiam Reges frequenter usi sunt hoc beneficio Ecclesiæ, eo ipso professi, non a suis Legibus hanc libertatem donari Ecclesiæ, sed potius sibi securitatem ab Ecclesia præstari. S. Sigismundus Burgundiæ Rex se tutum credebat, modo perveniret ad Ecclesiam SS. Martyrum Agaunensium: sed in via interceptus, vitam amisit s). Amalricus Gothorum Rex, prælio victus, ad Templum Catholicorum confugit, quod antea tanquam Arianus contempserat: sed in via hasta trajectus periit t).

## §. CXXV.

**Obs. VII. Deus miris eventibus comprobat.**

Miris sæpe eventibus ostendit Deus, quam grata sibi sit Asyli Ecclesiastici observantia, quam graviter ferat ejus violationem (vid. c. 2. §. 32. c. 3. §. 54.). Guntrannus Dux, postquam Meroveum filium Chilperici e Monasterio, in quod intrusus fuerat, eduxisset, metuens minas Chilperici ad Turonensem Ecclesiam S. Martini confugit. Quapropter Chilpericus Ruccolenum quemdam eo direxit, qui eum exinde vi abstraheret. Beato Gregorio Episcopo id prohibente, Ruccolenus dum domum Ecclesiæ, in qua hospitabatur, destruere non formidat, regio correptus morbo ad Basilicam S. Martini defertur: ubi nil medelæ adeptus, non post multos dies est defunctus u). Chilpericus autem noluit Guntrannum ab Ecclesia extrahere, nisi divina autoritate ad id firmaretur: misit igitur per Diaconum ad sepulchrum S. Martini duas chartulas: quarum una continebat, ut sibi divinitus in alia, quæ erat vacua, rescriberetur, si fas foret Guntrannum a templo extrahi. Diaconus triduo exspectans, inanis a responso abscessit x).



s) Aimoinus *de Gestis Francor. lib. II. c.* 4. Gregor. *Turon. lib. III. cap.* 6.

t) Aimoinus *ibid. c.* 8.

u) *Ibid. lib. III. c.* 21.

x) *Ibid. c.* 22.

## §. CXXVI.

Obs. VIII. Abusus eorum, qui ad Ecclesias confugiunt.

Nihil pronius est, quam ut in rebus sanctissimis abusus etiam sub pietatis invalescant. Tales legimus (quidni & hodie videmus?) ex Reorum, qui ad Ecclesias confugiunt; ex parte Ecclesiasticorum, qui suscipiunt; ex parte denique Laicorum, qui Immunitatem Ecclesiæ re videntur. Ad ipsos Reos quod attinet, sæpe nefarii homines perfugi ignominiam accersunt Ecclesiis. Gravem haud dubie causam habebant ratores Arcadius & Honorius constituendi id, quod supra (*Cap. III.* § relatum est de Judæis sub falso Religionis prætextu Baptismum in Eccle tentibus. Exemplum veteratoris Judæi, in laudem tamen suæ Novatiana resis detortum refert SOCRATES y) his verbis: Judæus quidam vet Christianam fidem simulans, sæpius baptizatus fuit: per quam fallacian tas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex variis sectis homines ( norum enim & Macedonianorum Baptismum receperat) dolo ludificatu habebat amplius, quibus imponeret, tandem ad Paulum Novatianorun copum venit: ait se magna cupiditate Baptismatis recipiendi flagrare, pe manum ut illud assequatur, orat. Paulus ejus probat institutum: ver non prius Baptismum illi daturum ait, quam sit fidei articulis institutus, que complures jejuniis vacaverit. Judæus contra voluntatem jejunare co acriter instare, uti Baptismo donetur. Paulus quoniam illum tam obni ptismum petentem mora nolebat offendere, parat res ad Baptismum n rias. Cumque vestem splendidam pro illo emisset, & alveum Bap aqua impleri jussisset, Judæum eo deduxit, ut illi Baptismum impertiret rum aqua universa, divina quadam virtute, quæ oculis cerni percipiv poterat, subito exhausta est. Ac cum neque Episcopus, neque alii erant, accurate considerarent, qua ratione id accidisset: sed aquam per men, quod in imo alveo fuit (per quod etiam alias aquam solebant ed effluxisse existimarent, alveum Baptisterii de integro, foraminibus undi eo firme obturatis diligenter implent. Ac cum Judæus esset secundo veum Baptisterii deductus, aqua rursus penitus evanuit. Itaque tum o homo, inquit, aut veteratoris partes agis, aut Baptismum ignoran pisti. Quare ubi ob miraculum a multis eo concursum erat, forte quid dæum de facie novit, eumque ab Attico Episcopo baptizatum viderat.

## §. CXXVII.

Obs. IX. Abusus Ecclesiasticorum, qui reos tuentur.

Æque etiam Ecclesiastici, qui reorum ad se confugientium curam ex præpostero Zelo varios diversis temporibus abusus introducebant. Q notat *Lex 16. Cod. Theod. de Pœnis.* & *Lex 6. Cod. Just. de Episcop. Audie*

y) *Histor. Eccl. lib. VII. c. 17.*

cadii tempore invalescentes. Scilicet Clerici aut Monachi addictos supplicio, & pro criminum immanitate damnatos, vi extorquebant e manibus Judicum, ut bellum potius, quam judicium fore existimaretur. Unde notatu dignissima est admonitio S. AMBROSII z): adjuvat hoc quoque ad profectum bonæ existimationis, si de potentis manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas, *quantum sine perturbatione fieri potest*: ne videamur jactantiæ magis causa facere, quam misericordiæ, & graviora inferre vulnera, dum levioribus mederi desideramus. Nam nonnullorum Ecclesiæ Ministrorum imprudens Zelus plus obest, quam plurium deinde obsequio, reverentia & quantocunque studio reparetur a). Animadvertere licet, quod in Galliæ & Germaniæ Conciliis nunquam fiat mentio de reis morti eripiendis, qui ad Ecclesiam non confugissent: argumento id est, non id sibi sumpsisse Clericos in his regionibus, ut reos abstraherent, ab Officialibus publicis detentos. Imo universim persuasum erat omnibus, eum, qui in manibus Justitiæ est, non gaudere Asylo, etiamsi per locum immunem ducatur. Anno 1198. Alienor Regina, Mater Richardi Regis Angliæ, Rothomagum veniens, vocavit ad se Hugonem filium Ernisii de Nevilla, aliosque, qui Philippum Belvacensem Episcopum in turri Rothomagensi custodiebant, eosdem precata, ut præfatum Episcopum permitterent ad hospitium & colloquium suum venire: qui licet id sibi periculosum videbant, nolentes tamen petitioni Reginæ resistere, permiserunt Episcopum compeditum, se comitantibus, portas turris egredi. Contigit eos transire per atrium cujusdam Ecclesiæ, ad cujus ostium, licet esset clausum, Episcopus, quantum potuit cucurrit, & arrepto ostii annulo, alta voce exclamavit: peto pacem Dei & Ecclesiæ. Ad hanc vocem Custodes plurimum conturbati, injecerunt ei manus, & ab ostio Ecclesiæ abstractum reduxerunt in turrim, arguentes Reginam, id ex ejus consilio factum esse: quo audito Rex Angliæ misit Episcopum ad Chinum arctius custodiendum b). Erat haud dubie illo tempore maxima

 Asyli

z) *Lib. II. de offic. c.* 21.

a) Plura in hanc rem profert JOAN. FRID. KARG *de Jure sacri Asyl. n.* 59.

b) Ita ROGERUS DE HOVEDEN. *Annal. part.* 2. *fol.* 442. Captus erat Philippus Belvacensis Episcopus in acie inter alios Gallos, pugnans contra copias Richardi. Nam ut ipse scribit ad Cœlestinum III. Pontificem, illius legalis non immemor, *vim vi repellere licet*; & illius, *pugna pro patria*, militum & civium cuneis & aciei Procerum immixtus, hostibus irruentibus obviam exivit. At vero Cœlestinus rescribens, vehementer improbat illius militares animos: se non posse inspecta captivitatis causa Regi Anglorum imperare, sed tantum supplicare. Integras literas exhibet HOVEDENUS *loc. cit.* fol. 438. Richardus autem Rex loricam Episcopi misit ad Pontificem, quærens: vide an tunica filii tui sit, an non. MATTH PARIS ad Ann. 1196. *fol. m.* 176. Cœlestinus respondisse dicitur: an hæc tunica filii mei sit, ignoro: id scio: feram pessimam devorasse eam.

Asyli veneratio apud Anglos & Nortmannos, quibus idem Dominus præerat: sed credebant, dolum quem suspicabantur, non debere prodesse captivo, quamdiu erat in manibus custodum. Unde etiam BENEDICTUS XIV. *c*) de criminum non exceptorum reis e carcere vel trireme ad Ecclesiam fugientibus constituit, ut in Asylo remanere sinantur, etiamsi ex triremibus cum catenis effugerint, dummodo a prædictarum triremium, aliorumve Justitiæ Ministrorum manibus liberi essent, nisi forte Episcopus Indultum a Sede Apostolica habeat, ut a triremibus fugitivos extrahere ab Ecclesiis possit; cum in hoc casu, ob fugitivum recuperandum, ad eundem recurrere liceat; vel etiam ad Sedem Apostolicam, si hujusmodi Indulto Episcopus careat; cum ipsa Sancta Sedes in particularibus casibus, quoties id delictum exigat, nequaquam renuat Episcopis autoritatem impertiri, eos ab Ecclesiis extrahendi, qui e carceribus ac triremibus effugerint, licet criminis excepti minime rei sint. Ita BENEDICTUS. Id quoque inter abusus Ecclesiasticorum notari posset, si reverentiam, quam a Laicis exigunt, ipsi quoque non exhibeant Ecclesiis, tum conversationis suæ exemplo in Templis, quo alii ad venerationem excitentur, tum conveniente nitore & munditie, quæ Laicis ingeneret pium affectum & sacrum horrorem erga Majestatem Divinam.

## §. CXXVIII.

OBSERV. X. Abusus Laicorum, qui videri volunt Ecclesiam revereri, inter Gentiles:

Nec minores frequenter fuerunt, & sunt abusus Laicorum, qui reverentes erga Ecclesiam videri volunt, nec violentiam in extrahendis confugis adhibent: nihilominus cum Reos ad Templum confugientes, tum Ecclesiarum Rectores gravissimis molestiis afficiunt, & beneficium Immunitatis in supplicium vertunt. In Gentilium Historiis fucatæ talis Religionis exempla recurrunt plurima. Jocus quidem fuit, dum apud PLAUTUM *d*), servus pœnam metuens ait: *ego interim hanc aram occupabo*, quæ scilicet more Romanorum in scena erat posita: cumque minaretur dominus: *Jam jubebo ignem & sarmenta, carnifex circumdari*; serias non esse minas sciens servus, lepide reponit: *ne faxis*; *nam elixus esse, quam assus, soleo suavior.* Superstitiosam hanc Religionem, quam Plautus in Comico ludo exhibet, tragico suo exitu expertus est Pausanias, quem Lacedæmonii ex Æde Minervæ, quæ Chalciæcus vocabatur, abstrahere præ religione sunt veriti: sed tamen *hinc ne exire posset, statim Ephori valvas ejus ædis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, quo facilius sub dio interiret.* Ajunt, eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eamque ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis attulisse. *e*). Ubi jam animam præ fame agentem senserunt, teste

*c*) In Literis Encyclicis ad Inquisitores datis 20. Febr. 1751. *Bullar. tom. III. Const.* 40. §. 5.

*d*) *Mostellar. act.* 5. *scen.* 1.

*e*) ÆMILIUS PROBUS, seu CORNELIUS NEPOS *de Vit. Excell. Imperat. in Pausania*, addantur Notæ LAMBINI *ibid.*

teste THUCYDIDE *f*), ex templo trahebant adhuc ſpirantem: extractus confeſtim animam efflavit. Per hanc ipſam extractionem Jus Aſyli violatum videbatur, cujus ineptiſſima veneratio exegiſſet, ut Pauſanias ante aram fame periret. Unde Lacedæmonii Delphico oraculo moniti, ut ad expiandum piaculum duo corpora Minervæ pro uno darent, duas æreas ſtatuas pro Pauſania in Templo poſuerunt. Idem THUCYDIDES quosdam Cuſtodes Athenienſes deteſtabiles cum poſteris ſuis fuiſſe narrat, ſacroſque Deæ, a cujus ara ſupplices, ne ibi fame perirent, abſtraxerant necandos, vel etiam ad aram ſedentes interfecerant. Sacrilegii hujus reos & Athenienſes & Lacedæmonii non tantum vivos in exilium fugerunt, ſed etiam mortuorum oſſa ſublata abjecerunt.

## §. CXXIX.

*Et inter Chriſtianos.*

Facile capimus, hæc apud Gentiles genuino internæ Religionis ſenſu deſtitutos, facta eſſe. At vero ſimilia fieri poſſe inter Chriſtianos, vel turpiſſimam ruditatem ſpirat, vel inſignem Religionis contemptum. Exemplum ſupra recenſitum eſt §. CXXII. in Henrico III. Angliæ Rege, qui religioni ſibi duxit eripere Hubertum ex Eccleſia, datis interim juſſis, ut fame in Eccleſia necaretur. Similia fucatæ Religionis ſpecimina occurrunt plurima. Willecarius Aquitanniæ Dux, minis Chlotarii territus, tutelam Baſilicæ S. Martini expetiit: perſecutoribus eum exinde avellere fruſtra tentantibus, admotis ignibus pariter cum ipſa orationis domo flammis eſt crematus, quam Chlotarius ſolerti induſtria, venuſtiori donavit gratia, ſtannoque ejus tecta operuit *g*) Narrante GREGORIO TURONENSI *h*) duo de famulis Rauchingi Viri impii & crudeliſſimi, juvenis ſcilicet & puella, mutuo amore flagrantes, matrimonium inſcio domino inter ſe inierant, conjunctique pariter Eccleſiam petierunt *i*). Quod cum Rauchingus comperiſſet, accedit ad Sacerdotem, ſibique protinus ſuos famulos reddi petit. Sacerdos eidem in mentem revocat, quanta veneratio Eccleſiis Dei debeatur, negatque famulos reddi poſſe, niſi fides fieret de permanſura eorum conjunctione, & immunitate ab omni pœna corporali. Rauchingus, cum diu ambiguus cogitatione ſiluiſſet, tandem manus imponit Altari, juratque, eos nunquam a ſe ſeparandos, ſed facturum potius, ut conjuncti permaneant. Credidit Sacerdos promiſſioni hominis callidi, reddiditque famulos. Rauchingus vero arboris truncum excavari juſſit, & in

 foveam

*f*) *Bell. Peloponneſ. lib.* I. *prope fin.*

*g*) AIMOINUS *lib. II. c.* 30.

*h*) *Hiſtor. lib. V. c.* 3.

*i*) De ejusmodi matrimoniis ſervorum, ſupra *c. IV.* §. 82. relatus eſt Canon Concilii Aurelianenſis IV.

foveam demitti: ibique puellam ponens, puerum desuper jactari, & imposito opertorio, fossam humo repleri praecepit. Dumque hac ratione viventes sepelisset, jactabat se non frustrasse juramentum suum de iis nunquam separandis. Sacerdos his auditis, cucurrit velociter, & increpans hominem vix obtinuit, ut remota terra detegerentur sepulti. Puerum quidem vivum extraxit; puellam vero reperit suffocatam. Similiter injurii erga Ecclesiam sunt, qui confugas mendacibus promissis, aut aliis malis artibus ex Asylo proliciunt. Si quis tamen temere sine causa egrediatur ultra limites, & capiatur, jus non habet provocandi ad Immunitatem Ecclesiae: Sacerdotes autem preces pro eo interponere non omittent. Causam ejusmodi confugae solicite egit S. AUGUSTINUS k). Cum enim Faventius Paratianensis saltus conductor, ab ejusdem possessionis domino, nescio quid sibi metueret, ad Hipponensem confugit Ecclesiam, exspectans, quomodo per intercessionem Augustini sua negotia terminaret. Inde, nullas insidias suspicatus, aliquando egressus, militari manu abductus fuit a Florentino Comitis Officiali: hunc hortatur Augustinus, ut cum Faventio agat juxta Legem Imperatoris Honorii l) eumque per aliquod tempus Hippone morari permittat.

## §. CXXX.

Obsv. XI. Propter abusus non debet abrogari usus Asyli.

Ob ejusmodi abusus non bene infertur, abrogandam omnino esse Immunitatem Ecclesiae: neque uspiam legimus, generali Lege sublatum fuisse Asyli usum. Male aliqui ejusmodi abrogationem tribuunt Tiberio Imperatori, cum iste potius firmaverit Asyla, antiquo jure, vel legitimo privilegio inducta, abolitis solum iis, quae absque legitima autoritate fuerunt aperta (supra *Cap. I.* § *11.*). Dein si ex Edicto Tiberii arguere quis velit ad nostra tempora, is apud TACITUM eodem *Lib. IV. Annal. Cap. 14.* quo sermo est de inquisitione Tiberii in Asyla, leget etiam Edictum ejusdem Imperatoris, quo Pantomimi & Histriones tota Italia pulsi fuerunt. Cur non & nostris temporibus eadem Decreta in usum revocantur? Quod aliqui de Gallia dicunt, Asyla ibi esse abrogata, male id asseritur, ut suo loco dictum (*Cap. III. §. 68.*). Id enim solummodo observatur, ut quando corporalis captura decernitur, extrahatur reus etiam ab Ecclesia, & causae cognitionem suscipiat Senatus Regius, cujus jussu iterum restituetur, nisi de crimine excepto constet. In Acatholicis Pro-

k) *Epist.* 113. *& tribus seqq.* alias 228. *seqq.* circa annum 410.

l) Est haec in *Cod. Theodos. L.* 6. *de exhibend. vel transmitt. reis.* Hoc autem conceditur eis, qui praecipiuntur ab aliqua potestate judiciis exhiberi, ut ad Gesta Municipalia perducantur, atque illic interrogentur, utrum velint triginta dies in ea Civitate, ubi tenentur, agere sub moderata custodia, ad pacandos sumptus, vel rem suam, sicut necesse fuerit, ordinandam.

Provinciis, licet Templorum reverentia ita exoleverit, ut Magistratus violentas manus confugis inferre in iis non horreat: nihilominus acerrime propugnant Asyla profana certis territoriis, castris, Legatorum ædibus tributa. In Civitatibus mixtæ Religionis Magistratus Acatholicus nec potest nec solet prætendere Jus extrahendi reos ab Ecclesiis Catholicorum: imo etiam quando in eodem Templo habetur simultaneum utriusque Religionis exercitium, Acatholici non possunt privare jure Asyli illos, qui in tali Ecclesia a Clero Catholico proteguntur *m)*. Nec possunt Acatholici Magistratus absque autoritate Episcopi Catholici confugas ex Ecclesiis aut Monasteriis Catholicorum in sua Provincia sitis extrahere; cum Pax Westphalica *n)* Episcopis salvum jubeat esse Jus suum Diœcesanum, quod Anno 1624. quiete exercuerunt in subditos Catholicos Magistratuum Protestantium. Ad Jus Diœcesanum haud dubie pertinet Jurisdictio cognoscendi de crimine excepto, & dandi licentiam extrahendi reos Asylo indignos *o)*: istud autem Anno normali quiete in Ecclesiis Catholicis ab Episcopo exercitum fuisse tamdiu præsumitur, donec contrarium probetur *p)*.

## §. CXXXI.

Obs. XI Major unius Ecclesiæ veneratio est, quam aliarum

Sicut in quibusdam Templis magis resplendet Majestas Dei, singularibus beneficiis per intercessionem quorundam Sanctorum ibi collatis; ita etiam apud omnes populos major unius, alteriusve Ecclesiæ veneratio certius, securiusque perfugium præbebat reis, etiam contra violentos Religionis contemptores. Theodora Augusta, Vigilio Papæ, ob male promissa sanctissime non observata, vehementer infesta, in mandatis dedit Anthemio cuidam, ut captivum sibi sisteret Vigilium: nec cujuslibet Basilica Sanctorum, defensionis ei sit adjumentum, excepta Ecclesia Principis Apostolorum. Et revera captum esse in Ecclesia S. Cæciliæ, Autores scribunt *q)*. Simili prærogativa Constantinopoli eminebat Basilica S. Sophiæ; in Gallia S. Martini; in Anglia S. Albani Proto-

*m)* Sic etiam pronnntiat BÖHMERUS *Consult. tom. III. Decis.* 65. *n.* 41. *seqq.*

*n)* *Instrum. Pac. Osnabrug. Art. V.* §. 48.

*o)* Vid. FELICIANUS DE OLIVA *de foro Ecclesiæ. part.* 1. *q.* 27.

*p)* In Episcopatu Osnabrugensi, ubi controversia circa hoc negotium aliquando mota fuit, quando alternis vicibus illi præest Princeps Aug. Conf. addictus, *cognitio & Jurisdictio causarum Ecclesiasticarum cum omnibus suis speciebus*, inter quas juxta principia Catholicorum est etiam causa Immunitatis Ecclesiasticæ, pertinet ad Catholicos Magistratus Ecclesiasticos, præcipue ad Metropolitanum Coloniensem, vi Capitulationis perpetuæ *cap.* 4. apud GODEFRID. DE MEIERN. *Act. Pac. Execut. tom.* 2. *fol.* 534.

*q)* ANASTASIUS *Bibliothecarius in Vita Vigilii Pontif.* AIMOINUS *de gestis Francor. lib. II. c.* 32.

Proto-Martyris, & S. Edmundi Regis ac Martyris *r*). Timebat etiam S. CUTHBERTUS Episcopus Lindisfarnensis, ne si Corpus suum sepeliretur in Ecclesia Monasterii, multi ad sepulcrum suum confugerent, quorum patrocinium deberent Monachi suscipere, non sine damno Monasticæ quietis *s*). In Capitularibus Regum Francorum jus Asyli ad omnes Ecclesias extenditur *t*): in Germania tamen nostra non omnibus sæculis hanc Immunitatem ad omnes prorsus Ecclesias, etiam ruri positas, extensam fuisse, multi opinantur *u*). Nam sicut ex CLEMENTIS XII. & BENEDICTI XIV. Pontificum allegatis Constitutionibus patet, non omnes Ordinationes Romanorum Pontificum in hac materia ad universam Ecclesiam protendi: ita etiam videntur Pontifices priorum sæculorum noluisse in omnes prorsus Germaniæ nostræ Ecclesias jura Asyli inducere; illis præsertim temporibus, quibus hodiernæ Collectiones Canonum vel nondum publicatæ, vel in has terras nondum introductæ erant *x*). Unde legimus varia Principum privilegia, quibus Jus Asyli certis Ecclesiis con-

*r*) Ad hæc ultima Templa confugerant nobiles Civitatis Leicestrensis, evasuri minas & iram Henrici II. à quo defecerat Comes Leicestriæ: quia tunc temporis tanta fuit eorum reverentia, ut eorum burgi omnibus transfugis Asylum & tutam protectionem ab hostibus præbuerint. MATTHÆUS PARIS *Hist. Angl. ad Ann.* 1173. *fol. m.* 123. CAMDENUS *Britann. in Coritanis Leicesterfhire fol.* 412. ALFORDUS *Annal. Eccl. Angl. ad Ann.* 1173. *n.* 46.

*s*) Apud Vener. BEDAM *in Vita S. Cuthberti cap.* 37. Sanctus hic Episcopus extra Monasterium in Insula quadam commorans, jam moriturus sic loquitur ad suos Discipulos: *commodius vobis esse arbitror, ut hic requiescam propter incursionem profugorum vel noxiorum quorumlibet, qui cum ad corpus meum forte confugerint, quia qualiscunque sim, fama tamen exivit de me, quia famulus Christi sim, necesse habetis sæpius pro talibus apud potentes sæculi intercedere, atque ideo de præsentia Corporis mei multum tolerare laborem. demum victus Monachorum precibus, si meam, inquit, dispositionem superare, & meum Corpus illo reducere vultis, videtur mihi optimum, ut in interioribus Basilicæ vestræ illud tumuletis, quatenus & ipsi, cum vultis, meum sepulcrum visitare possitis, & in potestate sit vestra, an aliqui illo de advenientibus accedant.*

*t*) *Capitular. lib. VI. c.* 54. *Si quis vim a persecutoribus passus fuerit, suscipiatur, & requiem inveniat, ad quamcunque Ecclesiam venerit.* Hoc Capitulum autem non loquitur de criminosis, nec Asylum præbet contra Judices.

*u*) Notari merentur verba COVARRUVIÆ *Variar. lib.* 11. *c.* 20 *n.* 4. *Præcavendum. ne hisce temporibus Canones ipsos extendamus, cum oporteat audaciam reprimere eorum, qui passim crimina hac Immunitate freti committunt, qua ratione aliquot in urbibus Prælati Immunitatem istam tantum admittunt, & tutantur adversus Judices sæculares in his Ecclesiis. quæ SS. Eucharistiam ad publicam venerationem & adorationem continuo habent.*

*x*) In Decreto GRATIANI recensetur Canon, qui supponit, Capellis sive minoribus Ecclesiis jus Asyli competere, ut supra allegatum *Cap. IV. §.* 85.

conceditur *y*), quamvis jam antiquissimæ Leges Bajuvariorum (*supra Cap. III.* §. *69.*) absque ullo discrimine Ecclesiis hoc privilegium competere statuant.

## §. CXXXII.

*Obs. XIII. Circa homicidas varia fuit disciplina in Veteri:*

Nullo non tempore, singulari rigore animadversum est in homicidas. Nihilominus primis Mundi temporibus non videtur in more posita pœna mortis humano judicio pro homicidio inferenda, vel ob hominum raritatem, vel quia paucis adhuc in vitam alienam grassantibus, minus opus erat exemplo severitatis. Hinc ne quis Abelis necem morte Caini vindicaret, singulari Edicto vitæ illius cavit Deus: & Lamech quoque ab hoc exemplo securitatem sibi promittebat *z*). Cum autem inter Gigantes promiscua cædium licentia invaluisset, volebat hanc Deus post diluvium coercere, timore effundendi sanguinis; eumque insontem habendo, qui homicidam occidisset. Putant tamen multi, nullum extare primis post diluvium annis Divinæ Legis præceptum, ut omne homicidium morte plecteretur humano judicio: sed Deum Noëmo solum insinuasse, quantopere abhorreret ab effusione humani sanguinis, & quod Providentia Divina plerumque sit ordinatura, ut talis etiam morte violenta periret. Id certum, potestatem occidendi homicidam postea institutis judiciis ad solos Judices restrictam fuisse: ita tamen, ut moris pristini vestigium per Legem Mosaicam manserit in jure ejus, qui occisum sanguine propinquius attingeret *a*). Quamvis igitur post perpetratum voluntarium homicidium nulla Refugii Civitas securitatem præberet; nihilominus confugientes ad Aram Templi rarius abstrahebantur. Unde Salomon exprobrari jussit Joabo cædem duorum innocentum, quamvis revera sententia mortis non fuerit in eum lata ob illam cædem, sed potius quod inscio Rege Davide Adoniam tanquam Regem proclamasset.

## §. CXXXIII.

*Et nova Lege.*

De excludendis ab Asylo, vel admittendis homicidis non eadem semper mens fuit Græcorum Imperatorum (*supra Cap. III.* §. 55. *seqq.*). Ludovicus autem Pius vitæ gratiam concessit etiam iis, qui in Ecclesia hominem interfecissent, (*ib.* §. 67.) non ideo quod sacrilegio minueretur gravitas delicti, sed quod



*y*) Vid. *Documenta rediviva Wirtembergica.* SPEIDELIUS *Specul. Jurid. V. Freyheid.* MYLERUS *ab Ehrenbach de Jure Asylor. cap.* 6. Apud HUNDIUM *in Metropol. Salisburg. cum Additionibus* CHRISTOPHORI GEWOLDI *tom.* 3. *sub tit. Windperg.* recensetur privilegium ab Henrico Duce inferioris Bavariæ concessum Ecclesiæ in Sossau prope Straubingam Anno Christi 1335. & confirmatum ad ALBERTO Anno 1445.

*z*) *Genes. IV.* 15. & 24.

*a*) GROTIUS *de Jur. Bell. ac pac. lib. I. c.* 2. §. 5.

quod Ecclesia non permitteret injuriam sibi illatam sanguine humano abstergi *b*). Illo scilicet sæculo sub specie pietatis multa fiebant, quæ sincerus Religionis cultus non exigebat. Dum Carolus M. & Ludovicus Pius fovebant reverentiam erga Templa, Clementiam suam etiam erga homicidas intuitu Sacri Loci protendebant, secuti potius Disciplinæ Ecclesiasticæ lenitatem, & pœnis capitalibus pecuniarias subrogantes, extremoque supplicio pœnitentiam publicam substituentes. Pro diversitate locorum & hominum, possunt Reipublicæ esse noxiæ hæ multæ pecuniariæ: nec laudandi semper sunt Judices, qui male & in sensu perverso usurpant illam Legem JULIANI *c*): *Excepto auro & argento cuncta reliqua indulgemus.* Unde Summi Pontifices ultimorum sæculorum ad coërcendam homicidiorum frequentiam, reos hujus criminis Asylo indignos judicarunt, aucto semper rigore, dum primum beneficio Asyli privant eos, qui homicidia in ipsis Ecclesiis vel earum Cœmeteriis committunt (*Cap. IV.* §. 90.): dein qui proditorie proximum suum occiderint (*ib.* §. 101.): postea interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato (*ib.* §. 104.): demum reos homicidii etiam in rixa commissi, & omnes qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint (*ib* § 106.). Tanto studio Ecclesia Romana BENIGNITATEM suam pro temporum hominumque conditione MODERATUR.

## §. CXXXIV.

[...]BS. XIV. [...]cclesia [...]on petit, [...] crimina [...]aneant, [...]punita.

Summa Prudentia Pontifices temperarunt BENIGNITATEM suam in concedendo Asylo, postquam mitigatus fuit Rigor publicæ Pœnitentiæ Ecclesiasticæ: nam Pœnæ mortis substituebatur olim publica Pœnitentia: nec enim credebant Pontifices, gravissima scelera nullis pœnis vindicanda esse. Violentiam quidem omnem jure suo prohibebant a Templo: fatebantur tamen, plenam immunitatem a pœna sine Principum assensu non posse statui, sed beneficium Asyli concedendum esse *juxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones Legum Civilium d*). Discrimen igitur faciendum est inter vim non adhibendam in Locis Sacris, & inter impunitatem reorum (*supra Cap. II.* §. 25.). Ne vis adhibeatur, summa autoritate resistunt Ecclesiastici: ut vitæ gratia & membro-

*b*) THOMASSIN. *part.* 2. *fol.* 863. *n.* 10.

*c*) *L.* 1. *Cod. Theod. de Indulgentiis debitor.*

*d*) *C.* 6. *De Immunit. Eccles.* Tam Sacri Canones, quam Leges Civiles supra recensitæ, vitam & membra volunt esse salva: nam morti affinis est, Mutilatio, hoc est, Membrorum abscissio, vel fractura. Fuit autem in Occidente præsertim in usu ea feritas, qua inter actam misere vitam & mortem supplicium inventum est utraque crudelius, ut loquitur CAROLUS DE AQUINO *Lexic. Milit. part.* 2. *V. Mutilatio.*

brorum integritas impetretur, exigit Ecclesia, cum ipsi Principes editis Legibus, æquitatem hujus immunitatis agnoscant; & Ecclesiæ sit, determinare limites reverentiæ Templis habendæ; qua in re Princeps æque est subditus Ecclesiæ ac alii: ut autem omnes pœnæ relaxentur, nec sacri Canones permittunt; sed potius ex præscripto Divinorum Codicum, impunitatem sceleratorum detestantur. Præsumunt scilicet Leges, confugientes ad Ecclesiam vere esse emendatos, neque Reipublicæ ex illorum libertate imminere grave periculum. Unde Imperatores THEODOSIUS & VALENTINIANUS in Edicto suo *e*) eleganter dicunt: *Bellum, in quem steterit acies, adversus eum se se dedentem minas deponit.* Ubi autem Reorum sola præsentia potuisset præbere fomentum turbarum aut odiorum; jubebantur illi, qui Asylo fruebantur, in exilium abire, credebanturque satisfecisse Justitiæ abjurata patria. Hinc ex fuga retrahi non poterant, nec in via occidi: hac enim ratione jus Asyli videbatur læsum (*Cap. III.* §. 73.).

## §. CXXXV.

Obs. XV. Ecclesiasticis Personis competit singularis Mansuetudo & Benignitas erga miseros.

Omnibus temporibus judicatum fuit, Ecclesiasticis Personis competere singularem mansuetudinem & benignitatem erga miseros, exemplo Christi. Unde intercedebant Episcopi pro damnatis ad mortem, etiamsi non confugerint ad Ecclesiam: confugientes autem majore jure tuebantur. Nam sanctitas Ecclesiæ immunes eos reddit ab omni violentia; autoritas Episcopi etiam pœnæ mitigationem impetrat. Cum autem posterioribus sæculis tanta non amplius fuerit autoritas Episcoporum intercedentium pro reis, ut eos, etiam non confugientes ad Ecclesiam, liberarent; nihilominus omni charitatis genere eos sibi fovendos censebant. Hildeberto Cœnomanensi Episcopo amicus commendabat quemdam in vinculis detentum: Episcopus autem, se jam prævenisse has preces rescripsit *f*) his verbis lectu dignissimis: *Præter officium est, quousque rogemur, oppressis differre subsidium: hac enim celeritate præstanda sunt beneficia, ut ea potius accipiat improvidus, quam importunus extorqueat. Unde exspectatas preces antevenire decrevi, ne si rogatus subvenirem, sero subvenisse judicarer. Vester hic vinculatus non tacebit, cui spontaneus & hilaris ad omnem me obtuli humanitatem. Illum sæpius in benedictionibus visitavi, diligenter omnia prosecutus, quibus vel carcerales angustiæ vel inopiæ relevari potuerunt Sed ne nihil pro eo vestræ preces efficiant, eadem frequentius iterabo. Vale.* Unde mali exempli res esset, si ipsi Clerici nimis crudeles forent in malefactores. Idem HILDEBERTUS *g*) reprehendit ob eam causam Sacerdotem sic scribens: „Reos „tormentis afficere, vel suppliciis extorquere confessionem, censura Curiæ est, „non



*e*) Ex quo desumpta est *L. pateant.* 3. *C. de his qui ad Eccles. confug.*

*f*) Epistola, quæ est 27. inter Epistolas HILDEBERTI *Bibl. SS. PP.*

*g*) *Epist.* 30.

„non Ecclesiæ disciplina. Unde & ab ejus animadversione abstinere debuisti, „quem pecuniam tuam furto suspicaris asportasse: neque enim carnifex es, sed „sacrifex: pro reis quidem, sed non reos immolare constitutus. In veris etiam „injuriis decuit hæc mansuetudo Sacerdotem; ut habentem malles impunitum „abscedere, quam pro incerto certis suppliciis debacchari.„

## §. CXXXVI.

Obs. XVI. Principes optant occasionem exercendæ Clementiæ.

Summi etiam Principes singulari præstare debent Clementia, optantes sæpe, ut ad aliorum preces mitigare possint Justitiæ severitatem prout scripsit MACEDONIUS Comes ad S. AUGUSTINUM (*supra Cap. II.* §. 37.). Unde etiam Canones multorum Conciliorum, quibus stabilitur Jus Asyli, potissimum adscribi debent vigilantiæ Regum, quibus curantibus, & probantibus illi sunt editi, uti præsertim de Concilio Matisconensi II. & Toletano XII. dici potest (*Cap. IV.* §. 82. & 83.). Nihilominus fatendum est, ægre ferri non posse, si ejusmodi precibus non semper deferatur. Sub nomine THEODOSII, ARCADII & HONORII habemus Legem *h)*, ne permittantur provocare Convicti, aut appellare Confessi: nec sententiæ in eos latæ executio differatur sub prætextu interventionis Episcoporum, vel Clericorum vel Populi. *Nec enim eos fas est adimi debitæ severitati, qui pacem publicam, actuum perturbatione confusam, rebelli contumacia miscuerunt.* Non tamen censendum est, ejusmodi Leges affecisse omnes Imperii Provincias: pro illis latæ sunt, in quibus majore opus erat severitate ad compescendos criminosos: dicta autem Lex Theodosii &c. missa est in Ægyptum ad Hypatium Præfectum Augustalem Ægypti, ubi seditiones erant frequentissimæ, sicut SOCRATES *i)* de illius præcipua Civitate dicit, quod Populus Alexandrinus præter ceteros seditionibus delectetur.

## §. CXXXVII.

Observ. XVII. Romani Pontifices non derogant Juribus Ecclesiarum, excipiendo varia crimina.

Romani Pontifices, Immunitatis Ecclesiasticæ Vindices Zelosissimi, non credunt derogari Juribus Ecclesiarum per suas Constitutiones, quibus plura identidem crimina ab Asylo Ecclesiæ excludunt, strictioreque interpretatione plures criminosos Immunitatis hujus indignos declarant. Optime norunt Sapientissimi Pontifices, Immunitatem Ecclesiarum esse conformem Spiritui Christi, & summopere conducere ad emolumentum Reipublicæ: unde eandem non ultra extendendam merito censent, quam exigere videatur SALUS PUBLICA. Prudentissime discernunt inter favorem Ecclesiæ, qui debet esse maximus; & inter favorem delinquentium, qui servire non debet ad perniciem animarum & com-

*h)* *L. 31. Cod. Theodos. quorum appellationes non recipiantur. Anno Christi* 392.

*i)* *Histor. Eccl. lib. VII. c.* 13.

Communitatis. Quando declarant, jus Asyli competere Ecclesiis nondum consecratis (*Cap. IV. §. 90.*), promovere censentur Cultum Dei, quem revereri oportet in omni Ecclesia, etsi nondum solennibus ceremoniis initiata. Item quando extendunt hanc reorum securitatem ad atrium, conjuncta ædificia, & plurium passuum ambitum: augere per hæc Edicta intendunt reverentiam Ecclesiarum, ne in intimis earum penetralibus fieri necesse sit, quæ sanctitatem loci dedecent (*Cap. III. §. 51.*). Econtra ut homicidæ, publici latrones, & ejusmodi humani generis pestes severitatem Justitiæ evadant, non videtur pro omni temporum & locorum conditione, ad Cultum Divinum pertinere, quando experientia discimus, per eorum Immunitatem saluti publicæ male fore consultum.

# CAPUT VI.

## Causæ frequentium dubiorum & dissidiorum circa usum Asyli.

### §. CXXXVIII.

*Dissidiorum circa Jus Asyli*

Mirum videri potest, tot Dubia, tot Controversias, tot Dissidia, tot scandala identidem oriri circa Jus Asyli inter Magistratus Laicos & Ecclesiasticos, cum tamen ex una parte Magistratus Laici reverentiam erga loca sacra maxime foveant, & quidquid contra eam peccatur, severis pœnis vindicent: ex altera vero Ecclesiastici Justitiæ Zelum tam voce ex Cathedris, quam scriptis libris gravissime commendet, impunitatem scelerum detestentur, & Judices ad purgandam a sceleribus Rempublicam animent. Credere quis posset, Magistratus Laicos summopere gavisuros, quando criminosum, Reipublicæ noxium, deprehendunt esse in manibus Ecclesiasticorum, de quorum solicitudine pro salute Reipublicæ sunt persuasissimi. Collidi nihilominus sæpe deprehendimus Laicorum & Ecclesiasticorum officia, eosque in diversas opiniones abire, qui pro munere suo & acquisita doctrina, legitimum sensum Constitutionum interpretari deberent. Causæ quidem variæ tam perniciosi litigii in casibus particularibus occurrere solent: generales aliquas causas breviter attingere liceat.

### §. CXXXIX.

*Causa I. Diffidentia inter Ecclesiasticos & Laicos.*

Primam & frequentissimam causam controversiarum harum esse existimo, communem illam diffidentiam inter Ecclesiasticos & Laicos; dum Ecclesiasticorum mentibus semper obversatur illud BONIFACII VIII. k): *Clericis Laicos infestos oppido tradit antiquitas, quod & præsentium experimenta temporum manifeste*



k) C. 3. *de Immunit. Eccl. in 6.*

*nifeste declarant &c.* Laici viciſſim ſibi perſuaſum habent, ab Eccleſiaſticis turbari limites ſæcularis poteſtatis, & jam pridem motos terminos politicæ Jurisdictionis. Hæc perſuaſio non tantum ab Acatholicis, qui ſubjugato Clero ſuo, autoritati Cleri Catholici invident; ſed etiam a modernis quibusdam Scriptoribus, qui Romano-Catholici audire volunt, egregie fovetur. Dici non poteſt, quam perniciosa hæc æmulatio utriusque Poteſtatis ſit Reipublicæ Chriſtianæ. Permittebant olim Imperatores Eccleſiaſticis Cauſarum etiam Civilium arbitrium, a quo non concederetur provocatio; qua ratione litibus imponebatur expeditiſſimus finis: nunc turbatis utriusque Jurisdictionis limitibus, plurimæ cauſæ indeciſæ pendent, plurima vitia impune graſſantur; dum Judices Eccleſiaſtici ſententias ſuas nolunt exponere arrogatæ poteſtati Laicorum: Judices vero Laici nolunt pro merito argui ab Eccleſiaſticis. In hac, quam tractamus, materia manifeſtius notari poteſt hæc colliſio. Timent Eccleſiaſtici violationem Juris Eccleſiarum: ſuſpicantur Laici diminutionem autoritatis ſuæ Judicialis. Unde multa hinc inde, non ſine ſcandalo fieri neceſſe eſt, antequam inſtituatur Cauſæ cognitio, mere ex præjudiciis animo conceptis, & vano timore perdendi jus ſibi quæſitum, aut debitum.

## §. CXL.

*[margin: Causa II. Affectus privati.]*

Sæpe non quidem præconceptæ opiniones & ſuſpicioſi timores in cauſa ſunt; ſed vera Laicorum violentia, orta ex Principis cujusdam, vel Miniſtri Aulici odio, vindictæ cupiditate, aut aliis immoderatis affectibus, quales impulerunt quondam Eutropium (*ſupra Cap. III.* §. 46.) hodieque impellunt non paucos. Vidi quorundam confugium adeo pacato animo toleratum, ut ii, ad quos negotium pertinuiſſet, neſcire viſi ſint id, quod publice notum erat: vidi viciſſim tantos ex cauſa confugii tumultus, ut ſumma Reipublicæ ſalus ex uno miſeri homuncionis capite pendere videretur. Privatis affectibus negotia turbari, aut ſopiri experimur.

## §. CXLI.

*[margin: Causa III. Ignorantia inferiorum Adminiſtrorum.]*

Nonnunquam turbarum cauſam ex eo ſumunt ſubordinati rerum Judicialium Adminiſtri, quod vel Jura clara ignorent, vel de mente Principis ſui plane non ſint certi. Unde ne præjudicent Principis ſui vel Juri quod ignorant, vel ſenſui, de quo dubitant, apertas Eccleſiæ Leges violare non dubitant.

## §. CXLII.

*[margin: Causa IV. Immoderatus Zelus Eccleſiaſticorum.]*

Culpa frequenter rejicienda eſt in Zelum immoderatum Eccleſiaſticorum, qui exiſtimant eadem lege, qua ſibi interdicta eſt effuſio humani ſanguinis, præceptam quoque ſibi eſſe defenſionem quorumcunque reorum, quos ad ſe confugien-

ntes solicite occultant, & antequam Episcopi autoritate cognitum sit, an munitate gaudeant, in perniciem pacis publicæ occulte dimittunt, absque a cura præviæ pœnitentiæ, aut spe emendationis. Ex latebris Ecclesiæ in-inatissimi nebulones nonnunquam emittuntur, non in lucem publicam, quam giunt, sed in latibula prædonum, quorum artibus sustentare vitam cogun-. Quam longe ejusmodi Ecclesiastici aberrent a genuino scopo Asyli Eccle-stici, abunde patet ex hucusque dictis *l)*. Cum aliquando nobilis fæmina vi-gratiam pro quodam petiisset, assensum Princeps præbuit sub ea conditione; curam hominis & sustentationem in se susciperet, caveretque de damnis ab dem reo posthac inferendis. Cautionem præstare Matrona noluit: unde am Princeps vitæ gratiam facere recusavit. Simile quid posset nonnunquam poni Ecclesiasticis reum etiam Asylo indignum occultantibus, vel nondum lita morum ferocitate clam dimittentibus, eo in Rempublicam merito, quo gem ovium obstringunt venatores, capto lupo vincula rumpentes. Quæ iones Episcopis obsunt, ne servos alienos ad Sacros Ordines admittant, eæ-n cohibent Ecclesiarum Rectores, ne Asylo indignos tueantur, *quæ*, ut GE-SII Papæ verbis utar *m)*, *modis omnibus est amovenda pernicies, ne per Chri-ni nominis institutum, aut aliena jura pervadi, aut publica videatur disciplina verti.* Multi Viri sancti & docti ex charitatis legibus se agere existimant, le emendatione delinquentium benigne confidant. Pro suo in Reipublicæ atem sincero studio, non satis percipiunt, quantæ calamitates ex facinoroso-n hominum libertate Communitati impendeant. Hinc etiam S. AUGUSTI-S noluit Donatistas criminaliter puniri: sed dein longiore experientia do-s fatetur, se ea scripsisse illo tempore, *quo nondum expertus erat, vel quan-i mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre pos-diligentia disciplinæ n)*. Ideo etiam Leges *o)* arguunt nimiam hanc Clerico-n benignitatem, quæ causa fuit, quod in Gallia Magistratus sæcularis ad se xerit causas Asylum concernentes.

§. CXLIII.

) D. JOAN. FRIDER. KARG *de Jure sacri Asyli n.* 40. causam multorum dissidiorum adscribit indiscreto Zelo nonnullorum, qui non perpenso æqua lance favore cum Immunitatis, tum disciplinæ Christianæ, ac publicæ quie-tis, Immunitatem ad casus non comprehensos extendere conantur, bonum-que privatum facinorosi hominis publico utriusque Reipublicæ bono subinde præponunt: imo non raro, cum opprobrio habitus Regularis, cucullant sceleratos, aut superinjecta muliebri veste in alterum quasi sexum, non sine gravi præjudicio læsæ partis, transformant.

m) *C.* 12. *Dist.* 54.

n) *Lib. II. Retract. c.* 5.

o) *L.* 5. *Cod. Theod. de his qui ad Eccles. confug.*

## §. CXLIII.

CAUSA V. Arbitraria Legum interpretatio.

Causa potissima dubiorum & dissidiorum videtur esse arbitraria Legum interpretatio, falsis sæpe principiis innixa, dum multi recta interpretandi ratione neglecta, voculas subtiliter excutiunt, ubique nodum etiam in scirpo quærunt, & vel ex Grammaticis Donati Regulis, vel adulandi studio, aut partium affectu, vel etiam ex ignorantia supremæ illius Legis, quæ est SALUS REIPUBLICÆ, textus Legum aut Canonum torquent, ac frequenter, dum in casu particulari defensionem suscipiunt, generales doctrinas statuunt, menti Legislatorum e diametro oppositas. Dum enim illi, qui ad officia publica promoventur, in scholis audiunt Magistrorum altercationes de sensu Legis, solo vocabulorum sono attento, necesse est eos diversis ideis imbui, ex quibus inexplicabiles contentiones orientur inter Magistratus. Exempli loco sit Constitutio GREGORII XIV. quæ inter excepta crimina recenset homicidium *proditorium.* Proh! quantæ concertationes colliserunt animos Doctorum, ut decideretur, quodnam homicidium vocari possit aut debeat *proditorium:* totam autem argumentorum struem collegerunt ex Lexico Calepini, Grammaticorumque Commentariis, neglecta mente Legislatoris, qui Divinam Legem veteris Testamenti innovare volebat. BENEDICTUS XIV. in sua Institutione *p*), qua olim, dum erat Archiepiscopus Bononiensis, promulgavit Bullam Pontificiam de Immunitate, sic loquitur: *qui Bibliothecam habent, & libros aliquando evolvunt, ne pulvere tineisque abrodantur, in admirationem procul dubio adducentur, cum advertent ingenium, conatusque omnes eo scriptores acutissime contulisse, ut rei, licet notati criminis, ab immunitate sacrarum ædium minime reijciantur.* Unde BENEDICTUS XIII. Occasionem & causam suæ Constitutionis *Ex quo Divina* fuisse dicit, quoniam post editam Constitutionem GREGORII XIV. ob varias Doctorum, eam interpretantium, sententias & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxin, multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter Ecclesiastica & sæcularia Tribunalia exortæ fuerunt &c.

## §. CXLIV.

CAUSA VI. Quia causa Asyli habetur semper pro favorabili.

Diversæ hujus interpretationis, & inde nati dissidui Causa in eo posita est, quod multi Autores Immunitatem Ecclesiæ tanquam favorabilem, & proin latissime interpretandam agnoscant: unde deducunt, omnia dubia in particularibus casibus ita esse decidenda, ut Confuga Immunitate gaudeat. Male autem eos nonnunquam argumentari censemus, cum non discernant inter favorem Ecclesiarum, & inter favorem Reorum: his autem ut nimium faveatur, opus esse non videtur. Si qui non defendantur ab Ecclesia, dictum de se credant, quod S. CHRYSOSTOMUS de quodam ab Ecclesia abstractodi-

p) *Institut.* 41. §. 6.

dicit q): *Ecclesiam dico non locum modo, sed & statum, sive formulam vivendi: non Ecclesiæ parietes, sed leges Ecclesiæ: quando sub Asylum confugeris Ecclesiæ, non loco, sed mente eo capesse fugam; Ecclesia enim non paries, nec convexum tecti, sive fastigium, sed fides, ac vitæ ratio. Ne mihi dicas, quia qui proditus est, proditione Ecclesiæ est abreptus. Nisi deseruisset Ecclesiam, non esset proditus. Ne dixeris, quia eo confugit, & proditus est. Non deseruit eum Ecclesia, sed ipse Ecclesiam: non in intimis Ecclesiæ est proditus, sed extra Ecclesiam &c.* Videtur S. CHRYSOSTOMUS de aliquo dicere, quod licet ad muros Ecclesiæ confugerit, vita tamen & moribus deseruerit Ecclesiam, & in sensu morali extra Ecclesiam fuerit, quamvis corpore tenus hæserit intra ejus mœnia r).

## §. CXLV.

CAUSA VII. Longior distantia Episcoporum.

Frequens Dissidiorum Causa in nostris Provinciis, est longa distantia Episcoporum, quibus tamen solis causæ cognitio circa confugas competit. Dum igitur Episcopus bidui triduive itinere distat, neque in loco confugii carceres Ecclesiastici pro tuta custodia confugarum habentur; dum Laici Judices sunt sæpe moræ impatientes; Ecclesiastici autem negotiorum Episcopalium Administri nolunt esse præcipites; inter has moras, Ecclesiarum Rectores innumera patiuntur incommoda. Unde tot querelæ; nulla in tractando negotio sinceritas inter utramque partem: impensum singulorum studium amovendi a se omnem invidiam, quocunque demum dispendio vel boni publici, vel Immunitatis Ecclesiasticæ. Consultum igitur est, ut saltem in illustrioribus locis prærogativam Cathedralis Ecclesiæ non habentibus, constituantur Vicarii particulares, seu Commissarii Episcopales, qui in casibus subitis & dilationem non admittentibus, providendi facultatem habeant: qualis est Lucernæ & Solodori in Helvetia, Bruxellis in Belgio, Erfurti in Thuringia, fuitque etiam Norimbergæ ante mutatam Religionem. Recentissime autem in Palatinatu ex concessione



q) *Homil. in Psalm.* 44.

r) Præfixa huic Homiliæ inscriptio vult, his verbis notari Eutropium. BARONIUS autem *ad Annum* 399. *n.* 25. putat, CHRYSOSTOMUM loqui de alio casu. De quocunque sermo sit, voluit post extractum aliquem reum, S. Pater se excusare, quod non efficacius defenderit Asylum Ecclesiæ: unde dicit, non tam considerari muros Ecclesiæ, quam vitam & fidem. Imo dicunt aliqui, Eutropium, si tamen istum oratio hæc tangit, fuisse Ethnicum, & in hoc sensu extra Ecclesiam. Colligunt istud ex PROSPERO *de Promiss. & prædict. Dei part.* 3. *c.* 38. ubi tamen PROSPER solummodo dicit, Eutropium anima & mente paganum, in contumeliam Ecclesiæ Edictum obreptitie ab Arcadio Christiano Imperatore exsculpsisse &c. quæ verba videntur innuere, quod Eutropius parum dignos Christiano homine mores habuerit, sed potius pagano propior fuerit.

sione Clementis XIII. in ordine ad extrahendos Reos & mancipandos carceri Ecclesiastico, delegatur ab Episcopo potestas Vicariis Foraneis & etiam Parochis, designato etiam pro singulis Diœcesibus, & potestati Ecclesiasticæ subjecto carcere (*supra Cap. IV. §. 111.*).

### §. CXLVI.

Causa VIII. Inæqualis praxis.

Alia Dissidiorum causa est, quod negotium Asyli non in singulis Provinciis æqualiter observetur, nec Summi Pontifices ubique sua Decreta vigere velint. Dum igitur Autores suæ quisque Provinciæ mores recensent; dum recentiora quædam Decreta typis vulgantur: facile aliqui rerum non bene gnari perturbantur. Ecclesiastici enim sequi volunt, quæcunque Immunitati favere videntur; Laici vicissim sequi malunt laxiores quarundam Provinciarum consuetudines, nihilque frequentius opponunt, quam Pontificias quasdam Constitutiones non esse receptas in hac Provincia. Cum igitur inutile sit, singularum Provinciarum Mores recensere, in Capitibus sequentibus solum inhærebimus Decretis Romanis juxta Titulum Dissertationi præfixum. Cum ipsi recentiores Pontifices nolint omnes adstringere ad Decreta sua servanda: ideo & nos nolumus obligatos omnes pronuntiare ad eadem Mandata Sedis Apostolicæ custodienda. Curabunt Episcopi, ut omnibus Ecclesiarum Rectoribus, imo etiam Magistratibus Laicis probe noti sint Ecclesiasticæ Immunitatis limites pro locorum diversitate inviolabiliter observandi.

## CAPUT VII.

### De Locis, quæ ad se confugientes tuentur.

### §. CXLVII.

Transitus ad Conclusiones Juridicas.

Historica narratione hucusque de Asylo egimus: oportet jam, ut Conclusiones Juridicas ex dictis formemus de Locis, Personis & Delictis, quibus hoc beneficium conceditur aut negatur; de modo recipiendi, examinandi, extrahendi confugas &c. Sermo autem nobis deinceps erit solummodo de Asylo *Ecclesiastico:* & quidem sub ea forma, quam recentiores Constitutiones Pontificiæ observatam cupiunt. Inde tamen præjudicium generare nolumus antiquæ quorundam locorum, aut Provinciarum consuetudini, cum ipsi Pontifices novissimas suas ordinationes ad certas tantum Regiones dirigant, extensuri ad alias, quarum Magistratus aut Principes id petierint. Igitur

§. CXLVIII.

## §. CXLVIII.

Jure Asyli gaudet Ecclesia.

Jure Asyli gaudet *Ecclesia*, seu ædificium autoritate Ecclesiastica ad Cultum Divinum & peragenda Fidei Mysteria destinatum, ut constat ex Canonibus & Legibus *Cap. III. & IV.* allegatis. Licet autem olim solis celebrioribus Templis id Privilegium concessum fuisse videatur: hodie tamen omnibus Ecclesiis autoritate Episcopi erectis id Jus competere, patet ex generalibus Canonum verbis, & identitate rationis, cum quælibet Ecclesia sit Domus Dei, singularique cultu dignissima: de qua re post hodiernam Collectionem Canonum in has terras introductam, dubitare non licet. Nec interest, licet Ecclesia nondum sit consuetis Ceremoniis consecrata; modo Divina Mysteria ibidem jam celebrentur, aut saltem ædificium autoritate Ecclesiastica Divinis obsequiis sit dedicatum *s*). Nec perdidisse hanc Immunitatem censetur Ecclesia, quæ forte sit interdicta, violata aut polluta, cum nullus Canon mentionem de tali effectu faciat. Unde Ecclesiæ, olim ritu Catholico consecratæ, vel benedictæ, quas hodie obtinent Protestantes, gaudent Jure Asyli, si formam antiquam retineant.

## §. CXLIX.

Illique conjuncta loca:

Ecclesiæ nomine comprehenduntur omnia ædificio sacro conjuncta, & ad id spectantia, ut Sacristia, Turris, Atrium, Porticus, Tectum, Ambitus muro, vel fixis terminis distinctus *t*). Quamvis enim hæc in odiosis nomine Ecclesiæ non veniant, Leges tamen & Canones in hac materia favorabili ista omnia nomine Ecclesiæ comprehendi volunt, præsertim cum ad reverentiam Ecclesiarum pertineat, ut Confugæ non in intimis Ecclesiæ penetralibus morentur, nec Altaribus semper inhæreant, ibique comedant, dormiant &c. Hinc qui, cum ad Ecclesiam confugisset, eam clausam inveniens, manu portas, earumve ansam, aut vectes apprehendit *u*), abstrahi violenter non potest absque injuria Ecclesiæ illata *x*). Idem Autores non audent dicere de eo, qui exteriorem Monasterii vel Cœmeterii, vel etiam Ecclesiæ murum solummodo manu contingit, quando nec locus, in quo stat, immunitate gaudet, nec Ecclesia ipsum per apprehensum ostii annulum, pessulum, clathros, &c. retinet.

Bbb 2 §. CL.

*s*) *C. 9. de Immun. Eccles.*

*t*) Si atrium clausum non sit, *ab utraque parte parietum terræ spatium Arpennis pro atrio observetur*, ut constituit CLOTHARIUS II. vid. *supra Cap. III. §. 64.* Per vocem *Arpennis* intelligitur certa mensura campi, vel agrorum, prout nunc usurpamus vocem *Jugeri*. vid. *Glossarium* LINDENBROGII & DU CANGE.

*u*) COVARRUV. *variar. Resolut. lib. 2. c. 20. n. 18.*

*x*) Quantam reverentiam Templorum januis ac vestibulis habuerint Gentiles & veteres Christiani, notat EM. GONZALEZ *ad C. 3. de Immun. Eccl. n. 5.*

## §. CL.

Ambi-

Imo Sacri Canones & Principum Constitutiones adijciunt huic Immunitati quadraginta passus in ambitu Ecclesiæ Majoris, id est, Cathedralis, vel triginta in circuitu Ecclesiæ minoris. Nam etiam loca Ecclesiæ vicina ab omni violentia debere esse immunia, exigere videtur Ecclesiæ sanctitas, sicut quæcunque indecentia in conspectu honoratæ personæ solicite evitantur. Jam apud Ethnicos Jus Asyli in aliquod spatium extra Templa extendebatur. Hiero-Cæsarienses de Immunitate Delubro Persicæ Dianæ concessa rationem apud Senatum Romanum reddentes, memorabant Perpernas, Isauricos, multaque alia Imperatorum nomina, qui non modo Templo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerant y). Templum Ephesinum Dianæ semper quidem Asyli jus habuit, usu venisse tamen scribunt, ut istius libertatis fines sæpius mutarentur z). Persuasum nempe omnibus fuit, sanctitatem loci etiam ad viciniam porrigi. Ex Concilio Toletano XII retulimus *supra Cap. IV. §. 83.* notabilem textum, ubi tamen intra triginta passus, qui circa Ecclesiam Immunitatis participes sunt, non annumerantur extraneæ Ædes ibidem forte positæ. Juxta Constitutionem JOANNIS Papæ VIII. a), *Capellæ, quæ sunt intra ambitum murorum Castellorum, non ponantur in hac triginta passuum observatione.* Castellorum enim angustiæ prohibent talem extensionem, ne totum Castellum Immunitate præditum videatur. Ex eadem ratione si Sacella vel consecrata, vel autoritate Episcopi erecta sint in Ædibus Nobilium, haud dubie illa gaudebunt Immunitate: nihilominus spatium plurium passuum sibi non vindicabunt, ne tota Domus Refugii locus constituatur. Hæc dicta sint pro iis locis, ubi adhuc hodie vigent Constitutiones de Immunitate ad plures passus extendenda. Cum autem istud spatium ex ea potissimum ratione, Immunitatis privilegio donatum sit, ut confuga non cogatur in ipsa Ecclesia dormire, comedere, aliisque necessitatibus naturæ satisfacere; hinc ubi ratio hæc cessat, & Ecclesiæ contigua sunt ædificia, his usibus opportuna: experimur plane tutos non esse illos, qui in modica etiam distantia extra Ecclesiam, saltem extra ejus stillicidium, deprehenduntur. Censent quidem aliqui b), Judici Laico incumbere probationem, quod Leges illæ, concedentes spatium 30. vel 40. passuum, contraria con-

y) TACITUS *lib. III. Annal. c. 62.*

z) Alexander Asylo stadium largitus est: Mithridates, quantum sagitta ab angulo tecti emissa contingeret, quod stadio fuit paulo largius spatium: Antonius id duplicavit, partemque Urbis Asylo adjecit. Visum fuit hoc damnosum, & maleficis urbem in potestatem hoc pacto dedi: itaque abrogavit Augustus Cæsar. STRABO *Geograph. lib. XIV. fol.* 441.

a) *C.* 21. *XVII. q.* 4.

b) P. REIFFENSTUEL *ad Tit. de Immun. Eccl. n.* 38.

onsuetudine sint abrogatæ. Quid autem, si vicissim Judex Laicus exigeret ab :cclesia probationem, quod Leges illæ unquam in nostris partibus fuerint in ısum deductæ? Nam Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum ıoribus utentium approbantur *c*). Certe his temporibus passim experimur, on attendi ad istud spatium, nisi sit muro circumdatum, & serviat pro atrio :cclesiæ *d*).

## §. CLI.

Item Loca Religiosa.

Præter Loca Sacra, seu Ecclesias, jure Asyli gaudent Loca *Religiosa*, ti Monasteria cum omnibus domibus & habitationibus autoritate Episcopi erectıs, hæc enim æquiparantur Ecclesiis *e*): uti etiam alia ædificia, autoritate :cclesiastica ad Charitatis, Misericordiæ, ac Religionis opera destinata, scilicet Xenodochia, Nosocomia, Hospitalia &c. Unde etiam in Bulla GREGO.ıı XIV. & aliorum Pontificum conjungi solent Monasteria, Domus, Locaue sacra ac Religiosa. Cum tamen ejusmodi Domus, exceptis Monasteriis, ı nostris Provinciis passim erigantur pia Laicorum liberalitate sub Magistratus ut Principis sæcularis autoritate; hinc etiam, præter Sacella publica in iis perta, communi hominum opinione Jus Asyli non habent, uti nec alia Loca ia, Oratoria privata, ædiculæ passim in campis, Sanctorum honoribus, & :inerantium devotioni constructæ. Quoad Monasteria autem dubitandum non st, quin omnia, quæ intra eorum septa continentur, uti horti, atria, officiæ &c. confugientes ab omni violentia immunes præstent. Villæ autem, horti : alia ædificia, quæ a Monasteriis separata, & solius recreationis vel œconoiæ causa habentur, eodem jure Asyli non sunt donata, cum nullo jure nomen oci sacri, vel religiosi illis adhæreat. Similiter ubi 40. vel 30. passuumciruitus circa Ecclesiam usu & consuetudine immunis habetur, id tamen priviegium applicari non potest ad muros Monasteriorum, utpote intra quos abunle suppetit spatium ad eos actus, qui Ecclesias dedecere censentur.

## §. CLII.

Cœmeterium.

Ubi *Cœmeterium* Ecclesiæ est adjectum, hoc quoque Immunitate gaudebit, tum quia servit pro eo spatio, quod juxta Leges circa Ecclesiam deberet esse Immune; tum quia ipsum Cœmeterium est Locus religiosus, proin hac

Bbb 3 Immu-

*c*) GRATIANUS *post C.* 3. *dist.* 4.

*d*) Censent aliqui, sacros Canones spatium 40. vel 30. passuum concedere tantum Reo progredienti ex Ecclesia, qua jam fuit receptus: nequaquam autem immunem reddere eum, qui intra hoc spatium deprehenditur, antequam ad Ecclesiam perveniat. Vid. HAUNOLD. *de J. & J. tom.* 6. *tract.* 1. *n.* 152. P. WIESTNER *de Jure Asylorum part.* 2. *art.* 1. *n.* 20.

*e*) *C.* 21. *XVII. q.* 4. ibi: *si qui Monasteria & Loca Deo dedicata, & Ecclesias infringunt &c.*

Immunitate donatus, etiamsi sit separatum ab Ecclesia. Unde inscribitur Rubrica Decretalium *de Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii* &c. *f*) Necesse tamen ad hoc est, ut Cœmeterium autoritate Ecclesiastica ad sepeliendа Christianorum corpora sit destinatum: quod in dubio præsumitur, si in eo jam aliqui sepulti jaceant. Si vero constet, illud absque autoritate Episcopi erectum esse, Religiosum non erit, neque gaudebit Immunitate, licet aliqui ibidem sepulti sint; nam illatio cadaveris in sensu Sacrorum Canonum, & quoad præsentem effectum, non facit locum Religiosum.

## §. CLIII.

Domus Episcopi:

Domum Episcopi inter Loca Immunia numerat Concilium Aurelianense I. *g*). Intelligitur hoc de Episcopis in sua Diœcesi residentibus: unde applicari non potest Vicariis in Pontificalibus, qui sunt Episcopi in partibus Infidelium. In nostra Germania Domus Episcopi singularem insuper habet Prærogativam profanam, sicut aliorum Principum Palatia; intelligendo tamen de ordinario Episcopi Palatio, non autem de quibusvis ædibus ad Recreationem, Venationem, vel liberiorem auram captandam exstructis. Ædibus Cardinalium, saltem in Urbe Romana, nisi adhæreant Ecclesiis sui Tituli, in quibus Episcopalem Jurisdictionem exercent, Jus Asyli derogant relatæ *Cap. I.* recentiorum Pontificum Constitutiones.

## §. CLIV.

Non tamen ædes Parochi.

De Ædibus Parochi dubium proposuerunt Saxones Pontifici NICOLAO V. *An Curia Plebani gaudeat tanta Immunitate sicut Ecclesia, cum sit extra Cœmeterium constructa?* Respondit Pontifex per Alphonsum Episcopum Valentinum, qui postea in Pontificatu CALLISTI nomen sumpsit: *Dicendum est, quod si est infra 40. passus majoris Ecclesiæ, vel infra 20. minoris Ecclesiæ, gaudet Immunitate, alias non h*). Conformiter supra dictis, communi usu non tribuitur hoc Privilegium Ædibus Parochialibus, inter quas & Templum media est platea, quæ & ipsa Immunitatem non habet; secus si adhæreat Atrio vel Cœmeterio Ecclesiæ. Synodus Claromontana *i*) sub Urbano II. Privilegium Ecclesiarum er-

*f*) Propterea Germani Cœmeterium vocant Freythoff, id est Freyheit-hoff.

*g*) Relatum *in C.* 36. *XVII. q.* 4.

*h*) Sic refert RAYNALDUS *Annal. Eccles. tom.* 18. *ad Ann.* 1447. *n.* 28. Decisio S. Congregationis Immunitatis apud PIGNATELLI *tom* I. *Consul* 464. quæ domum parochi, licet non adhæreat Ecclesiæ, immunem declarat intelligi debet de ædibus intra 40. vel 30. passus positis.

*i*) Anno 1095. *Can.* 19. *Si quis ad aliquam Crucem in via persequentibus inimicis confugerit, liber, ac si in ipsa Ecclesia, permaneat.*

extendit ad Imaginem S. Crucis in viis etiam publicis ad Venerationem propositæ: cum tamen hujusmodi Canon in Jus commune relatus, & usu receptus non sit, Reus sine immunitatis violatione a Cruce abstrahetur.

## §. CLV.

An Eucharistia per plateas portata?

Ecclesiam ambulantem formari, sibi persuadent multi, quando Eucharistia per publicas plateas portatur, Fidelibus comitantibus. Unde decet omnino, ut ille, qui ad eam confugit, Immunitate gaudeat, nec vi abstrahatur. Nam propter honorem Eucharistici Numinis defertur Ecclesiæ singularis reverentia: multo magis igitur id præstandum ipsi Sacramento Corporis Christi, præsertim cum etiam confugientibus ad Statuam Principis libertas concessa sit. Imitari videntur ejusmodi Rei mulierem illam fluxum sanguinis patientem, & dicentem intra se, si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero. Unde etiam hujusmodi Rei ad Christum confugientes audire merentur benignam vocem Servatoris, confide filia, fides tua te salvam fecit k). Quamvis hic casus nullo Jure comprehendatur: si tamen ob reverentiam Eucharistiæ a violentia abstinetur, intelligi id solum debet de confugientibus ad Corpus Christi: si enim istud in carcerem portetur ad reum, in quem sententia mortis lata jam est: tali nequaquam subvenitur, ut a carcere liberetur, licet sententiæ executio illo die sit differenda. In priori enim casu Christus confugientem ad se, in libertate reperit, & in ea tuetur: in posteriore vero servum pœnæ & captivum reperit, talemque relinquit, ne videatur damnare Justitiam, quam ipse summopere diligit & commendat. Ex pari ratione, si quis extra Ecclesiam captus, ducatur per locum sacrum, potest inde extrahi, quamdiu est in manibus Justitiæ l).

## §. CLVI.

An Comitatus Episcopi?

Demum etiam comitatus Episcopi, Presbyteri aut Diaconi Immunitatem præstare videtur juxta Constitutionem sub nomine THEODOSII & VALENTINIANI vulgatam m). Ibi enim sic statuitur: *De obnoxiis vero* (Reis vel Debito-

k) MATTH. IX. MARCI. V. LUC. VIII.

l) Totus hic discursus hominis Galli est, qui scripsit Glossas in Sanctionem Pragmaticam: Autorem se profitetur COSMAS GUIMIER. sed uti præmittitur earundem Glossarum Editioni Parisiensi de Anno 1621. CAROLUS MOLINÆUS *Comment. in Reg. Cancellar. ad Reg. de verisim. notit. n.* 53. nominat alium Autorem, Dominum MARECHAL, post cujus mortem Cosmas Guimier Commentarium evulgasse dicitur tanquam suum. Plures additiones apposuit PHILIPPUS PROBUS, Officialis Ambianensis. In hoc igitur Opere Dictus discursus continetur *Tit. Quomodo Divin. Offic. sint celebr. V. inclinent. fol.* 672. *item Tit. de Interdictis indifferenter non ponendis, V. Inde. fol.* 799.

m) In Appendice *Codicis Theodosiani N.* 20.

bitoribus) *si qui ambulaverint cum Episcopo, vel cum Presbytero, aut etiam Diacono, sive in platea, sive in agro, sive in quolibet loco, nullo pacto eos retineri, vel adduci jubemus: quoniam in Sacerdotibus Ecclesia constat.* Sed tota hæc Constitutio, suppofititia judicatur, neque ejus Procemium stylum redolet ævi Theodosiani, quod sic habet: *Audemus quidem sermonem facere, solito plus timore capti, de sanctis & venerabilibus Sacerdotibus, & secundis Sacerdotibus, vel etiam Levitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat.* Longe alia phraseologia utuntur genuinæ Constitutiones THEODOSII *n*). Argumentum ab Ecclesia materiali ad Episcopum cum populo fideli congregatum ducebat S. Hugo Episcopus Lincolniensis *o*). Hic cum aliquando iter ageret, obviam habuit turbam magnam hominum, furem quemdam ducentium ad patibulum. Petiit iste ut pro benedictione consequenda propius adduceretur ad Episcopum: adductus vero traxit ductores suos ea, qua potuit violentia, donec frænum Episcopi manibus contingeret, & a morte imminente liberari peteret. Commotus Vir pius ad misericordiam, dixit; solvite eum & finite abire; ubi enim Episcopus cum fidelium populo congregatus est, ibi est Ecclesia: nec minor immunitas debetur lapidibus vivis, quam mortuis: quo audito libere eum abire permiserunt. An autem ad occursum eorum, qui in summa aliqua dignitate constituti sunt, liberari conveniat captivos ad mortem ductos, pertinet ad arbitrium Principis, qui consideratis Personarum & criminum circumstantiis gratiam facere potest: certe nullo jure tenetur *p*).

# CAPUT VIII.

## De Personis & Delictis, quæ Protectione Ecclesiæ gaudent.

### §. CLVII.

Asylo gaudent Innocentes oppressi:

Personæ ad Ecclesiam confugientes, vel quærunt protectionem contra vim injustam; vel volunt evitare molestos Creditorum assultus; vel implorant clementiam contra rigorem Justitiæ. Personis insontibus, quæ alia via repellere vim iniquam non possunt, merito assignatur locus tutus, qui reverentia sua cohibeat

*n*) Vid. GOTHOFREDUS *ad L. ult. Cod. Theod. de his qui ad Eccles. confug. in fine.*

*o*) apud SURIUM *in Vita c.* 17. *ad diem* 17. *Novemb. fol.* 394.

*p*) Cum materia hæc non pertineat ad præsentem tractatum, videri possunt ij Autores, qui de causis mitigandi pœnas agunt. JUL. CLARUS *Pract. Crim.* §. *fin. q.* 98. *n.* 5. & ibi allegati. Vid. GOTHOFRED. *ad L.* 6. *C. de Episc. audient. lit. n.*

habeat aggressores. Obvia sunt exempla inter Ethnicos & Christianos (*supra Cap. I. §. 5. Cap. II. §. 41. Not. b. Cap. III. §. 46.*).

## §. CLVIII.

Debitores Civiles:

Debitoribus publicis, id est Tributorum, favorem Asyli Leges Civiles minime indulgent *q*), *quoniam fiscalium ratio & militibus, & privatis, ipsisque Templis, & cuncta Reipublica utilis & necessaria est r*): ex qua ratione etiam fluit Ordinatio BENEDICTI XIII. Ministros ærariorum, furtum aut falsitatem in iis committentes, ab Asylo excludentis. Debitores autem privatos Leges Civiles admittunt *s*), & Jus Canonicum nullibi excludit; sed potius Ordinationes Civiles Immunitati faventes diserte approbando *t*), locum in Asylo illis concedit, tum ut immunes præstentur a carcere, vinculis, aliisve molestiis; tum ut quietius rationes reddere, exceptiones opponere, rebusque suis consulere queant. Hodie, quia solis Constitutionibus Pontificiis in hac causa nitimur, censendum omnino, omnes debitores, exceptis dictis ærariorum Ministris, Asylo gaudere. Cum autem tale confugium fieri debeat absque præjudicio illorum, quibus sunt obnoxii: hinc curandum, ne in fraudem Creditorum pecunias secum in Ecclesiam inferant, nec otiose negligant occasiones debita sua expungendi. Eadem fere ratio est eorum, qui alia actione civili pulsantur, ex qua magnam corporalem molestiam sibi inferendam metuunt.

## §. CLIX.

Criminosi.

De iis autem, qui sceleris pœnam metuunt, universim concludendum est, omnes Personas, quorumcunque criminum reas gaudere Jure Asyli, nisi Lege positiva excipiantur. Censuit autem GREGORIUS XIV. & sequentes Pontifices, præsente temporum calamitate, & nimia, quæ jam invaluit, perversorum hominum malitia id exposcente, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda eorum facinora, ultra id, quod prisca Majorum disciplina, & vetus Sacrorum Canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittendum, & quorundam Confugarum extractionem concedendam esse. Exceptio hæc ab universali Regula potest fieri, vel ratione *Personæ*, vel ratione *Delicti*.



*q*) *L. 1. Cod. Theodos. de his qui ad Eccles. confug.*

*r*) *Novell.* 17. *C.* 7. *§.* 1.

*s*) *L. præsenti 6. C. de his qui ad Eccl. conf.*

*t*) *C. 6. de Immun. Eccl. C. 36. XVII. q. 4.*

## §. CLX.

Omnes Catholici Laici.

Circa *Personas* ab Asylo excludendas vel admittendas, tenemus inprimis Jure Asyli gaudere omnes & singulos *Catholicos Laicos*, etsi sint personaliter interdicti, aut excommunicati, & publici Clericorum percussores: nullibi enim in Jure reperitur hic Censurarum effectus, privans malefactores Asylo. Aliqui *u*) ejicerent quidem ejusmodi hominem, quia est membrum diaboli, & extra Ecclesiam ejectus *x*), de his autem qui foris sunt, nihil ad nos *y*). Verum licet tales sint privati Communione Fidelium & interdicti ab ingressu Ecclesiæ: hic tamen effectus Censurarum non obligat urgente periculo damni corporis aut vitæ; cum Censuræ sint pœnæ medicinales, non mortales: neque tale confugium cedit in contemtum Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed potius in honorem & reverentiam Ecclesiæ. Dein vel non prohibetur ingressus Ecclesiæ materialis, negata Communione Fidelium: vel saltem non interdicitur ingressus ad Atrium vel Ambitum Templi, ad Monasterium, vel alium similem locum, qui protectionem confugientibus præbet.

## §. CLXI.

An etiam Clerici?

Cum Bulla GREGORII XIV. qua Jura antiqua Jus Asyli concernentia ad unam reducuntur formam, solummodo *Laicorum* faciat mentionem, dubitarunt multi, an etiam Clericis & Religiosis eadem Immunitas præstetur. Verum GREGORIUS, ut ex Prooemio Bullæ observatur, obviare solummodo voluit violentiis Judicum sæcularium, reos ex locis sacris abstrahentium: quia igitur istud non nisi confugientes Laicos tangit; econtra Clerici a violentia Judicum sæcularium aliunde tuti sunt; voluit Pontifex expressam Laicorum facere mentionem: per hoc tamen nequaquam a beneficio Asyli excludit Clericos; cum alii Canones generalibus verbis utantur, & Clerici non debeant esse pejoris conditionis, quam Laici: præsertim cum hæc Immunitas concessa sit ipsis Ecclesiis, aliisque locis sacris propter reverentiam & honorem ipsis debitum, qui proin neque per extractionem Clerici violari debet. Aliunde quidem non habent Clerici, quod a Superioribus suis Ecclesiasticis timeant pœnam mortis aut mutilationis: nihilominus beneficium Asyli etiam ab aliis gravibus pœnis liberat, ad quas Clerici condemnari possunt; aliosque effectus præstat, etiam Clericis optandos.

§. CLXII.

*u*) *Autor Glossæ ad Sanction. Pragmat. Galliæ. tit. de Interdictis indifferenter non ponendis. V. inde. fol.* 798. *seqq.*

*x*) *C.* 32. *XI. q.* 3. *Videntur hæc conformia discursui* S. CHRYSOSTOMI *supra Cap. VI.* §. 144.

*y*) *C.* 8. *de Divertiis.*

## §. CLXII.

Majus est dubium de Regularibus, quos non gaudere Jure Asyli contra proprios suos Superiores, passim docent. Certum est, Clericos ac Regulares Immunitate non frui quoad pœnas correctivas pro conservatione status Ecclesiastici & Regularis omnino necessarias z). Certum etiam videtur, sanctitate Loci non protegi Clericos aut Regulares, confessos vel convictos eorum criminum ob quæ juxta sacros Canones merentur degradationem, vel pœnas etiam graviores, E. G. perpetuum carcerem, Triremes, ejectionem ex Monasterio, ad quas vi Statutorum, aut Concessionum Pontificiarum Religiosi condemnari possunt a suis Superioribus: si enim pro tali casu Religiosis in loco Asyli, id est in ipso Monasterio vis inferri non posset, Indulta hæc & Canones semper frustrarentur suo effectu. Sunt etiam crimina, quibus hæ pœnæ imponuntur, tam gravia & perniciosa, ut non mereantur beneficium Immunitatis. Quamdiu autem Clerici aut Religiosi de ejusmodi sceleribus plene convicti non sunt; aut quando timent pœnas alias enormes, quæ limites Disciplinæ Ecclesiasticæ ac Regularis correctionis excedunt, pro his & similibus casibus eos non omnino privari beneficio Immunitatis Localis, censemus. Nam Regulares simpliciter gaudere beneficio Asyli, ex Pontificiis Constitutionibus colligimus. Dum enim BENEDICTUS XIII. Laicos animo præmeditato proximum suum interficientes, Immunitatis beneficio privat; CLEMENS XII. id ad Ecclesiasticos extendit & BENEDICTUS XIV. hoc nomine etiam Religiosos intelligi statuit: supponunt proin Pontifices, quod Ecclesiastici ac Religiosi extra hos casus jure Asyli gaudeant: alias opus non esset, ut pro casibus exceptis eorum mentio singularis fieret, juxta commune axioma: exceptio firmat regulam in contrarium; præsertim cum etiam aliquæ rationes, ob quas Asylum conceditur, æque pugnare possint pro Religioso, E. G. ut quietius & absque perturbatione causam suam possit defendere, vel rationes reddere: durum enim est, id præstare, quando quis hæret detentus in manibus offensi Superioris, vel in squallido carcere domestico a). Si igitur Religiosus Asylum quærat in alieno Monasterio, vel Ecclesia, non posset inde violenter extrahi: & si rationem Juris communis spectemus, non deberet tradi, nisi ea accedente autoritate & forma, qua alii traduntur confugæ sæculares, scilicet de licentia Episcopi, qui extrahi illum permittet *ad Correctionem*. Constat tamen, Religiosos Ordines ple-

An Religiosi?

Ccc 2

z) Hunc sensum videtur habere S. Congregatio Immunitatis, dum Episcopo Aretino petenti, an possit suis carceribus mancipare Clericum in flagranti crimine adulterii deprehensum in domo immuni contigua Ecclesiæ; respondit *posse ad correctionem.* PIGNATELLI *tom.* I. *Consult* 434.

a) Exempla quædam refert Autor *libri*, *Histoire du Droit public Ecclesiastique Francois Dissert. V. fol.* 409. *seq.*

plerumque munitos esse amplissimis privilegiis, quibus ob intentatas Censuras terreri solent Rectores Ecclesiarum vel Monasteriorum, ad quos subditi ejusmodi Ordinum confugiunt.

## §. CLXIII.

n Judæi Infide- 18

De Judæis, aliisque Infidelibus variæ agitantur quæstiones. Constitutiones Imperatorum (*supra Cap. III.* §. 45.) excludunt Judæos, *qui reatu alique vel debitis fatigati simulant se Christianæ Legi velle conjungi.* ... prohibentque eos suscipi, *antequam debita universa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati.* Sed hodiernam Asyli formam non ordinamus juxta illas Leges Imperatorum. Honorificum est Ecclesiis, si etiam illi, qui antea nulla earum reverentia movebantur, salutem suam ibidem quærere cogantur; præsertim cum hac clementia facile alliciantur ad amplectendam Religionem Christianam, vitæque probitatem (vid. *supra Cap. II.* §. 41. *ibique not. f.*) Asylum enim est jus loco datum, qui tuetur etiam inimicos suos, quemadmodum Christus oravit pro inimicis suis, eisque veniam a Patre suo impetrare conatus est. Hæc intelligenda sunt de Judæis & Infidelibus propter alia Delicta non excepta ad Ecclesiam confugientibus: nam si antea baptizati per Apostasiam in Judaismum relabantur, hos religione loci contra Inquisitores non defendi, dicetur infra.

## §. CLXIV.

n Mili- 18

Ingentes molestias Ecclesiis & Monasteriis creant Milites eo confugientes. Ad hos applicari potest Responsum ULPIANI (*supra Cap. I.* § *12.*) ubi ad quæstionem, an servus, habendus sit pro fugitivo, si in Asylum confugerit? respondet, fugitivum non esse, qui ad Statuam Cæsaris, vel in Asylum confugit, *non enim fugiendi animo hoc facit. Si tamen ante fugit, & postea se contulit: non ideo magis fugitivus esse desinit.* Idem de Milite, qui Duci suo juramento adstrictus est, dicendum videtur. Ex eo solo enim, quod in Asylum confugiat, desertæ militiæ reus haberi non potest: forsan enim ob commissum delictum pœnam graviorem metuit, vel ob aliam legitimam causam Asyli beneficium quærit. Si nihil simile allegare possit, redire debet ad sua servitia militaria, præstita a Ducibus cautione, quod nolint hoc confugium severiore pœna vindicare. Si autem miles deserta statione militari locum Immunem petat, haud dubie gravis culpæ & castigationis reum se facit: cum tamen istud inter excepta crimina non ponatur, gaudebit beneficio Asyli, ita tamen, ut habita securitate vitæ & membrorum, militiæ restituatur, nec effugio ulterior occasio aut opportunitas præbeatur, ne ejusdem cum milite perjurii reos se faciant Ecclesiæ Rectores. Si autem ejusmodi miles crimen exceptum admisisse deprehendatur, causa cognita tradi Judici Militari debet, prout de aliis dicetur. De

Mili-

Militibus in Bavaria supra dictum est C. IV. §. 112. seqq. de Hispanis. C. II. §. 42. Hucusque de iis dictum, qui ratione *Personæ* asylo gaudent, vel excluduntur.

## §. CLXV.

Ratione Delicti.

Alii repelluntur ratione *Delicti*. Universalis regula est, quorumcunque delictorum reos gaudere Asylo, nisi delicta sint nominatim excepta, ita ut ab uno crimine excepto argumentum duci non possit ad aliud æque grave, vel gravius, in Constitutionibus Pontificiis non nominatum. Locum id habet, etiamsi quis de ejusmodi delicto accusatus, incarceratus, confessus vel convictus, imo etiam per sententiam Judicis ad mortem jam damnatus sit, si effracto carcere, & disruptis vinculis ad Ecclesiam confugiat. Sæcularis Potestas agere pro tali casu non poterit ex restitutione spoliatorum, tum quia a restitutione excipitur casus, quo ea facta infertur damnum irreparabile *b)*; tum quia ignoscendum est ei, qui vitam suam quocunque modo salvare studet: modo liber sit a manibus Ministrorum Justitiæ (*supra Cap. V. §. 127.*). Præ oculis haberi debent Constitutiones Gregorii XIV. Benedicti XIII. Clementis XII. & Benedicti XIV. quarum synopsin *supra Cap. IV. §. 101. seqq.* retulimus *c)*. Juxta hoc igitur Pontifices ab Asylo excluduntur.

## §. CLXVI.

Excluduntur publici Latrones

I. Laici, si fuerint *publici Latrones d)*, *viarumque Grassatores e)*, qui itinera frequentata, vel publicas stratas *f)* obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. BENEDICTUS XIII. declarat, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis publicus Latro & Grassator in ordine ad privationem Asyli dici valeat; dummodo tamen grassati

 mors,

*b)* *Arg. c. 13. in fin. de Restit. spoliat.*

*c)* Leges Civiles excludunt Homicidas, Adulteros & Virginum raptores. *Novell. XVII. c. 7.* sed in hac re ex Jure Canonico & Pontificum Decretis procedendum est.

*d)* *C. 6. XVII. q. 4. C. 6. de Immun. Eccles.* Per publicos Latrones BENEDICTUS XIV. *Inst.* 41. intelligit eos, qui publice & impudenter aliena bona diripiunt.

*e)* *Grassatores, qui prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur* &c. *L. 28. §. 10. ff. de pœnis.*

*f)* Intelliguntur viæ publicæ vel in terra, vel in mari, aut fluminibus: vel etiam in urbibus, si qui ab incedentibus intentata vi pecunias extorquent nocturno tempore. Inde infertur Fures simplices non excludi ab Asylo, quidquid aliqui de contraria quorundam locorum consuetudine testentur.

mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit g). Ex hac declaratione arguitur, ut quis excludatur ab Asylo ob istud crimen absque occisione patratum; requiri grassationes plures h), id est, saltem duas: nam pluralis locutio duorum numero contenta est i).

## §. CLXVII.

Depopulatores agrorum:

II. Depopulatores *agrorum*. Antiquiores Pontifices k) ab Asylo reijciebant *Nocturnum* populatorem agrorum: sed GREGORIUS XIV. cum sequentibus Pontificibus omittit qualitatem nocturnæ populationis: consequente etiam comprehenditur depopulatio per diem facta, scilicet devastatio, aut destructio segetum seu fructuum agri vel vineæ, quocunque animo & fine facta aut etiam direptio prædæ causa.

## §. CLXVIII.

Committentes Homicidium vel Mutilationem in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis.

III. Qui *Homicidia & Mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur* l). Per hos BENEDICTUS XIII. intelligit etiam illos, qui stantes in Ecclesia vel Cœmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Cœmeterium, aut ipsos membro mutilant: nec non eos, qui stantes extra Ecclesiam aut Cœmeterium occidunt stantes intra Ecclesiam vel Cœmeterium, aut eos membro mutilant. Hi enim adeo indigni Asylo sunt ut non tantum illius Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscunque alterius Ecclesiæ Immunitate priventur. Quamvis autem Sacri Canones videantur præcipue damnare & punire spem impunitatis per defensionem loci sacri obtinendæ nihilominus cum interna animi intentio in foro externo dignosci non possit; generale sit periculum, ne perversi homines fiducia impunitatis ad scelera in Ecclesiis committenda animentur: hinc in casu particulari ad talem animum non attenditur.

## §. CLXIX.

Proprie dictis.

Porro licet aliqui nomine Ecclesiæ in hac materia intelligant etiam loca adjuncta, atrium, scalas, sacristiam, turrim, tectum, ædes conjunctas, i

g) De ejusmodi hominibus Asylo indignis videri etiam potest Responsum NICOLAI V. *ad Saxones* apud RAYNALDUM *Annal. Eccles tom.* 18 *ad an.* 1447 *n.* 28. Item Literæ GUILIELMI *Cardinalis ad Præsules Britann. Ibid. ad ann.* 1453 *n* 22.

h) Sic etiam juxta *L.* 28. §. 10. *ff. de Pœnis.* Grassatores si cum ferro adgredi spoliare instituerunt, capite puniuntur, *utique si sæpius hoc admiserunt.*

i) *L.* 12 *ff. de Testib. L.* 217. §. 1. *ff. de V. S. C.* 40. *de R. I. in* 6.

k) INNOCENTIUS III. *c.* 6. *de Immun. Eccles.* NICOLAUS V. dicto l. apud RAYNALD. *ad ann.* 1447.

l) *C. ult. de Immun. Eccles.*

ut occidens in his locis, non gaudeat Asylo; cum par videatur ratio Ecclesiæ & omnium horum locorum, ad quæ extenditur Ecclesiæ Immunitas. Nihilominus communiter mitius sentiunt Doctores, & locum sacrum ad effectum committendi sacrilegium non ita late accipiendum credunt, sicuti ad effectum gaudendi Immunitate latissime sumendum diximus. Ut igitur quis privetur Asylo ex Constitutione Gregoriana, requiritur, ut occisio vel mutilatio fiat in Ecclesia vel Cœmeterio proprie & stricte dicto: sicuti si sanguis humanus fundatur in Sacristia, vel domo conjuncta, Ecclesia propterea non polluitur *m*). Censetur autem in ipsa Ecclesia occidere, qui vulnus lethale in Ecclesia infligit, etiamsi mors sequatur extra Ecclesiam: item qui mandat, occidi in Ecclesia; non autem ille qui in Ecclesia dat mandatum occidendi aliquem extra Ecclesiam.

## §. CLXX.

An committentes alia crimina in Ecclesiis?

Majus dubium tenet multos, an committens crimen non exceptum E. G. furtum in ipsa Ecclesia, privetur Jure Asyli, sicuti privatur committens Homicidium vel Mutilationem in Ecclesia. Nam ratio Canonis, quod puniri quis debeat in eo, in quo deliquit, & frustra Legis auxilium invocet, qui committit in Legem, videtur æque pugnare contra eum, qui in Ecclesia committit furtum, præsertim sacrilegum rerum sacrarum; aut qui in Ecclesia alium gladio aggreditur, & vulnus infligit sine cæde vel mutilatione, quam forte intendebat. Verum cum GREGORIUS nec paritatem, nec identitatem, nec majoritatem rationis attendi jubeat, eademque mens sequentium Pontificum fuisse videatur, dicendum omnino est, non aliam delicti in Ecclesia commissi speciem ab Asylo excludere, quam quæ in Constitutionibus Pontificiis nominatim exprimitur, præsertim cum Ecclesia, expellendo homicidii intra muros suos commissi reos, non tam vindicet injuriam sibi illatam, quam caveat, ne ex spe impunitatis audaciores aliqui fiant ad homicidia committenda, *qui, nisi per Ecclesiam, ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri n*).

Si

*m*) SPERELLUS *Decis.* 60. & 61. LEZANA in *Summa Vol.* 2. *Verb. Immunitas Ecclesiarum. n.* 6. Ex horum doctrina infertur, etiam eum, qui intra Claustra Monasterii homicidium committit, gaudere Asylo juxta Constitutionem, GREGORII XIV. quamvis forte excludatur ratione *homicidii deliberati* ex Constitutionibus sequentium Pontificum.

*n*) *C. ult. de Immun. Eccles.* Unde aliqui arguunt, eum non gaudere Asylo, qui aliud etiam crimen in Ecclesia commiserit *ex spe impunitatis* Sic statuit Synodus Provinc. Coloniens Anno 1536. *part.* 9. *c.* 20. his verbis: *ne rei criminis ad Ecclesias confugientes, inde violenter extrahantur, exceptis . . his qui sub Immunitatis spe in Ecclesiis ac Cœmeteriis delinquunt.* Hunc etiam sensum videtur habere *Canon.* 20. Synodi Claromontanæ Ao. 1095. postquam enim immu-

Si tamen cuidam in flagranti deprehenso manus injicerentur mere ad defendendam Ecclesiam, ad res ablatas furi eripiendas, aut violentum aggressorem compescendum, quod cum debita moderatione fieri potest: talis eo ipso constituitur in manibus Justitiæ, ex quibus eum non eripiet sequens provocatio ad Immunitatem loci (*supra Cap. VII. §. 155.*).

## §. CLXXI.

Homicidæ. IV. Qui *proditorie proximum suum occiderit.* Ad tollenda dubia & dissensiones Doctorum de *proditoria* occisione, addit BENEDICTUS XIII. interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato *o*). CLEMENS XII. extendit ad Ecclesiasticos, cujuscunque gradus & ordinis existant, dummodo tamen causa admissi per eos homicidii ab illorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, & ab eo, si rei reperti fuerint, citra pœnam sanguinis ad præscriptum SS. Canonum condigna puniantur animadversione. Ulterius declarat, Homicidii reos natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis tam Laicos, quam Clericos, atque omnes & singulos sive Laicos sive Clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisioni præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dicta BENEDICTI XIII. Constitutione comprehensos esse, ita scilicet, ut illorum extractio e loco immuni, atque traditio Curiæ sæculari quoad Laicos ad ejusdem Curiæ sæcularis requisitionem fiat a Curia Ecclesiastica, & Clerici ab ipsa Curia Ecclesiastica ex officio omnino extrahantur. Item declarat, omnes, qui ex causa & occasione homicidii etiam in rixa commissi cum armis seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, inquisiti & processati, vel in contumaciam banniti & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis præfatæ beneficio minime etiam gaudere.

§. CLXXII.

immunitatem concesserat confugientibus ad Crucem, ut alibi dictum (*supra Cap. VII. §. 154.*) mox addit: *Quod si quis pro securitate Ecclesiæ, vel prædictæ Crucis aliquod crimen peregerit, & ad Ecclesiam vel Crucem confugerit, accepta securitate vitæ & membrorum, reddatur Justitiæ.* Hæ tamen particularis Synodi Constitutiones non faciunt Legem universalem. Similiter Legis universalis vim non habet Bulla Martini V. Anno 1418 Constantiæ data, ad instantiam Joannis Ducis Brabantiæ & Magistratus Bruxellensis, ubi inter alios Asylo indignos, numerantur *furta in Ecclesiis committentes.* Tota Bulla refertur in *Motivo Juris* mandato Archiepiscopi Mechliniensis impresso Anno 1700.

*o*) *Exod. XXI. 14. si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo avelles eum, ut moriatur.* Lex hæc judicialis veteris Testamenti, quæ quidem est mortua, sed non mortifera, resuscitatur in *C. 1. de Homicid.* Huc etiam referri debet studiose procurans abortum fœtus vivi.

## §. CLXXII.

Quales-cunque.

Insuper BENEDICTUS XIV. declarat, sub Ecclesiasticis Personis, ad quas CLEMENS XII. suam Bullam extendit, intelligi etiam quoscunque Regulares: item pari jure cum Viris censeri Mulieres quoad exclusionem ab Immunitate Ecclesiastica. Item sub iis, qui homicidium in rixa committunt cum armis seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, intelligi vult BENEDICTUS etiam illos, qui baculo aut saxo proximum suum occiderint, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, & nocendi animo ac voluntate prodiisse *p*): quæ omnia etiam dici debent de Mandante, consilium dante &c. juxta Bullam CLEMENTIS XII, modo occisio sequatur. Demum BENEDICTUS XIV. Constitutionem de Homicidio deliberato clarioribus terminis ad eos, qui in Duello, sive publice, sive privatim indicto occidunt, applicat: sive ille, qui occisus est fuerit mortuus in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto. Vana igitur est distinctio inter provocantem & provocatum *q*): neuter enim prætendere potest justam defensionis caussam; & plerumque provocatus primam dedit caussam Provocationis & Duelli. Si duellantes expresse paciscantur de non occidendo, & tamen mors alterutrius sequatur, videtur aliquibus occidens non privandus Asylo, cum homicidium directe voluntarium non sit *r*). Quidquid sit de Constitutione BENEDICTI XIII. certe dictæ declarationes BENEDICTI XIV. non videntur tali Duellanti Immunitatis jus concedere.

## §. CLXXIII.

Qui meriti sunt pœnam ordinariam.

Consideratis Pontificum Constitutionibus, quæ Homicidas justissime simul & acerrime persequuntur, statuendum tamen videtur, pro illis Homicidis Asylum aperiri, qui ex culpa levi vel levissima occidunt, per imprudentiam, errorem, ebrietatem, aut ad sui defensionem, non observato moderamine inculpatæ tutelæ. De ejusmodi homicida loquitur Moyses *s*): *qui non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus*, id est, quando aliquis flagitium morte dignum perpetravit, nec tamen punitus est a Magistratu: talis homo ex Dei Providentia objicitur periculo occisionis. Item qui ex lata etiam culpa occidit,



*p*) Voluit Pontifex resuscitare Legem Veterem. *Numer. XXXV.* 17. 18.

*q*) Solum Provocantem, non autem Provocatum, indignum esse legitimæ defensionis & Asyli Beneficio, docent aliqui. BOCKRUS *de Duello cap.* 10. *n.* 38. MYLERUS *de Asylor. Jure C. IX. n.* 10. *seqq.*

*r*) BARTHEL *de Jure Asyli. ad Constit. Benedicti XIII.* §. 6. *n.* 3.

*s*) *Exod. XXI.* 13.

cidit, ut maritus occidens adulterum deprehensum cum uxore, mereatur defendi Asylo, quia in ejusmodi pœnis lata culpa non æquiparatur dolo, & locum tantum habet pœna extraordinaria. Universim enim Asylo in crimine etiam excepto locus esse dicitur, quando crimen non punitur pœna ordinaria. Ex his decidi potest dubium, an per errorem occidens unum pro alio, mereatur gaudere Asylo. Pro iis enim circumstantiis, pro quibus locum obtinere videtur pœna ordinaria Homicidii, Immunitas loci sacri non defendet talem Homicidam: si autem pœna ordinaria non videatur irrogari posse, Asyli beneficium concedendum erit. Non tamen opus est, ut hoc loco nos immisceamus isti controversiæ.

## §. CLXXIV.

Rei Assassinii:

V. Rei *Assassinii.* Decretum INNOCENTII IV. in Concilio Lugdunensi *t*) videtur proprie agere de Syris, qui eo tempore vocabantur ad inferendas neces: tempore autem GREGORII XIV. etiam Christiani talem operam pro pretio impendebant; adeoque ejus Constitutio intelligitur de omnibus, qui alieno jussu, mercede ducti aliquem interficiunt *u*), cujuscunque nationis sint, & quamcunque Religionem sequantur. Ex mente BENEDICTI XIII. comprehenduntur non modo Mandatarii, sed etiam Mandantes, qui certum præmium aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium reipsa patratum fuerit *x*). Unde solum vulnus, ex quo non sequitur mors, non sufficeret ad excludendum ab Asylo.

## §. CLXXV.

Rei Hæresis:

VI. Rei *Hæresis* Asylo non gaudent, quando accusantur, vel suspecti sunt de hoc ipso crimine Hæreseos. JOANNES XXII. Decreto ad Inquisitores per

*t*) *C.* 1. §. 1. & 2. *de Homicid. in* 6.

*u*) Qui sola spe alicui placendi, aut aliquid obtinendi, absque ulla prævia pactione alium occidit, non potest proprie dici Assassinus. Proprie autem Assassinus est, qui mercede conductus occidit etiam Infidelem. Quamvis igitur in *Cit. Cap.* 1. pœnæ tantum in illum statuantur, qui *quempiam Christianorum* per Assassinos interfici fecerit: nihilominus cum a sequentibus Pontificibus absque ulla limitatione Assassinii rei excludantur ab Asylo, id intelligi potest etiam de iis, qui interficiunt vel interfici mandant quemcunque etiam non Christianum.

*x*) INNOCENTIUS IV. *in cit. C.* 1. §. 2. alias pœnas Ecclesiasticas incurri statuit ab eo, qui quempiam Christianorum per Assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, *quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur &c.* Sed ad excludendum aliquem ab Asylo BENEDICTUS XIII. requirit, ut Assassinium reipsa patratum fuerit.

per Franciam misso y), ad instar MARTINI IV. Pontificis z), Asyli privilegio gaudere non vult eos, quos de hæretica pravitate fore culpabiles, vel de illa notabiliter suspectos esse constiterit, accusatos etiam de labe prædicta, conversos quoque Judæos, & postmodum patenter, vel verisimilibus indiciis apostatantes a fide. Quæ omnia confirmavit BENEDICTUS XIV a). Debent autem hæc intelligi de Hæresi non tolerata, & de iis locis, in quibus non toleratur. Unde etiamsi Blasphemia simplex inter crimina excepta non numeretur: nihilominus ex hac ipsa Constitutione Asylo privatur proferens Blasphemiam hæreticalem, tribuendo Deo id, quod ejus Perfectionibus repugnat; vel negando Perfectionem ei competentem: cui Blasphemiæ annexa hæresis nullibi toleratur. Rei autem aliorum non exceptorum criminum Hæretici, non excluduntur: uti neque rei Simoniæ, quæ quidem in Jure Canonico Hæresis vocatur, plerumque tamen ex pravo affectu sine erroneo judicio intellectus committi solet.

## §. CLXXVI.

Rei læsæ Majestatis:

VII. Rei *læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis.* Ex his verbis GREGORII XIV. requiritur ad hoc crimen exceptum I. Ut lædatur *Princeps*, qui supremam Jurisdictionem in suo territorio exercet, quales in Germania sunt Imperator, Rex Germaniæ, Electores, Principes Imperii, Duces, Marchiones, Comites & Status immediati: extra Germaniam Romanus Pontifex, Reges, Duces aliqui Italiæ, Capita Reipublicæ Venetæ, Genuensis &c. II. Ut ejusmodi Princeps lædatur non in Conjuge, Filiis, Ministris, Legatis, Statuis &c. sed in propria persona. III. Ut lædatur actione aliqua positiva in damnum vel offensam suam redundante, E. G. occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo, eum hostibus prodendo, vel tales actiones mandando, consensu vel consilio promovendo, aut eas exercentibus auxilium & favorem præstando, quamvis effectus E. G. cædes, vulneratio &c. non sequatur b). IV. Ut lædatur a subdito. Licet enim quis ratione delicti fiat subditus Principi, in cujus territorio personam ejus offendit: in ordine tamen ad præsentem effectum debet quis lædere perso-

 nam

y) *Bullar. Rom. tom.* 1. *inter Constit. Joannis XXII.* N. 1. & Card. PETRA *tom.* 4. *Comment. ad eand. Constit.*

z) Hujus Literæ extant apud RAYNALD. *ad ann.* 1281. *n.* 18. *tom.* 14.

a) *Bullar. Bened. XIV. tom.* 3. *Const. XL.*

b) Tale crimen exceptum committi, etiam Principem calumniando E. G. Imperatorem vocando Idololatram, censet HAUNOLDUS *de J. & J. tom.* 6. *tract.* 1. *n.* 231.

nam *Principis sui*, cui scilicet antea ratione Originis, Domicilii, vel singulari aliqua ratione fuerat subjectus c).

§. CLXXVII.

Violantes Immunitatem Ecclesiæ:

VIII. Illi, *qui confugientibus vim inferunt*, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt & abducunt. Hos BENEDICTUS XIII. indignos pronuntiat Immunitate cuiuscunque Ecclesiæ: & BENEDICTUS XIV. declarat, comprehendi etiam eos, qui loca immunia obsidere præsumunt d): qui impediunt, ne ad confugas alimenta deferantur; aut aliis artibus ad deditionem adigunt.

§. CLXXVIII.

Falsificantes Literas Apostolicas:

IX. Falsificantes *Literas Apostolicas* e). Varios falsificandi Literas modos recenset Innocentius III. f), quando scilicet falsa Bulla, vel etiam vera Bulla ex veris Literis detracta, apponitur falsis Literis: si in Literis Bullatis aliquid radendo, vel delendo immutatur: si quis falsas Literas occulte misceat veris, ut simul cum his vera Bulla sigillentur &c. Addit idem Pontifex g) aliqua indicia, ex quibus dignosci possint falsæ Literæ Pontificiæ E. G si Literæ ad unum directæ alloquantur illum in plurali, *Vos*, *Vester* &c. Sufficit autem ad privationem Asyli unicus actus, quo Literæ Apostolicæ falsificantur. De falsificantibus Literas Imperatoria nihil simile statutum legitur.

§. CLXXIX.

Ministri ærariorum, furtum committentes:

X. Ministri *Montis Pietatis*, *vel alterius publici Telonii*, *aut Banci* pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in

c) *Arg. Clement.* 2. *de sent. & re jud.* ubi dicitur, Regem Siciliæ non admisisse Crimen Læsæ Majestatis contra Imperatorem, utpote cui neque ratione Domicilii, neque ratione Originis erat subditus.

d) Qui extra locum sacrum custodiam apponunt, ut reum inde prosilientem satellites capere possint, non quidem comprehenduntur hoc Decreto, modo appositio custodiæ sit innoxia, & sine molestia ingredientium & egredientium. Vix tamen hac cautela opus erit, si bene observentur, quæ sequentibus Capitibus dicentur.

e) Hoc nomine veniunt quæcunque Rescripta, Bullæ, Brevia, tam Gratiam, quam Justitiam concernentia, quæ nomine Papæ expediuntur: non vero Literæ S. Congregationis Cardinalium, S. Pœnitentiariæ, Datarii, Legati a Latere, vel Nuntii Sedis Apostolicæ, Decisiones Rotæ, Sententiæ Auditoris Cameræ &c.

f) C. 5. *de Crimine Falsi*.

g) C. 6. *ibid*.

in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. Non quilibet furtum aut falsitatem in his locis committens, excluditur ab Asylo, sed soli Ministri ad curanda hæc æraria deputati, cum præsentius periculum ab istis immineat.

## §. CLXXX.

Falsarii Monetarum:

XI. Conflantes, *adulterantes*, *vel Tondentes quascunque Monetas aureas vel argenteas*, etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum & commercium: vel ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint *h*). Cum ista Constitutio nominet Monetas *aureas* vel *argenteas*; hinc non extenditur ad eos, qui conflant nummos cupreos: bene tamen ad eos, qui jam ex Constitutione JOANNIS XXII. infamiam incurrunt, scienter adulterinam ex auro & argento Alchimico cudendo seu fundendo, cudi seu fundi faciendo monetam *i*).

## §. CLXXXI.

Sub nomine Curiæ se introducentes in alienas domos.

XII. Illi, *qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas domos*, animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earum ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

## §. CLXXXII.

An negetur Immunitas ob alia crimina?

Dubitabatur olim, an ob alia etiam scelera, quoties tranquillitas publica id exigere videretur, Immunitas Ecclesiæ sit deneganda? an Immunitatem a sacris Ædibus sibi comparent Adulteri, vel Raptores Virginum, quos Leges Imperatoriæ excludunt *k*): item qui ob profusionem aut luxum bona sua dissipaverint, aut se decoctores simulantes, occultatis rebus suis, cessione bonorum creditores fefellerint, & ideo in Ditione Pontificia more furum extremo supplicio plectuntur *l*)? Varii Pontifices, præsertim S. PIUS V. & SIX-

 TUS

*h*) Monetis quibusdam veris & bonis, supervenire per accidens dicitur usus superstitiosus aut magicus, quo nummi redire debent ad expendentem, vulgo Wechsel-Thaler. Horum usus non continetur hac Constitutione.

*i*) *Extrav. un.* JOAN. XXII. *de Crimine Falsi.*

*k*) *Novell. XVII. c. 7.*

*l*) Ex Decreto PII V. Anno 1570. *Bullar. Rom. part. 2. inter Bullas* PII V. 112. *fol.* 238. Ejusmodi decoctores, qui mala quidem fide debitum contra-

TUS V. petentibus Principibus indulserunt, ab Ecclesia eos quoque avelli, criminibus per Leges minime cautis tenebantur. Postquam ex his concessionibus maxima rerum perturbatio dimanasse deprehenderetur, GREGORIUS XIV. facultates & indulta hujusmodi abrogavit, vetuitque, ne quis eandem criminum naturam, vel etiam majorem gravitatem pro tribuenda vel recusanda Ecclesiæ Immunitate perpenderet, sed ea tantum probaret, quæ suis Literis proponebantur, ob quæ scelesti homines sacro Asylo carere deberent. Leges etiam Civiles hodie non attenduntur in hoc negotio, sed Juri Canonico insistimus: cura enim Locorum Sacrorum, & debiti eisdem honoris, Ecclesiasticæ Potestati subest. Potest tamen pro casu particulari, ob enormitatem criminis, sive ad occurrendum futuris scandalis peti, & a summo Pontifice impetrari extractio confugæ, qui criminis excepti reus non est m). Immunitatis tamen Ecclesiasticæ præsidium etiam pro tali casu id operatur, ut extractus non afficiatur pœna ordinaria mortis, sed potius ad triremes, aut opus publicum, vel ad carcerem temporalem, aut perpetuum damnetur, prout in Indulto Pontificis exprimetur.

# CAPUT IX.

## De modo recipiendi & protegendi confugientes ad Ecclesiam.

### §. CLXXXIII.

*Confugientes ad Ecclesiam recipi.*

Universim loquendo, Rei ad Ecclesiam confugientes recipiendi sunt, nec possunt repelli: hoc ipso enim, quod concedatur Immunitas loco, conceditur jus eo confugiendi, & Immunitatem obtinendi. Unde non tantum Consilium ...

trahunt, ob inopiam autem pati deberent corporales molestias, Asyli capaces censet S. AUGUSTINUS *Epist.* 153. *alias* 54. C. 20. ubi sic loquitur: *huic certe non possumus dicere, redde quod abstulisti, nisi cum eum habere credimus & negare. Ubi quidem si aliquos sustinet a repetente cruciatus, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas . . . sed inhumanum non est etiam pro talibus intercedere, tanquam pro reis criminum; non autem ad hoc, ut minime restituantur aliena; sed ne frustra homo in hominem sæviat &c.*

m) Cum ejusmodi licentias Pontifex in ipsa Urbe Romana Officialibus sæpe oretenus, ignorantibus aliis, concedat, hinc hallucinatus est NAVARRUS *Manual. Cap. XXV. n.* 18. scribens, *in Urbe nullam Ecclesiam uti hac Immunitate adversus Judices etiam sæculares Papæ:* & BAJARDUS *ad Jul. Clarum quæst.* 30. qui ut scribit, *in Urbe, & in statu Ecclesiastico nunquam vidit confugientes ad Ecclesias esse tutos, nisi in levibus delictis & pro debito civili.* Quorum autoritate se olim deceptum fatetur FARINACIUS *Append. De*

sed etiam præceptum continet Canon *n*), vi cujus *Reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem; ut honor Dei, & Sanctorum ejus conservetur: sed Rectores Ecclesiarum pacem & vitam, ac membra ejus obtinere studeant &c.* Hæc quoque doctrina tenenda, etiamsi ab uno loco repulsus, in alium locum Immunem se recipere valeat, quia quivis habet liberam optionem confugiendi ad quemvis locum Immunem *o*).

## §. CLXXXIV.

Ibique sine molestia morari:

Curandum insuper, ut confugientibus sine molestia morari in loco Immuni liceat. Cavendum, ne illis aliquid vel victualium rerum, vel vestis denegetur, aut requies *p*). Permittendus egressus ad peragenda ea, quæ in loco sacro fieri non convenit. Si confuga habet bona propria, ex illis alendus est: quodsi nil habeat bonorum, nec amicos, qui necessaria subministrent; Ecclesia, quæ ejus tutelam suscepit, providere de alimentis debet, imposito tamen onere resarciendi sumptus opportuno tempore; nisi gratis dare velit, vel nulla sit spes, fore ut sumptus refundantur. Poterit tamen confuga cogi ad laborandum in commodum Ecclesiæ pro ratione conditionis suæ, in compensationem expensarum.

## §. CLXXXV.

Vicissim nullam molestiam afferre debent.

Vicissim ejusmodi Rei ad Ecclesiam confugientes, ab omni molestia vel injuria locis Immunibus afferenda abstinere tenentur. Mox arma debent ponere, *data eis fiducia, quod Religionis nomine melius, quam armorum præsidio muniantur q)*: nec permittendum, ut aliud quid agant, quod sanctitatem loci dedeceat, uti in intimo Templo cibum sumere, somnum capere &c. cum ad istas

*De Immun. Eccles. C.* 2. *n.* 17. sed postquam admotus fuit ad munus Locum tenentis Criminalis Auditoris Cameræ, dein etiam Procuratoris Fiscalis generalis Pontificii, reipsa comperit, hanc corruptelam in Alma Urbe non vigere, & Reos ad Ecclesias propter gravia delicta confugientes, ab Officialibus nunquam extrahi, nisi de licentia Summi Pontificis &c.

*n*) *C.* 9. *XVII. q* 4.

*o*) Violatæ Immunitatis argui potuissent illi, qui fores Ecclesiæ suæ per aliquot dies clausas tenuerunt ex ea parte, ex qua potuisset ad hanc Ecclesiam patere aditus cuidam Confugæ, in vicinis ædibus Religiosis commoranti. Nihilominus MONACELLI *in Formular. legal. pract. p.* 2. *tit.* 15 *Formul.* 13. *n.* 5. insinuat, esse quosdam Regulares, qui juxta proprii Instituti statuta ab Apostolica Sede approbata, Bannitos, fures, aliosque similes delinquentes in Monasteria recipere non possunt.

*p*) *L.* 6. *C. de his qui ad Eccles. confug.*

*q*) *L.* 3. §. 3. *C. eod.*

istas necessarias actiones locus congruus designari debeat. Summopere ir landum, ut in domibus Regularium modeste se gerant; quietem, discipl regularem non turbent, nec moribus inficiant. Adigendi sunt potius ad dam pœnitentiam de sceleribus suis agendam, ad satisfaciendum læsis, a paranda scandala, & seriam vitæ emendationem. Quid autem de illis sta dum, qui sanctitatem Ecclesiæ, vel loci Religiosi profanis moribus aut c bus maculant, infra dicetur.

## §. CLXXXVI.

Invitus non est abstrahendus;

Si jus habet delinquens, ut ad Asylum recipiatur, ibique proteg habebit etiam jus, ne violenter, aut dolo injusto, qui violentiæ & metui paratur, ex Asylo extrahatur, aut eliciatur: si hac ratione ad egressum citur, capi a Judice non potest, & captus deberet restitui: privilegio e quod Jura Reo tribuunt, privari invitus ab ullo non potest. Idem dicen si quis promissione Judicis de impunitate persuaderi sibi patitur, ut egr tur r). At vero si aliorum blanditiis, vel mendacibus verbis eliciatur, p egressus capi a Judice, nisi ipse Judex doli autor fuisset. Ecclesia enim vult retinere eum, qui sponte locum Immunem deserit: invitus autem non setur, qui blandis, aut dolosis verbis ab alio, cui fidem adhibere non det allectus egreditur: sicuti etiam sibi imputare debet, si metu quodam p ex propria apprehensione concepto inductus, adeoque a se ipso deceptus r quit Asyli locum s).

## §. CLXXXVII.

Non tamen occultandus, vel dimittendus post requisitionem Judicis, si jure Asyli non gaudeat.

Sicuti Rectores Ecclesiarum & Superiores locorum Immunium con recipere tenentur, & omni modo juxta mentem Constitutionum Pontificis contra violentiam Magistratus sæcularis tueri: ita vicissim male faciunt, Reos jure Asyli non gaudentes, post requisitionem Judicis Laici studiose c

r) Non placet sententia illa, quæ communis dicitur a COVARRUV. *varia solut. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 16. *in fin.* & placere videtur FARINACIO *oper. part.* 1. *l.* 1. *tit.* 4. *de Carcerib. q.* 28. *in fin.* & *part.* 3. *quæst.* 81. d *confesso &c. n.* 282. juxta quam Judex non tenetur promissionem de im tate servare in casu, in quo confugiens ad Ecclesiam extrahi potest ob c exceptum. Rectæ rationi conformius sentiebat ille Provinciæ Præses Assessori consulenti, ut non obstante fide data extractum ab Ecclesia r ret & puniret, respondit: *tu leges me alias doceas; contrariam ego le fidei ratione didici*, prout refert *cit.* FARINACIUS *quæst.* 81.

s) *Arg. c.* 36 *XVII. q.* 4. ibi: *si ipse reus de Ecclesia actus timore discesseri Ecclesiæ Clericis non quæratur.* Item *C.* 6. *de his quæ vi, metusve caus* ibi: *Non obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos: cum talis dolı tam ad circumventionem prædictorum, quam ad fatuitatem eorum debe torqueri.*

tant, & antequam Episcopi decisionem intellexerint, absque prævia pœnitentia & morum emendatione tanquam feroces lupos in perniciem Reipublicæ dimittunt *t*) Si tamen id fiat, potest Judex sæcularis sibi persuadere, talem hominem paulo post iterum ob nova scelera in manus Justitiæ venturum, ubi duplicis culpæ pœnam sit soluturus *u*).

## §. CLXXXVIII.

Si quis certo gaudet beneficio Immunitatis.

Quando igitur quis salutem suam quærit in loco Immuni, tam Rectores Ecclesiarum, quam Judices Laici perpendere debent, an causa Confugæ talis sit, ut *certo* gaudeat jure Asyli: vel an *dubium* moveri possit: vel denique an certo commiserit crimen exceptum. Si Reus certo gaudeat Jure Asyli, Rectores Ecclesiarum aut locorum Immunium magno Zelo atque constantia Immunitatem Ecclesiasticam tueri debent, iisque monentibus etiam Episcopi, *ab omni tamen tumultu*, ut loquitur BENEDICTUS XIII. *ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causa potius, quam miserationis, & justitiæ titulo, Ecclesiastica privilegia asserere velle videantur.*

## §. CLXXXIX.

An a Judice Laico possit condemnari?

Judices autem sæculares in tali casu ab omni molestia, loco Immuni aut Reo inferenda, qua securitas perfugii violaretur *x*), abstinere debent (*supra* §. 184.). Posset tamen interim Confuga actione civili in judicio conveniri, causa cognita condemnari ad solvenda debita, resarcienda damna &c. *y*) & exe



*t*) Non probatur aliquibus factum Vicarii cujusdam Generalis, qui jam requisitus a Judice Laico, postquam satis agnovit, reum non gaudere Ecclesiastica Immunitate, nihilominus antequam solenni sententia id pronuntiaret, clam per literas monuit superiorem Monasterii, ad quod Reus confugerat, ut omni cura fugam Delinquentis promoveret, cum non suppeteret ratio eum protegendi.

*u*) Joco quidem, sed ad præsens argumentum declarandum aptissimo, servus apud PLAUTUM *in Mostellar. Scen. ult.* remissionem pœnæ a domino petit sub spe severioris pœnæ mox promerendæ. Ibi Tranio servus dominum in danda venia difficilem sic alloquitur: *quid gravaris? quasi non cras jam commeream aliam noxiam: ibi utrumque, & hoc & illud poteris ulcisci probe.*

*x*) *C.* 35. *XVII. q* 4. *Diffinivit sanctum Concilium, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes, inde abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis, vel damni, seu spolii, residentibus in loco sancto inferre &c.* Inde arguunt aliqui, quod durante perfugio in Ecclesia, Judex sæcularis absque excommunicationis nota minime procedere queat contra alia ejusdem bona. Sed hic sensus Canonis teneri non potest.

*y*) *Can.* 9. *XVII. q.* 4. dicitur: *tamen legitime componat, qui inique fecit*, his verbis non intelligitur pecuniaria pœna, sed compensatio damnorum illatorum

cutio sententiæ in bonis ejus decerni; modo illi concedatur plena libertas & securitas ad causam suam defendendam, vel per se ipsum, data fide publica, vel per Procuratorem. Si crimen morte vel severiore pœna corporali dignum, non tamen in Bullis Pontificiis inter excepta relatum, commiserit Confuga, posset condemnari ad pœnam mitiorem, forte pecuniariam, vel etiam corporis, sed mitiorem: nam quilibet super eo, quod inique gessit, est legitime puniendus *z*) Postea autem egressus ex Asylo non posset propter idem delictum ad mortem condemnari, quia Judex per sententiam super crimine latam jam functus est suo officio *a*). Securitate igitur de vita & membris accepta, detinendus non esset in loco Immuni; imo etiam tradi deberet Reus, personali obligatione Principi vel Magistratui obnoxius, uti Miles: contra invitum tamen. & sponte egredi nolentem, nihil violenter attentandum esset absque autoritate Episcopi *b*), quam Regulares & alii Exempti in hoc negotio revereri debent. Si vero securitatem de vita & membris non obtineat, quæstio movetur, an constitutus in Asylo possit condemnari ad mortem, vel aliam pœnam corporalem graviorem, a qua reverentia Asyli solet tutos reddere? Sacri Canones has sententias videntur improbare, dum de confugiente ad Ecclesiam dicunt: *nec inde damnari c) debet ad mortem, vel ad pœnam*, scilicet corporalem graviorem *d*). Nihilominus tam experientia, quam Autores varii testantur, aliud observari in praxi diversorum Tribunalium, ubi Judex in Reum criminis non excepti, quem in Asylo latere non ignorat, inquirit, citari jubet, & si non comparet, tanquam in absentem, condignæ juxta delicti qualitatem pœnæ, etiam capitalis, profert sententiam: quam tamen executioni non mandat, nec

rum per delictum. Ad hanc enim actione Legis Aquiliæ potest agi, etiam contra confugam in Asylo latentem, cum ad istud non debeat in alterius potius injuriam, quam ad sui defensionem confugere. *L.* 28. *§.* 7. *ff. de Pœnis.*

*z*) *C.* 6. *de Immunit. Eccles.* Ex hoc Capitulo, ejusque ratione concludunt Doctores, Reum, si Judicis sæcularis tribunal ope Asyli effugiat, debere puniri a Judice Ecclesiastico, ne crimen maneat impunitum.

*a*) Doctrina nonnullorum, quod pœna illa mitior non a Judice sæculari, sed ab Ecclesiastico, apud quem Confuga videtur sortiri forum, imponi debeat, vix observabitur in praxi: nam salva vita & membris, ille Judex, qui extra casum Asyli punire crimen posset, idem sibi jus competere censebit in confugam, cum per ejusmodi pœnam mitiorem non violetur Immunitas Ecclesiæ.

*b*) FAGNANUS *in c. inter alia.* 6. *n.* 69. *de Immunit. Eccles.* censet, confugam etiam cessante periculo mortis aut mutilationis non posse invitum extrahi cum licentia Episcopi, cum talis extractio solum in casibus exceptis licita sit: inter casus exceptos autem non continetur iste.

*c*) Correctores Romani loco *damnari* reponunt *donari* *c.* 9. *XVII. q.* 4.

*d*) *Cit. C.* 6.

nec mandare potest, dum existit reus in Asylo; si tamen inde sponte egrederetur, & extra locum Immunem apprehenderetur, sententia lata mandaretur executioni *e*). Non posset tamen Judex contra profugum in Asylo latentem, & criminis capitalis reum, *in contumaciam* ad pœnam pecuniariam procedere, si ille Asylo dignus judicetur.

§. CXC.

Si dubium sit, an Confuga gaudeat Asylo, Rector Ecclesiæ nihil potest aliud, quam ut rem omnem ad Episcopum deferat, & interim Reum ab omni violentia defendat. Normam in tali casu observandam, ex recentiorum Pontificum Constitutionibus referemus Capite sequenti. Id solum hoc loco notandum: sicuti Rector Ecclesiæ in hujusmodi casu invitum delinquentem retinere non potest, quin se, si velit, Judici sæculari extra Asylum capiendum sistat; ita etiam de eodem custodiendo cautionem ac securitatem præstare non tenetur, nisi requiratur a potestate sæculari.

Si dubium sit jus Asyli, quid faciendum?

# CAPUT X.

## De modo extrahendi e locis Immunibus eos, quos Ecclesia non protegit adversus Judices.

§. CXCI.

Extrahi confugæ possunt, vel ut interim secure custodiantur, donec causa examinetur: vel ut relinquantur Judici sæculari pro meritis puniendi, quando causa cognita declarantur indigni Asylo. Discutiendum igitur est I. An Judex sæcularis propria auctoritate Reos criminis excepti possit extrahere? II. An Prælati Ecclesiarum inferiores Episcopo possint confugas, non requisito Episcopo, tradere potestati sæculari? III. Quæ norma sit examinandi in casu dubio quæstionem, an Reus gaudeat Asylo? IV. Quomodo procedendum, si Reus judicetur indignus beneficio Asyli?

Confugientes ad Ecclesiam,

§. CXCII.

Non attingimus prima *f*), nec media sæcula *g*), in quibus frequenter illi

Regulariter Judex Laicus extrahere non potest,



*e*) Vid. FARINACIUS *Oper. Crimin. part.* 1. *lib.* 1. *tit.* 4. *de Carcerib. quæst.* 28. *n.* 77. *in fin.* JULIUS CLARUS *in Pract. Crimin.* §. *fin. quæst.* 30. *n.* 23. DEL BENE *de Immunit. Eccles. part.* 2. *c.* 16. *dub.* 31. *n.* 11. HAUNOLD. *de J. & J. tom.* 6. *tract.* 1. *n.* 249.

*f*) Ex dictis *Cap. III.* facile intelligitur, Principes & Judices sæculares sibi olim arrogasse omnem potestatem circa Asylum.

*g*) In Libro *de superiorit. Territor. Domus Hohenlohicæ* recensetur Documentum XLIII.

illi ipsi, qui locis quibusdam Jus Asyli concedebant, etiam suæ Jurisdictioni reservarunt jus de ea re cognoscendi. Neque loquimur de illis Provinciis, ubi singularis disciplina circa hæc negotia viget (*supra Cap. III.* §. *26.*). *h*) Ea solum recensemus, quæ a Romanis Pontificibus per postrema duo sæcula statuta sunt. Igitur GREGORIUS XIV ne Curiæ sæcularis Ministri facultate Reos per se & propria autoritate extrahendi & abducendi, sibi olim a diversis Pontificibus attributa, & per suas Literas revocata abutantur, vult, decernit Autoritate Apostolica & declarat, ut Curia sæcularis, ejusque Judices & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque Sacris Laicum delinquentem, in nullo etiam exceptorum criminum casu, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, ab eo autoritatem habentis, capere, extrahere, aut incarcerare possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & Personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis per eam Bullam exceptis, culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire, & assistere recusarint, tuncque reverentiæ Ecclesiæ, & Locis Sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, scandalo & tumultu extrahere curent *i*). Hoc igitur solo casu, quo Episcopus licentiam extrahendi dare, & Personæ Ecclesiasticæ assistere recusant, Judex sæcularis Reos excepti criminis propria autoritate extrahere potest, non quidem ad eum finem, ut mox sententiam in ipsos dicat & exequatur: sed ut tali modo extracti ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponantur sub tuto & firmo carcere, ac opportuna custo-

XLIII. Datum 1253. ubi inter alia causæ Asyli soli Magistratui superiori Domus Hochenlohicæ reservantur, his verbis: *Uber den Frithof und daz Closter, und uber der Korherren hove und ir gut hant die Schultheizen nicht ze schaffene, noch anders niman, danne de Voit alleine.*

*h*) Cognitionem causæ, an quis ad Ecclesiam confugiens gaudeat Asylo, in toto Catholico orbe extra Galliam relinqui Episcopis, fuse ostendit *Motivum Juris de Jure Asyli* in Belgio impressum anno 1700. Galliæ autem consuetudo adscribitur gravissimis illius Regni cum Romana Ecclesia ac Summo Pontifice Schismatis.

*i*) COVARRUVIAS *Var. Resol. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 18. allegat *Guidonem Papæ q.* 121. *& Guillielm. Benedicti in C. Raynutius in verb. uxorem. n.* 444. *de Testam.* acsi isti assererent, moribus & praxi Christiani Orbis satis receptum esse, ut Judex sæcularis absque licentia Episcopi possit abducere ab Ecclesia criminosum, qui immunitate non gaudet: cum tamen uterque hic autor id minime dicat. JUL. CLARUS *recept. sent. lib.* 5. §. *Fin. pract. Crim. quæst.* 30. *n.* 20. dicit, quod Judices Sæculares extrahant delinquentes ab Ecclesiis, non exspectata licentia Episcopi . . . *& ita moribus & praxi Christiani orbis receptam esse ait Didacus.* cum tamen Didacus Covarruvias id non ex sua sententia dicat, sed solum affirmet quamvis falso, id asseri a Guidone Papæ & Guil. de Benedictis. Unde apparet, non esse fidendum allegationibus, nisi quis ipse inspexerit fontes.

custodia, data illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem, detineantur, nec inde extrahi, Curiæque sæculari consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina excepta commiserint: tuncque demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari, quacunque appellatione seposita consignentur. Si Episcopus ulterius tergiversetur causam cognoscere, recurrendum erit non ad Archiepiscopum, sed ad summum Pontificem, qui causæ cognitionem committet alteri.

## §. CXCVII.

Sine autoritate Episcopi.

Sicut Judex sæcularis propria autoritate regulariter extrahere non potest etiam eos, quos certo credit reos excepti criminis: ita etiam Prælatus Ecclesiæ Episcopo inferior, etiamsi Jurisdictionem quasi Episcopalem habeat, aut Vicarius Capituli Cathedralis Sede vacante, tradere Curiæ sæculari non potest, quos Asyli beneficio indignos credit. Nam Pontifices volunt, ut ad solos Episcopos, eorumque Officiales, id est, Vicarios Generales, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores a Sede Apostolica specialiter vel generaliter deputati, licentiam ad extrahendos Reos dandi facultas pertineat: occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diœcesis, vel Sede Episcopali vacante, tunc ad Episcopum viciniorem k) devolvatur hæc cognitio, & non ad alios. His non obstantibus censent aliqui l), manendo in terminis Bullæ Gregorianæ non improbabile, posse Rectores Ecclesiæ etiam absque petita licentia Episcopi Reum extradere Curiæ sæculari, si clare & indubitanter constat, eum commisisse crimen exceptum. Desumunt hoc ex verbis Bullæ, quibus Pontifex Episcopis, ceterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis Regularibus, districte præcipiendo mandat, & præcipit, ut Laicos in casibus exceptis delinquentes, ad eorum Ecclesias &c confugientes, atque in eis morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando a Curia sæculari fuerint requisiti, Ministris Curiæ sæcularis absque Irregularitatis nota, aut alicujus Censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi & consignari curent, & faciant &c. Ut hæc verba cum aliis in eadem Bulla concordent, censent isti Autores Judicem sæcularem non posse Confugam ex loco Immuni extrahere absque licentia Episcopi; Prælatos autem Ecclesiarum posse eundem tradere. Verum hæc verborum interpretatio videtur minime convenire menti Pontificis: quando enim Prælati inferiores Ecclesiarum tradunt Reum; vere utique Judex sæcularis extrahit aut capit Reum ex licen-



k) Vicinior censetur, cujus Ecclesia Cathedralis est proximior, non attendendo ad majorem vicinitatem territorii.

l) P. Reiffenstuel *ad Tit. de Immunit. Eccles. n. 183. seqq.*

licentia illius Prælati, quod GREGORIUS clarissimis verbis prohibet. Cum igitur ex Gregoriana Constitutione requiratur licentia Episcopi, & expresse prohibeatur, ne ex alterius cujusquam licentia reus capiatur in Asylo aut extrahatur, ideo supra allata verba debent in sensu commodo explicari, ita scilicet, ut pro exceptis casibus Episcopi dent licentiam extrahendi, alii autem Prælati Reum extradant, prævia scilicet Episcopi licentia, aut assistant extractioni, si autoritatem ab Episcopo habeant. Hic sensus magis confirmatur per sequentes Pontifices, qui severissime cavent, ne alius quispiam Episcopo inferior licentiam præbeat, aut cognitioni se immisceat *m*). Quamvis igitur Confuga manifeste commiserit Crimen exceptum, nihilominus ex mente BENEDICTI XIII. privative per Episcopos duntaxat declarandum est, an delictum inter excepta connumerari debeat. Rationem hujus ordinationis jam olim THEODOSIUS Imperator eleganter exposuit, *Ne si multis passim hoc liceat, confusio generetur n*).

## §. CXCIV.

ui competit Cause cognio.

Potest tamen Prælatus inferior, imo etiam Laicus de crimine Rei ad Ecclesiam confugientis cognoscere *extrajudicialiter* pro capienda notitia ac specie facti, exhibendaque Episcopo informatione, qua tamen Episcopus stare non tenetur, sed debet novum Processum formare, ut possit definitive decidere, an Reus Asylo gaudeat, qui jam moratur in loco Immuni. Si vero antequam Reus ad Asylum pervenit, legitimus Judex sæcularis, cognita causa processum instituerit de crimine, potest Episcopus hoc stare, eoque pro decisione uti, an gaudeat Asylo, quia Acta Judicis sæcularis legitime facta, probant etiam in Judicio Ecclesiastico *o*). Quando autem agitur de Hæresi, aliisque ad Forum Eccle-

*m*) *Volentes, intendentes, ac expresse mandantes* (verba sunt BENEDICTI XIII.) *quod omnimoda cognitio, atque judicium de criminibus exceptis ad Episcopos tantum, privative quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat: & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint, delictum esse de exceptis, Inquisitos Ecclesiæ . . . Immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse statuimus, præcipimus, & mandamus.*

*n*) *L. 3. C. de his qui ad Eccles. confug.* Unde etiam nomine Sacerdotis Episcopus intelligi potest, quando in Legibus Wisigothorum *lib.* 6. *tit.* 5. *leg.* 16. homicida quidem ex Ecclesia potest abstrahi, *consulto tamen Sacerdote.*

*o*) *Arg. C. fin. de Except. in 6.* Ex hoc fundamento, usus aliquando fui Processu Judicis Laici contra hunc ipsum Laicum Judicem, dum quidam, cui pœnam laquei jam decretam esse sciebam, e carcere ad locum Immunem elapsus esset. Cum enim Judex eum repeteret, utpote criminis excepti, scilicet latrocinii reum; respondebam, non videri eum damnatum tanquam latronem, cum dictata sit pœna laquei, qua fures, non autem latrones plectuntur.

Ecclesiasticum pertinentibus, aut Personarum Ecclesiasticarum Criminibus; Curia sæcularis nullo modo se immiscere potest.

## §. CXCV.

Potest confuga in carcere custodiri ob indicia criminis excepti:

Si dubium incidat, an Reus gaudeat Asylo, normam in hoc negotio observandam, post GREGORIUM XIV. præscribit BENEDICTUS XIII. & sequentes Pontifices. Scilicet Rector Ecclesiæ requisitus a Judice Laico tenetur custodire confugam, donec negotium deferatur ad Episcopum: quando apud hunc a Curia sæculari super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate subministrantur indicia ad capturam sufficientia, teneatur Curia Ecclesiastica procedere ad Delinquentis extractionem ope suorum Executorum, implorato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, asportando Extractum ad suos, si tuti & securi fuerint, sin minus, ad Curiæ sæcularis carceres, nomine Ecclesiæ custodiendum; non tamen ad effectum examinis a Judice Laico instituendi *p*). Ubi vero ex processu informativo constat de crimine excepto, & adversus Extractum talia resultant indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit, quæ quidem indicia juxta regulas Juris sint *ultra torturam*, vel ex mente CLEMENTIS XII. *ad torturam tantum sufficientia q*), eo tandem casu Curia Ecclesiastica Extractum Ministris & Officialibus Curiæ sæcularis, tradere & consignare possit, ac debeat, juxta Leges Examini subijciendum. Nam in tali casu supponitur servato ordine Judiciario, & intra sphæram Jurisdictionis Ecclesiasticæ, jam certa & indubitata *quæstio Juris* quod crimen sit exceptum; & sola remanet *quæstio Facti*, an iste Confuga hoc crimen commiserit, cujus dubii ultimum examen & decisio Judici sæculari relinqui debet. Antequam autem hæc Facti quæstio legitime decisa sit, exigitur & recipitur a Judice sæculari obligatio restituendi Extractum Ecclesiæ, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, Pontifici reservatæ, si idem Extractus indicia purgaverit.

## §. CXCVI.

Vel ob vulnus lethale inflictum.

BENEDICTUS XIV. ulterius decernit, ut vulnerans aliquem, si Chirurgi grave vitæ periculum adesse retulerint, e loco Immuni servatis servandis extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restituatur, ubi vulneratus ultra tempus a Legibus constitutum superstes vixerit. Hoc ab eodem Pontifice alibi specialiter repetitur de eo, qui alium in singulari cer-

*p*) Multo minus debet permitti, ut tale examen a Judice Laico instituatur in ipso loco immuni.

*q*) In Palatinatu, ex Decreto CLEMENTIS XIII. sufficit ipsum confugium in locum immunem cum publica aliqua patrati delicti fama conjunctum.

certamine graviter vulneravit. Si enim percussor in locum Immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, & legum severitatem evadere posse prospiciatur; vult Pontifex, ut quando periti ad inspiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper Decreto Episcopi, & cum assistentia personæ Ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputatæ, ab hujusmodi loco Immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur, ea tamen lege Judicibus indicta, de qua modo dictum fuit. Cum autem idem BENEDICTUS moneat Episcopos, ne extractionem delinquentium, vel ad Episcopales, vel ad Curiæ sæcularis carceres, ubi nomine ejusdem Ecclesiæ retineantur, diutius quam par est, protrahant; ad promovendum hoc negotium concedit Episcopis, ut pro locis a Curiæ Ecclesiasticæ residentia remotis, deputent Viros Ecclesiasticos, qui indicia ad extractionem necessaria juridice colligant, ut his inspectis, iidem Antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantocyus decernendam procedere valeant. Circa eos, qui in alterius ditionis Diœcesi, quam ubi delictum commissum fuit, Asylum quærunt, & a Curia sæculari loci delicti requiruntur, supposita consuetudine mutuæ extraditionis reorum, statuit, ut Episcopus illius loci, in quo delictum commissum fuit, indicia ad capturam requisita excipiat, eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens Asylum cepit, sine mora transmittat, ut hujus scilicet Antistitis autoritate, aliisque servatis servandis, a confugii loco extrahi, ac si ita res ferat, externæ postulanti Curiæ valeat consignari.

## §. CXCVII.

Quare quod non servetur in praxi?

Hæ Ordinationes æque sapienter ac clare normam toti huic negotio præscribunt. Nihilominus etsi Constitutiones istæ secundum totum suum tenorem essent receptæ; maxima semper difficultas in nostris Provinciis orietur circa custodiam reorum ad Ecclesiam confugientium, donec ab Episcopo decidatur, an gaudeant Asylo. Nam vastissimæ sunt in Germania Diœceses: carcer Ecclesiasticus, in quo ejusmodi Reos interim custodiri jubent Pontifices, in plerisque locis extra Curiam Episcopalem non datur: ad carceres sæcularis Magistratus eos interim trahi vult BENEDICTUS XIV. nomine Ecclesiæ ibi detinendos, data cautione de iisdem restituendis, si gaudere Asylo judicentur. Verum quis adeo confidet huic cautioni etiam juratæ, ut se Judici sæculari tradi patiatur? Summi Principes æque remoti sunt, ac Episcopi: inferior Magistratus, aut militaris Præsidii Dux, quacunque cautione præstita, præjudicare non censetur Juribus sui Principis: hic igitur, ut experientia docet, cautionem ab inferiore Judice vel Magistratu datam improbat, seque ea teneri non existimat: detinebitur frequenter Reus in sæculari carcere, quidquid Episcopus de ejus Immunitate pronuntiet. Nisi majori fide & sinceritate, quam adhuc in Germaniæ

maniæ Provinciis experti sumus, inter se agant Curiæ Ecclesiasticæ & sæculares, nunquam effectum habebunt sapientissimæ Pontificum Constitutiones. In Palatinatu autem Serenissimus Elector sapientissimo Decreto constituit & Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjicit carceres quosdam in diversis locis Ditionis suæ pro numero Diœcesium, in quas excurrit Ditio Palatina r). In Bavaria vero Serenissimus Elector per Decretum, cujus supra *Cap. IV.* §. 113. facta est mentio, ratam habet, proin etiam servaturum se promittit fidem datam a Præfectis Militaribus, de reis criminum militarium non plectendis morte, aut aliqua gravi pœna corporis afflictiva, si ex Asylo extrahuntur.

## §. CXCVIII.

*Quale temperamentum possit adhiberi?*

In aliis vero locis aut casibus si Episcopus a Judice Laico requisitus, donec causa cognita decidatur, Confugam Magistratui sæculari ex prudenti diffidentia tradere custodiendum recuset: Magistratus autem sæcularis certus esse velit de custodia Confugæ, donec ab Episcopo extraditio ejusdem decernatur; Rector vero Ecclesiæ custodiam illius, ad quam plane teneretur, in se suscipere nolit: in tali casu, qui sæpissime occurrit, ægre ferri, non posse aliqui credunt, si Magistratus sæcularis Reo in Asylo constituto, custodem unum alterumve adjungeret, non quidem ea armatura (mit Obergewehr) instructum, qua militares custodiæ aguntur; sed tamen ita cinctum, ut fugam Rei impedire, & violentas, si inferre vellet, manus repellere possit: si postea Reus ab Episcopo declaretur gaudere Immunitate, custodia removenda esset. Modus hic custodiendi Reum longe convenientior videtur, quam si omnes aditus ad Ecclesiam vel Monasterium armato milite obsideantur, cum ingenti molestia, tum inhabitantium, tum eorum, qui Ecclesiam adire, vel ex ea egredi volunt. Ne tamen Judex sæcularis in alieno territorio, quale respectu ipsius est Locus Sacer, jurisdictionem contentiosam exercere videatur, declarandum, vel saltem supponendum esset, custodiam honestam Reo appositam in Loco Immuni non fieri autoritate sæculari, sed nomine Rectoris Ecclesiæ, qui ex defectu tutæ custodiæ aut virium, non potest, vel non vult securitatem præstare de servando Confuga, donec causa ab Episcopo examinetur, ac decidatur. Cum tamen etiam talis custodia absque indecentia, vel gravi molestia admitti vix possit, curandum omnino est, ut Summi Principes prævio quodam Decreto cautionem inferioris Magistratus de restituendo Reo dandam confirment, & summa fide impleri jubeant, quod plane a Serenissimo Electore Bavariæ circa reos criminum militarium factum esse diximus. Sicut hoc facile etiam alibi aliisque in casibus impetrari posse existimo; ita etiam Episcopos in approbanda hac via dif-



r) In Ducatu Neoburgico talis carcer pro Diœcesi Augustana assignatus est Neoburgi; pro Eustettensi Hilpolsteinii; pro Ratisbonensi Burglengenfeldæ.

difficiles non fore confido, ut scilicet Reus, antequam jus ejus ad immunitatem examinetur, nomine Episcopi detineatur in carcere sæculari, ubi Ecclesiasticus non habetur, datis tamen Reversalibus de eodem restituendo, si gaudere Immunitate ab Episcopo judicetur.

## §. CXCIX.

*Ut reus tradatur Judici puniendus, requiritur plena probatio.*

Indicia de crimine excepto ex dictis sufficiunt ad reum in carcere custodiendum: sed ad eundem sæculari potestati tradendum pro pœna commerita subeunda, requiri videntur *plenæ* probationes. Nam constare debet Episcopo juxta Constitutionem GREGORII XIV. an Confuga *vere* commiserit crimen exceptum: ad hoc autem requiruntur plenæ probationes, per quas certo ac indubitate constet, Crimen hoc esse admissum ab isto. Sed juxta Constitutionem BENEDICTI XIII. & recentiorum Pontificum, circa quæstionem facti, an iste homo hoc crimen commiserit, sufficiunt Episcopo *talia indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum, moraliter credi possit.* His ex Processu informativo datis, & decisa quæstione Juris de Exceptione criminis, ultimum examen, an reus indicia purgare ac diluere possit, Judici sæculari relinquitur. In quantum igitur Causa ad Forum Ecclesiasticum pertinet, deberet citari Ecclesia, seu ejus Fiscalis, item ipse Reus: agitur enim præcipue causa Ecclesiæ; interest tamen Rei, cum ipse etiam gaudeat Immunitate ratione Ecclesiæ; neque dejiciendus est possessione Immunitatis per qualescunque conjecturas ac præsumptiones non satis fundatas. Potest autem Episcopus summarie procedere, nec est necessaria libelli oblatio, solemnis contestatio litis &c.

## §. CC.

*A decisione Episcopi non datur Appellatio.*

Quando Episcopus cognita legitime causa deprehendit & judicat, Reum non gaudere Asylo, debet eum cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, tradere Curiæ sæculari, non obstante quacunque appellatione Fiscalis Ecclesiæ, vel Rei, ut vult GREGORIUS XIV. minimo tamen quo fieri potest strepitu & tumultu: nec exigunt Ecclesiastici securitatem de vita & membris. Nihilominus ob commune humanitatis vinculum, fundatumque in eo commiserationis studium, atque ut locum agendæ de facinoribus suis apud Deum pœnitentiæ habeant, intercessionis officium omitti non debet, quo tamen casu, si plus rigoris bonum publicum exigat, Judex Laicus libere dat repulsam, quamvis omnino deceat, ut Sacerdotum precibus aliquid tribuat, & acerbitatem pœnæ moderetur. Vicissim si Episcopus pronuntiet, eum gaudere Asylo, denegatur Appellatio potestati sæculari, quia in Judicio servanda est æqualitas: proin utrique parti neganda appellatio nisi sententia Episcopi sit notorie iniqua, aut Reus non fuisset auditus. Unde si Judex Laicus exigat, ut confuga arcte custo-

dia-

diatur, donec de enormitate delicti non excepti informetur Summus Pontifex; pro obtinenda facultate extrahendi, Episcopus non videtur obstrictus ad hanc custodiam, nisi concurrant circumstantiæ gravis scandali, aut nocumenti.

## §. CCI.

Quid statuatur de reo criminis manifeste excepti?

Si Criminis manifeste excepti reus ad Ecclesiam confugiat, mox moneri debet, quod Asylo non gaudeat, nec securitatem sit obtenturus. Si tamen Magistratus sæcularis ignoret, crimen esse commissum, vel delinquentem esse in hoc loco Asyli, ac proin eundem non requirat; opus non est, ut de negotio informetur Episcopus, porestque delinquenti libera concedi potestas evadendi, quo velit. Si vero Potestas Sæcularis delinquentem requirat, sibique tradi petat, informandus est Episcopus de toto negotio, qui custodito interim Reo, vel in casu criminis manifeste excepti *declarat*, Reum non gaudere Asylo; vel in dubio causa examinata *decidit*, an gaudeat.

## §. CCII.

De bannito aut contumaciam damnato ex causa homicidii?

Singulari Constitutione CLEMENS XII. persequitur Homicidii excepti Reos, & priorum Pontificum Constitutiones de Laicis solum loquentes extendit ad Clericos, de eodem crimine accusatos. Cum enim Judex Ecclesiasticus jubeatur ad Laïci delinquentis extractionem devenire, si a Curia sæculari requisitus fuerit: ex Constitutione Clementis ad id tenetur ex officio, ac nemine requirente, si delinquens sit Clericus. Si post subministrata sufficientia indicia Delinquens ad Ecclesiam confugiens traditur suo Judici custodiendus, a Judice quidem sæculari de Laico restituendo juramentum, ab Ecclesiastico de Clerico restituendo promissio in verbo veritatis exigitur. Quoties de bannito, aut in contumaciam damnato ex causa homicidii excepti agitur, juxta Constitutionem dicti Clementis XII. quilibet Judex Ecclesiasticus competens, ad illius extractionem ac traditionem faciendam procedat, solaque sententiæ contumacialis & Actorum, quibus illa fundatur, exhibitio ad hoc sufficit, ut dictus Judex Ecclesiasticus ex illorum inspectione duntaxat agnito, num istiusmodi sententia contumacialis legitime, justeque prolata sit, pronuntiare ac declarare queat, & debeat, an bannitus, & in contumaciam damnatus, consignandus veniat, necne: exacto & recepto Judicis sæcularis juramento, si Delinquens sit Laicus, Ecclesiastici vero promissione, si fuerit Clericus, de eo restituendo Ecclesiæ, sub pœna Excommunicationis, si indicia purgaverit: quod si Extractus id præstare nequiverit, Judex competens sententiam exequatur: nihilominus hæc declaratio a Judice Ecclesiastico facta in Judicio Ecclesiasticæ Immunitatis super consignatione banniti, & in contumaciam damnati, nullatenus deservire, & a nemine allegari potest in alio diverso ac separato Judicio, in quo

 scili-

scilicet de supradictæ sententiæ contumacialis executione postmodum disputari contingeret, ad quem effectum dicta declaratio Judicis Ecclesiastici perinde habeatur, acsi non emanasset &c.

## §. CCIII.

De profanatore Asyli Ecclesiastici?

Illud demum notandum est, posse nonnullos Confugas, qui ratione delicti sui, Immunitate loci sacri protegi debent, ab eo tamen extrahi, & in tuto carcere poni, quando vel loca sacra profanis operibus fœdant, vel in ipsis actu delinquere non verentur. De ejusmodi Delictis in Asylo commissis agit Edictum THEODOSII (*supra Cap. III. §. 51. & 52.*) ubi expellendi decernuntur, qui arma ad defensionem comparata deponere nolunt; qui contra prohibitionem Clericorum in Templo dormiunt, aut cibum sumunt &c. Ad eum tamen modum hujusmodi Delinquentes tractandi sunt, ne merito conqueri possint, insolentius quam oportebat, secum esse actum. Ad hos limites decentiæ accurate servandos, nihil fieri debet inconsulto Episcopo, absque cujus sententia ac jussione quemquam expelli etiam Leges Civiles prohibent s), *ne, si multis passim hoc liceat, confusio oriatur.* Ejusmodi igitur profanatores locorum sacrorum autoritate Episcopi primum monendi sunt ad discedendum t): si monitioni non pareant, vi extrahendi essent, & vel carceri Ecclesiastico mancipandi, vel alio in loco ponendi, ubi locum Religiosum turbare non possent, neque tamen directe traderentur in manus Judicis Laici.

# CAPUT XI.

## De Male Extractorum restitutione, & Pœnis violantium Jus Asyli.

## §. CCIV.

Male extracti debent reddi Ecclesiæ.

Siquis absque autoritate Episcopi injusto timore, fraude, dolo Judicis, violenter, vel etiam volens (cum nemo possit præjudicare juri Ecclesiæ & privilegio locali) abstractus ex loco Immuni fuerit, etiamsi violentia adhibita fuerit

s) *L. 3. C. de his qui ad Eccles. confug.*

t) Formulam Monitionis nomine Episcopi illis insinuandæ, ponit MONACELLI *in Formular. legal. pract. p. 2. tit. 15. form. 13.* his verbis: *Moneatur N. ad discedendum ab Ecclesia N.* (Sive loco immuni N.) *ad quam* (Seu ad quem) *confugit, & in qua* (Seu quo) *modo moram trahit, quoniam justis de Causis, terminum peremptorium ad parendum trium dierum ab executione præsentium ei præfigimus sub pœna abstractionis per vim &c.*

rit non ex voluntate Judicis, sed ab aliis qui extractum satellitibus objecerunt; ante omnia debet reddi illi ipsi Ecclesiæ, quæ per hunc actum fuit violata *w*). Non sufficit autem, si Judex sæcularis præstet cautionem de non infligenda Extracto pœna mortis, aut se offerat ad probandum, delictum esse exceptum; aut promittat restitutionem, si Episcopus causa cognita judicaverit, Reum gaudere Asylo; nec potest Extractum detinere aut punire ob alia crimina: cum enim Ecclesia sit spoliata, hæc *ante omnia* est restituenda *x*). Debet vero talis esse restitutio, per quam resarciatur injuria Ecclesiæ illata: igitur non sufficit, Reum ex carcere liberum dimittere, sed debet ad Ecclesiam reduci per eos, qui extraxerunt, & quidem publice, ut tollatur publicum scandalum, per violationem Immunitatis populo datum. Nec potest extractus renuntiare juri suo, & sponte manere in manibus Judicis, cum agatur de jure Ecclesiæ, cui confuga præjudicare non potest. Tenentur insuper extrahentes ad restitutionem bonorum, & compensationem damni inde illati Extracto, Ecclesiæ, vel aliis. Exceptionem tamen hæc omnia patiuntur, si Rectores Ecclesiarum, & Episcopi prius requisiti, criminis excepti reum custodire recusaverint.

## §. CCV.

*Pœnas extrahentium.*

Committunt violatores Immunitatis Ecclesiasticæ gravissimum Sacrilegium: & quidem juxta Leges Civiles Rei sunt criminis læsæ Majestatis *y*), capitali, & ultimi supplicii animadversione plectendi *z*); aut verberati & tonsi deportantur *a*). Juxta sacros Canones plectuntur publica pœnitentia, aut etiam mulcta pecuniaria *b*). Omnes etiam actus judiciales circa hujusmodi reum sacrilege extractum, essent ipso jure nulli, nec essent actus Jurisdictionis, sed potius violentiæ, quia omnes fundantur in captura & quasi possessione Rei, quæ omnino est nulla & irrita, ut proin Reus maneat sub Jurisdictione Ecclesiæ. Variæ ex antiquis pœnis sunt abrogatæ: viget ubique locorum

 pœna

*w*) Sicuti calix ex Ecclesia furtive sublatus, & Episcopo restitutus, reddi debet Ecclesiæ damnum passæ, ita etiam reus, quo spoliata est Ecclesia, quæ utitur Interdicto *de Homine libero exhibendo*, etiam contra Episcopum.

*x*) JOAN. FRID. KARG *de Jure sacri Asyli n.* 88. refert casum, in quo Theologi credebant non esse faciendam restitutionem, contra quam protestabantur Religiosi, ad quos post cruenta facinora confugerat homo turbatæ mentis, & cædem minitans, propterea a Magistratu Laico absque mora vinculis & carcere coërcitus, tanquam furiosus.

*y*) *L. 2. C. de his qui ad Eccles. confug.*

*z*) *L. 6. Ibid.*

*a*) *L. 2. C. de Crimine Sacrileg.*

*b*) *C. 19. seqq. XVII. q. 4.*

pœna excommunicationis, olim quidem ferendæ, nunc autem latæ sententiæ, & ipso facto incurrendæ, solique summo Pontifici reservatæ. Antequam tamen extrahens publice & nominatim declaretur Excommunicationi obnoxius, & consuetæ schedulæ affigantur, expedit præmitti citationem illius ad dicendam causam, quare non credat, declarationem esse faciendam: præsertim quia ob verbum *præsumpserit* in Constitutionibus Pontificiis positum, dolus extrahentis requiri videtur, cujus præsumptionem forte a se amovere volet extrahens. Declaratione facta, & absolutione humiliter petita, si Episcopus a S. Sede obtinet facultatem absolvendi, ea uti non debet, antequam violator restitutionem præstiterit, & Ecclesiæ satisfecerit. Quam caute autem sit procedendum ad ejusmodi declarationem contra potentiores quasdam personas, aliunde notum est.

## §. CCVI.

Incurrunt Judices &c. &c.

Has pœnas, & præcipue Excommunicationem incurrunt Judices, Magistratus & Officiales Curiæ sæcularis, qui a loco sacro aliquem delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiasticæ Autoritatis interventu, capiunt, extrahunt, aut extractum ab aliis incarcerant, vel id tantum tentaverint, effectu non secuto, etiamsi reus consentiat: qui tale quid mandant: qui ad declarandum, crimina a confugis admissa, esse de exceptis (cum id ad solos Episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere præsumunt: qui in contemptum Ecclesiasticæ Autoritatis, & Canonicarum sanctionum, præscripto ad superiores Ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias & loca immunia obsident, ac impediunt, ne ad illos, qui sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur; sive aliter eosdem in Curiæ sæcularis potestatem se dedere cogunt: qui ad carceres traditum non restituunt, quando Extractus indicia contra se allata diluerit, aut vulneratus superstes vivat: qui repellunt, & a loco Immuni excludunt confugam. Hi omnes sine alia declaratione Excommunicationi subjiciuntur, nec admittitur Appellatio contra Sententiam Episcopi declaratoriam Censuræ, donec prius Ecclesiæ fuerit satisfactum.

## §. CCVII.

Et fiunt indigni Jure Asyli.

Hos Immunitatis violatores, præter dictas pœnas & Censuras, omni beneficio & privilegio Ecclesiastici confugii & Asyli tam apud Ecclesias & loca immunia ab ipsis sic violata, quam apud alias quascunque Ecclesias, & Loca sacra & Religiosa, indignos atque privatos fore, & habendos esse, declarant nostrorum temporum Pontifices.

## §. CCVIII.

Ecclesia tamen

Si quis autem violenter ex Cœmeterio vel Ecclesia extrahatur, etiam injuste,

juste, & absque debita autoritate, nihilominus non ita censetur violatus locus, ut reconciliari debeat, modo id factum sit absque sanguinis effusione c).

non censetur indigere reconciliatione.

# CAPUT XII.

## Considerationes pro decidendis dubiis circa Jus Asyli servituræ.

### §. CCIX.

CONSID. I. Non est absolute necessarium:

*Non est absolute necessarium, ut Tribunalia Germaniæ, in Causis Asyli Ecclesiastici, sequantur stylum & consuetudinem Curiæ Romanæ.* Uniformitas Fidei omnino est necessaria per totam Ecclesiam. Nam una debet esse Fidei a Deo revelatæ regula, sola immobilis, & irreformabilis. *Hac lege fidei manente, cetera jam disciplinæ & conversationis, admittunt novitatem correctionis d).* Unde S. GREGORIUS M. ad Augustinum Anglorum Episcopum scribit e): *ex singulis quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Et in hac quidem materia de Asylo Ecclesiastico ipsi Pontifices, præsertim CLEMENS XII. & BENEDICTUS XIV. innuunt, mentem suam non esse, ut singulæ Provinciæ se obstrictas credant ad ea recipienda, quæ ipsi pro suis Ditionibus statuerunt: offerunt tamen se ad ea extendenda, si a Principibus requisiti fuerint, sicut vicissim BENEDICTUS XIV. pronissimum se diversis Provinciis exhibuit in diminuendo numero dierum festorum, quem tamen non diminuit in Urbe Romana, neque in Ecclesia Bononiensi, cujus Sedem Archiepiscopalem eo adhuc tempore retinebat. Optime enim summi Ecclesiæ Pastores intelligunt, non omnia omnibus Provinciis convenire: impossibile autem esse, ut Legislator humanus intime perspiciat, quid cuivis conveniat: proin consultum non esse, ut absque prævia particularium Ecclesiarum consultatione passim statuantur Leges pro universa Ecclesia.

### §. CCX.

CONSID. II. Decet tamen, ut reliquæ Ecclesiæ sequantur Consuetudines Ecclesiæ Romanæ.

*Decens & conveniens est, ut reliquæ Ecclesiæ sequantur Ecclesiam Romanam, quantum patiuntur receptæ & rationabiles singularum Provinciarum consuetudines.*

Cum

c) Sic rescribit NICOLAUS V. ad Saxones apud RAYNALD. *Annal. Eccles. tom.* 18. *ad ann.* 1447. *n.* 28.

d) TERTULLIAN. *de Virginib. veland. c.* 1.

e) S. GREGORIUS M. *lib. XII. Indict. VII. Epist.* 31. *respons.* 3. Refertur apud GRATIANUM C. 10. *dist.* 12.

Cum enim ad mutuam concordiam nihil optabilius, & ad Religionis Christianæ commendationem nihil utilius sit, quam uniformis Morum, Rituumque disciplina; Ecclesia autem Romana *omnium Ecclesiarum Mater & Magistra* vere sit & dicatur *f*): decet omnino & convenit, ut reliquæ Ecclesiæ a Magistra sua, a qua primam Fidei doctrinam hauserunt, Mores quoque ac Ritus hauriant, & ad se traducant; nisi forte alia consuetudo rationabilis tam altas radices fixerit, ut locum habere debeat effatum Concilii Nicæni *g*), *antiqui mores serventur*; cum sæpe periculosum sit mutare consuetudines, etiam ad substituendam meliorem. Unde considerandum venit, an & quæ incommoda oritura videantur, si norma extrahendi aut examinandi criminosos, & nominatim homicidas ad Ecclesiam confugientes, a CLEMENTE XII. & BENEDICTO XIV. pro suis Ditionibus constituta, in nostras etiam Provincias introducatur. Difficiles non erunt Romani Pontifices in his Bullis extendendis, nec damnum exinde patietur Religio aut veneratio Ecclesiarum; sed potius commendabitur MODERAMEN BENIGNITATIS, quam multi cavillantur tanquam nimiam in homines facinorosos & Reipublicæ noxios.

## §. CCXI.

CONSID. III. Concors studium Judicis Ecclesiastici, & sæcularis.

*Aeque soliciti tenentur esse Episcopi pro utilitate Reipublicæ, ac soliciti debent esse Principes sæculares de honore, ac reverentia Ecclesiarum.* Duobus his cardinibus vertitur Asyli Ecclesiastici autoritas. Concilianda est veneratio Ecclesiis, in quibus reperitur refugium contra rigorem Justitiæ: cavendum tamen, ne quid fiat in perniciem Reipublicæ, tuendo tranquillitatis turbatores Curent Principes, ut salva persistat reverentia Locis Sacris debita: Curent Episcopi, ut Criminosi, Asylo ex Pontificiis Decretis indigni, absque cunctatione tradantur Judici ad pœnam; reliqui non nisi pœnitentes & emendati dimittantur. Non sit difficilis Judex Ecclesiasticus ad permittendam custodiam Reorum: nec datam fidem violet Judex Laicus in removenda custodia, Reoque restituendo. Mutua servetur fides, & immotis utriusque potestatis terminis, concors sit studium Religionis ac publicæ salutis. Sciant sæculares, quid competat: sciant etiam Ecclesiastici, quid deceat. *Benignitas* aperiat refugium miseris: prudens ejus *Moderatio* non occludat fores Justitiæ. Nec Judex Ecclesiasticus in occultando; nec Judex sæcularis in plectendo Reo, summam sui officii positam esse existimet. Vindicet iste crimen ea severitate, ut tamen violatæ Religionis

*f*) Conc. Lateran. sub Innocent. III. relatum in *C. 2. de Summ. Trinit.* Concil. Trident. *sess. VII. can. 3. de Baptism. sess. XIV. c. 3. de Extr. Unct. sess. XXII. Cap. 8. de Sacrif. Miss., In Continuatione sess. XXV. Decreto de Delectu Cibor.*

*g*) *Can. 6.*

iis crimine se non commaculet: tueatur ille miseros, ut tamen misera non latur Respublica impunitate scelerum. Itaque ob oculos versentur non solum Canones, qui recipiunt; sed illi etiam, qui excludunt criminosos: & illi, qui normam tradunt excepta crimina detegendi.

## §. CCXII.

Cons. IV. Disciplina Asyli varia sit pro varietate temporum & Regionum.

*Convenit, ut Disciplina Asyli Ecclesiastici varia sit pro varietate temporum & ionum.* Privilegia, quæ successu temporis deprehenduntur noxia, vel ultra ntionem concedentis præjudicium inferre, possunt ac debent revocari vel ringi, juxta notissimam & æquissimam Juris ordinationem *b*). Imo licet *eficia Principalia ipsi Principes soleant interpretari*; nihilominus inspecta con entis mente, per Epiikiam locum non esse privilegio censemus, quando ex umstantiis *iniquum incipit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus i*). ima Imperatorum & Pontificum mente concessum est Jus Asyli, ut suo lo- liximus. At vero postquam ex una parte facinorosis hominibus audacia vit; ex altera parte Ecclesiarum numerus ubique auctus, & rigor Pœniten- Ecclesiasticæ vehementer mitigatus fuit: patuit, spe impunitatis magis ma- que invalescere crimina, insigni Religionis & Reipublicæ detrimento. Mo- ibatur igitur Ecclesia Benignitatem suam per posteriores Pontifices, exclu- ib Immunitate variis criminibus, severioreque identidem priorum Consti- onum interpretatione: & quidem majori rigore agi jubetur contra quædam nina in illis Provinciis, in quibus ea magis invalescere deprehenduntur. it exinde, nequaquam reprehendi debere illos Principes, vel Episcopos, severiores Pontificum Constitutiones alibi jam publicatas, ad suas Provin- extendi, vel novas omnino fieri curant, quando sceleris cujusdam fre- ntia, vel sceleratorum audacia acrioribus remediis indigere videbitur. Un- Episcopi non debent nimis anxie inhærere antiquæ suorum Tribunalium ti aut receptæ apud se Doctorum interpretationi super Constitutione Gre- iana olim editæ: Cum enim mutatæ temporum & morum circumstantiæ is remediis ad conservandam Reipublicæ salutem indigere videantur, Be- dictus XIII. sustulit omnes praxes Curiarum, & declarationes præte- s Cardinalium, novæ suæ ad universam Ecclesiam directæ Constitutioni ersantes.



) *C. 9. de Decim.*

*L. ex facto. 43. pr. ff. de vulgar. substitut.* Apte ad hanc rem Tacitus *lib. 3. Histor.* §. 55. postquam nimiam liberalitatem Vitellii Imperatoris retulerat, addit: *vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat: stultissimus quisque pecuniis mercabatur: apud sapientes cassa habebantur, quæ neque dari neque accipi, salva Republica poterant.*

## §. CCXIII.

Cons. V. In dubio favendum est Ecclesiæ:

*In dubio de Jure Asyli, favendum est Ecclesiæ.* Si dubium incidat, an Delinquens gaudeat Asylo, distinguere oportet, an dubium versetur circa Immunitatem Loci; an vero circa crimen aut personam Confugæ. De priori dubio hic loquimur: in eo enim semper favendum est Ecclesiæ, & pro Immunitate pronuntiandum, Legibus in latissimo sensu intellectis. *Nam summam esse rationem, quæ pro Religione facit*, Leges agnoscunt *k*). Cum igitur Immunitas pro augenda Religione, & fovendo Cultu Divino locis sacris adstruatur, gravissima semper ratio Judicis animum inclinabit, ut in dubio pro Immunitate Ecclesiæ sententiam ferat. Exemplum præbet Gregorius IX. *l*): proposito enim dubio, an etiam Ecclesiæ non consecratæ Asylo gaudeant, Affirmative respondit. Multa benignæ hujus interpretationis exempla, supra attulimus (*Cap. VII.*).

## §. CCXIV.

Cons. VI. Non semper Reo.

*In dubio de Jure Asyli, non semper favendum est Reo.* Separandus est favor Ecclesiæ a favore Rei, ad Ecclesiam confugientis. Semper favendum Ecclesiæ, non semper favendum est Reo. Si igitur dubium moveatur de Crimine delinquentis, scilicet an iste pro certis individuis circumstantiis, criminis excepti reus sit, distinctione opus esse videtur. Aliud enim est dubium *facti*, an scilicet commissum sit Crimen ab isto homine: & in hoc casu standum est pro Reo, cum nemo sit damnandus, nisi delictum probationibus sole meridiano clarioribus sit demonstratum. Aliud est dubium *Juris*, scilicet an Crimen, de quo commisso constat, considerata circumstantiarum qualitate, comprehendatur inter excepta. In ista rerum contingentia, non debet Episcopus moveri favore Ecclesiæ, nec inire computum Doctorum diversa opinantium: sed, etiamsi plures sentiant pro Reo, magna animi fortitudine contra Reum pronuntiare debebit, si perpensis omnibus ipsi videatur, Juris rationi & menti Pontificum conformiorem esse exceptionem Criminis. Hæc enim quæstio non tam pertinet ad causam Ecclesiæ, quam ad causam Delinquentis, qui non meretur singularem favorem, quamprimum de crimine vere commisso constat. Imitabitur Episcopus in tali casu exemplum Summorum Pontificum, qui certe non intendunt lædere Immunitatem Ecclesiarum; sed potius majoribus semper pœnis ejusdem violatores persequuntur, pluresque casus determinant, in quibus violatæ Immunitatis reos pronuntiant.

§. CCXV.

*k*) *L. 43. ff. de Relig. & sumpt. funer.*

*l*) *C. 9. de Immun. Eccles.*

## §. CCXV.

Exempli rigidioris interpretationis

Admittebant antiquiores Canones ad Asylum etiam eos, qui sine proditione occidissent proximum: dubitabatur autem, an gaudeant, qui ejusmodi homicidium vel mutilationem in ipsa Ecclesia vel Cœmeterio perpetrassent? Negat GREGORIUS IX. *m*) eos gaudere, & negat hoc absque ulla injuria Ecclesiæ, utpote cujus favor hac in re non versatur. Dubium ex hac ipsa decisione movebatur novum, an eo tantum casu homicidium vel mutilatio in Ecclesia facta censeatur, quando uterque, tam interficiens, quam interfectus intra Ecclesiam fuerit: item an ejusmodi homicida ab ea solum Ecclesia, quam violavit, an ab omnibus aliis excludatur? benignius sentiebant multi, ne causæ favorabili minus favere viderentur. At vero BENEDICTUS XIII. bene perspiciens, non de favore Ecclesiæ, sed de commodo & libertate sceleratorum agi, severiore interpretatione declaravit, non tantum a violata, sed ab omnibus Ecclesiis excludi occidentem vel mutilantem, sive uterque, sive alteruter, occidens aut occisus, in loco sacro steterit. GREGORIUS XIV. expressis verbis ab Asylo excludit homicidas *Laicos:* BENEDICTUS XIII. non quidem nominat Laicos; de Ecclesiasticis saltem mentionem non facit: CLEMENS XII. expresse nominat *Ecclesiasticos;* & BENEDICTUS XIV. hac voce etiam *Religiosos* comprehendi declarat: neque hac severiore declaratione Ecclesiarum Immunitatem violari censebant hi Pontifices, eadem æquitate viris mulieres æquiparantes, quas inepto Religionis prætextu extrahere aliqui ex Ecclesia verebantur, quia Pontifices, quando de criminibus exceptis agunt, masculino genere utuntur. Magnis animis decertabant Doctores, quinam intelligantur *proditorie* occidisse proximum, ut excludi ab Asylo mereantur. Ne opus esset ex Cicerone aliisque Latinæ linguæ Principibus commentarios de genuino *proditorii* homicidii intellectu texere, addidit BENEDICTUS XIII. interficientes animo præmeditato ac deliberato. Ad tranquillandos animos Doctorum nimia Religione sceleratis faventium, comprehendit CLEMENS XII. etiam eos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisioni præbuerint: item committentes homicidium *in rixa*, cum instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, quibus instrumentis BENEDICTUS XIV. annumerat etiam baculum & saxum. Hac ratione minuitur numerus eorum, qui pœnis legum eripiuntur; non tamen minuitur veneratio Ecclesiarum.

## §. CCXVI.

Præbent Summi Pontifices;

De publicis grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, plurimæ agitabantur lites inter Doctores, qui se violatæ Immunita-tis



*m*) *C.* 10. *Ibid.*

tis pœnas incurisse credebant, si indignum Asylo pronuntiarent eum, qui semel tantum latrocinium commisisset, vel in locis sesquipalmi spatio a publica via remotis. Scrupulo eos liberat BENEDICTUS XIII. declarans, *unicam* grassationem sufficere, & quidem in via *vicinali*. Antiquiores Canones excludebant *Assassinos*: Doctores, solo verborum cortice considerato, religioni sibi ducebant, si Christianum pretio ad occisionem conductum, aut illum, qui occisionem Assassino mandaverat, vi horum Canonum ab Asylo extrahendum dicerent: legebant enim in Lexicis, per *Assassinos* intelligi certum Syriæ populum, ad quem non pertinerent Christiani Europæi pro pretio occidentes, vel occisionem mandantes; aut saltem crimen consummatum non esse, quando pecuniæ quidem promissæ, nondum tamen solutæ fuissent; proin Immunitate indignos juxta hos Canones censeri solos Syros, aut saltem eos solos mandantes, qui promissum de pretio dando implevissent. Verum GREGORIUS XIV. rationem & animam Canonum, mentemque Legislatorum præ oculis ponens, per *Assassinos* intelligit etiam Christianos, & Europæos, ejusmodi operam pro pretio locantes: BENEDICTUS XIII. comprehendit etiam Mandantes, qui mercedem promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium reipsa patratum fuerit. Circa modum disceptandi de Criminibus exceptis, acerrime disceptabant inter se Doctores, & perplexos reddebant Episcopos varietate doctrinarum: Pontifices vero, ut supra annotatum, ita terminabant has disceptationes, ut semper minus requisiverint ad Reos Judicibus sæcularibus tradendos.

## §. CCXVII.

[...]os se[...]entur [...]i Episcopi.

An igitur errare censebitur Episcopus, si Romanos Pontifices, acerrimos Immunitatis Ecclesiasticæ Custodes & Defensores in dubiis de Jure Asyli decidendis imitetur? Non id quidem tribuimus Episcopo, ut crimen sub nullo Canone aut Constitutione Pontificia comprehensum, sola sua autoritate ab Asylo rejiciat: id solum adstruimus, sanctissime & juxta exemplum Summorum Pontificum facere Episcopum, si insuper habitis benigniorum Doctorum opinionibus, in casu contingente refugium in Ecclesia neget illis, quorum exclusionem conformiorem judicat, non soli verborum sono, sed menti & intentioni Canonum aut Pontificum, consideratis præcipue suorum temporum moribus, & vitiorum frequentia, ad quam coërcendam severitate opus est. Invaluit enim apud plerosque Juris Canonici Interpretes principium illud, Jus Asyli esse favorabile, consequenter absque ulla distinctione, quam modo insinuavimus, in dubio pronuntiandum esse pro Reo, qui Immunitatem in Loco sacro aut Religioso quærit. Hoc principium absque ullo discrimine acceptum, nequaquam pro fundamento Immunitatis Ecclesiasticæ assumendum, sed potius Spiritum Canonum, mentem Legislatorum, & salutem publicam attendendam

cen-

censebant Pontifices: qui proin in dubiis emergentibus, non obstante benigniore & communiore Doctorum opinione, severius interpretabantur antiquiores Canones contra Reum, quando potius de hujus, quam de Ecclesiæ favore agi videbatur. Hanc Judicii normam ut sequantur Episcopi, Reipublicæ profanæ & sacræ plurimum interest, cum ratio restringendi Asylum, quam assignant Pontifices, vehementer adhuc urgeat, scilicet hodiernorum temporum corrupti Mores & vitiorum frequentia, quam alit spes impunitatis.

## §. CCXVIII.

Si limitibus hactenus memoratis Ecclesiarum Immunitas coerceatur, hæc adeo non nocebit Bono publico, ut potius illud summopere promoveat. Sic etenim excitatur in subditis templorum reverentia: in Judicibus optanda Servatoris nostri mansuetudo imitationi exponitur: animantur rei ad Misericordiam Supremi Numinis implorandam: frangitur protervorum superbia, & salutaribus pœnitentiæ exercitiis tumida colla submittuntur: datur locus opportunus Clementiæ, ut Justitiæ tamen via non præcludatur: Servantur vitiosi, ut tamen emendentur vitia: tolluntur pessimi scelerum fructus, ut tamen arbor non eradicetur: ita reis parcitur, ut nolint deinceps peccare: ita spes veniæ ostenditur, ut impunitas non permittatur. Adeo opportune Justitiæ rigor lenitate temperatur, ut vere commendetur Ecclesiæ

Conclusio.

BENIGNITAS MODERATA.

# Animadversiones Editoris.

Ad *Cap. II. §. XXXVI.* Mos iste damnatos interficiendi sine Eucharistia prius concessa etiam in Germania obtinuit, atque ita quidem ut Sec. XV. et XVI. ejusdem vestigia adhuc occurrant: id solum permissum, ut Eucharistia per viam ad supplicium adoranda in solatium aliquod monstraretur; aliqua adducere sufficiat ex *Glossario* Cel. HALTAUS voce: *Sacrament.* In der Nachricht von dem Kirchl. und Polit. Zustande der Stadt Hamburg in den ältern „Zeiten P. 1. p. 392. dicitur: Anno 1424. stifftete Herr Erich de Tzevena . . „3. Mark Geldes jährlicher Rente, davor der Karchhere unter der Klufft (i.e. „sub crypta Templi Cathedralis) den armen Lüden, die umme Missedat willen von dem Rade to den Dode urdelet seyn, dat heyl. Sacrament wysen etc. „*Variloquus Erfurt.* ad ann. 1514. de Doct. *Bertholto Bobenzahn* Syndico morti „adjudicato inquit: ad locum supplicii usque productus, ubi invia, ut bonum



„Chri-

„Christianum decet, devotissime se habuit, supplicans, sibi injurias, siques ulli „inflixisset, propter Deum indulgeri etc. item circa chorum Monasterii Servo„rum Mariae Venerabile Sacrum Eucharistiae est sibi delatum, ac per Fratrem ejus Ordinis devotissime ostensum etc. in MENCKEN *Script. T. II. p. 528.* De Consuetudine eadem apud Argentoratenses vide WENCKER *in Additam ad Mallinkrot de Archi-Cancell. p. 434.* ubi, dum eidem se opponeret virtum in ea urbe a Zelo suo commendatus *Keysersbergerus*, atque anno 1483. per li„teras a Senatu contenderet; der armen Lüth halb so zu dem tod verurteilt „werden, daß inen zugelassen werd Entpfohung des h. Sacraments und „Christenlich Begrebde; pro responso tulit: Erkannt, lot es bliben, wie har„kommen, also das Sacrament zeigen. Rem postea quoque ursit *Albertus* Episcopus, atque, siquid dubii esse posset, etiam Consilia ejus aetatis Juris Sacri peritorum exquisivit, donec Senatus demum cederet, et Eucharistiam triduo ante mortem damnatis praeberi permitteret. Celeberrimus a Sanctitate et Zelo verbi divini praeco *Joannes Capistranus* infelicium quoque causam peroravit, de cujus hortatibus et consilio hac in re mentionem facit *Wilhelmus* Dux Saxoniae in constitutione propterea edita, in qua abrogato priori rigore et ipse reis concedi Eucharistiam permittit, in SCHÖTTGEN et KREYSIGII *Script. Hist. German.* T. I. p. 527. seqq.

*Ad Cap. IV.* §. *LXXXV.* Cruces etiam olim peculiare pacis publicae signum fuerunt, atque in eum finem speciatim sunt erectae, ita jus Municip. Sax. Art. IX. „Das ist das Urkund, wo mann neue Stat bauet oder Marckt „machet, das mann da ein Creuz setzet auf den Marckt, durch das man sehe, „das Weichfride da sey.„ *in Johann. Episc. Traject. Diplomate* anno 1272, quo *Swedero de Bosinchem* Militi concedit jus in territorio *Vianen* duas nundinas constituendi: „protestantes, quod omnes ad ipsas nundinas venientes undecunque, „cum personis rebus ac bonis suis omnibus in terris et in aquis veniendo ..... „tribus diebus, antequam crux ipsarum nundinarum erigatur, et tribus die„bus, postquam deponitur ipsa crux, in protectionem nostram et Ecclesiae „Trajectensis recipimus in *Matthaei Tr. de Jur. Glad p. 375.* et ibidem p. 415. in Statutis oppidi *Wyck* anno 1300. praeterea omnes mercatores illuc ad nun„dinas venientes triduo ante crucis erectionem et triduo post crucis depositio„nem .... firmum conductum habebunt et securum veniendi, manendi, re„cedendi, nisi tunc talia commiserint, vel deliquerint, propter quae merito „sint detinendi. Ob eandem causam etiam a Germanis alia quoque signa erecta sunt, uti *vexilla*, unde die Frey-Fahne, Fried-Fähnlein, *statutae* aut *columnae*, unde die Fried-Säule, de quibus vide HALTAUS ad has voces, ubi documenta illas illustrantia refert.

Ad

*Ad Cap. IV. §. CXI.* Ut uberius constet, qua ratione in Palatinatu post Bullam *Clementis XIII.* de qua Auctor mentionem facit, procedatur literas Reverendissimi Vicariatus hac de re datas subjungendas putavi, sunt autem sequentis tenoris:

Wir Bischöfflich Wormbsischer Vicarius in Spiritualibus Generalis, Provicarius, Officialis, geistliche Räthe, Siegler und Assessores &c.

Es bleibet denen samtlichen Land-Dechanten und Pfarrern hiesiger Bischöfflichen Dioeces und Churpfälzischen Territorii hiemit unverhalten, wasgestallten von Ihro dermahlen regirenden Päbstlichen Heiligkeit Clemente XIII. Ihro Churfürstl. Durchleucht zu Pfalz auf Dero gehorsamstes Bitten vor samtliche Ihro Landen eine besondere Bull, anfangend, Inter graviores Apostolicae sollicitudinis curas &c. ertheilt worden, in Gefolg ein oder mehrere Carceres Ecclesiastici zu Mannheim in domo correctionis ad S. Michaelem sub jurisdictione Episcopi errichtet, und die aller Orten ad loca Asyli geflüchtete Delinquenten praevia summaria cognitione et extraditione a potestate Ecclesiastica facta dahin gebracht, und nomine Ecclesiae allda verwahrlich aufbehalten werden sollen, bis dahinn der Judex Ecclesiasticus formato processu erkannt, und per sententiam in scriptis gesprochen haben wird, constare de crimine excepto, ob folgsam der Delinquent Curiae saeculari zur Bestraffung zu extradiren, oder ob ad locum Asyli zu remittiren seye.

Dises nun zu faciliciren und in Extrahirung der ad Asylum geflüchteter Reorum desto geringere Aufzüglichkeit zu machen, haben Sanctissimus dem Episcopo oder dessen geistlichen Vicariat die speciale Vollmacht ertheilet, samtlichen Land-Dechanten und Pfarrern in Dioecesi die Cognitionem: an reus profugus in Asylo existens potestati saeculari sit extradendus in ordine ad eum ducendum ad carcerem Ecclesiasticum subdelegiren zu dörffen, nach vorhero ihnen gegebenen Instruction wie sie sich in dergleichen Fällen zu verhalten haben; welche subdelegation dann hiemit an alle und jede Catholische Pfarrer, so in Churpfälzischen Landen Pfarreyen besizen oder unter sich haben, hiemit geschihet, und solche von Bischöfflichen Vicariatswegen an die hierunten folgende Normam verwisen und deren in allen Stücken sich gehorsamlich zu fügen hiemit angehalten werden.

1mo. Wo sich der Casus ereignet, daß ein Delinquent in eine Kirchen, Closter, oder sonstigen locum immunem Ecclesiasticum sich flüchtet, derselbe kann allda von weltlicher Obrigkeit nicht examinirt, verhört, noch weniger gefänglich ergriffen werden, bey Vermeydung der Excommunication, sowohl von Seiten des hierzu connivirenden Superioris loci immunis, als auch der Saecularium, die etwan solches sich unterstehen wollten;

wollten; welches ihnen gleich von Anfang zu intimiren, und gegen allenfallsige Gewalt feyerlichst zu protestiren, und die Jura Ecclesiae, vel loci immunis zu praeserviren seynd.

2do ist in tali casu abzuwarten: ob von seiten weltlicher Obrigkeit eine schriftliche Requisition geschehe zur Ausliefferung des geflüchteten Delinquenten, welchenfalls Land-Dechant oder Pfarrer überhaupt per famam publicam oder sonstige probation sich zu belehren hat; ob ein Delictum de exceptis per Bullas Pontificis *Clementis XII.* et *Benedicti XIV.* würcklich geschehen, und der profugus ad Asylum dessen verdächtig seye; sofort gibt solcher ein decretum in scriptis, quod sit locus ejus abductioni e loco Asyli ad Carcerem Ecclesiasticum. So mithin

3tio wird derselbe facta hujus decreti insinuatione an den weltlichen Beamten, von Dechant oder Pfarrer e loco Asyli geführet und der weltlichen Wacht zur weiterer Bringung ad carcerem Ecclesiasticum überliefferet; vorhero gleichwohl von weltlichen Beamten ein Revers begehrt, und der Reus anderst nicht extradirt, als, quod non debeat obduci alio quam ad carcerem Ecclesiasticum, ut ibidem a Judice Ecclesiastico examinetur super qualitate commissi delicti et cognoscatur, an perpetraverit unum de criminibus exceptis, vel an ad locum Asyli sit restituendus.

4to ist ein dergleichen Vorgang von Dechanten oder Pfarrern sogleich den Bischöfflichen Vicariat anzuzeigen um den Reum in carcerem Ecclesiasticum aufnehmen und versorgen zu können, welches auch von Orten zu verstehen, wo Ordens-Clöster befindlich und ein Delinquent in selbige flüchtet, gestallten denen Superioribus Monasteriorum die geringste Jurisdiction über dergleichen profugos nicht gebühret, sondern denen von Uns subdelegirten Land-Dechanten und Pfarrern zukommet, welche mit den Reis angezeigter massen cognoscendo et extradendo zu verfahren, und die sich etwan opponirende Superiores Monasteriorum mit Censuren zu belegen

5to sollte ein Delinquent freywillig des Juris Asyli sich begeben, und e loco immuni auftretten wollen; wäre derselbe hieran im geringsten nicht zu behindern, sondern ihm die Austrettung zu jeder Stund und Zeit ohnhinderlich zu belassen, also jedoch, daß keinen kein Anschlag oder Hülff zu weiterer Flucht gegeben werde, massen die Kirch nicht gemeinet, die Laster zu hegen, sondern die Sünder zur Erkennung ihres Fehlers, wahrer Bereuung und Buß zu bringen, und keineswegs der verdienten Straf von dem weltlichen Richter, wann diser durch gerechte Wege ihrer habhaft werden kann, zu entziehen.

Finis.

Finaliter bleibt ihnen Land-Dechanten und Pfarrern Krafft Bischöfflicher Uebertragung ex speciali Pontificis indulto diese Subdelegatio in perpetuum übertragen; man versihet sich aber, daß sie in materia hac non adeo obvia sich in Bullis Pontificiis und Canonisten fleißig umsehen, und was den Locis immunibus et reis eo perfugientibus für Privilegia zukommen, hingegen was für Kirchen-Censuren denen Violatoribus zu Last ligen, genugsam belehren werden, und wohimitten samtliche auch deren criminum exceptorum halber desto besser unterrichtet seyn mögen, so werden solche hirunten angefüget. Signatum Worms den 24. Oct. 1760. Sequitur dein Catalogus criminum exceptorum ex Bullis Pontificiis in Dissertatione praecedente satis expositus. Coronidis loco mentio injicienda est quoque privilegii, saltem ut novellae publicae retulerunt, a *Clemente XIV.* Regi Hispaniarum concesso, vi cujus in qualibet civitate, ubi plures Ecclesiae existunt, uni tantum ab Episcopo designandae jus Asyli relictum fuit eodem reliquis abrogato; quod sane adeo paradoxum videri non debet, cum Auctor non sine fundamento ex pluribus privilegiis particularibus in Dissertatione conjiciat, jus Asyli etiam in Germania quondam ad omnes promiscue Ecclesias extensum non fuisse; privilegia enim ejusmodi specialia pro quadam Ecclesia aut Monasterio frustranea fuisse cuivis in aprico esse debet.

# VIII.

JOANNIS PHILIPPI HAHN U. J. D.
Pandectarum in Univ. Mogunt. Prof. Publ. et Ordin.

VEL RESPONDENT.

JOANNIS BAPTISTAE MAURITII LUDOVICI CARL

DISSERTATIO

DE

## ANCIPITI IN TERRIS VEL CIVITATIBUS MIXTAE RELIGIONIS ASYLORUM JURE.

*Mogunt.* 1755.

### *CONSPECTUS DISSERTATIONIS.*

### PARS PRIOR.

I. & II. Præfationis loco præmittitur.

### Caput I.

De origine, & progressu Asylorum.

I. *ASYLI Etymologia investigatur.*
II. *Definitio sistitur.*
III. *Origo, & antiquitas demonstratur.*
IV. *Usus ex Veteri jam Testamento eruitur.*
V. *In Novo Test. Episcopis pro reis intervenientibus tribuitur.*

VI. *Evin-*

VI. *Evincitur Asylorum jus a Benevolentia Principum secularium pendere.*

VII. *Canones obstantes enervantur.*

VIII. *Imperatoribus competere probatur.*

IX. *Assertum ampliatur.*

X. *Omne jus Ecclesiæ circa Asyla condenda denegatur.*

XI. *Jus tamen adstruitur quæsitum.*

## Caput II.

### De natura & indole Asylorum.

I. *Qualis sit Asylia hodie, explicatur.*

II. *Rationes impugnantes Asylorum justum exercitium proferuntur.*

III *Et Eluduntur.*

IV. *Comprobatur firmis Argumentis.*

V. *Fit reflexio in Constitutiones Pontificias observata Historiæ Analogia.*

VI. *Quis Judex sit in controversiis desuper ortis*

VII. *Et quis aperire nova possit, eruitur.*

VIII. *Proponitur quæstio: An Imp. possit tollere jus Asylorum.*

IX. & X. *Rationes dubitandi afferuntur.*

XI. *Rationes decidendi suppeditantur.*

XII. & XIII. *Enodantur argumenta contraria.*

## PARS POSTERIOR.

§. Unicus.

Transitionem continet, & disponit lectorem ad ulteriora sequentia.

## Caput I.

### Rationes dubitandi negativas subministrat.

I. *Quæstio movetur: an obtineat jus Asylorum in terris mixtæ religionis.*

II. *Figuratur I. Casus.*

III. *Formatur II. Casus.*

IV. *Sententia prior exponitur.*

V. VI. VII. VIII. IX. X. & XI. *Argumenta in medium proferuntur pro stabilienda negativa.*

## Caput II.

### Rationes dubitandi Affirmativas adstruit.

I. *Opinio posterior affirmativa sedem figit.*

II. III. IV. & V. *Rationes enarrantur.*

VI. & *Final. Conclusio materiæ fit, & dissertationis abscissæ finis dilucidatur.*

# PARS PRIOR.

## §. I.

Delicta suos teneant Auctores: & ubi delictum, ibi pœna sit. *ex l. 51. §. II. ff. ad L. Aquil. l. 26. C. de pœnis.* in vulgus longe notissimum sonat; quin jus Naturæ ferventer postulare, scelera puniri nemo, nisi a veræ rationis sensibus alienatus, est, qui inficias eat.

Interesse autem nonnunquam, ut delicta quædam, vel omnino non, vel mitius puniantur unicuique pariter ad oculum luculentissimum est: sic non infrequenter crimina a pœnis vel exempta deprehendimus, intellige, per aggrationem Principis ex justa causa descendentem, vel saltem supplicium perpetrato facinore in se spectato leviorem infligi propter circumstantias quasdam noxæ atrocitatem mitigantes.

## §. II.

Inter alios, quibus criminibus conniveri videtur, modos sunt nobis ASYLA Ecclesiis maxime indulta celeberrimi nominis ac famæ, quæ crimina a pœnis liberant, delictisque veniam promittunt. De quibus impræsentiarum agendi animus est. Et quidem ut a capite ad calcem & a radice rem pervestigemus, dispicienda breviter venit essentia ASYLORUM. Unde sit

CA-

# CAPUT PRIMUM.

## De origine, & progressu Asylorum.

### §. I.

ASYLI Etymologiam, ut obscura a claris, clara ab obscuris prope secernamus, si paucis perpendere licet; ASYLUM græco vocabulo ἄσηλον vel ἄσυλον continetur, & componitur a particula privativa ἀ & verbo σηρεῖν, quod trahere vel extrahere, vel magis συλάω, quod vi rapere, eripere denotat. SERVIUS *in 2. Æneid.* GOTTOFRED. *de ædil. edict. ff. ad l. 17. §. 12. Not. 7.* SCHRADER. *lexic. verb. Asyl.* Itaque ASYLUM significat locum a violentia securum.

Quamvis enim ubique in reum inquirendi, & eundem vinculis mancipandi, atque authoritate publica pœnæ subjiciendi facultas judici detur, quin reo vis fieri dicatur: apparitoribus quoque, SI SE TELO DEFENSIT, QUIRITATO, ENDOQUE PLORATO, POST DEINDE SI CÆSI ESCINT, SINE FRAUDE ESTO. CIC. *pro Mil. III.* GOTTOFRED. *ad leg. XII. Tab. II. pag. 6.* apparitoribus inquam si fur armis instructus deprehendabatur, licebat impune apud Romanos occidere resistentem, ea tamen lege, ut apparitor QUIRITARET prius, ENDOQUE PLORARET, id est, ut solennem illam ingeminaret formulam: QUIRITES VOSTRAM FIDEM, vel PORRO QUIRITES. *videatur porro* HEINECC. *in antiquit. l. 4. T. 1. §. 9. ibique ad hunc locum cit.* Ab hac tamen facultate exercenda, loca Deo dicata, de quo mox propius, capiendi vel abducendi reum, voluntatem excludunt, & libertatem præstant. IMMUNIA, quasi libertatem a publico munere, vel onere habentia, *l. munus 18. ff. de V. S.*

### §. II.

Et hinc ASYLUM, seu ASYLIA fors bene nobis sonat, quod sit JUS, vel EXEMTI , qua loca Ecclesiastica a muneribus, sive ONERIBUS sæcularibus libera sunt, atque hæc jam proprio nomine appellatur, IMMUNITAS ECCLESIARUM, quo nostra collimat intentio. Neque enim de PERSONALI, subqua FORI, & CANONIS comprehenditur Privilegium, aut REALI immunitate, quæ res Eccles. concernit, dicere nobis cordi est, sed in his aliis locum facientibus de LOCALI unice post hac Sermo & Scopus erit.

## §. III.

Quod jam ASYLORUM originem spectat; antiquissimam eorum consuetudinem, ac usum fuisse legimus: ut adeo Gentilibus jam cognita, aris, focisque suis, quibus singularem exinde prærogativam, & cultum deferre studebant, simile jus tribuentibus, atque idem maxime defendendum arbitrantibus: unde dictum illud: pro ARIS, FOCISque dimicare contra violatores enatum esse non incredibile videtur. Interim NEPTUNI, fanum in TORNARO, VENERIS in PAPHO, JOVIS templa apud Straticonenses, & Ithacenses &c. in Canopo HERCULIS, OSIDIRIS in ÆGYPTIO tota, DELPHICI APOLLINIS, & DIANÆ EPHESIÆ templa religione sua præsidio, ac saluti miseris, & nocentibus profuerunt. ATHENIS ARAM misericordiæ ignoto cuidam Deo erectam commune omnium confugium præstantem fuisse ex Historia dudum constat. ROMULUS quoque ad reorum confugium in Palatino, & RHEMUS in AVENTINO locum refugii libertatis Numini defoverunt, & quanta Religione testatur AULUS GELLIUS *l. 10. noct. att. C. 15.* Romani vinctum, si Flaminis Dialis ædes introiisset, solvi quantocius jusserint, atque inde foras dimitti.

Imo Impp. divinitatem stulto studio affectantes non modo templis & statuis suis (ut AELIUS LAMPRIDIUS in vita HELIOGABALI scribit) jus idem ceu divini characteris consectarium attribuerunt. Eruitur ulterius Asylorum consuetudo ex Jure nostro Romano: Scil. *l. si Dominus 2. ff. de his, qui sui vel alieni &c. l. 17. §. 12. de ædil. edict. l. 5. ff. de extraord. crim. l. 38. ff. de injur. l. 28. §. 7. de pœnis. §. ult. J. de his, qui sui &c. l. 3. & 6. C. de his, qui ad Eccl. l. unic. C. de his, qui ad statuas &c. item l. unic. C. Theodos. eodem.*

## §. IV.

Si jam veteris scripturæ sacræ documentis & sacræ Gentilitatis exemplis inhærere paulisper velimus, ex libris Moysis ASYLORUM usus facile constabit. Hic præterquam quod urbes refugii auctoritate Divina in Repupl. Hebræorum ordinatas asserat *Num. 15.* Asylum Altaris *Exodi 21. v. 14.* jam introductum fuisse supponit. Similia non obscure indicantur *2 Reg. v. 28.* innumera alia apprime huc facientia & ab aliis fusius jam notata salva pace, ne instituto longiores simus, præterire nefas non erit.

## §. V.

Quo autem proprior ad tempora nostra passus fiat, atque res clarior evadat: scire brevibus expedit, & revocare ex historia Ecclesiastica juvat ASYLA ad testamentum novum imitando veterem legem non quidem cum ipso Ecclesiæ

æ exordio plene transiisse, sed præcipue pro reis tum intercedere consue-
: tantum Episcopos apud Principes sæculares, uti id declaratur ex Concilio
licensi circa medium Seculi IV. Canon. græcis 7. DIONYSIO EXIGUO 8.
ı arbitrati pastorali id maxime officio, & muneri suo convenire, prout S. AUG.
t. 153. respondens Macedonio in hæc verba rescribit: quod si (ait N. 6.)
quis & sceleftis ille (Deus) parcendo, eisque vitam salutemque largien-
, etiam plerisque eorum, quos novit, non acturos pœnitentiam, tamen
hibet patientium; quanto magis nos in eos, qui correctionem promittunt,
:erti sumus, misericordes, esse debemus, ut rigorem vestrum pro eis in-
·cedendo flectamus. Idem fere asserit S. CHRYSOSTOMUS *Hom. 15. in*
*t. 2. ad Corinth.* huic consonat S. AMBROSIUS *Epist. 25. & 42.*

## §. VI.

Secundo satis manifeste evincitur ASYLORUM jus in primitivæ Ecclesiæ
u neutiquam pependisse ab auctoritate Ecclesiæ, sed a bevevolentia Princi-
n, & Magistratuum secularium, ad quos frequentes intercessiones pro reis
SS. ædes confugientibus fiebant, totum quantum profectum fuisse.

Neque Ecclesia unquam ullam sibi in hac materia potestatem vendicasse pri-
us, vel decreta edidisse legitur, quo Asyli jus Ecclesiis competere doceret, vel
ıd mo:.ficando, ampliandove studuerit: sed continuo id omne ex præscripto
incipum dimensam esse, & se totum in hac re legibus Laicorum submisisse.
nf. van ESPEN *in diss. can. de Asylo templ. c. 1.* §. 5. PETER ÆROD, &
RPI *de Asyl. c. 1. fol. 19.* BESOLD. *in delibat. lib. 2. tit. de Asyl.* KE-
ERMANN *lib. 1. Politic. cap. 17.* Contra communem canonistarum dis-
t: rem ex primis principiis non sedulo scrutantium, sed cæco zelo fere
ıce ductorum. Accedit porro & ratio, quæ principi ut ministro justitiæ
testatem illimitatam tribuit; cum Deus gladium ad punitionem & coërcitio-
m delinquentium ipsum portare jusserit, nec ullibi propter cultum in tem-
s, aliisque locis Deo dicatis exhibendum restrinxerit, vel minimum limiti-
s quibusvis circumscribere intenderit: sed Principem eo uti indeterminate
luerit, prout tranquillitas publica, & pacis conservatio, quod summa justi-
audit, desiderare sapienter judicarit. Ulterius non sinistre putemus, non
ısse tum temporis penes summos Episcopos minimam potestatem jus ASYLI
oddam arrogandi. Qua enim ratione Ecclesias ab administratione Justitiæ
ıeras pronuntiare valuissent? quo fundamento? certe fidei non: alias vel
jure divino quodammodo descendere, quod Ecclesiæ interpretari est, asse-
rari deberet, quod nemo facile dixerit: vel materiam fidei esse, quæ deter-
inandа Ipsius conveniret, & ad quam omnis illorum potestas reducitur, sed
que hoc sale sanærationis imbutis, & veritati assuetis auribus placebit. Con-
fe-

sequenter nullo modo a potestate Ecclesiastica promanare, vel promanare potuisse, imo nunquam cogitatum esse ab Ecclesia de hujus prætensione, prout supra audivimus, satis constat, nisi illos excipias, quibus adulandi studium tantummodo in corde & ore residet.

## §. VII.

Neque vulgatissimi jam canones jus ASYLI Ecclesiis abs auctoritate Principum secularium accedente attribuentes quidquam officiunt, sed magis fulcire asserta videntur; & quidem inter Canones a GRATIAN. relatos CXVII. Q. 4. Se se prodit primo loco can. 6. Decretum sub nomine NICOL. Pontificis, tum Can. 8. Epist. AUGUST. ad BONIF. 187. continens, rursus can. 10. fragmentum Epist. sub nomine GELASII Papæ VICTORI CONSTANTINO &c. inscriptæ.

Can. II. Epist. EPIPHANIO Episc. tributam exhibens.

Ulterius Can. 19. ex concil. ILERDENSI depromptus,

Can. 20. sub nomine concil. TIBURIENS.

Can. 21. relatus nomine JOANNIS VIII.

Can. 35. allatus sub nomine concil. TOLETAN. XII. C. 12.

Hi & plures alii in decreto GRATIANI memorati Canones, quos hic recensere longa serie supervacaneus labor foret, vel suppositi, vel juniori manu effícti, sive infideliter inserti, aut facile responsione absolvendi sunt; merentur autem pro more suo solide declarati, & firmiter confutati legi in *alleg. supra diss. Can. tom. 2.* BERNARDI VAN ESPEN toto *c. 3.*

## §. VIII.

Pronum itaque est, cum Ecclesiæ nec factum ASYLORUM jura invehens, vel Constituens, nec potentiam propria auctoritate sua simpliciter considerata ASYLA condendi permittimus, concludere ac legitime inferre: Potestati seculari id jus adscribendum esse, & creaturam juris positivi humani secularis nuncupandam esse, consectarium est, a qua primario etiam dimanasse notamus, puta, CONSTANT. M. cui cum EUSEB. *l.b. 9. Hist. Eccl. 10.* Hanc laudis prærogativam non denegamus. Atque lex condita hæcce sub THEOD. M. inconcussa stetit, *l. 1. c.* Theod. *de his, qui ad Eccl. confug.* ARCADII postmodum temporibus, *pergit* SOCRAT. *l. 6. Hist. c. 5.* EUTROP. EUNUCH. IMP. ARCADIO Auctor fuit, (rationem impulsivam EUTROPII judicare jam nolumus: varii varia) legis hujus rursus abrogandæ, & novæ contrariæ promulgandæ, cujus fragmenta dispersim secundum JAC. GOTHOFRED.

FRED. ſub variis titulis Cod. Theod. *extant ſcil. in l. 3. de his, qui ad Eccl. confug. in l. 16. de pœnis in l. 32. de Epiſc. l. 57. de appell.* conf. FLEURY *l'hiſtoire Eccleſiaſtique l. 21. N. 36.* hanc autem legem ad S. CHRYSOSTOMI inſtantiam revocatam eſſe ab eodem ARCADIO volunt, non tamen eo ſenſu, quaſi per hanc conſtitutionem priorem limites poteſtatis ſuæ egreſſus eſſet, ut proinde quisquam falſe credat, hanc immunitatem ſive ASYLUM non dependere omnimode & perfecte a benignitate Imperatorum vel Principum: ſed humilibus precibus ad Imperatorem ea de cauſa delatis, ut ait Celebr D. BARTHEL *in diſſ. de jure* ASYL. §. 28 in fine, a S. CHRYSOSTOMO id effectum eſſe, oſtenſa ſatis iniquitate EUTROPIUM inſtigante, de lege contraria condenda.

## §. IX.

Progreſſu temporis conſtitutionem ARCAD. excepit, conſtitutio HONOR. THEOD. II ſeu junioris L. Fideli *2. c. de his, qui ad Eccl. l 3.* rurſus THEOD. ampliavit jus ASYLI. paulo poſt conſtitutio LEONIS IMPER. in *l. 6. de his, qui ad Eccl & occurrit*, immunitatem lege per omnia valitura conſtituens, ibique multum juvatur jus ASYLI. & pœna in violatores acerbiſſima ſcil. ultimi ſupplicii additur. Fuſius de hac Lege diſſerens vid. VAN ESPEN *cit. diſſ. c. 2. §. 6.* Item in *diſſ. alleg.* celeb. D. BARTHEL §. 30. denique harum conſtitur. Impp. de ASYL. Jur. diſponentium agmen nobis claudat NOV. JUSTIN. XVII. c. 7. Ubi itidem modus præſcribitur in ASYLORUM cautela obſervandus, & crimina quædam excipiuntur, imo TRIBON. QUÆST. S. S. PALATII & PROCONS. exceptor, crim. reos extrahendi, eisque ſupplicium inferendi facultas propria auctoritate tribuitur. conſonat *Novell.* CXVII. C. *ult.*

## §. X.

Ex his omnibus ſacratiſſimis conſtitutionibus, ex hiſtoria a multis retro temporibus petitis ſole meridiano velut clarius pateſcere, Eccleſiæ nullum jus ſuperfuiſſe, quo ASYLA ſtabiliat, imo ſibi nunquam jus arrogaſſe, quod ſatis commonſtrant Canones ſupra relati & a quibusdam vel perperam, vel affectata ignorantia intellecti, nunc vero feliciter expliciti, non obſcure conſpicimus. IMPERATORES vero poteſtate in hac re legislativa pollere dubium non eſt, cum nullibi eatenus adempta, vel conſtricta doceri poſſit, eademque per varias, ut innuimus, conſtitutionum viciſſitudines jam introducendo, derogando, renovando, ampliando, confirmandoque pleno & independenti jure uſos fuiſſe locupletiſſimo teſtimonio Hiſtoria certioratos reddit, aut quis denique perfrictæ adeo frontis, nauſeantis naturæ, & ſtomachantis ingenii dabitur, qui injuſtitiæ impietatisve admiſſæ ſacratiſſimos IMPERATOR. ſalubriter adeo ac provide decernentes arguere auſit, & jus eorum, quod a tran-

quillitate & utilitate Reipublicæ normam unicam accipit, commentitiis affertis & veritati palam refragantibus blandiloquiis obfuscare non erubescat.

## §. XI.

Neque autem parci & fere avari Ecclesiæ jus circa ASYLA plus justo denegare cupimus, sed veritatem magistram ante oculos habentibus prono calamo juri jam Ecclesiæ quæsito adstipulandum æquissime arbitramur: cum præcipue præter superiores constitutiones in favorem Ecclesiæ conceptas, quibus innititur jus originarium, præclare huc faciat *Can.* 9. C. XVII. *Q.* 4. in hæc verba: *reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare* (antea *damnare* legebatur) *ad pœnam vel ad mortem: ut honor Dei & sanctorum ejus conservetur: sed Rectores Ecclesiarum pacem & vitam ac membra ejus obtinere studeant: tamen legitime componat, quod inique fecit.*

Ubi clare hoc Ecclesiæ jus coaluit: cum translato ad inclytam nostram Nationem Imperio a Carolo M. I. Imp. Germano *in* CAPITULAR *l.* 5. *c.* 9. de unanimi voto synodi mixtæ, seu sacræ simul & Politicæ omnium ordinum congregationis anno Christi 813. Moguntiæ ejus jussu habitæ contra quorundam temeritatem, & abusum ASYLIA restabilita fuerit vid. *in decret.* GRATIAN. *cit. Can. Not. l.* & *m.* ibique plura & celebr. D. BARTHEL *in diss. cit.* §. 31. ubi in prædicta verba mentem suam aperit.

Ex quibus dum late manifestum est jus ASYLI Ecclesiæ ex jure devoluto ab Impp. competere, materiæ huic & ipsi origini enucleandæ non diutius circa principia immorari necessum erit: sed gradum facimus ad utiliora, & scopo nostro melius inservientia. Hinc sequitur.

# CAPUT II.

## De Natura & Indole Asylorum.

## §. I.

Perverstigata jam origine & existentia, cui suam debeat ASYLORUM jus, comperta, ipsam naturam & statum, in quo existunt, superioribus velut labiis degustare non cassi laboris res erit. Indoles autem versatur, sive proprietas ASYLORUM consistit in protectione reorum ad Ecclesias confugientium, quos pia Mater suo misericordiæ sinu excipit, non eo fine, ut ipsos a morte temporali liberet, & justæ secularis judicis pœnæ subducat, sed potius tum ideo recipit, ut vitam in melius mutent, ad frugem redeant & scelus admissum virtute

tute opposita redimant, atque tali modo in hac vita per pœnitentiam purgatos a vita mortali ad immortalem præparet, cum *non mortem peccatoris desideret, sed magis ut convertatur & vivat;* cum e contrario supplicium mortis temporalis plurimos periculo animæ una cum corporis exponat, prout S. AUGUST. pie advertit *Serm. 57. de tempore:* „pœnitentia, *inquiens*, quæ ab infirmo petitur, infirma est; pœnitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo, ne ipsa quoque moriatur. Tum ut cultum latrevticum hoc more promoveat; siquidem cœca adeo gentilitas tanta religione ducebatur ut grande piaculum judicaret, reos ab Idolis sculptilibus, fanisque vanissimis eripere: æquissimum omnino erit, defendi reos ad aras, in qua vero Numini verus cultus defertur, & incruentum sacrificium immolatur, & templa confugas: ne vilescere & languere Dei æterni honor ad considerationem ejus, quem Gentiles commentitiis suis Diis dudum exhibuerunt, quod sancte rescripsit NICOLAUS Pontifex *ad consult. Bulgar. Cap. 95.: Si quondam latrones*, inquiens, *& diversorum criminum rei ad* ASYLUM *Romuli confugientes indemnitatem consequebantur, quanto potius ii, qui ad templum Christi confugiunt, sunt delictorum suorum remissionem adepti.*

## §. II.

Surdo proin obstrepunt, & non nisi mortuum feriunt argumenta Theonino dente digna, atque malevola profecta lingua, quæ venerabilem ASYLORUM existentiam intempestivis, iisque infamibus proscindunt dicteriis, & speluncam latronum, fomentum facinorosorum, quos ad delinquendum invitat maximo utique Reipublicæ dispendio, cujus interest, delicta non manere impunita *cap. 35. de sent. excom. & l. 51. §. II. ff. ad L. Aquil.* templa fieri lamentabili querela, ficcisque lacrymis, sed Crocodilli more, ingemiscunt. Itidem Justitiæ sacratissimas interverti regulas, jus naturæ, Divinumque labefactari, cerussato frivolæ Religionis & justitiæ glabræ zelo, non sine cauteriatæ conscientiæ nota misere suspirant.

## §. III.

Verum enim vero justo hisce Religiosioribus, & scrupulis inanibus agitatis pridem satisfecit S. AUGUSTINUS *Epist. 153.* respondens Macedonio, simile dubium obmoventi: atque S. CHRYSOSTOMUS *Hom. 15. in Epist. 2. ad Corinth* & tandem S. AMBROSIUS scribens cuidam Magistratui *Epist. 25.* ut adeo actum agi videatur objectiones allatas censura ulteriori castigare: verum nihilominus breviter innuitur, scopum & finem Asylorum non esse, delictis patrocinari, judices potestate sua, quam a Deo acceperunt ad crimina coërcenda, defraudare: sed mansuetudini Christianæ ad imitationem Christi id conveniens esse, tum propter cultum & honorem divini Numinis in templis ipsi sacratis dilatandum, tum ad emendationem ipsorum reorum, quo magis ani-

animæ saluti consulatur. Neque enim sceleri sed pietati hoc amoris obsequii litat: dum primario correctionem in reo exoptat, commutando duntaxat pœnam vindicativam in medicinalem, id quod sane tranquillitati, & felicitati Reipublicæ nec quicquam officit. Manent cæteroquin pœnæ aliæ reum, intellige, pecuniariæ, infamiæ, proscriptionis, confiscationis bonorum &c. Si proin occasionem audacius delinquendi sceleratus quisquam exinde sumat, per accidens est, & non intentio sanctæ Matris Ecclesiæ. Retorquetur quoque in immunitate V. T. ab ipso Deo indulta. Bonum denique, quod concernit, publicum etiam exigit, & magis Ecclesias non violari per violentas confugarum extractiones, earumque favor etiam est publicus, aliis præferendus, cum summa sit ratio, quæ facit pro Religione. *l. 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.*

## §. IV.

Consuetudo proinde ASYLORUM ut honesta, & nullam præ se ferens injustitiam, procul absit, ut improbetur, aut abolenda, prout non nullos sinistra tenuit opinio, tanquam statui Reipublicæ felici præjudicans pronuntietur. Sed multo magis ut commendabilis nobis probatur, quod olim jam primis veteribus visum fuit Imperatoribus, leges hanc in rem saluberrimas sancientibus, & Ecclesiæ hoc favoris merito indulgentibus, sanctiore utpote instigatis consilio cui quoque beneficio, legibusque pro re sua conditis, tanquam basi & fundamento innixa, lubenter acquievit Ecclesia, hoc ipsum jam ad se devolutum ex primaria concessione jus interpretando variisque decretis ex mente semper Imperatorum desuper latis, explicando. Id quod jam factum fuisse legitur a Concilio ARAUSICANO an. Christi 441. habito, *can. 16. dist. 87.* AURELIANENSI. celebrato an. 511. *can. 36. caus. XVII. Q. 4.* a Synodo TOLET. XII. anno 681. Decretis conciliorum accesserunt constitutiones Pontificiæ I) a GELASIO summo Pontifice sub annum Christi 492. II) BONIFACIO V. circa annum 618. III) NICOLAI I. anno 858. Denique INNOCENTIO III anno 1198. & GREGORIO X. in *Capit. fin. de immunit. Eccl.* hæc & alia antiquiora una compage absolvit GREGORIUS XIV. in sua famigeratissima constitutione, cui superaddidit ultimo BENEDICTUS XIII. vulgo appellatam BENEDICTINAM.

## §. V.

Has vero Constitutiones totam vim suam ex ratihabitione & voluntate quoque Imperatorum accedente sortitas fuisse cum saniori constanter asserimus. Hinc in quantum vel consensu Imperatorum & Principum, vel consuetudine receptæ sunt, in tantum vigorem suum obtinere dicimus, quod nec aliter Ecclesia unquam agnovit, vel agnovisse doceri potest, sed ex Imp. benevolentia potestatem suam semper dimensam fuisse omnia decreta, Canones, & hi-

historiæ veteris Analogia nos certiores facit. Ita cum subtili VAN ESPEN in *laudat* sæpius *diss. cap. 1. §. 5. & C. 9. ult.* contra celeberr. D. BARTHEL §. 38. 39. 40. 41 42. 43. 44. quod GREGORIANAM attinet penultimam de hac materia constitutionem Pontificiam, ad hanc pariter *conf.* VAN ESPEN toto *Cap. 9.* Quantum vero roboris habeat in Germania, conf. ANT. FABER *ad Tit Cod. de his, qui ad Eccl. confug. def. unic.* de aliis Regionibus & præsertim Gallia expeditum est constanter fuisse observatam constitutionem FRANCISCI I. Ejusque occasione ASYLIAM in hoc Regno in desuetudinem abiisse. ultima quæ lucem vidit, BENED. EX QUO anno 1725. concilio ROMANO inserta, non ubivis promulgata est, multo minus recepta, nisi forsan diœcesin unam alteramve excipias, ubi Episcopalem obedientiam præ cæteris excelluisse sane mirum videtur conf. P. PICHLER *in suis decis.* ultimo repeto dicta; si omnes etiam allegatæ constitutiones, & plures plene ubivis florescerent, hoc non aliter quam vel expresso vel tacito Imperatorum consensu quia munitæ fuerunt, intelligendum ex sanis, & rationi summopere conformibus principiis aliunde positis existimamus. Et de constitutionibus Pontificum negativis, uti extat BENEDICT. *cit.* res facilior etiam erit dictu, quod fors possit sine ratihabitione Impp. vigere, cum sit restrictiva, consequenter potestati seculari non præjudicans, sed subveniens: cum *quisque possit favori pro se introducto renuntiare:* sed de ampliativis dicta maxime procedunt & locum habent.

## §. VI.

Cum autem circa ipsum usum & exercitium ASYLORUM inter judicem Ecclesiasticum & secularem non raro controvertatur, & crebrior conflictus oriatur, atque res tota quanta scandalo propior, quam honori & laudi Divini Numinis evadat, sæpeque major damni metus timeatur, quam spes emolumenti affulgeat, quando Prælati ejusmodi Ecclesiastici sane non illo Lenitatis, & mansuetudinis Evangelicæ spiritu afflati certam quodammodo dominatus imperiosi speciem præ se ferunt, obliti fere gratitudinem quam Principibus laicis debent, a quo privilegium hocce perpetua memoria recognoscant oportet, cum inquam frequentiores tales committantur Gigantomachiæ, examinare, & accuratiore paulo justitiæ lance trutinare ex re & occasione nata fore putamus.

## §. VII.

Immunitatem localem a Principum secularium benevolentia erga Ecclesiam pio animo affectorum ortum traxisse, dum notavimus: nulli dubio locus superesse poterit, quin ejus sit de re cognoscere, quæ ejus subjacet potestati, & cui leges figendi, refigendique competit plenissima auctoritas. Certissimum quoque audit apud omnes, interpretationem authenticam fieri optime ab eo,

 qui

qui legem simul sancivit, quod sat clare innuit LEO Imp. in *l. 6. Cod. de his, qui ad Eccl. conf.* omnesque retro Impp. supra memorati, quin etiam CAROLUS V. in simili causa anno 1520. de immunitate personali, in qua retorquetur argumentum, & rursus edicto 4. Octobr. 1540. quod extat integrum parte I. *Edict. Flandriae l. 3.*, idem agnovit. rursus renovatum est edict. PHILIPPI II. 1. Junii 1587. &c. ad synodum Cameracensem. Verba Edicti haec sunt: *Si les dits Archevêques & Evêques pretendrojent y avoir emprinse, auront leurs recours vers nous, ou vers nos tres-chers, & féaux les chief-president & Gens de notre conseil privé, pour y ordonner ceque de raison &c.* his & aliis tuto conclusio nostra insistit, controversiam de immunitate esse fori Principis; nam hæc dudum Impp. declararunt, quin notam censuræ Ecclesiasticæ incurrerent, quare hodie secus fiat?

## §. VIII.

Coronidis jam loco annectimus hic quæstionem satis proficuam, utrum Princeps secularis jus ASYLI a se legitime concessum pro lubitu suo & ex plenitudine potestatis e. g. Romanus Imp. in Imperio tollere, & hoc privilegium revocare valeat? unde

## §. IX.

Speciosa valde argumenta ardentissimo Religionis Zelo excocta, quæ hoc jus Imperatori competere negant, potissimum huc spectant

I) Quantumvis ex primæva sui origine prædicta immunitas ab Impp. & Principibus in Ecclesias derivata fuisse dicatur; postquam tamen iidem ex dictamine Religionis hanc Ecclesiæ absque limitatione concesserunt, eamque concessionem Ecclesia acceptavit, ASYLIA res Deo sacra & Ecclesiæ propria effecta fuit: ut proinde non sit amplius in Principum potestate eandem vel in totum, vel pro parte quoque prætextu tollere aut cognitioni illius ceu causæ spirituali a potestatis secularis Sphæra extractæ sese ingerere. *Cap. si judex 12. de sent. excom. in 6. cap. decernimus. 2. Cap. quando 3. de jud.* nimirum ASYLIA eo statim momento, quo absolute Ecclesiæ donata fuit, Deoque ex motivo Religionis consecrata mutavit naturam & de profana in sacram transiit, libertatem a potestate foroque seculari consecuta. Hucusque celeberr. D. BARTHEL in *alleg. diss. §. 35. seqq.*

## §. X.

Instant ulterius jus quæsitum Ecclesiæ auferre ipsa natura prohibet, jus enim nostrum sine facto nostro auferri nobis non posse ipsius naturæ regula dictitat. Tradita quoque in *l. 11. ff. de Reg. jur.* at jure naturæ etiam Princeps obligatur. Ipsi Impp. fatentur, nec Imperiali rescripto jus quæsitum cuiquam subverti posse. *l. f. C. si cont. jus l. 16. C. de transact. l. 20. C. eod.* morisque

non esse Principis, in cujusquam injuriam beneficium tribuere *l. 4. C. de emanc.* conf. STIGLIZ in *disput. de immut. jur. primoge. C. 3. §. 13.* Ampliatur: Impp. moderni stare tenentur, & naturaliter obligantur privilegiis ab antecessoribus concessis: ut id ex contractibus & obligationibus activis clare habetur & demonstratur in J. N. fusius. His potissimum argumentis hic recensitis negativæ confidentium opinio arietat. verum magis est, ut ingenue dicatur absolute penes Imperatorem stare, ASYLIAM vel totam, vel pro parte abrogare: non tamen id regulariter dixerim, sed publica utilitate atque tranquillitate id enixius postulante. Itaque

## §. XI.

Præprimis a dubio nobis vacat ejus esse interpretari, extendere, restringere, imo & tollere legem, cujus fuit ferre: at Imperatorum, prout prolixe probatum dedimus, fuit creare leges ASYLIÆ, modificare, ampliare a primis retro temporibus, seculisque actis: consectaneum porro erit, easdem abrogare posse ipsis aperte tribuendum esse, nisi potestate hac quovis pacto privatos, asseramus; verum & hoc nec quidquam relevat; cum privatio supponat habitum, hoc ipso vel habuisse ultro ab adversantibus fatendum erit, vel demonstranda renuntiatio aut amissio quocunque titulo facta. Renuntiare autem ac amittere cum facti sit, non præsumi violenter, sed probandum esse quisquam dixerit, conf. STAMLER *tract. de reserv. Imp.* §. 60. N. 1.

Secundo: neque potuisse sese antecessores in præjudicium successorum abdicare, facile persuasu est, privilegium sane largius concedi non potest, quam concedendi se extendat facultas, Facultatem autem tam amplam legis & privilegii ita dure concedendi, ut nullis quibuscunque casibus & circumstantiis alteratis mutari vel tolli possit, nemini quoque hucusque in mentem venisse meminimus. Omnis enim lex vel privilegium imbibitam hanc secum fert clausulam: REBUS SIC STANTIBUS. conf. COCC. J. *disp. de claus. rebus sic stantibus.* Hoc est, quamdiu contraria contrarium non evincet ratio. Cessante quippe ratione, quæ est anima legis, cessat & ipsa lex.

## §. XII.

Quanta jam vis argumentis sententiæ nobis oppositæ insit, vel ex principiis nostris eruitur, & nunc paucis quoque expendendum est.

Quoad I) hoc tantum probat, temere, & absque justa causa, qualem efflagitat felicitas Reipublicæ, revocari non posse privilegium, quod nec nos asseveramus. Vinculum transitionis autem ipsius juris privilegiarii adeo magnanime commendatum, ita ut ab Ecclesia divelli amplius nulla via queat, quale est? in quo hic Ecclesiæ fortius jus, quam aliis, dum ejusmodi Meræ gratiæ

tiæ privilegia a communi lege exorbitantia adipiscuntur, quæri constat? nunquid hic Ecclesia in Privilegii acquisitione velut privata persona venit consideranda, gratiam a Principe exspectans. Quod vero Privilegium versetur circa cultum externum promovendum, hoc perinde, per accidens, obliquum est: cultus enim hic præcise nulla lege præscribitur divina aut naturali. Vel quia persona sustinet Ecclesiastica, sed hoc scilicet, quale privilegiatum subjectum sit, huc quam parum quadret, ipsi dissentientes agnoverint.

## §. XIII.

Instantia ulterior facili negotio, mollique brachio enervatur: nimirum jus quæsitum auferri non decet: addatur solum, nisi MODIS LEGITIMIS. Qualis sufficiens est felicitas publica: *salus enim Reipublicæ suprema lex esto*, conf. GROT. *I. P. & B. L. II. C. 14.* §. 13. Porro jure naturæ Princeps quoque obligatur, si adsit vinculum obligatorium, nemo negabit: negatur autem hic adesse nexum obligationis. Leges citatæ, ex confessione Impp. constare, se non posse subvertere jura privilegiario quæsita, veræ denuo nobis sunt, dictisque nostris lucem conciliant, ac probant non posse privatorum jus ab ipsis subverti absque legitima adstipulante ratione & injustis modis; non vero jure nullo universaliter spectato.

Ad confirmationem, quæ habet: stare teneri successorem antecessorum contractibus: respondemus inprimis contractum utrinque onerosum, in quo Princeps privati personam induit, arctius quoque obligare, & profundioris obligationis radices agere, quam meram gratiam, qualis hic subversatur. Deinde neque ex hoc, si limites potestatis excesserit antecessor, vel in manifestum Reipublicæ vergere detrimentum incipit, successori præjudicium nascitur. Taceo ex mera gratia.

# PARS POSTERIOR.

## §. Unicus.

Examinata hucusque origine, pervestigato late progressu, explorataque longe indole ASYLORUM propria, non aliud, nisi ad altioris indaginis propositum viam complanare contendimus; quorum quoque auxilio, Deo propitio, diem a nocte discrevisse, lucemque dicendis remoto velut umbrarum velo affudisse speramus. Scabritie igitur deasciata, gradatim jam interiora selectæ nobis materiæ adyta ingredimur, & disputationis nostræ fracto osse medullam, recluso cortice nucleum ante oculos positum in præsenti conspicere datum est.

CA-

# CAPUT I.

## De Locis, quæ non afficiat Asylum rationes dubitandi proponuntur.

### §. I.

Inter nobilissimas quæ circa ASYLORUM jura ventilantur, controversias facile principem obtinere locum haud dubitamus, minus pro dignitate sua hactenus excultam; usu tamen quotidiano frequentatissimam, simulque intricatissimam quæstionem: *An jus Asyli*, sive immunitas Ecclesiastica localis, *locum habeat in terris* vel *meræ Protestanticæ*, vel *mixtæ saltem Religionis?* Sane quis dixerit, hoc opus, hic labor est, & inextricabilis error. Quæ nostram jam ornabit spartam.

Ne autem opus illotis, ut ita dicam, manibus aggrediamur, & obscurum per obscurum explicare videamur, præsentem duplici casu illustrare juvabit.

### §. II.

Territorium (I) ponimus Status Protestantici Imperio, potestatique pleno jure subjectum, variis tamen Monasteriis Catholicæ Ecclesiæ addictis distinctum, Ecclesias pariter anni normalis implantatas Catholicæque Religionis exercitio tranquille nullis hucusque aliis perturbationum dissidiis desuper ortis fruentes supponimus. Incendio jam in vicinia magno Reipublicæ detrimento ædificiis mala arte in cineres subsidentibus, facinorosus Religionis quoque Lutheranæ incendiarius procul aufugiendi temporis exclusus angustiis, opportune adhuc ad proximam sibi obviam Ecclesiam festinat, & salute in pede quæsita saluti corporis consulturus, ASYLI beneficium amplecti laborat, more quoque consueto misericordia Ecclesiæ Reum excipere non dedignatur. Notitia autem Principi supremo hac super re & delitescentis quoque in adjecto monasterio Rei delata, Præsul ejusdem mediati monasterii convenitur, quo citius extraderet; cui vero, dum pro domo sua perorans reddere Curiæ seculari propter crimen alias non exceptum renuit, copiosus miles vi proxime inferenda monasterium ex omni latere coronat, reumque eximere mandato Superioris minitatur.

### §. III.

Civitatem ad alterum casum Imperii fingimus AUGUSTAM VINDELICORUM Religionis scilicet mixtæ, atque ubi potestas sæcularis, Regimen-

que bipartitum est, ita ut æqualitas inter utramque Religionem intercedat, hic pariter libero & ab anno decretorio illibato Religionis exercitio utrique concesso, homicidii non tamen præmeditato animo, sed iracundiæ æstu intumescente perpetrati Reum sistimus. Homicidam, cum fama urbem jam omnem strenue percurrente, per portas elabendi Magistratus in scelerum coërcitionem extreme invigilantis providentia, solertique cura spes & occasio omnimode præclusa esset, ad monasterium PP. FRANCISCANORUM quaqua fortuna delatum esse ASYLIQUE favorem implorasse meminimus. Cognitione porro hac super re inita a potestate Acatholica sive Confessioni Augustanæ addicta extraditionem faciendam prætensum fuisse, salva pace & facilioris duntaxat Doctrinæ gratia adstruimus.

## §. IV.

Dubium autem ex enarrato *primo* casu tale sese oculis objicit: *Utrum nimirum jus* ASYLI *in territorio superiorem non alium, quam Principem Acatholicum recognoscente vigeat*, aut *talis superior contra illud procedere possit?* Ex *secundo* vero casu resultat nobis hæc quæstio: *An in terris mixtæ Religionis & divisæ secularis potestatis obtineat* ASYLORUM *consuetudo, vi cujus pars una invita alteræ illam destruere possit?* Dubia deinceps hæcce diversis argumentis, quantum per vires licebit, inservientibus condecorare volupe erit, & quidem *primo* Negantem opinionem, ASYLORUM jus tum in uniformis, tum mixtæ Religionis territoriis obtinere spectandam dabimus, quam sequentes propugnabunt rationes.

## §. V.

I) Juri naturæ immensum refragatur, sceleratos velut tueri, ac hominibus, quos natura ad mala perpetranda proclives constituit ansam præbere, & occasionem aperire delictis eo securius patrandis: cum non ignorant, facili pede se pœnas tali modo evadere posse. Itaque sponte fluit, si ASYLA abolerentur, majorem criminum horrorem impiorum animis incuti, quia tunc pœna, quæ certa manet, propius metuenda foret. consequenter abrogentur. vid. BERGERI *animadverf. ad jus publ.* COCCEJ. in *append. lit. G.*

## §. VI.

Urget auctoritas, & respectus Magistratus politici, item tranquillitas publica jus ASYLORUM submotum desiderat, quæ suprema lex audit. Enim vero si templa universum securitati confugarum faverent, nunquid, hoc sub velo pietatis, auctoritatem potestatis secularis eludere pronum foret? & subditis ad inobedientiam & rebellionem animos addere, viresque subministrare? Magistratus enim non frustra gerit gladium, sed ad vindictam nocentium. *Rom. Cap.*

*Cap. 13.* atque Deus præcipit per MOYSEN: *auferes malum de medio tui.* RITTERSHUSEN *de diff. utriusque Jur. l. 6. c. 5. in fin.* & GEORG. RITTERSHUS. *de* ASYL. *Cap. 3. Num. 8.* ast facinorosorum receptione maxime sufflaminatur administratio & executio justitiæ a Magistratu faciendæ. Neque leges delinquentibus patrocinantur, beneficiave indulgent *l. 26. ſ. 6. ff. ex quibus causis maj. l. 2. ſ. 3. ff. ad SCtum* VELLEIAN. sed contrarium liquide evincunt *l. 18. §. 1 ff. de jud. Novell. 25. cap. 2. Novell. 117. cap. ult.* vid. COVARRUV. in *cap. peccatum part. 1. Num. 7. de Reg. jur.* VASQ. *illustr. controverſ. Cap. 29. Num. 12.* item MARTIN. MAGER. *de advoc. arm. cap. 8. Num. 7. & sequentib.* & a labe immunis non censetur, qui scelus approbat, auxiliove opitulatur. GEORG. BECHT *de securit. Theſ 86.* Nec templa hunc in finem exstructa sunt, ut speluncæ & latibula maleficorum evadant, aut Ecclesia sit nutrix fomesque criminum, sed maxime expultrix. Conf. MYLER AB EHRENBACH *de jur.* ASYL. *Cap. 5.* §. *12.* Interest denique Reipublicæ denuo, ne scelera maneant impunita *l. 51. ſ. 2. ff. ad L. Aquil. l. 26. ff. & 22. Cod. de pœnis.*

## §. VII.

Nullis circum scriptam limitibus potestatem Principis circa leges rogandas, abrogandasque, præsertim si communem concernant utilitatem & tranquillitatem, fixe asseverandum est; prout *ſupra Cap. 1. §. 11. parte prior.* audivimus, donec (redeunt verba) potestas hæc legitime adempta, vel quovis titulo abdicata significetur; amissio autem cum factum dicat, non præsumitur, sed probetur necesse est; insuper quilibet in possessione sua est defendendus, & titulum possessionis regulariter nemo edere tenetur. Tamdiu hic adstipulandum erit domino territoriali, quamdiu non ostendetur, jus hoc (quod Regalibus merito accensetur, uti omnia privilegia, sub quorum consideratione etiam veniunt immunitates) fuisse extinctum.

## §. VIII.

Neque ullum porro vinculum, quo Principis manus cæteroquin liberrimæ ligentur, eundemque ad immunitatem manutenendam adstringant, produci potest, & si fors quoddam esse dicatur in Antecessorum suorum veterumque Impp. constitutionibus supra allegatis radicatum, ac ad ipsos hodiernos continua velut traditione & transmissa obligatione devolutum: id sane gratis & absque solido fundamento diceretur, nihilque prorsus relevaret: nam præprimis constitutionibus ejusmodi privilegiariis, merisque gratiis non obligari successores noto notius est, sed eas ad lubitum revocabiles esse. Et si transiret quædam valde remota obligationis species, hæc penitus enervaretur suadente contrarium felicitate Reipublicæ, & aliud jam postulante temporum vicissitu-

dine. Consequenter abolendæ essent omnes constitutiones *l. convenire ff. de pactis l. alia ff. §. eleganter. solut. matrim.* imo contraria consuetudine in Germania quoque nostra sublatas esse, & malefactores ad Ecclesiam confugas securitate non amplius frui, quo minus a potestate Curiæ secularis inde avelli possint, jam ante ducentos annos JOAN PETR. DE FERARIIS in *practica tit. 52. N 47.* scripsit & hanc tollendi ASYLA consuetudinem in Germaniæ Regionibus invaluisse testatur quoque ANT. FABER in *Cod. lib. 1. tit 4. def. 1. N. 10.* Quare jam aliorum Principum etiam Catholicorum ad exemplum idem non possit hodie Protestanticæ Religionis Princeps jure territoriali plene potitus? accedit, quod hodie longe dispar sit facies, & conditio Ecclesiarum ac antiquis illis temporibus, dum Ecclesiæ privilegia maximam partem accisa, & immutata sint: cum non modo templa, aliaque Ecclesiastica bona, sed ipsæ personæ potestati & jurisdictioni Magistratus secularis subesse cœpere, juxta dicta APOSTOLI *ad Rom. cap. 13. ut omnis anima potestati politicæ subsit &c.* vid. MYLER AB EHRENBACH *de jur. Asyl. Cap. 5. §. 10.*

## §. IX.

Deinde omnis ratio, quæ Imperatores ad constituendas ASYLORUM leges impulit, hodie plenarie cessat, meritoque non amplius in Imperio Romano ex jure scil. recepto observatur: quoniam olim propter immensitatem Imperii Romani & universalem tum temporis Impp potestatem, ac jurisdictionem arg. *l. deprecatio 9. ff. ad l. Rhod. de jactu.* delinquentes non facile se poterant subducere, quin a præside Pronvinciarum vel Prætore in captivitatem abducerentur: nam ad Magistratum loci, ubi morabantur per citationem scribebatur, & si contumaces latitabant, eorum bona & facultates nulla interposita mora hastæ subjiciebantur: sin vero deprehensi transmittebantur ad locum delicti. *per auth. qua in Provincia Cod. ubi de crimin.* ita ut reis nullus nisi ad Ecclesiam vel statuas Imperatorum confugii locus superesset. Sed hodie cum scissum sit quasi Imperium Romanum, ac Jura Imperialia inter Principes, Comites, aliosque Status divisa, jurisdictioque jam hæreditaria effecta sit, grata delinquentibus velificat occasio elabendi: nam si malefactor fines territorii, ubi delictum commisit, egressus fuerit, mox tutus existit, cum mutuæ extraditiones jure jam usu recepto non amplius necessariæ sint. In hæc verba MYLER AB EHRENBACH *Cap. 5. §. 10. & 11* vid. AA. ibi cit. Ex quibus clare apparet, jus asyli olim ab Impp. indultum ad statum Imperii præsentem applicari non posse.

## §. X.

Ulterius apprime huc pertinet *art. V. §. 25.* I. P. *Quæcunque monasteria, habet, collegia &c. mediata ut & eorum reditus, juraque quocunque ea nomine apellata*

*lata fuerint*, *A. C. Electores*, *Principes*, *Status*, *Anno 1624. die 1. Januarii possederunt*, *eadem omnia & singula sive retenta semper*, *sive restituta*, *sive vigore hujus transactionis restituenda*, *iidem possideant*, *donec controversia Religionis amicabili partium compositione universali definiantur*, *non attentis exceptionibus sive ante sive post transactionem Passaviensem aut pacem Religiosam reformata & occupata*, *aut quod non de vel in territorio Aug. Conf. statuum vel exempta*, *vel aliis Statibus jure suffraganeatus*, *diaconatus*, *alia quavis ratione obligata fuisse dicuntur. Unicum solumque hujus transactionis*, *restitutionis*, *observantiaque futura fundamentum sit die 1. Januarii anno 1624. habita possessio*, *irritis prorsus exceptionibus*, *qua ex introducto alicubi exercitio interimistico vel anterioribus aut secutis pactis generalibus aut specialibus transactionibus vel litibus motis causisve decisis*, *vel etiam decretis*, *mandatis*, *rescriptis*, *paritoriis*, *reversalibus*, *litis pendentiis*, *vel aliis quibuscunque pratextibus & rationibus desumi possent &c.* Præterea in majorem securitatem additur Clausula. *nec A. C. addicti posthac in habita vel recuperata possessione ullo modo turbentur*, *sed ab omni persecutione juris & facti perpetuo tuti sint*, *donec &c.* hic quoad Principum Imperium & potestatem omnimodam in locis tum possessis concluditur, ita ut nullis exceptionibus antecessorum obruantur, sed jure proprio impostærum libere gaudeant. Quoad Monasteria vero ipsa specialius ART. V. §. 48. deprehenduntur hæc verba: „Jus diœcesanum & tota „jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra A. C. Electores, „Principes, Status, comprehensa libera Imperii nobilitate, eorumque subdi„tos tam inter Catholicos & A. C. addictos, quam inter ipsos solos A. C. Sta„tus usque ad compositionem Christianam dissidii Religionis suspensa esto, & „intra terminos territorii cujusque jus diœcesanum & jurisdictio Ecclesiastica „se contineat. „ conf. AUCT. *medit. ad* J. P. *cit.* §. *48. pag. 602 seq.* ART. V. §. 49. hæc habet: „in quibus civitatibus vero Imperii mixtæ Religionis exer„citium in usu est, Catholicis Episcopis contra Cives A. C. nulla sit jurisdictio, „at Catholici juxta observantiam dicti anni 1624. suo jure experiantur. „ En omnis jurisdictio Ecclesiastica in territoriis protestantium suspensa est, ita ut Episcopus in monasterium in territoriis Principis Acatholici situm nullam jurisdictionem exercere possit, sed intra limites suæ diœcesis se continere debeat. Involvit proin possessio anno normali habita superioritatem territorialem, quæ annexam trahit potestatem in monasteria exercendam, uti palmare est Quis alias suspensionis diœcesanæ effectus? conf. JUST. HENNING. BOEHMER in *J. Eccl. Protestantium tom. 3. tit. 36. §. 20 21. 22. 23. seq.* item BERGERI *animadvers. ad J. Publ.* COCCEJ. *ad cap. 22.* §. *15. p. 321.*

## §. XI.

Denique siquidem inter utramque Religionem adeo sollicite commendatur æqualitas & proportio in Imperii civitatibus mixtæ Religionis uti ART. V.

 §. 1.

§. 1. dicitur: „Transactio anno 1552. Passavii inita & hanc anno 1555. secu„ta pax Religionis prout ea anno 1566. AUGUSTÆ VINDELICORUM & „post in diversis sacri Imperii Romani Comitiis universalibus confirmata fuit „in omnibus suis capitulis unanimi Imperatoris, Electorum, Principum & Sta„tuum utriusque Religionis consensu initis ac Conclusis, rata habeatur, sancte„que & inviolabiliter servetur, quæ vero de nonnullis in ea articulis contro„versis, hac transactione communi partium placito Statuta sunt, ea pro per„petua dictæ pacis declaratione tam in judiciis, quam alibi observanda, habe„buntur, donec per Dei gratiam de Religione ipsa convenerit, non attenta „cujusvis seu Ecclesiastici seu politici, intra vel extra Imperium, quocunque „tempore interposita contradictione vel protestatione, quæ omnes inanes & ni„hili vigore horum declarantur. In reliquis omnibus autem inter utriusque „Religionis Electores Principes, Status omnes & singulos, sit (NB) æqualitas „exacta mutuaque, quatenus formæ Reipublicæ, constitutionibus Imperii & „præsenti conventioni conformis est, ita, ut quod uni parti justum est, alteri „quoque sit justum, violentia omni & via facti, ut alias, ita & hic inter utram„que partem perpetuo prohibita.„ Similiter ART. V. §. 35. item in specie ratione AUG. VIND. Art. V. §. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. quare hic recedendum sit? quoniam apud A. C. Addictos, templis extra usum sacrum nulla sanctitas tribuitur. Ut refert MYLER AB EHRENBACH *cit. tract. cap. 5.* §. 10. Adeo ut hodie templa non in nullius, sed universitatis ac Magistratus politici dominio quasi, & directione sint. SIMON. A GROENEWEGEN *tractat. de legib. in Belg. abrogat. ad §. sacra 8. instit. de rerum divis. N. 2.* a pari videtur inferendum: quemadmodum templa Protestantium ASYLORUM jure destituta sunt, ita Catholicorum non majoris momenti censenda, sed pari ratione cum Protestantium venire concludendum est, ad normam anno decretorio præscriptam. vid. omnino BOEHMER in *J. Eccl. protestantium tom 3. tit. 49. §. 35. p. m. 1048.* item STRYCK. *ad Jus Eccl.* BRUNNEMANN. *l. 2. cap. 2.* §. 7. BOEHMERI *diss. de potest. civil. in templa.*

# CAPUT II.

## De Locis, quæ afficiat Asylum, affirmativæ rationes adducuntur.

### §. Unicus.

Delibatis hucusque primæ sententiæ argumentis, momentisque ejusdem fideli calamo sedulo trutinatis, secundæ contrariæque opinionis fundamenta, queis

is patroni immunitati Ecclesiasticæ devoti ac jurati suam inædificant intenem, attexere modo lubet. Quod ut æquali modo fiat, jugi serie profsius ea, & ductæ insistemus lineæ. Itaque

§. I.

I) A nemine impugnatum iri, præsupponitur, ab immemorialis temis lapsu tranquilla possessione, & non interrupto exercitio juris sui gavifuisse Ecclesiam circa immunitatem sibi indultam, quin quis ea de re conlere vel semel præsumserit, & si sinistra suspicio dubiumve jam orietur, si quid circa hoc jus longæva ætate intactum immutatum esset, id pro deberet, & neutiquam conveniret, jam probationem continuationis ab lesia de boc jure inique peti. Cum melior sit conditio possidentis. Nihil em, quod jus ASYLI evertat, demonstrari posse, negative probatur, amdiu insistitur, donec ad aliud statuendum vera & convincens ratio adigat.

§. II.

Equidem constat, quando Germania nostra luctuosissimis illis tempori, exortis Religionis scissæ dissidiis, bellisque intestinis in viscera propria ssantibus flagravit & tantum non conflagravit, multum efflagitante tum essitate, quod hodierna adhucdum luget dies, deteriorem Ecclesiæ condiiem evasisse, obtortoque, ut passim loquuntur, collo magnam jura partem apsa esse (a quo nos reverenter abstrahimus nihil in hac re negaturi aut mmaturi) & fere omnia sus deque habita fuisse. Verum porro est, statum, jue Ecclesiasticas plurimum tum immutatas esse, quod nullus facile infiitur. Proin ab hoc tempore, scilicet seculi superioris anno 24. omnem, lubio controversiaque mota, decisionem petendam esse, unanimi calculo fitemur. Verum jam ad ipsam rem: quid hic contrarii habetur? verbo: il.

Cum ratum habeamus Ecclesiam in juribus immunitatis possessione frui lefendi jurisque correctionem strictæ esse interpretationis: odia enim reingi, favores contra ampliari oportet. R. J. *15. in 6.* Quodque pro alicu beneficio introductum est, in ejus odium detorqueri nefas audit. Atque ?. a cujus norma minime deflectimus, nuspiam quid mutari hic adstruit, sed ius idem confirmare jus videtur, ut ART. V §. 3. expresse: *Civitates* AUSTA VINDELICORUM *retineant bona & (NB.) jura* §. *14.* similia fere; rissime autem §. 16 determinatur: *Statutis (NB.) antiquis nihil de novo adeatur, quod Catholicorum vel A. C. Addictorum conscientiam & causam pro cuque parte lædere, eorumve (NB.) jus imminuere possit* §. 25. Rursus in fin. ---

nen-

*neutrique partium alteram de Religionis suæ exercitio, Ecclesiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas sit, sed cives pacifice & comiter invicem cohabitent, liberumque Religionis suæ & bonorum usum ultro citroque habeant.* §. denique 31. statuitur: *hoc non obstante Statuum Cathol. Landsassii &c. retineant etiam imposterum usum una cum annexis. Cujusmodi annexa habentur institutio Consistoriorum, Ministeriorum, tam Scholasticorum, quam Ecclesiasticorum, jus patronatus, aliave similia jura &c. maneant in possessione omnium &c. cum omnibus pertinentiis reditibus, & accessionibus.*

## §. III.

Ex hujus ART. V. §. 31. Haud violenter infertur, Vasallis, dominisque, tum temporis territorium possidentibus omnia jura, pertinentiasque salvas mansisse, ac si Catholici constanter possidere continuassent. Ergo a pari Catholicis secundum alibi dicta, Statuta jura privilegiaque inconcussa floreant, consequens est, ut §. hic §. I. consonet. Vel dicendum erit, hic commendatam adeo & inculcatam mutuam æqualitatem exactissimam jam claudicare, infractamque uno eodemque tempore fuisse: Atque quod uni parti licitum declaratur, alteri denegari injustumque pronuntiari, necessaria fluit sequela. Jura passiva Catholicorum & onera perdurare, activa, & privilegia uno halitu extincta esse, miro sane ordine hic inferendum esset.

## §. IV.

Jam ulterius transmittendo, de immunitate Ecclesiastica in INST. P. tanquam libella, ex qua dimetimur altitudinem & latitudinem jurium omnium, transmittendo, inquam, nihil certi hic erui posse, sed fors hanc materiam prætermissam ibi, vel de ea specialiter non cogitatum fuisse. Ecclesia tum manebit in possessione.

Porro & a possessione petito argumento, pariter omisso. Ex TUNC jam hucusque, ut plurimis corroborari præjudiciis variorum locorum posset, quæ prolixitatis vitandæ gratia silemus, & cuique facile annales perlustranti obviabunt Ecclesiæ immunitates continuo usu ac consuetudine propagatas palpabile est. Quis porro de hoc verba facere voluerit? Quod sane exiguam candelam minutamque lucem clarissimo soli addere, & aquam Oceano mutuare velle putandum foret. Quare ex NUNC & non ex TUNC hæc sancta immunitas ad limam revocatur, & sub incudem mittitur? profecto opportunior arrisisset occasio turbulentis illis temporibus, exacerbatisque implacabili vix non odio animis hæcce facilius evincendi. Serior fortassis jam hæc audit querela.

## §. V.

Ultimo denique loco huc adiicere audemus, decisionem in terminis ex gra-

gravissimo viro ut ut Protestantium Fautore Zelosissimo, tamen veritatis Spiritu probe ducto in suo Responso LXV. N 39 cujus verba ita sonant „Wie „man sich (in quæstione) in dergleichen Fällen bey dasiger Reichs-Stadt, bey „welcher mixta Religio Statt findet, und in der Haupt-Kirche das Simultaneum hergebracht zu verhalten &c.

## RATIONES DUBITANDI.

„Ob nun wohl bey denen Evangelischen es eine ausgemachte Sache „ist, daß ihre Kirchen keine immunitatem haben, und der weltlichen Obrig„keit die Jurisdiction über dieselbe nicht genommen, vielmehr dieselbe befugt „ist, propria auctoritate den Delinquenten aus denen Kirchen heraus zu hoh„len &c. und dahero es das Ansehen gewinnen will, als wenn in civitate mix„tæ Religionis der Magistratus Augustanæ Conf. wohl befugt sey, nach Ihren „Principiis, der Catholischen Clerisey den Delinquenten abzunehmen, und „ohne alle Exception denselben zu extrahiren.

## RATIONES DECIDENDI.

„Weil aber dennoch man allhier eine solche Kirche in civitate mixtæ Re„ligionis præsupponiren muß &c. wodurch eine Communio vera Ecclesiæ induci„ret wird, anbey aber bekannt ist, quod in re communi melior sit causa prohiben„tis, dieserwegen, wenn die Catholische Geistlichkeit einmahl den Delin„quenten in ihren Schutz genommen, der Evangelische Theil in Magistratu „ihnen nicht wehren kann, nach Ihren Principiis pro evitanda irregularitate „zu handeln, noch der Magistratus A. C. allein citra Catholicorum concursum, „in communi etwas beschliessen, diesen aber nicht angemuthet werden mag, „gegen ihre Principia communem causam mit ihnen zu machen.

V. R. W. Nomine facultatis Juridicæ mense Novembris MDCCXLIII.

Hucusque BOEHMER in *Tom. 3. Consult. & decis. Juris de Natur. & jur.* ASYL. Reflectimus jam ad ipsius dicta: cum A. C. Magistratum sua unica potestate consideratum nihil in tali re absque accedente quoque Magistratu Catholico utpote comparte decidere posse, bene advertit, ita ut instar staterræ in civitatibus mixtæ Religionis Regimen & potestas divisa se habeat, in qua impossibile est unum extremum sine altero commoveri, & effectum des- vel ascensus producere posse.

## §. Final.

Enumeratis gravioribus, quantum indagare nobis per imbecillitatem virium licuit, nobilissimæ, præmissæ controversiæ, dilucidandæ inservientibus

 argu-

argumentis, momentisque rationum pro utraque solerter excogitatis reliquum duntaxat foret, rationes decidendi more consueto jam subjungere, nostramque ultimato, quoque vergeret, aperire mentem. Verum enim vero ætatis nostræ susceptæ rationes vehementer prægnantes non patiuntur ulterius progredi, sed gradum modo sistere, & manum a tabula removere jubent. Itaque si modesto cum silentio discedimus, judicioque nostro ad commodius futuri temporis spatium procrastinato, interimque suspenso, telam cœptam quiescere volumus, id vituperio haud dari, aut nobis duci arbitramur: quin melius nos ut contrario neutrius partis studio invitatos, nostraque dicta Germana sinceritate Duce prolata altiori judicio, foroque competenti dijudicanda demisse subjicimus, ac perimpense commendamus.

O. A. M. D. G.

## Animadversio Editoris.

Mirum est, quod Auctor, postquam ex ipso *Boehmero* fundamenta plane solida attulisset, in decisione tamen controversiae hujus haesitet, an jus Asyli in templo, in cujus possessione aut solitaria aut simultanea Catholici anno normali fuerunt, juxta eorum principia etiam a Domino territoriali Protestantico ipsis sit relinquendum: hujus sane quaestionis decisio plana sequitur ex ipsis citati *Boehmeri* dictis, nimirum Catholicis nil imponi posse, quod sit illorum conscientiae contrarium; postquam autem jus Asyli Ecclesiis ex beneficio Principum saltem legitime quaesitum est; in eos autem Ecclesiarum Rectores, qui jus istud violarint, aut violari sua culpa permiserint, graves poenae Ecclesiasticae constitutae sunt, quarum auctoritatem ipsi ex Religionis suae principiis revereri debent, vis fieret illorum conscientiae. Si adversus haec principia a Domino territoriali ipsis quicquam injungeretur. Protestantes ipsi apud SCHAUROTH *Tom. 1. p. 41.* principii loco statuunt, quod templis quoad ritus caeremonias aliaque independentia, in quorum possessione anno normali fuerint, juxta Religionis suae principia sine cujusquam impedimento pro arbitrio uti possint; idem igitur secundum Religionis Catholicae principia Catholicis intuitu Ecclesiarum anno normali possessarum permittendum erit. Porro ex *Art. 5. §. 31.* relinquenda sunt etiam subditis *annexa Religionis suae*, i. e. jura quaecunque relationem et connexionem cum Religione habentia, etsi fortasse ad substantiam exercitii cujusdam Religionis etiam absolute non necessaria: quis autem neget ex principiis Catholicis immunitatem Ecclesiarum a vi qua-

quacunque decori earundem adversa annexum esse Religionis Catholicae, adeoque Catholicis in possessione templi cujusdam anno normali existentibus omnino relinquendum! Protestantes nonnunquam gravaminis loco habuerunt, quodsi Parochi aliique eorundem Ministri a Praefectis locorum civilibus instar aliorum subditorum in jus vocati fuere, quanquam hoc potius illorum principiis conforme sit, quippe secundum quae nulla datur Ecclesiasticorum a Magistratibus civilibus exemptio; quidni igitur Catholicis immunitatem Ecclesiarum suarum tueri liceat, quippe quam violari sine piaculo a se permitti non posse existimant? Neque hisce officit, quod juxta complures Catholicos immunitas haecce Ecclesiarum nonnisi a beneficio Principum descendat; nam ut nil dicam, propterea necdum ab iisdem ipsis admitti sequelam istam, igitur et hanc immunitatem ab Principibus iterum pro lubitu restringi aut adimi posse, prout in BARTHELIO ab Auctore citato videri potest, atque ex Dissertatione ENGELHARDII *de Bonorum Ecclesiasticorum collectabilitate hoc Tomo recensenda* uberius patebit; id unum hic sufficit Clero Catholico nil adversum ipsius conscientiae injungi posse, Catholicosque in possessione etiam annexorum Religionis esse relinquendos. An notae illae Protestantium cantilenae, de quibus tantae jam controversiae extiterunt, etsi omitterentur, illorum Religionem destruerent? atqui tamen pro iis quantum depugnatum fuit, ex eo uno, quod anno normali decantari solitae fuerint? id igitur ad summum permitti posset, quod si Dominus territorialis anno normali id juris sibi in templa Catholica sumpsisset, ut reos illuc confugientes inde extraxerit; Catholicis tum non contradicentibus; hodie quoque illud ab ipsis permitti debet, quantum salvis suis principiis possunt; hanc nimirum vim, quam propulsare non possunt, tolerando, quin tamen ad reos ex templo extrahendos ipsimet concurrant, aut, ut id faciant, adstringi imperio Domini territorialis queant. Generatim iis, quae dixi, adstipulari videtur MOSER *Tract.* Von der Landeshoheit im Geistlichen 1773. p. 522. dum ait: ferner müssen die zu Kirchen und Schulen gehörige Güter und Gefälle bey denen denselbigen resp. „nach denen gemeinen Rechten oder der Landes-Verfassung anklebenden Freyheiten erhalten werden: quod enim hic inquit de immunitate bonis Ecclesiasticis, a Domino territoriali alterius Religionis relinquenda, ex iisdem plane fundamentis de immunitate ut inquiunt locali aeque jure communi stabilita intelligi debere in aprico est.

---

# IX.

## PETRI GALLADE

SS. Theol. et SS. Can. Doctoris, in Univ. Heidelberg. SS. Can. quondam Professoris

DISSERTATIO HISTORICO - CANONICA

DE

# ADVOCATIS ECCLESIASTICIS.

*Heidelb.* 1768.

### *CAPITA DISSERTATIONIS.*

I. *De Advocatis Ecclesiasticis Forensibus.*

II. *De Advocatis Oeconomis Ecclesiarum.*

III. *De Advocatis Protectoribus Ecclesiæ universalibus a Constantino M. usque ad Carolum M.*

IV. *De Imperatoribus Ecclesiæ universalibus Advocatis Protectoribus a Carolo M. usque ad nostra tempora.*

V. *De Imperatoribus Advocatis particularium Ecclesiarum.*

VI. *De officio & Jure Summorum, & aliorum Ecclesiarum Advocatorum.*

CA-

# CAPUT I.

## De Advocatis Ecclesiasticis forensibus.

## Gerichts - Vögt.

### I.

Notio Ecclesiastici Advocati in genere Virum denotat, qui ab Ecclesia justa de causa in auxilium, & opem vocatur. Advocatia proinde Ecclesiastica munus est, aut obligatio ex justo titulo, radice, & causa (quæ infra dabimus) descendens, eidem, quando se suave contra potentiores suos adversarios tuendi, protegendique satis virium ipsi non est, debitum subsidium, auxiliumque ferendi. Peti autem, ferrique in variis illud angustiis, ac negotiis potest: videlicet 1mo in Judicum foris ad instituendas, instruendas, evincendasque controversias, ac lites forenses 2do ad œconomiam domi forisque bene atque utiliter gerendam, & a qua illa dependet, bonorum ad Ecclesiam pertinentium administrationem. Denique 3tio ad Ecclesiam ejusque bona, jura, possessiones contra injustos aggress-& invasores, armata quoque manu protegenda. Priores duæ advocatiæ *togatæ*: posterior *sagata* & *armata* dici consuevit.

„De armata advocatia, quæ præcipua advocatiarum species & princeps elucu-„brationis præsentis scopus est, ante P. W. eruditum opus a nobis sæpe ci-„tandus Martinus Magerus a Schönberg anno 1625. Francofurti ad Mœnum „edidit. Post P. W. hoc argumentum multi JCti, inæquali tamen animi mo-„deratione pertractarunt, quos inter DD. Alex. Hammer, Henr. Coccejus, „Philipp. Slevogt, Gabriel Sweder, Frider. Ludovici &c. &c.

II. Advocati forenses, *Gerichts - Vögt*, contentionibus judicialibus, quemadmodum civitatum, & aliarum communitatum Syndici pro tuendis Ecclesiarum causis, juribus & possessionibus occupantur: Modus qui hodiedum circa hanc advocatiam viget, ab antiquo, quem Lotharius Imperator esse voluit, brevitate, & compendio differt: Duo enim Illi placuerunt: unus, qui Sacramenta in judiciis recepta, videlicet calumniæ, malitiæ, veritatis & alia ediceret; alter qui momenta causæ, adversariæ partis exceptiones & alia quæ judicialis ordo, præter juramenta exigit, observaret: Hodie unus idemque omnia simul melius curat.

III. Hosce advocatos, qui Ecclesiis in foro judiciali incruenta defensione succurrant, Ss. Canones assumi voluerunt, quod Hincmarus sequentibus testatur:

„Sunt enim Advocati, & defensores Ecclesiarum, quos Ss. Canones & Leges,
„quibus moderatur Ecclesia, Episcopos habere jubent, quorum hujusmodi
„est officium, ut per Leges ea, quæ sunt Ecclesiæ, aut defendant, aut con-
„quirant, aut recuperent ab aliis male occupata.

*Apud Thomass. V. N. Discipl. Eccl. p.* 3. *L. II. C.* 55. *n.* 2.

Ubi Author iste annotat, quod Rhemensis Ecclesia fugitivos servos, & colonos Advocatorum suorum industria, qua rem in publicis judiciis egerant, iterum retraxerit. Carolus itidem M. in suis capitularibus, quæ Ecclesiasticorum rogatu edidit, Advocatos forenses Ecclesiis imperavit *L. 5. C. 234.*

IV. Quod ipsum quoque Synodi fecerunt: In exemplum adducimus Moguntinam, quæ Laudatissimi Caroli ævo, Sedente Romæ Leone III. Papa anno rep. Sal. 813. celebrata fuit. Hæc *can. 12.* constituit:

„Nequaquam contentiones, aut Lites aliquas ibi (in judicio) Clericus vel
„Monachus præsumat; sed quidquid quærendum vel respondendum sit, per
„advocatos suos (forenses) hoc faciat.

Erat enim ea ætate clericis, & monachis prohibitum Legibus studere & artibus, juramenta edere, & mundanorum negotiorum tumultibus, queis necessario mens ab oratione, & sacris meditationibus aliisque piis exercitiis, ad quæ istæ personæ unice destinatæ credebantur, avocabatur, sese immiscere juxta *tot. tit.* ⁒ *ne clerici vel monachi sæcul. neg. se immisc.*

V. Unde Hincmarus Metropolita Rhem. de Carolo Martello amare conquestus legitur, quod is Suffraganeum suum Episcopum Laudunensem jussisset, se publicorum judicum tribunalibus una cum suo advocato sistere. Regique in hæc verba, pro suo Ecclesiasticæ disciplinæ conservandæ studio, scribere ausus est:

„Ex Legum, Canonumque Libris scitis, ubi de rebus Ecclesiæ temporalibus con-
„troversia fiebat, dandum scilicet esse Episcopo advocatum, qui jure staret,
„& causam tueretur coram judice sæculari realem: in causis autem persona-
„libus, sive criminales eæ essent, sive civiles, non posse Episcopum, nisi
„in Concilio, audiri.

*Du Chesne Tom. II. apud Thomass. Loc. cit.*

VI. Humilius hocce est Advocatorum genus, utpote solum ad Jura profana, bona & possessiones Ecclesiarum, & cœnobiorum in judiciis Laicalibus defendenda, & recuperanda destinatum; aliud adhuc fuit isto sublimius, eorum videlicet, qui Episcoporum, Abbatum, Ecclesiarum, & Sacrorum aliorum collegiorum nomine jurisdictionem in eorundem subditos, tam in criminalibus, quam civilibus causis exercere, & administrare debebant; neutras enim causas per Canones, Leges, & tunc dominantem in Clero disciplinam Prælatis Eccle-

ecclesiasticis quibuscunque per se ipsos agitare licebat. *Non criminales*, quæ sanguinis humani effusiones, per cruentas flagellationes, membrorum amputationes atque reorum occisiones sæpe sæpius involvebant, quæ omnia a Clericis & Religiosis, quibus D. N. Jesu Christi, Agni immaculati, qui pro peccatoribus occidendus, neminem vero eorum occisurus in carne humana in mundum venire dignatus est, mansuetudo imitanda singulariter proponitur, quam longissime debent esse aliena; quandoquidem Christi Ecclesia sacro horrore manus ab omni sanguinis humani effusione sollicite anxieque abstinuit semper, & etiamnum abstinet. Quod nuper pluribus demonstravimus in dissert. *de horrore Sanguinis a C. Jesu Ecclesiæ suæ instillato* edita, & propugnata die 11. Martii. a. c. 1768. *Non civiles*, quia istæ negotiis sæcularibus, a quibus, sicuti §. 4. dictum, clerici, & monachi manus suas abstinere jubentur, tanquam a suæ vitæ instituto vocatione & fine alienis. *tit.* ꝑ *Ne cler. cit.*

VII. Quibus rationibus & prohibitionibus persuasi Ssmi Imperatores Reges, ac Principes, qui profusa liberalitate Ecclesias atque Asceteria integris pagis & dynastiis *ex amore Dei*, a quo regimen mundi misericorditer acceperunt, & pro *salute animæ suæ* (uti antiquæ litteræ fundationum passim loquuntur) gaudenter ditarunt, studiose apud fundationes & earundem confirmationes caverunt, ne Prælati assignatis subditis, seu ingenui essent aut Servi, jus ipsi per se dicerent, sed hoc munus Advocatis a se deligendis, bonis tamen, & rerum peritis demandarent: quamvis & alia causa religiosissimi Principes ducerentur videlicet singulari erga Ecclesias benevolentia, & earundem privilegia conservandi studio: noverant enim tam occultas, quam apertas publicorum judicum insidias, quas immunitati a foro communi Ecclesiis, & cœnobiis eorumque subditis concessæ struere interdum solebant, ut igitur salva illa & incolumis perstaret, ordinarunt, ut Prælati suis subditis per constitutos a se Advocatos jus dicerent, quo facto insidiæ elusæ, peregrinorum manus judicum cohibitæ, & insuper subditorum commodis plurimis ac bursæ quam optime provisum fuit. Juvat dicta uno alterove exemplo comprobare.

VIII. In vita B. Meinverci ad diem quintam Junii Surius de Ecclesia Paderbornensi narrat, quod privilegium habuerit,

„De ejus hominibus tam liberis quam Servis a nulla judiciaria persona constringendis, nisi coram Advocato, quem ipse Episcopus elegerit.

Hoc privilegium Henricus Imp. Sanctæ & gloriosæ memoriæ confirmavit, Cæsarea & Regali authoritate decernens;

„Ut nulla persona aliqua judiciaria potestate in eisdem prædiis, præfatæ Ecclesiæ donatis se intromitteret, nisi Advocatus, quem ipse Episcopus, vel suorum quilibet successorum elegisset.

Cla-

Clarius adhuc idem ipse Sanctissimus Cæsar in litteris, queis fundationem monasterii a B. Meinverco excitati, anno 1016. ratihabuit, rem eloquitur, dum severe prohibuit:

„Ut nullus judex publicus, vel quilibet aliqua judiciaria potestate præditus loca „vel possessiones eidem Ecclesiæ concessas vel concedendas ad causas judicia„rio more audiendas, aut homines ipsorum tam libertos, quam ingenuos, „super terram eorum commanentes contra rationem dispergendos ullo un„quam tempore ingredi audeat, sed prænominatæ Ecclesiæ Abbas cum suo „Advocato, quem communicato fratrum suorum consilio in Defensorem ele„gerit, causas rerum agendarum sagaciter providens, & sapienter disponens „suis suorumque utilitatibus provideat.

IX. Hoc diploma confirmatorium istud singulare habet, quod Abbatem laudati monasterii Episcopis coæquet; His enim alias licuit, cum suis Advocatis forensibus seu causarum defensoribus litibus sese intromittere subditorum, & illis ordinandis decidendisque operam aliquam conferre: quod ex diplomat Ottonis III, quo donationem Augusti avi sui Ottonis I. & Magni, Ecclesia Cathedrali Spirensi factam ob præclara merita Ottgeri illius Episcopi corroboravit, quod inter alia sic habet:

„Jubemus, ut nullus Dux sive Comes, vel nullus publicus judex ex judiciari „potestate, aut aliqua cujuslibet potestatis ignota persona, nisi solus Epi„scopus & Advocatus ipsius supra dictæ Ecclesiæ Spirensis ex jussione, & „concessione nostra deinceps potestatem habeat, pro quocunque negotio, ve „pro aliqua re parva aut magna placitum retinere, seu publicum judiciu „facere.

*Apud Lehman Chron. Spir. Lib. IV. C.* 3. *fol.* 274. *ubi simile privilegiu Ecclesiæ Mindensis profert. fol. seq.*

X. Quemadmodum vero Ecclesiarum & monasteriorum subditi tantu coram propriis eorundem Advocatis vel solis, vel præsente simul Episcopo & Abbate conveniri, & alter alterum convenire poterant, ita econtra Ecclesi rum Advocatorum forum, in quo ipsi contra alios, præcipue nobiles in causi suarum Ecclesiarum agere, & respondere cogebantur, fuit Regis aut Cæsari Palatium, & qui inibi jus partibus dicebant Judices Palatini. Ita Carolus Ca vus, postquam Ecclesiæ S. Juliani, remota omni sæculari vel judiciaria pote state, pro illius subditis, facultatem amplissimam dederat, Advocatum, que sibi sua sponte elegerint, habendi, circa ipsum electum Advocatum sanxit, u illum, inquiens,

„Nemo præsumat temeratio ausu diffringere, vel intortum mittere, sed Nostr „coram Comite Palatii, res Juliani Martyris (*causas circa res & bona Eccles* „*S. Juliani M.*) absque inquietudine, vel morarum dilatione liceat inquirere

*Spicileg. Tom. X. pag.* 650. *apud Thomass. l. c.*

XI. I

**XI.** Idipſum teſtatur Lehman de Carolo Magno, qui in ſuis capitularibus, quæ canones Eccleſiaſticos potiſſimum continent, quibus ille, ut firmius obſerventur, Authoritatem ſuam amore Religionis interpoſuit, *Lib. IV. Cap. III.* diſpoſuit, ex quo Author iſte lingua noſtra vernacula ſequentia annotat;

„Wan Sachen ſich zutragen, das der Biſchoff, oder Geiſtliche wieder Weltli-
„che von Adel, oder andere zu Klagen gehabt, iſt der Vogt, oder deſſen
„hierzu beſtelter in derſelben nahmen vor dem Graffen oder Gericht kommen,
„und hat die Klag furgetragen und erörtert.

*Lehman Chron. Spir.*

In eandem rem Formularium Marculphi Monachi Sæculo VII. Generale Regis mandatum producit, quod in fine ſic habet:

„Illuſtris ille *Advocatus* cauſas ipſius Pontificis (Epiſcopi) aut Abbatis . . tantum
„in Palatio noſtro ſequi debet.

**XII.** Quin adeo ipſi Auguſti, omiſſis Palatii ſui Comitibus, Advocatos Eccleſiarum audire & cauſarum propoſitarum judices agere non ſunt dedignati. Manifeſtum hoc noſtrum ex Antiquitate aſſertum reddit Ottonis M. Germaniæ Regis & RR Imp. ex ſingulari benevolentia pro Eccleſia B. M. V. quæ eſt Aquisgrani decretum, quo ſanxit, ut Præpoſitus cum cæteris valentioribus Canonicis tempore tribulationis pro eadem Eccleſia aſſurgant, & importunitatem tam ſuam quam Abbatiæ Valciodorenſis *in præſentia Regis & Principum, ubicunque præfatus Rex fuerit, perferant.*

„*Lud. Thomaſſinus loc. cit. n. 2.*

**XIII.** Advocati hactenus dicti forenſes & jurisdictionales non raro in antiquis documentis & Ss. Canonibus *Vice Domini* appellantur, quoniam vices *Domini*, puta Eccleſiæ aut monaſterii agendo & reſpondendo in judiciis alienis, & in jure ſubditis Eccleſiarum propriis dicundo obierunt. Huc facit Capitulare XI. Caroli M. lib. III, ubi præcipitur, ut *Vicedominis pravis ſublatis* tales eligantur, quales & ſciant, & velint juſtas cauſas diſcernere, & terminare. Cui Capitulari conſonat *canon 50. Concil. Mogunt.* quo omnes Epiſcopi, Abbates, & cunctus Clerus jubentur, *Vicedominos* habere bonos, non malos, non crudeles, non cupidos *lucri*, non perjuros, non falſitatem amantes, ſed Deum timentes & in omnibus juſtitiam diligentes. Videatur etiam *Cap. Clericis 5. ꝫ. ne cler. vel mon. ſec. neg.*

**XIV.** Initia Advocatiarum forens- vel jurisdictionalium cum communi Scriptorum, ad Synodum Carthaginenſem circa annum 400. coactam, quæque vulgo Africana ſimpliciter nuncupatur, referimus. Patres in illa legitime congregati, re mature perpenſa, Legatos ad Imperatores miſiſſe leguntur, per quos ſupplices rogarunt:

„Ut dent facultatem, defensores constituendi Scholasticos (*leges in scholis edo-„ctos*) qui in actu sunt vel munere defensionis causarum, ut more Sacerdo-„tum provinciæ iidem ipsi habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, „quoties necessitas flagitaverit, ad obsistendum obrepentibus, ac necessaria „suggerenda, ingredi judicum secretaria.

*Codex Canonum Rom. Ecclesiæ pag.* 254.

XV. Non cassæ fuerunt Concilii preces, nam illico Ss. Imperatores, optime gnari suam & Imperii incolumitatem, ac felicitatem cum prospero Ecclesiarum statu, teste omnium sæculorum historia, esse conjunctissimam, votis Patrum assenserunt, rescribentes:

„Ut quæcunque de nobis ad Ecclesiam tantum pertinentia specialiter fuerint im-„petrata, non per Coronatos (*Clericos & monachos coronam capiti attonsam „gestantes*) sed ab Advocatis, eorum arbitratu & judicibus innotescant, & „sortiantur effectum.

*L.* 38. *Cod. Theodos. de Episcop. Eccles. & Clericis.*

XVI. Martinum Magerum supra laudatum hic adversarium experimur ille in citata aliquoties dissertatione contendit Advocatiæ forensis originem instituto Monastico supparem esse, sed in hoc erravit 1mo quod originem Religionum seu institutorum Religiosorum ad tempora Imperium Constantini M. paulo post subsequuta revocet, quæ tamen longe antiquior est, & nascenti Ecclesiæ coæva Nam Philo Judæus Historiographus, qui Romæ S. Petrum vidit, vitam & mores Monachorum & Sacrarum Virginum, quos in Ægypto S. Marcus Evangelista, S. Petri Apostoli discipulus, per professionem continentiæ, paupertatis, jejuniorum, psalmodiæ &c. accurate describit. Quod de eo refert Eusebius *L. II. Histor. cap. 16.* Epiphanius *heresi 29.* Hieron. *de viris illustribus in Philone.* Cassian. *L. II. cap. 5. de instit. cœnob.* S. Athan. in vita B. Antonii scribit, ante Antonium non fuisse quidem anachoretas, ast monachos. S. Damasus Rom. P. refert in vita Dionysii Papæ, quod is ex Monacho ad S. Pontificatum fuerit assumptus. Sedit autem Dyonisius ex chronico Eusebii anno Domini 266. Vide Bellarm. *controv. Tom. I controv. general. IV. lib. 2. cap. 5. de Monachis.* 2do Prioribus sæculis Regulares & Clerici ex eleemosynis vivebant. Monachatus igitur sine Advocato forensi ante M. Const. extitit & quæ piis largitionibus oblata fuerunt, Clerici & Religiosi usque ad dictam Synodum Carthag. per se ipsos administrarunt, alias frustra ab Impp. primum petiissent, quod jam antea tenuerunt. Hæc de Advocatis Forensibus, nunc de Oeconomis.

CA-

# CAPUT II.

## De Advocatis Oeconomis Ecclefiarum.

## Kaften - Vögt.

I. Gemina œconomiæ Ecclefiafticæ fpecies paffim conftituitur, quarum altera *interna feu domeftica*, altera *externa* dici amat. *Prior* modum vivendi, quo Religiofi & Clerici olim in communitate degentes in victu, veftitu, cellulis, ftragulis & aliis ejuscemodi habebantur, immediate ac proprie refpicit; Hanc Ecclefiafticæ communitates per fe ipfæ femper curabant, licet œconomi fumptus ad ifta neceffarios ex reditibus Ecclefiæ vel monafterii, quibus colligendis ipfi intenti erant, fuppeditarent. *Pofterior* autem feuda, emphyteufes, annuos cenfus & canones, Nomina, prædia & illis adfcriptos Servos ancillasque aliaque jura & bona ad Ecclefias fpectantia adminiftrabat, & hæc œconomia dicebatur *Kaften Vogtey*, de qua paucis differere hoc capite conftituimus.

II. Primis temporibus, queis piorum liberalitas ftabiles fundos aliaque fructifera Jura Ecclefiis & Afceteriis donare cœpit, Epifcopi & Abbates ipfi tam in Oriente quam Occidente veluti Oeconomi rerum donatarum curam & infpectionem habuerunt, quos tamen Presbyteri & Diaconi, aut Conventuales fponte ab Epifcopo vel Abbate affumpti, in hac rerum adminiftratione adjuvabant. De more Ecclefiæ Orientalis hoc modo curandi œconomiam fidem nobis facit C. Gangrenfe in Paphlagonia anno 324. celebratum, *can.* 7. & 8. quorum poftremo fic ordinavit:

„Si quis dederit, vel acceperit oblata præter Epifcopum, vel eum, qui conftitutus eft ab eo, ad difpenfandam mifericordiam pauperibus; & qui dat, & qui accipit, anathema fit.

De occidentalis Ecclefiæ hac in re confuetudine meminit C. Agathenfe in Gallia anno 506. *in canone 6. vel 7timo:*

„Cafellas vel mancipiola Ecclefiæ Epifcopi, ficut prifca canonum præcipit authoritas, vel vafa minifterii, quafi commendata fideli Propofito, integro Ecclefiæ jure poffideant.

De eadem re porro teftantur Lehmann *Chron. Spir. L.* 2. *C.* 36.

*Thomaffin. de difcip. Eccl. p.* 3. *l.* 2. *c.* 1. *fqq.*

III. Quoniam vero crefcente Cæfarum, Magnatum aliorumque divitum pia liberalitate donaria jura & bona locorum piorum creverunt, labor etiam & cura adminiftrationis indies magis augebatur ac gravior difficiliorque evadebat,

debat, sic, ut Episcopi & Abbates sine sacrarum functionum, quæ ipsis ex suo munere incumbebant, dispendio inspectioni administrationique bonorum juriumque pares jam esse non possent, de assumendis œconomis, in quos potissimam partem hujus oneris, ac dein pene universum rejicerent, cogitare cœperunt, ac tandem opere ipso executi sunt. Constituerunt igitur sibi & rei œconomicæ procuratores, quos Episcopi sufficienti notitia imbuerunt, ac vigili oculo observarunt, num ex suo mandato omnia recte agerent, & nihil eorum, quæ ad utilitatem Ecclesiarum pertinebant, negligerent. Ex ordine tamen Presbyterorum & Diaconorum *suorum*, non inferiorum clericorum, minus laicalium personarum hos œconomos extrahebant, quod quidem initio voluntatis erat, postea vero necessitatis ex præcepto effectum fuit, quandoquidem Conc. Chalcedonense anno Christi 451. *can. 15.* juxta alios 16. ordinavit,

„Ut omnis Ecclesia habens Episcopum habeat æconomum de Clero proprio, qui „dispenset res ecclesiasticas juxta sententiam proprii Episcopi.

IV. Quamvis œconomi officium jam initio Ecclesiæ, ubi bona immobilia necdum illa habebat, in usu fuisse, & Diaconis præ Sacerdotibus delatum in Ss. Scripturis inveniatur: nam *Act. 6.* Apostoli, ut orationi & verbi divini prædicationi minus impediti vacare possent, 7. Diaconos mensis & omni rei œconomicæ præfecisse leguntur. Quod exemplum S. Xystus Papa secutus Divo Laurentio itidem Diacono thesauros & opes temporales Ecclesiæ administrandas ac dispensandas commisit, quod omnes norunt, & Prudentius christianus poëta jam diu eleganter cecinit. S. quoque Basilius *epist. 412.* scribit, quod Glycerius a se fuerit in Diaconum ordinatus eo fine: *ut presbytero inserviret, & ad curandam rem ecclesiasticam admoveretur.* Inde factum credimus, quod in monasteriis Ægypti ille monachus, quem Abbas & capitulum a fidelibus oblata accipere & dispensare jusserunt, *Diaconus*, aut *Diaconiæ præsidere* diceretur, etsi is nullo prorsus ordine insignitus fuisset, de quo Cassianus *Collat. 21. cap. 1.*

V. Hoc munus Oeconomicæ Advocatiæ labentibus annis ad Archidiaconos pervenit, & non modica officii illorum pars erat, constat hoc ex severo Sulpitio, qui *dialogo 2do* de S. Martino commemorat, quod is Archidiacono suo pauperem seminudum ac frigore vix non enectum ex penu Ecclesiæ vestire præceperit. Uxorem Badegisili Episcopi Cenoman. quocum ante Episcopatum in legitimo matrimonio vixerat, post ejus mortem relicta ab illo bona ab Archidiacono exegisse narrat Gregor. Turon. *l. 8. c. 39.* omnium clarissime id docet Decretalis Epistola Gregorii Papæ III. ad Archidiaconum Salonitanum data, ubi inter alia ait:

„Quod si quid ex eis vel negligentia, vel cujusdam fraude deperiit, tu hoc re„tu adstringe is, qui per Archidiaconatus ordinem custodiæ ejusdem Ecclesiæ „arctius depu ris.

*Cap. Ea quæ 3. ✠. de officio Archidiaconi.*

VI. Omnis

VI. Omnis tamen cura rei œconomicæ haudquaquam libero iſtorum Archi- & Diaconorum arbitrio, ut quod vellent, hac in parte agerent, commiſſa eſt, ſed Epiſcopis, quemadmodum in ſpiritualibus, ita quoque in hiſce temporalibus functionibus ſubjecti manſerunt, ita ut advocatos œconomos ad rationes ſibi reddendas vocare, ſedulos ac fideles in officio confirmare, male aut oſcitanter in adminiſtratione verſatos removere, meliores illis ſufficere Epiſcopis omnino fuerit relictum; id quod tam Capitularia Caroli M. & ſubſequentium ex Ejusdem Stirpe, tum Synodorum decreta aperte evincunt.

Capitular. *L.* 7. *Capp.* 188. 213.

Additiones capitular. 4. *C.* 2.

CC. Mog. *can.* 8. *&* 11. Francoford. *can.* 48.

Tolet. III. *can.* 18. Turon. III. *can.* 10. 11.

Romanum ſub Nicol. II. *can.* 5.

VII. Dotes ad quas in Advocatis œconomis conſtituendis Epiſcopus attendere debet, Concilium Mediolanenſe *cap.* 12, decretum Synodi Generalis Chalcedonenſis præ oculis habens, ſequentibus deſcribit:

Eum vero œconomum, vel, ut alio canone cavetur, Vice-Dominum conſtituat Epiſcopus, non laicum, neque ſibi Cognatione, affinitateve, aut favore conjunctum, ſed Eccleſiaſticum hominem, qui eſt de Clero ſuo & vero, ſi talem, qui idoneus ſit, habere poteſt, Diaconatu initiatus ſit, quique in eo adminiſtrationis genere & recte, & perite verſari poſſit, cujus adminiſtrationis rationes in Codicem certum recto ordine relatas &c.

Vide etiam Leg. *lex omnes* 42. §§. 4. *&* 5. *C. de Ep. & Cler.*

VIII. In Eccleſia Orientali contra decretum C. Chalced. laudatum non nunquam ex Laicorum ſtatu Advocati œconomi pro Eccleſiis deſignabantur, quorum rationes Magiſtratus profani ultra ſuos fines progreſſi expendebant: querelæ deſuper motæ & exauditæ fuerunt, nam Imp. Iſaac Comnenus Eccleſiam Cpolitanam, quæ ſub hoc onere ingemuit, priſtinæ libertati, & illam ſibi ipſi reſtituit, volens, ut Patriarcha ſuæ Eccleſiæ reditus per œconomos, pro lubitu ex ſuo Clero deligendos colligeret, & amota omni laicali publicaque authoritate liberrime ſuas res ſibi adminiſtraret.

*Baron Annales ad ann.* 1057.

IX. Quibusdam Epiſcopis Hiſpanis idipſum Synodus Hiſpalenſis II. vitio vertit, quod nimirum in rebus divinis, ut PP. Concilii loquuntur; id eſt, in rebus Deo in Eccleſia oblatis, laicos conſtituerint œconomos, præcepitque, ut unusquisque Præſul ſecundum Chalcedonenſis Concilii decreta illos ex pro-

prio Clero sibi & suæ Ecclesiæ designet : rationem hujus suæ constitutionis sequentibus produnt:

„Indecorum est enim, Laicum Vicarium (*in gerenda œconomia*) esse Episcopi, „& Sæculares in Ecclesia judicare: in uno enim eodemque officio non de-„bet dispar esse professio; quod etiam in lege divina perhibetur, dicente Moy-„se: non arabis in bove & asino *Deut.* 22. *id est, homines diversæ professio-„nis in officio uno non sociabis.*

Deinde Patres comminatione concludunt:

„Si quis autem Episcopus posthac Ecclesiasticam rem per laicalem procuratio-„nem administrandam elegerit . . . Concilio manebit obnoxius.

*Isidorus ex Concil. Hispal. cap.* 9.

*Apud Gratianum causa* 16. *q.* 7. *can.* 22.

X. Functiones Ecclesiasticæ Oeconomi ex tabulis CC. Toletanorum IV. VI. & IX. Beatus Isidorus Hispalensis Episcopus sequentibus ad nos transmisit:

„Ad œconomum pertinet separatio (*destructio*) Basilicarum & constructio : actio-„nes Ecclesiæ vel in perferendo, vel in respondendo: tributi quoque acce-„ptio, & rationes eorum, quæ inferuntur : cura agrorum & cultura vinea-„rum, causæ possessionum & servitutum: Stipendia Clericorum, viduarum „& devotarum pauperum : dispensatio vestimenti & victus domesticorum „(i. e. *tum temporis in eadem domo & sub uno tecto in communi viventium*) „Clericorum, Servitialium quoque & artificum. Quæ omnia cum jussu & „arbitrio sui Episcopi ab eo implentur. *Vide* §. 1. *hujus cap.*

XI. Quibus superadde feudorum, emphyteuseon, censuum ac mancipiorum curam, quam œconomus habebat. Porro contractibus & alienationibus ipse quoque authoritatem præstare debebat, alias robore caritur͏is. Denique ipsius erat, oblationes & donationes Ecclesiis suis factas illarum nomine acceptare ; quapropter & ipsi œconomi non minus ac forenses Advocati, qui Abbatum & Episcoporum nomine jurisdictionem contentiosam administrabant, titulo *Vicedominorum* condecorati in antiquis monumentis reperiuntur.

XII. Reges ac Magnates nihilominus interdum Ecclesiis & Asceteriis a se liberaliter fundatis homines laicales illorum proventuum receptores, administratores & œconomos dare voluerunt: quod pluribus exhibet

„*Nicolaus Camurat. fol.* 120.

Episcopi tamen & Abbates exclusi haud quaquam fuerunt a bonorum istorum administratione, nam œconomi dicto modo constituti illis subesse, imperium & mandata ab illis accipere, ac rationes exhibere tenebantur, saltem in Occidente ob dicta superius §. 9. Postquam vero vita communis Clericorum sublata, & Ecclesiarum Canonicis aliisque clericis sua singulis portio, facta divisio-

ne

ie assignata fuit, Episcopi & Capitula suam quique partem per se, assumptis etiam non raro laicis œconomiæ gerendæ peritis, aut etiam per Clericos de eadem Ecclesia procurabant, & hodiedum procurant. Idem in Abbatiis aliisque, rarius tamen evenit, communius Abbates & Præsides juncta opera unius conventualis, quem œconomum, procuratorem, Bursarium, faciendarium aliove nomine compellant, quique in omnibus ab iis dependeat, œconomiæ suæ, bona Regum, Principum & Episcoporum pace, præesse solent. Tantum de Advocatis œconomis Ecclesiasticis. Progredimur ad novum & excellentius Advocatorum genus, de quibus sit

# CAPUT III.

## De Advocatis Protectoribus Ecclesiæ universalibus a Constantino M. usque ad Carolum M.

## Schutz- und Schirm-Vögten.

I. Incolumitati Ecclesiarum earumque bonis, juribus ac rebus per Advocatos forenses, jurisdictionales, & œconomos haud satis prospectum erat, quia illæ non litibus modo in judiciis, nec non mala terrarum suarum cultura & clanculariis invidorum hominum fraudationibus impetebantur, verum etiam & longe periculosius aperta violentia, publicisque potentiorum invasionibus ipsæ se suasque possessiones sæpe sæpius infestari sentiebant; unde novis Advocatis, qui non legibus modo & accuratis calculorum subductionibus pro se pugnarent, sed gladio alioque armorum apparatu instructo milite in subsidium venirent, se suaque protegerent, vim vi strenue repellentes, opus erat. Id genus *Advocati Armati & Protectorii Schutz- und Schirm-Vögt*, ab aliis *Defensores* appellati fuerunt & hodiedum ita appellantur: quamvis *defensoris* nomen promiscue omnibus Ecclesiarum Advocatis datum inveniatur; nam forenses ac jurisdictionales Ecclesiam & monasteria in judicio; Oeconomi vera extra judicia contra morosos debitores & defraudatores defendunt: per quandam tamen excellentiam & singularem prærogativam, nec non defensionis efficaciam Armati Advocati præ cæteris hoc nomine cohonestantur.

II. Hosce Advocatos sagatos armisque in subsidium & defensionem Ecclesiarum venientes cum Authore anonymo *Demonstrationis Jurium Status Ecclesiastici circa temporalia ex principiis Juris naturæ potissimum deducta*, parte hujus præclari operis priore dividimus in Universales, Majestaticos, & Particulares. *Universales* suam Advocatiam ad totam Christianitatem, Ejusque ex divina institu-

.stitutione Spirituale Caput Romanum Pontificem, Sedemque Apostolicam extendunt. *Majestatici* illam intra territoria, quibus cum protestate præsunt, absolvunt. *Particulares* tantum certis ac determinatis Ecclesiis, monasteriis locisque piis tam intra quam extra sua territoria sitis, defendendo ac protegendo se impendunt. De Advocatis Universalibus, qui insimul respectu suorum territoriorum erant Majestatici, hoc & sequenti capite acturi sumus.

III. Advocatia Universalis proinde a Majestatica sequentibus differt: 1mo quod hæc intra territorium temporale Advocati Majestatici defensione sua sese contineat, nec *ratione sui* ad ecclesias extra illud positas protectionem extendat. *Illa* vero latius se expandat, & longius, quam Advocati provinciæ exporrigantur, contra infideles, Turcas, Mauros aliosque Christiani nominis hostes provehatur, & veram Christi Ecclesiam Illiusque Antistitem, ubi accessus datur, protegat atque defendat. 2do *Majestatica* cujusvis Principis ac Status, qui jure territorii gaudet, officio naturaliter connectitur, cujus potissima pars est, omnes cives, quidni & ecclesias earumque Rectores, cum plerumque inermes illæ sint, ac se ipsas defendere satis nequeant, tueri, ipsos eorumque jura sarta & integra custodire. *Universalis* econtra Imperiali Cæsareæque Majestati propria est, quod hæc singulariter & præcipue ad Barbararum Gentium irruptiones & violentas aggressiones retundendas, ne Religionem & Christi Ecclesiam devastent, pessumdent, aut in provinciis invasis exscindant, instituta noscitur, quam protectionem etiam Sacratissimi tam Orientis quam Occidentis probe Catholici Impp., maxime postquam a Summis Pontificibus humiliter implorati fuerunt, quavis ætate egregie & fortiter exhibuerunt, quod pluribus hoc & sequenti capite sumus exemplis ex historia depromptis explanaturi.

IV. Exinde patet, Utramque Advocatiam, Universalem & Majestaticam non tam jus, quam obligationem, Dignitati Imperatoriæ, Regiæ & Principali cohærentem esse, quam vi suscepti Muneris Deo & Ecclesiæ Imp. Reges & Principes præstare tenentur. Vide præter alios D. Alexandrum Hammer JCtum Bambergensem in dissertatione

*De jure Principis Catholici circa Sacra. cap. 2. §. 1.*

V. Hanc obligationem Imperantibus ratio publici, quod ipsis demandatum est officii, naturalis æquitas, & jus divinum imponit. *Ratio demandati officii*, quæ jubet non totius modo status, verum & singulorum civium saluti ac felicitati temporali pro viribus prospicere: Cives autem sunt personæ Ecclesiasticæ singulæ, & quæ eisdem conflantur, sacræ communitates, ac omnis Clericorum ordo, quorum non minus ac veræ Religionis ejusdemque Sacrorum integritas plurimum status felicitati, teste experientia notissima, conducit. *Æquitas naturalis*, quæ suadet, ut communis Reipublicæ Præses ac Pater nemini

nemini desit, & ut vinculo, quo cives inter se arcte colligantur, nimirum Religioni, cultui divino & qui illum civibus docendo, Sacramenta ministrando aliisque modis secundum Dei suæque Ecclesiæ mandata peragunt, conservando studiose vacet. *Jus divinum*, Idem enim Numen per quod Reges regnant, Principes imperant, mandat, ut justa cuilibet, potissimum, iis qui circa Sacra ex officio & divina institutione occupantur, decernant. *Prov. 8. v. 15.* Singuli inter Christianos Dominantes in publicis, quæ edunt, mandatis, fatentur, se *Dei gratia & clementia* rerum potitos, debent igitur & ipsi præ aliis reddere quæ Dei sunt, quod faciunt, fidem, templa, ecclesias earundemque possessiones, jura, privilegia tuendo, ac vindicando.

VI. *Ais*, Deus ipse Ecclesiæ suæ curam ac protectionem in se suscepit. Novimus hoc ex Sacris Evangeliis, ipsum enim Deum ecclesiam suam non in diffluente arena, sed super immobili petra ædificasse, nec portas inferi, puta omnium Gentilium, Mahometanorum, Hæreticorum & Atheistarum rabies, impetus, assultus, machinationes occultas & clancularia studia nunquam prævalitura, sed Deum illi usque ad consummationem sæculi præpotenti sua protectione affuturum *Matth. 16. & 18.* Verum nihil ista prohibent, quo minus Ecclesia Christi Advocatos & defensores sui inter homines circumspiciat, ac Cæsarum, Regum aliorumque Dynastarum auxilium opemque imploret, nisi Deum quis fanaticorum hominum more tentare, & soli Ipsi, neglectis cunctis humanis remediis omnem curam relinquere velit. Deus omnia in mundo hoc visibili juxta altissimæ providentiæ leges suaviter & fortiter moderatur, Regna excitat, & evellit, hunc deprimit, istum extollit: ast in singulis istis aliisque eventibus hominibus veluti instrumentis utitur, & ad finem sibi præstitutum dirigit ac promovet. In protegenda Synagoga & populo Judaico adhibuit Gedeonem, Samsonem, Davidem aliosque Duces & Reges, licet Deus Judaicam rempublicam ipse regeret & custodiret, igitur nihil quoque ignominiæ in Eundem redundabit, si Ecclesia Virorum potentium auxilia imploret, nam vel ideo Deus illos Viros robore ac viribus instruxit, ut Ecclesiæ suæ forent subsidio, & ut illorum potentia ad promissiones suas implendas uti posset.

VII. Hos inter altissime supereminent Sacri Romani Imperii Præsides Augustissimi Imperatores, Hi enim sunt universales Ecclesiæ ac totius Christianitatis *Advocati Protectores & Defensores Nati*, nam hoc ipso, quod Imperii Solium conscendant, & Munus Cæsareum in se suscipiant, simul Ecclesiæ & omnis Christiani populi Tutores, Defensores atque Advocati esse incipiunt: alterum ab altero separari nequit, tam arcto inter se vinculo illa conjunguntur. Hoc tam honorifico Nomine, quovis tempore Romanorum Reges ac Imperatores, ex quo Christi fidem professi sunt, ab Ecclesia ejusque supremis Antistitibus Romanis Pontificibus consalutati, ac in angustiis pro ferenda ope humili-

militer & instanter vocati fuerunt; In eam rem facit Epistola Septima S. Aurelii Augustini, quam Leoni Orientis Imperatori olim inscripsit, quæ inter alia sic habet:

„Debes Imperator incunctanter advertere, Regiam potestatem Tibi non solum „ad mundi Regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.

VIII. Quoniam vero nonnulli Imperatores Constantinum M. subsecuti sese Catholicos simulabant, intus vero tunc in oriente grassantes errores & hæreses fovebant, in Ecclesia mos invectus fuit, ut novus Imperator orthodoxæ fidei professionem sub jurisjurandi formula scripto contestaretur, Romamque ad Summum Ecclesiæ Pontificem hoc scriptum mitteret, quo præstito Illum pro Advocato habuit Ecclesia, & profunde venerata est. Docet hoc nos Germanus Patriarcha Cpolitanus, qui Leonem Isauricum, dum is in hæresin Iconoclastarum fœde prolapsus ex Advocato & Defensore Ecclesiæ factus esset illius persecutor, paterne monuit, memor esset juramenti, quod Ecclesiæ, Deo in fidejussorem dato, promiserat, se nihil Apostolicarum & traditarum legum circa eam Ecclesiam penitus innovaturum.

*Theodorus Lector L. 1. & Evagrius l. 3. c. 22.*

Quam strenue hanc Universalis Ecclesiæ ac Sedis Romanæ Romanorumque Pontificum tam in Oriente quam Occidente tutelam Imperatores probe Catholici pro Dignitatis ac Muneris sui ratione gesserint, nunc ex ordine temporum paucis referemus, a M. Constantino inchoantes.

IX. Firmissimum Ecclesiæ fulcrum M. CONSTANTINUM fuisse & Ecclesiam secundum Deum omnem fere suæ defensionis fiduciam in eo posuisse, præter omnes alios scriptores, fidem nobis facit in re historica versatissimus Cardin. Baronius: Nam dum Donatistæ in Africa Ecclesiæ Christi pacem usque adeo turbarent, ut Cæcilianum Carthagine totius Africæ Metropoli Episcopum Sede sua expellere ausi sint, patrocinium afflictæ Ecclesiæ Constantinus precibus evocatus illico suscepit, & Amolino suo in his terris Proconsuli mandavit, ut turbatores compesceret; cumque ille ob turbatorum procaciam haud multum proficeret, Melchiadi Papæ causam omnem commisit, qui seditiosos pro suo more homines per sententiam condemnavit, quam postea Imperator admotus Hæreticorum sedandos confirmavit, quo nihil Ecclesiasticæ potestatis sibi, veluti protestantes somniant, attribuit, sed Ecclesiæ per sententiæ ratihabitationem & executionem suffragatus est.

*Baron. in Annalibus ad annum Christi CCCXIII.*

X Non minorem ardorem fidei orthodoxæ exercuit contra sacrilegos & internecinos Filii Naturalis Dei hostes Arianos, Quartadecimanos, contra schisma Meletianum ac factionem Colluthianam; dum B. Sylvestri Papæ precibus assen-

ſenſit, ut Nicææ in Bythinia generale concilium adverſus tam multiplices :rores, Arianorum præprimis impietatem cogeretur: Nec aſſenſit modo in-iĉtiſſimus Eccleſiæ Advocatus, verum etiam coactum protexit, aluit, ſumptus mnes liberaliſſime ſubminiſtrans, quin & congregatos in Synodo Patres ad ıuſam Dei contra fidei Catholicæ hoſtes animoſe fortiterque gerendam cohor-ıri, Actionibus intereſſe & poſt Epiſcopos ſedere, denique & canones ac de-reta Conciliaria benevole amplexus, executioni dare juſſit, eorumque obſer-antiam conſtanter urſit.

*Baron. ad ann. CCCXXV.*

XI. Advocati Eccleſiaſtici partes malus optimi parentis filius Imperator 'onſtantius deſeruit, dum veritates Chriſtianæ fidei, divinitatem præprimis ). N J. C. fortiter impugnaret, Arii vero blasphemias omni, qua poſſet, ra-one defenderet, peſſimæ cauſæ patronus atque Advocatus; quem poſtea im-ietate & crudelitate in Eccleſiam vicit Julianus cognomento Apoſtata, ex :hriſtiano paganus & idololatra: Sed JOVIANUS ſummam rei in Imperio onſecutus Advocati Eccleſiaſtici officium impigre fortiterque obire cœpit nec uoad vixit, quicquam remiſit: pulſos enim ex ſuis ſedibus Epiſcopos & per ımmam injuriam ab Arianis peſſime habitos ex exiliis ad priſtinas ſtationes evocavit, & inter eos maximum Athanaſium, quem Arianorum furor toto fe-e orbe circumegerat, Eccleſiæ Alexandrinæ reſtituit, Hæreticorum audaciam epreſſit & Nicænam formulam ſtabilivit, plura facturus, niſi mors præmatura lum Eccleſiæ eripuiſſet.

XII. VALENTINIANUS SENIOR Conſtantini & Joviani exempla :bi imitanda propoſuit, dum enim ejus Frater Valens in Oriente Eccleſiam Ca-holicam diris modis perſequeretur, ipſe in Occidente ejuſdem patrocinium nagno robore exercuit, & eadem conſtantia, qua ſub Juliani perſecutione mi-itarem exauctorationem, & exilium pro fide catholica ipſe tulerat, illam maſ-ule defenſavit: Siquidem anno Chriſti Baſilicam Schiſmaticorum Romæ pri-nariam Damaſo Papæ, contra quem inſurrexerant, tradidit, rebelles Urbe ɔelli juſſit, dato deſuper reſcripto ad Prætextatum Urbis præfectum: Chro-ıopium quendam Epiſcopum, quod a Synodo contra Ss. Canonum decreta ad mperatorium tribunal appellaſſet, per reſcriptum ad ponderoſam mulctam ɔecuniariam in pauperes diſtribuendam condemnavit: Jura Eccleſiaſtica ex equo tutatus optime eſt: Magno fidei bono Romanas ſcholas ſaluberrimis le-;ibus inſtituit, ad quas Auguſtinus ex Africa advolavit; Viduas & pupillos a :enſu plebis exemit: Donatiſtas auſos rebaptizare, Eccleſiamque turbare com-ɔeſcuit: Mediolanenſes Ipſi Ambroſium debent: S. Martino Epiſcopo quæque ndulſit, priusquam pro iis rogaretur.

*Annales Baron ad ann.* 375.

XIII. Nec Defenſoris & Advocati Eccleſiaſtici univerſalis officio defuit GRATIANUS Imperator. Canones Concilii Sardicenſis, qui in ſchiſmate conditi fuerant, decernebant in gratiam Imperatorum, ut Epiſcopis ab inferiore poteſtate Eccleſiaſtica depoſitis liberum eſſet, Romanum Pontificem vel Imperatorem pro cauſæ in Concilio Provinciali contra ſe actæ reviſione adire. Plurimi Epiſcopi, illi præcipue, qui ob gravem hæreſis ſuſpicionem ſuas Cathedras amiſerant, ad Aulam Imperialem ſe converterunt, ubi facilius ſe triumphaturos ſperabant. Hæc res Regimen Eccleſiæ (uti cogitare pronum eſt) multum afflixit, & gubernationis rectæ curſum impedivit. Synodus Romana anno 378. ex omnibus Epiſcopis Italiæ congregata Gratianum deſuper imploravit, cujus Authoritas Imperialis 30. annis poſt C. Sardicenſe decrevit, ut Papa Damaſus apud Romam judicet accuſationes cum Concilio 5. aut 7. Epiſcoporum, & ut accuſati compellantur a Præfectis prætorio, Proconſulibus aut Vicariis eas Eccleſias dimittere, a quibus dejecti fuerint, aut Romano ſe Pontifici ſiſtere ad ſubeundum judicium: ſi vero accuſati Epiſcopi conſiſtant in longinquioribus provinciis, omnis ejus cauſæ cognitio pertinebit ad Provinciæ illius Metropolitanum: Sed ſi accuſatus ſit ipſe Metropolitanus, tum is neceſſario Romam venire debet judicandus ibidem &c. Statuit autem Imper. ut quidquid a R. P., ſive a judicibus ab eo datis, ſive a Metropolitano vel judicio 15. Epiſcoporum fuerit ſtatutum, prorſus obtineat.

*Sirmondus apud Petr. de Marca Concord. L. VII. cap. XI. ubi Imperatoris decretum legere eſt.*

XIV. MAGNUS THEODOSIUS apud Urbem Theſſalonicam anno 380. recens baptizatus, Advocatorii officii erga Eccleſiam ab Acholio modeſte, ut par erat, admonitus fidei ſuæ initia ſeditione graviſſimi Schiſmatis, quod in Cpolitana Eccleſia impietas excitaverat, conſecravit, quo ſuo facto, quam ſibi protectio Eccleſiæ cordi eſſet, illuſtre ſpecimen exhibuit.

*Theodoretus Hiſtor. Eccleſ. L. V. cap. VIII.*

Quorum longe alia plurima in glorioſiſſimi ſui Regiminis decurſu orbi & Eccleſiæ dedit: Clericorum enim oſores ac perſecutores, qui illorum oppreſſione Religionem ſubruere cogitabant, pro authoritate compeſcuit, univerſos Clericos, quos ad ſua judicia tractos ſub juris ſpecie miſere vexabant, a judicum Sæcularium foro liberos, ac eorundem infeſtationibus ſecuros, & nullius attentationis moleſtias ab eis amplius debere ſuſtinere decrevit, ſevere inſuper prohibens, ne a Sententiis Eccleſiaſticorum tribunalium ad profanas poteſtates provocetur, neve illarum executio eis demandetur.

*Cod. Theodoſ. De Epiſcop. & Clericis.*
*De Epiſcopali Audientia.*

XV. Quem-

XV. Quemadmodum THEODOSIUS Ecclesiæ bono vixerat, ita Illius Advocatiæ & defendendæ Ecclesiæ studio immortuus est, nam diem suum jamjam clausurus Arcadio & Honorio charissimis filiis suis, quos Religioni & Imperio sollicitus educaverat, ultimum mandatum dedit, ut pietatem illam, erga Orthodoxam Christi Ecclesiam & fidem, cui innutriti, & quam a Se edocti essent, intemerate & constanter servarent. Nec vacuum fuit pientissimi parentis præceptum, nam testante Nicephoro.

„Filii parenti fidem exhibentes, quæcunque Decessores eorum pii Imperatores „pro Ecclesia (*ejusque defensione*) statuerant, & ipsi confirmarunt, easque „firmiter servarunt, aliaque insuper Deo grata addiderunt.

*Lib. XIII. Histor. c. I.*

XVI. Siquidem HONORIUS in Occidente Gentiles Christianis petulanter insultantes refrœnavit, falsorum deorum simulacra e templis ejecit, comminuit, & frustra mari & fluminibus tradidit, delubra veri Numinis honoribus dedicavit: Judæos quoque paganis nihilo meliores, & Ecclesiæ plurimum molestos pro merito exagitavit, & in ordinem huic hominum fæci debitum forti manu redegit, denique immunitates Ecclesiarum & Ministrorum integras perstare voluit. Nec Segnior in Patronatu Ecclesiæ fuit Honorii frater ARCADIUS in Orientalibus tractibus, quandoquidem & ille Apollinaristas HH. magno Ecclesiæ & fidei emolumento Cpoli expulit, sacris omnibus interdictis: Paganorum furorem, a quo Catholici extrema quæque patiebantur, potenter suppressit, rogatu S. Porphyrii Gazæ Episcopi, & interveniente Eudoxia Augusta, eorum fana per militarem manum confregit, & in nihilum redegit. Verbo: Nobilissimum & Augustissimum par hoc Fratrum nihil, quod Advocati universalis Ecclesiastici ratio istis temporibus exigere videbatur, in se desiderari passi fuerunt.

*Baron. ad annos* 387. 389. & 401.

XVII. Anno a Virginis partu 431. Catholici Episcopi & greges illis subjecti Nestorianorum HH. tyrannidem Ephesi plagis, probris, calumniis, insidiis & aliis sexcentis modis gravissime experiebantur. Tantorum malorum remedium apud Supremum Ecclesiæ Tutorem, qui tunc erat THEODOSIUS Junior, Orientis Imperator, gravi oratione & submissis precibus quæsierunt, & illud mox etiam impetrarunt; Acta enim Synodi Oecumenicæ Ephesinæ, quæ Nestorio veluti hæretico anathema dixerat, sua fecit, Nestorium in exilium relegavit, pestilentes illius libros in ignem comburendos conjecit, sectatores illius honoribus privavit, divinitatem JESU Christo, & divinæ maternitatis prærogativam B. V. MARIÆ vindicavit, Ecclesiam erexit & Episcopis pacem

& amissa jura restituit, quapropter Cælestinus Papa profundas Imperatori gratias persolvit.

*Baron. ad ann.* 431. 436.

Quo eodem teste Salutationi Angelicæ verba *Mater Dei* post vocabula *Sancta MARIA* contra Nestorii blasphemias inserta fuerunt.

XVIII. In Occidentali Imperio VALENTINIANUS III. Imp. Leonis Papæ rogatu hortatuque contra conspurcatissimos Manichæos Ecclesiæ necessitatibus promptissimus subvenit, & illorum Hæreticorum ferociam per nova edicta pœnalia aliasque coërcitiones fregit, ac pacatius se habere fecit ex Bar. *ad ann.* 445. Eidem Ecclesiæ privilegium Fori per tyrannos infestatum ac pessumdatum solemni diplomate dato Aquilejæ octavo Kalendas Octobres, quod in *C. Theod. de Ep. & Cler.* refertur, confirmavit & restituit. Ejus Zelus pro vera Religione & authoritate Summi Pontificis etiam in Orientem penetravit; ad Theodosium enim ibidem imperantem inter alia scripsit:

> A. Rom. Episcopo & ab aliis cum eo ex diversis provinciis congregatis rogatus sum scribere Vestræ Mansuetudini de fide, quæ cum sit conservatrix animarum, dicitur perturbata, quam Nos a Nostris Majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ Venerationis B. Apostolo PETRO intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus BB. Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide sacerdotibus judicare.

Hæc epistola prostat *Tomo 2. CC. ante Synodum Chalcedonensem.*

XIX. MARCIANUS, qui in Orientis Imperio Theodosio, cujus sororem Pulcheriam Augustam sub voto servandi perpetuam castitatem matrimonialiter sibi copulavit, ob fidei defendendæ studium nunquam intercisum a PP. C. Chalcedonensis Novus Constantinus, Ejusque Augusta Conjunx Pulcheria Nova Helena, faustis acclamationibus consalutati sunt. Per egregiam epistolam S. Leonem Papam *possidere in divinæ fidei Episcopatu Principatum* agnovit, rogavitque, ut ad extirpandum omnem in fide errorem, pacemque Ecclesiæ per hæreticos tumultus turbatam restituendam Concilium cogeret, quod anno sequenti, scilicet 451. Chalcedone convocatum est, cujus sanctiones, ut firmius tenerentur, solemni edicto vetuit, ne quis publice deinceps de fide disputaret, in quo inter alia dicit:

> Nam vere impius atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit: extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen accendere: qui enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit .... Nam injuriam facit

facit judicio Religiosissimæ Synodi, si quis semel judicata ac recte disposita revolvere & publice disputare contendit &c.

*Baron. ad ann.* 452. *n.* 3.

XX. Et quamvis Christianissimus Princeps cum Augusta conjuge inter res Synodales consideret; nihil tamen sese immiscuit: interpellatus sæpius eis, quorum doctrinæ disquisitione sacra examinabantur, nunquam interui voluit, sed omnem causæ discussionem ac decisionem Concilio plenissime quit, bene gnarus, Laicalis Advocati esse Ecclesiarum jura tueri, non usur-e, Concilia protegere, non turbare, fidem conservare, neutiquam regere. ixit & alterum edictum pro Catholicis Alexandriæ contra Apollinaristas & tychianos HH. Clerum in pristinam libertatem, quam laudatus Valentinia- ultimis vitæ annis in vitia prolapsus afflixerat, vindicavit: Donationes ec-siis factas habuit ratas, statutis contrariis omnibus abrogatis.

XXI. Post fata Marciani Imperatoris in tuenda Ecclesia maximi tunc Im-rii Eoi Fasces LEO I. cognomento Magnus accepit: hanc dignitatem LEO Rom. Pontifex, eodem cognomine Magnus appellatus, Leoni novo Cæsari itulatus protectionem Ecclesiæ contra Hæreticos, quibus tunc universus iens scatebat, impense commendavit. Litteræ commendatitiæ, aut magis ploratoriæ novum Ecclesiæ Advocatum ad exercendum illico Protectoris ac fensoris munus excitabant: mox enim ad omnes Orientales Episcopos, qui ignam partem se Catholicos exterius simulantes, intus vero omnigenas hære- tunc grassantes animo fovebant, circulares epistolas dedit, quibus jussit, ut acti propria manu scriberent, quam quisque fidem teneret, ut eo pacto in-telceret, verene Catholici essent, an a Catholicorum fide alieni. Aliquan- ab Episcopis aliena sentientibus deceptus (quod hominis est) contra Syno-m celebratissimam Chalcedonensem a Leone Papa novum Concilium flagi-rit, sed ab eodem deceptionem edoctus destitit a petitione, & in propugnan- Synodo Chalcedonensi totus fuit.

XXII. Dum Zeno & post eum Anastasius Orienti imperantes non modo lvocati Ecclesiastici obligationes penitus negligerent, verum etiam palam clesiæ bellum indicerent, hæreticos fovendo, ac demum illorum errores nplectendo; Romanum Imperium in Occidente ab Augusto cœptum in Au-stulo anno post Christum natum 475. intercidit.

XXIII. Ruinas Ecclesiæ in Oriente per Zenonem & Anastasium illatas nperator JUSTINUS, Hormisdæ Rom Pontificis precibus & monitis exci-tus quam celerrime instaurare festinavit. Primo enim statim edicto Catholi-s omnes, qui sub Anastasio exulaverant, revocavit: tum quotquot Chalcedo-nse Concilium amplecti & prædicare detrectabant, Cathredis suis ejecit an- 519: quæstiones sibi ab Episcopis hæreticis oblatas ad Hormisdam decidendas

das transmisit anno 520: Joannem Papam I. Hierosolymam anno 525. venientem in terram prostratus fuit veneratus, & illius manu coronari voluit: templa refecit, ornavit, locupletavit: Hæreticos a publicis officiis & militaribus honoribus exclusit: Ipso procurante per Legatos Apostolicos Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali adunatio in ipsa Paschatis solemnitate omnium bonorum plausu feliciter peracta est: nihil itaque, quod ab Optimo Ecclesiæ Advocato jure desideres, ab eo prætermissum fuit.

XXIV. JUSTINIANUS quoque JUSTINI ex Sorore nepos ad Imperii culmen evectus litteras Felicis Papæ, quibus ei Coronam est gratulatus, & Advocatiæ cum ea susceptæ memoriam ingessit, gratiose excepit, & illius munia sine mora implere cœpit, quamvis ultimis vitæ suæ annis in alienas partes tractus illis defuerit. Omnia, quæ ante Imperii gubernationem possederat, Ecclesiæ donavit: publico edicto omnibus exploratum fecit, suam fidem esse vere Catholicam, illamque ab omnibus subditis assumendam suasit: in novis templis exstruendis, veteribus instaurandis, hæresibus extirpandis totus erat. Fatentur ea omnia Protestantes, ast insuper Imperatoris & universalis Advocati jus in Sacra & personas Ecclesiasticas ex Justiniani factis haud difficulter probari contendunt: Multa enim de rebus & personis Ecclesiasticis illum sanxisse, ex Ejusdem Codice manifestum esse ajunt, idque vel jure Imperatoriæ Majestatis, vel Advocati universalis Ecclesiæ.

XXV. Sed meminisse eos oportet, Justiniani tempore totum Orientem plurimis hæresibus, videlicet Arii, Nestorii, Eutychetis, hisque in multiplices ramos divisis, aliisque oppletum fuisse, non paucos insuper Episcopos his scabiebus infectos Canones CC, decreta Summorum PP. & Ecclesiasticas Sanctiones quascunque, more omnium hæreticorum temerario pede proculcasse; fortiorem proinde authoritatem, quam vel inviti metu pœnæ revereri debebant, interponere necessum fuit; unde plerique existimant, Justinianum Epiphanii & Mennæ Episcoporum Cpolitanorum suggestione occurrentes de hac materia in Codice Leges eo fine edidisse, ut & majorem authoritatem & promptiorem executionem illis conciliaret. Ac revera rem ita se habere satis manifestum redditur ex eo, quod Ecclesia Universalis Codicem Justiniani & congestas in illo leges admiserit, probaveritque, quod sane non fecisset, si Imperator Laicus prædictas Constitutiones de Fide, Ecclesiis & personis Clericalibus sua unius authoritate condidisset ac promulgasset: Sane dum Justinianus ab Ecclesia minime rogatus suo solius arbitrio Edictum contra tria illa famosa capitula Synodi Chalcedonensis de erroribus Theodori Mopsvesteni, Ibæ & Theodoreti, sub specioso prætextu, quod hoc modo Acephali omnes hujus Concilii decreta prompte essent suscepturi, impulsu Theodori Archiepiscopi Cæsareæ in Cappadocia publicari jussisset, extemplo S. Vigilium Papam primo absentem

tem per litteras, tum præsentem in faciem sibi resistentem Adversarium expertus fuit. Inane igitur ex Codice Justinianeo pro jure condendi Leges Ecclesiasticas, quod Ecclesiæ universalis Advocato recentiores attribuunt, argumentum derivatur.

XXVI. JUSTINUS II, qui Justiniano Avunculo suo in Imperio successit, Ecclesiæ Patrocinium mira pietatis ac animi propensione suscepit; Hæc Eundem impulit, ut damna, quæ Justinianus ultimis vitæ annis in hæreses lapsus Ecclesiæ & fidei Orthodoxæ intulerat, resarciret, atque in pace, quoad vixit, contra variorum machinamenta, illam perdurare curaret: quod Ecclesiæ protegendæ studium suo in Imperio Successori Tiberio, quem quadriennio ante mortem videlicet anno 578 in Socium assumpserat, enixe commendatum voluit, cum enim Regiam illi Purpuram injiceret, dixit ad eum:

> **Honora Deum & Ecclesiam Ejus, olim Heram, ac Dominam, nunc vero Matrem tuam:**
>
> *Nicephorus L.* 17. *H. Eccles. C.* 40.

A qua admonitione TIBERIUS quoque per omnem vitam ne ad latum crinem deflexit, firmus ac constans semper Ecclesiæ Tutor, & veræ fidei propugnator egregius: S. Gregorium postea Magnum Papam, qui apud eum Pelagii R. P. Legatum Apocrisiarium egerat, magnis semper honoribus affecit, cujus suasu etiam Eutychii Cpolitani Episcopi librum, quo futuram carnis resurrectionem impugnavit, in ignem conjici & comburi mandavit.

*Baron. ad annum* 586.

XXVII. PHOCAS Imp. quamvis in Mauritium antecessorem & ejus liberos aliosque crudelis, ac impuris libidinibus deditus fuerit, propitium tamen Ecclesiæ Advocatum egit, nam optimorum in Oriente Imperatorum exempla sequutus Catholicæ fidei professionem pro more Romam misit, insuper pollicitus, Ecclesiam quietam & omnibus dissidiis immunem se præstiturum, & totum late per Orientem tuiturum; datæ promissionis fidem quoque liberavit: ab eo Bonifacius Papa IV. Pantheon, templum illud Romæ nominatissimum impetravit, B. M. Virgini & Ss. Martyribus postea dicatum. Singularem laudem meretur ab edicto, quod anno 606. edidit, quo vetuit, ne Cpolitanus Antistes sibi nomen Oecumenici sive universalis Episcopi assumeret, illam appellationem soli Ecclesiæ Romanæ debitam contestatus.

XXVIII. Impetum hic faciunt Protestantes Scriptores in Sedem Apostolicam, uno fere ore clamantes & dicentes, Romanum Pontificem Universalis & Oecumenici Episcopi titulum uni Phocæ crudeli tyranno in acceptis referre debere. Sed commune argumentationis vitium id esse ipsis sæpe advertimus

& notavimus, quo a termino restricto ad terminum simpliciter ac fine restrictione acceptum arguunt. In C. Gen. Lateranensi Innocentius III. mandat, ut singuli fideles, qui ad annos discretionis pervenerunt, quovis anno saltem semel sua peccata proprio sacerdoti confiteantur, sicque aliud non egit, quam ut tempus annuum desidibus præscriberet, ut habet *cap. omnis utriusque 12.* ✠. *de pœnit. & remiss.* Id quod Polemici nostri ad oculum ex CC. & PP. antiquioribus evincunt. Et nihilominus non erubescunt inde concludere, quod Innocentius III. confessionem auricularem primus adinvenerit, fidelibusque injunxerit. Titulus Oecumenici præterquam quod Primatui Ecclesiæ, non minus ac Advocati Imperatoriæ Majestati adhæreat, jam Romanis Pontificibus longe ante Phocam a Valentiniano III., Marciano, Justiniano I. & aliis, imo & a C. Chalced. Leoni Papæ datus est. S. Gregorius M. hunc titulum quidem respuit, at non absolute, nam alias dictis contrarium egisset, sed pro illis, quæ tunc erant, temporum circumstantiis, ubi Joannes Cpolitanus patriarcha hoc nomen solus sibi usurpare audebat.

XXIX. Heraclius & Constans Vacuum Advocati nomen gestarunt, imo defensionis loco persecutiones nec paucas, nec leves contra Ecclesiam suscitarunt, sed melior successit CONSTANTINUS IV. cognomento Pogonatus vel Barbatus, qui numeros omnes boni Imperatoris & Ecclesiæ Defensoris explevit: nam pacificationi Ecclesiæ, & hæresum, Monothelitarum præcipue extirpationi totum se impendit: Concilia Romæ sub Agathone Papa & Cpoli in Trullo i. e. fornicato Palatii Cæsarei loco celebrata protexit. Quidquid opis Agatho, Leo II. & Bened. III. in Ecclesiæ angustiis petierunt, alacer ac lætus sine dilatione afferebat: concessit insuper, quod Gothorum Reges rerum in Italia tunc potiti usurpare solebant, ut summus Pontifex non exspectato Imperatoris assensu consecrari possit: denique, ut alia taceamus, Benedicto Papæ Liberos suos in filios dedit, eo fine, ut hunc velut Parentem amarent, eique plus honoris ac obedientiæ præstarent.

*Baron. ad an. 684. n. 7.*

XXX. Post Justinianum II. Imperio amisso restitutum, qui Constantinum Papam Bizantii honorifice & cum osculo pedum anno 710. excepit, in Oriente omnia tumultibus peragebantur, nam Imperatores aut imperio, aut vita, vel utraque simul exuebantur, uti Philippicus Bardanes, Anastasius II, Theodosius IV. & alii. Aut Iconoclastarum impietatem omni, quo poterant, robore publice propugnabant, uti Leo III. Isauricus, ejus filius Constantinus V. alias Copronymus, Leo IV, Constantinus VI, Nicephorus, Leo V, Michaël Balbus, Theophilus. Unde Christi Ecclesiam non modo non protegebant, sed modis omnibus divexabant. Roma interea temporis a Barbaris Africanis, ab Aistulpho Longobardorum Rege innumeras miserias & calamitates

per-

perpessa Cpolitanos Imperatores, Veluti suos Advocatos ac Defensores in subsidium sæpe sæpius supplex vocabat, ast amisso subinde Exarchatu Ravennatensi frustra in luporum faucibus jamjam hærens Christi ovicula pastorem inclamavit: quandoquidem Legati, quos Stephanus Papa anno 753. ad Copronymum opem petituros miserat, ægre vitam retulerunt.

XXXI. Quapropter laudatus Papa Stephanus a suis Advocatis omnino desertus se ad PIPINUM Francorum Regem convertit, illumque ipse in Galliis adiit, & una cum duobus filiis Carolo & Carolomanno Parisiis in Reges coronavit, cui Pipinus interposita Jurisjurandi fide urbis Romanæ & Ecclesiæ defensionem largissime appromisit, sicque Ecclesia Advocatum & Defensorem, quem in Oriente antiquum amisit, singulari Numinis providentia rem gubernante, in Occidente novum feliciter invenit.

*Baron. ad ann.* 753. *&* 754.

XXXII. PIPINUS Rex promissis Germana fide exactissime stetit, nam superatis Alpium angustiis cum valido exercitu Italiam ingressus eodem adhuc anno Aistulphum in angustias redegit, compulitque, ut Romanis pacem donaret, & ablata se restituturum sponderet. Sed cum retrogresso Pipino Aistulphus promissa non expleret, ac nova insuper obsidione Romam cingeret, terras circumpositas expilaret, ac ferro flammaque vastaret, Pipinus iter in Italiam relegit, ac Longobardum coëgit, non modo Pontifici & Romanis ex integro satisfacere, verum etiam Exarchatum Ravennatensem, quem Longobardi Græcis eripuerant, Ecclesiæ ditioni adjicere.

XXXIII. Quod auxilium Stephanus Papa apud Pipinum contra vim Aistulphi Regis, hoc Adrianus I. contra Desiderii inter Longobardiæ Reges postremi potentiam & impetus in Carolo Pipini filio anno 772. invenit; nam is per Legatos Romanos in opem vocatus cum multa militum manu in Italiam veniens Desiderium Papiæ diu obsessum cepit, & Ecclesiæ tam infestum Longobardiæ regnum penitus excidit. Tum Carolus Romam faustis acclamationibus ingressus donationem nuper a suo Parente factam super corpus B. Apostoli PETRI solemni scripto confirmavit, ac insuper copiose auxit. Hæc de Imperatoribus Ecclesiæ Protectoribus ante tempora Caroli Magni in utraque plaga Orientis videlicet & Occidentis. Nunc de Imperatoribus post instauratum in Occidente Imperium.

# CAPUT IV.

## De Imperatoribus Ecclesiæ Universalibus Advocatis Protectoribus a Carolo M. ad usque nostra tempora.

I. Tot tantaque in Ecclesiam & Sedem Apostolicam merita CAROLUS M. Rex Francorum invictissimus auxit, dum Romam una cum Filio suo Pipino veniens Leonem Papam tertium a gravissimis malevolorum calumniis liberavit: Venientem Leo gravi oratione in loco, qui *Lippia* dicebatur, anno 799. allocutus est, in qua rationem reddit, quare neglectis Imperatoribus Græcis tanquam ordinariis Ecclesiæ Advocatis opem suam, Caroli Francorum Regis, efflagitaverit: Verba Sigonius refert, & merentur recitari, sunt autem sequentia:

Equidem diffiteri non possum, debuisse me in his calamitatibus ad Imperatoris (*Orientalis*) fidem auxiliumque confugere, quem Tutorem ac Patronum sibi Ecclesia jam pridem habet constitutum; verum præterquam, quod Imperatores jam dudum ita se adversus Ecclesiam gerunt, ut plus ab iis detrimenti metuendum, quam auxilii exspectandum esse videatur, . . . Gratias autem Deo ingentes ago, quod . . . Imperatore Ecclesiæ patrocinium deferente, TU extitisti, qui ad Ejus salutem dignitatemque tuendam non solum opes ac virtutem incredibilem, sed studium etiam ac fidem Nobis adhibes singularem.

*Sigon. lib. IV. de Regno Italiæ.*

II. Sed extraordinaria, subsidiaria & interimistica fuit illa tum temporis a Carolo & gloriosis suis Majoribus Francorum Regibus Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ suscepta universalis Advocatia, electitia non nata, donec tandem anno sequenti octingentesimo in festivitate Natalis Domini Idem Pontifex divino plane impulsu CAROLUM, applaudente Senatu ac Romano Populo in Occidentis Imperatorem proclamavit, inunxitque. Tunc enim modo præclarissimus hic Heros Advocatiam universalem Ecclesiæ *ordinariam* ex Imperatorio munere impetravit & sub jurejurando assumpsit, ad omnes in Imperio Successores transituram.

Vide *Polydorum Vergilium L. IV. de invent. rerum.*
*Sebast. Münsterum Luther. L. II. de Regno Italiæ.*

III. Novus hic Imperialis Solis splendor Patriciatus Romani lumen, quo antea Carolus effulserat, absorbuit, vel secum ipso confudit: nam & Patritii, quo honoris nomine Francorum Reges, teste Illmo Petro De Marca *Concord. Sacerd. & Imper. Lib. I. C. XII. nr. V.* jam ab anno 759. coruscarunt,

t, urbis Romanæ, Populi & Pontificum erant protectores defensoresque; electitii & pactitii, non ex officio & munere Regio; quia etiam Arianis ɔribus ex asse dediti Longobardorum Reges, quemadmodum Theodor- & alaricus aliique in Patritios & Defensores Romanos adversus Græcos Eccle- invisos, eorumque Ravennæ Exarchas: & contra iterum Exarchæ, contra ɔgobardos Patritii a Romanis creati & salutati fuerunt, prout nimirum ne- itas & temporis ratio exigebat.

IV. CAROLUS igitur antea solum Rex Francorum, nunc etiam Occi- tis Imperator alacri animo, quam gesserat jam antea, fidei & Ecclesiæ Ro- ıæ Advocatiam suscepit: & quod rem serio gesturus esset, sub Jurisjurandi nula (maxima & integra priscorum religione) obligare se voluit. Formu- , Baronius ad annum 800. enarrat *ex ordine Romano*, seu libro Rituum R. l. quæ ita habet:

> ı nomine Christi spondeo, atque polliceor ego Carolus Imperator coram Deo & B. Petro Apostolo, me Protectorem ac Defensorem fore hujus S. Rom. Ecclesiæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout sciero poteroque.

V. Tenor Jurisjurandi, quo communiter Neoelecti Rom. Reges se ad lesiæ & Sedis Romanæ protectionem defensionemque astringunt, contine- in Pontificali Romano, Illudque Clemens Papa V. in suis constitutionibus :retalibus adducit sequentibus:

> ;go NN. Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator, promitto, spondeo & polliceor, atque juro coram Deo & B. Petro, me de cætero Protectorem, Procuratorem & Defensorem fore Summi Pontificis, & hujus Sanctæ Rom. Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores & jura Ejus, quantum divino suffultus adjutorio fuero, secundum scire & posse meum, recta & pura fide: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

*Cap. Romani Principes I. in Clementinis de Jjurando.*

VI. Tantus Princeps, qualis erat Carolus Augustus neutiquam hoc, de ı agimus, Protectorii Advocati nomen palam prædicare erubuit, quin adeo ıt sibi apprime gloriosum aliis suis titulis adjungere, eoque nomine mul- ı gloriari visus est, quod David Hoppinck JCtus Lutheranus verum de Ca- ɔ scripsit: ipse adeo Goldastus *tom. 3. p. 5. suarum Constit. Imp.* testatur, ıd novus ille Occidentis Sol & Imperator edictis fuit præfigere amaverit:

> Carolus devotus Sanctæ Ecclesiæ Defensor, humilisque Adjutor in omnibus.
>
> Item: Carolus Filius ac Defensor Sacræ & Romanæ Ecclesiæ.

:fationi Capitularium, quæ ex dictis sunt collectio Legum Ecclesiasticarum,

 ex

ex Conciliorum & Summ. Pontificum decretis ad preces Ecclesiasticorum Prælatorum, interposita authoritate, Caroli, per ipsos Clericos facta inscribi mandavit:

Ego Carolus Gratia Dei, Ejusdemque misericordia donante Rex & devotus Sanctæ Ecclesiæ Defensor, humilisque Adjutor.

VII. Quam belle facta Caroli titulis hisce ac verbis corresponderirint, quamque strenue ante & post aditum Imperii culmen partes Advocati Ecclesiastici, ac veræ Religionis Defensoris ubique terrarum contra Ecclesiæ & fidei hostes obiverit, ex Illius gestis satis superque omnibus constat; fulminis enim instar ubivis locorum aderat, in quibus aut necessitas, aut utilitas Ecclesiæ illud expetebat: Saxones, perniciosissimos eo tempore Christi hostes, penitus fregit: Hunnorum principem Caganum, religione Christianum contra infideles barbarosque Bohemannos Sclavos in tutelam magno fidei commodo recepit: Saracenos ex Sardiniæ & Corsicæ insulis jam occupatis toti Italiæ insidiantes expulit: terras victoriis partas Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis erectis magna ex parte donavit: Ecclesiasticam libertatem serio & constanter propugnavit; verbo: Ecclesia bonis omnibus per gloriosissimum hunc suum Advocatum repleta fuit, quem propterea gratissimo affectu veneratur, & nullo ævo summis laudibus extollere cessabit.

VIII. Uti Augustissimus Imperator Carolus in omni sua vita Ecclesiæ tutelam constanter cordi habuit, ita eandem Serenissimis suis tribus Filiis Ludovico, Pipino, & Carolo in tabulis testamentariis anno Christi 806. erectis sollicite commendavit: Passum ex testamento Baronius hisce refert:

Super omnia autem jubemus, ut ipsi 3. Fratres curam & defensionem S. Petri simul suscipiant, sicut quondam ab Avo Nostro Carolo (*Martello*) & beatæ memoriæ Genitore Pipino Rege, & a Nobis postea suscepta est, ut Eum cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant: Similiter & de cæteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus.

Deinde morti proximus sibi in Imperio succedenti Filio Ludovico Pio inter alia hoc quoque monitum saluberrimum dedit, serio & constanter studeat:

Omnipotentem Deum diligere & timere, ejus præcepta servare, Ecclesias defendere a pravis hominibus, deinde Sacerdotes honorare ut patres, populum diligere ut filios, superbos & nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere, cœnobiorum consolatorem & pauperum esse.

*Baron. ad ann.* 813. *n.* 13.

*Ex eo Gualterus in tabulis Chronographicis, Sæculo oct. ab anno* 700. *ad* 800.

IX. Pia

IX. Pia ſacratiſſimi Parentis monita LUDOVICUS I. poſt ejus mortem omnes numeros obſervavit; quandoquidem novas turbas contra Leonem ıpam tertium excitatas per Bernardum Fratris ſui Pipini Filium ſedavit: Steıanum IV, a quo Imperialem Coronam ipſe cum Auguſta conjuge Irmingarı obtinuerat, magnis muneribus cumulavit: Paſchalis Imi Rom. Pont. ro.tu Conſtitutionem, qua in Conventu Aquenſi Donationes a Pipino & Carolo I. Eccleſiæ Romanæ factæ confirmatæ fuerunt, cum magna ſolennitate anno 17. promulgari juſſit, ac inſuper, quod ante omnia commendari meretur, ections Summorum Pontificum omnino liberas ſemper eſſe voluit. Deniıe ultima Ludovici vere Pii voluntas Paternæ prorſus ſimilis erat, ſic enim 3. liis ſuis Lothario, Ludovico & Carolo in eadem præcepit:

„Ut curam & defenſionem Eccleſiæ S. Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam a „proavo noſtro Carolo (*Martello*) & Avo noſtro Pipino, & B. Mem. Ge„nitore Noſtro Karolo Imperatore, & a Nobis poſtea ſuſcepta eſt, ut eam „cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, quantum ad Ipſos per„tinet, & ratio poſtulaverit, habere faciant; Similiter de cæteris Eccleſiis, „quæ ſub illorum ſunt poteſtate, præcipimus, ut juſtitiam ſuam & hono„rem habeant.

*Goldaſtus Tom. II. Conſtit. ut ipſe vocat, Imperialium.*

ır ultima tabularum teſtamentariarum verba Ludovicus Imp. Advocatiam ıperatoriam & Univerſalem a Majeſtatica ratione territorii competenti accute diſtinguit.

X. Impoſitam ſibi Advocatiæ & Eccleſiaſticæ Defenſionis provinciam ınes tres piiſſimi parentis filii egregie adminiſtrarunt; id quod ex congreſ, quem in villa Turriſiaca anno 865. eum in finem inſtituerunt, eluceſcit,

„Ut Eccleſia, *ita inquiunt*, in noſtro tempore neceſſariam defenſionem, & tui„tionem, & honorem, atque ſoliditatem habeat.

*Schilter L. 2. Inſtit. Jur. publ. tit. 7. CC. 3. & 6.*

oc ipſum corroborat epiſtola LUDOVICI II. Imperatoris ad Baſilium in riente imperantem anno 871. data. Conqueſtus eſt per ſuos Legatos Baſiıs apud Ludovicum, quod Imperatoris nomen & honorem ſibi uſurparet. lit Ludovicus Baſilio *apud Baronium ad dictum ann. 871.*

Hoc Imperatoris nomen & dignitatem a Romanis aſſumpſimus, quorum Gentem & Urbem divinitus gubernandam, & Matrem omnium Eccleſiarum Defendendam ac ſublimandam ſumpſimus, ex qua & regnandi prius, & poſtea Imperandi authoritatem Proſapiæ Noſtræ ſeminarium ſumpſit.

XI. Advocati Eccleſiæ Univerſali non minus ac Majeſtatici titulo veluti i multum honorifico cuncti ex Carolingica Stirpe prognati Imperatores plau-

plauserunt, quorum gloriosa exempla Successores, ex aliis & aliis stemmatibus ad Imperiale Solium evocati Cæsares sibi imitanda sumpserunt, indecorum rati, vacuum Advocati nomen gestare, nec cum imperiali sceptro sub jurisjurandi fide susceptam Ecclesiæ tutelam gnaviter & utiliter administrare.

XII. De OTTONE M. ex Duce Saxoniæ invictissimo Imperatore, præter alios fidem facit Gratianus in suo Decreto *can. 33. dist. 63.* quod Ille Papæ Joanni XII. ex munere Advocati jurato promiserit, se omnia Ecclesiæ præprimis Romanæ jura confirmaturum ac defensurum. Nec fefellit Pontificem, nam dum is a Berengario, qui se pro Rege Italiæ gerebat, & ab illius filio multa inique pateretur, Ottonem in auxilium vocavit, qui Romam cum exercitu veniens hostibus suppressis Pontificem omni molestia liberavit. Nec Otto III. Gregorio V. contra Joannem, qui per factionem Crescentii, viri inter Romanos tunc præpotentis Antipapa creatus erat, suo subsidio defuit, nam Otto in Italiam cum valida militum manu irrumpens Crescentii audaciam compressit, & Pseudo-pontificem male mulctavit. Agnovit ingens Advocati sui beneficium Gregorius, & in Synodo, quod Romæ coëgit, de sui Liberatoris consilio constituit, ut jus Imperatorem & Universalem Ecclesiæ Advocatum eligendi, solis Germaniæ Principibus, quorum tamen numerum ipse non determinavit, perpetuo transcriberetur.

*Baron. ad ann.* 996.
*Cap. Venerabilem* 34. ✠. *de electione.*

XIII. Ad HENRICUM I. aliis II. ex Serenissima Bavarorum Gente, postmodum inter Sanctos relatum Benedictus VIII. in Germaniam se ipse contulit, opem adversus quendam Gregorium, a quo sacrilego ausu Roma ejectus fuerat anno 1012. efflictim rogans, & altero mox anno eam a Zelosissimo sui & Ecclesiæ Defensore copiose & cum optatissimo effectu impetravit. Sanctus hic Imp. in solemni sua coronatione a Pontifice interrogatus: *Num fidelis vellet esse Patronus & Defensor Ecclesiæ?* absque hæsitatione promptissimus affirmavit, & per omnem vitam suam, id quod verbis affirmaverat, præclaris factis sæpissime comprobavit; nam & Græcos Romæ jamjam appropiantes fudit, & tota Italia emigrare coëgit anno 1023. Bambergensem Ecclesiam magnificentissime extruxit, amplissime dotavit, & omni juri Metropolitico subductam Romano Pontifici immediate subjectam esse voluit. Paucæ in Imperio tum temporis fuerunt Ecclesiæ, quæ Ejusdem tutelam non senserint ac deprædicarint; quin ultra Imperii fines Religionis dilatandæ studium Illius excurrens Stephanum Hungariæ Regem una cum latissimo Regno prope toto ad fidem Christianam adduxit.

*Baron. ad ann.* 1024.

XIV. Dum

XIV. Dum LOTHARIUS II. Imp. & CONRADUS Rom. Rex desideratas suppetias petitasque ab Innocentio II. & Eugenio III. malevolorum suasionibus decepti Ecclesiæ aut negarent, aut æquo longius differrent, S. Bernardus Claræ Vallis Abbas, ex cujus disciplina Eugenius prodierat, Sanctæ Sedis nomine utrumque per litteras modeste, uti par erat ob Majestatis prærogativam, Advocatiæ Ecclesiæ cum Sceptro Imperiali assumptæ commonuit. Lotharium quidem:

Non est meum hortari ad pugnam, est tamen Advocati Ecclesiæ arcere ab Ecclesiæ infestatione Schismaticorum rabiem. *Epist.* 139.

Conradum vero:

Utrumque interesse Cæsaris constat, & propriam tueri Coronam, & Ecclesiam defensare: alterum Regi: alterum convenit Ecclesiæ Advocato. *Epist.* 243.

XV. FRIDERICUS I. cognomento Barbarossa Sueviæ Dux, dum Romæ ab Hadriano Papa IV. Coronam Imperii solemni pompa accepit, protectionem Ecclesiæ sub juramenti religione spopondit: juratam sponsionem plus vice simplici fideliter exsolvit, quando nimirum Hæresiarcham quendam Arnoldum nomine, qui Romanos ad seditionem contra S. Pontificem & universum Clerum concitaverat, optime commerita pœna affici jussit, quo facto pax Ecclesiæ reddita est: quando Lucio Papæ III. adversus tumultuantes Romanos opportuno subsidio venit: denique quando commissa errata expiaturus Clementis Papæ III. hortatu exercitum 1 o. armatorum millibus & 55. navigiis constantem pro Christiana fide in Oriente partim conservanda, partim restituenda fidelis Advocatus duxit, cui sacræ expeditioni cum maximo Religionis & Ecclesiæ damno immortuus fuit, aquis misere absorptus.

XVI. RUDOLPHI I. ex Comitibus de Habsburg ad Summum Imperii fastigium evecti rara constansque in Ecclesiam pietas, nec minor in rebus strenue gerendis fortitudo neglecta a Friderico II. aliisque intermediis Imperatoribus prætermissa Advocati Ecclesiastici officia iterum ad debitos usus revocavit, ac revocatos, quoad superstes in humanis fuerat, firmiter tenuit. Ad instantiam Nicolai Papæ III. veterum Impp. donationes Sedi olim Apostolicæ factas confirmavit, & a quibusdam Antecessorum suorum imminutas redintegravit, jura ejusdem & privilegia corroboravit, eumque Gregorius X. & Nicolaus III. in omnibus & singulis, quæ in Ecclesiæ favorem ac commodum postulavere, semper propitium faventemque sibi Advocatum ac Patronum experti sunt.

XVII. ALBERTUS I. Rudolphum parentem non tam in Imperiali Solio, quam in Tutela Ecclesiæ secutus est, primus Austriacæ nuper a Rudolpho, maximo Ecclesiæ emolumento plantatæ Arboris Surculus. De eo C.

Baronius *tomo 10. annal.* producit epiſtolam ad Bonifacium VIII. directam, in qua ſuam obligationem, Eccleſiam ex ſupremi Advocati munere protegendi candide profeſſus de Se ſcribit:

> Pia devotione & ſincero corde profiteor; quod Rom. Reges, in Imperatores poſtea (*per coronationem tum temporis a Papa fieri ſolitam*) promovendi per Sedem Apoſtolicam ad hoc potiſſime aſſumuntur, ut ſint S. Rom. Eccleſiæ, Advocati, Catholicæ Fidei ac ejusdem Eccleſiæ *Catholicæ* præcipui Defenſores.

Talem quoque ſe omni, quo Imperium rexit, tempore Albertus geſſit, nam & univerſa veterum Impp. jura & privilegia, quibus illi Eccleſiam Romanam exornarant, Bonifacio 8vo conſtabilivit, & ab eodem imploratus Wenceslao Bohemiæ Regnum invadenti obſtitit, ac inſimul paganos, qui in Chriſtianos puerulos crudeliſſime ſæviebant, cruenta decem millium clade affecit.

*Baron. ad ann.* 1303.

XVIII. Henricus VII Lutzenburgicus & Ludovicus V. alias IV. Bavarus officio Advocati in plurimis defuerunt, Eccleſiam defenſionis loco exagitantes, ejusque jura & privilegia conculcantes, ſed rem Carolus IV. Bohemus anno 1346. in Imperatorem deſignatus, & Romæ ſub Innoc. Papa VI. per Legatos Cardinales an. 1354. coronatus in integrum reſtituit, verus ſemper ac fidelis Eccleſiæ Advocatus & Protector: quod multis exhibuit, nam pro fidei tutamine Academiam toto orbe celebratiſſimam Pragæ inſtituit: Baſileæ coram Patribus ex Schismate ad pacem reverſis evaginato gladio Evangelium: *Exiit Edictum a Cæſare*, quo illos in obedientia Eccleſiæ firmaret, publice cantavit: factiones Gibellinorum contra Guelphos in Italia Sedi Apoſtolicæ valde moleſtos ſedavit: potens auxilium contra juratos fidei hoſtes Turcas attulit: temerarios immunitatum Eccleſ. oppreſſores ſolemni conſtitutione anno 1359. coërcuit: utque Eccleſiæ in futurum quoque proſpiceret in Aurea ſua Bulla Archiepiſcopo Electori Moguntino, S. R. I. Archi-Cancellario & Collegii Electoralis Decano jurisjurandi formulam præſcripſit, vi cujus ille non niſi Idoneum Principem in R. Imperatorem, qui ſit Temporale Chriſtiani Populi Caput, promovere & eligere teneatur.

*Aurea Bulla cap. II. §. III.*

XIX. Robertus vulgo Rupertus Comes Palatinus Rheni & Bavariæ Dux in locum exauctorati Wenceslai electione Summos Imperialis Majeſtatis honores adeptus eſt. Is anteceſſoris ſui ignaviam & Eccleſiæ illata detrimenta, quantum perturbati & in factiones diviſi Imperii non minus atque Eccleſiæ ratio admittebat, ſua induſtria, & ardenti pro Religione Zelo ſtrenue emendavit. Nihil ſane omiſit, quo omnes Eccleſiaſtici Advocati partes quam exactiſſime impleret: publicum Sacramentum de tutanda Eccleſia & Ejus

Ca-

Capite Spirituali toto pectore edixit: cum exercitu in Italiam pro salute Bonifacii Papæ IX. alacer venit: Gregorii XII. causam contra Antipapam Petrum de Luna Gallum, sub nomine Benedicti XI. seu XIII. se pro Romano Pontifice gerentem mascule defendit: In Germania Schismaticorum tumultus & subnascentes errores sollicite compressit, ab omnibus virtutibus Regiis, pietate præprimis, sapientia, clementia & solertia commendatissimus Advocatus cum maximo Ecclesiæ luctu decessit.

*Annal. Odorici Raynaldi ad an.* 1401.
*Onuphrius ad ann.* 1400. *&* 1410.
*C. Baron. ad eosdem annos.*

XX. SIGISMUNDUS Hungariæ Rex RUPERTUM in Imperio & Universali Ecclesiæ Tutela secutus a præclarissimis sui in utroque Antecessoris haud recessit exemplis. Advocatiæ Ecclesiasticæ titulo & officio non raro gloriari auditus est, cui abunde quoque satisfecit. Inter plurima, quæ Ecclesiæ præstitit protectionis auxilia illud præcipuum retulisse sat erit, quod in convocando & tuendo C. Constantiensi & tollendo magno Schismate Regiam operam & omnia Advocati Imperatorii munia felicissimo eventu navaverit: in constitutione desuper edita ait: *Nos tanquam Romanæ Ecclesiæ Advocatus, dicti Concilii Defensor .... dictam electionem* (novi Ecclesiæ Universalis Antistitis) *fore tutam liberam & securam.* Et posteaquam Eugenius IV. Synodum Basileensem dissolvere statuerat, Eidem Avisamenta anno 1433. transmisit cum epistola, in qua legere est:

Nos accensi Zelo, quem gerimus ad religionem fidei, & affectu filiali, quem habemus ad Vestram Sanctitatem, ad satisfaciendum quoque debito Nostro, quod Nobis tanquam Romanorum Regi, Advocato & Defensori Ecclesiæ incumbit, præmittimus Vestræ Sanctitati hic inclusa certa Avisamenta.

*Apud Goldast. Const. Imp. tom.* 3.

XXI. FRIDERICUS III. Austr. patruelis ALBERTI II, cui post unius anni Regimen demortuo successit, verum ac sollicitum Advocatum Ecclesiæ ab anno 1440. usque ad annum 1493, quo commune naturæ debitum persolvit, se comprobavit; teste Magero publico scripto Advocati munus sibi incumbere contestatus:

Cum omnibus, *inquiens*, Ecclesiis in Imperio Nostro constitutis debeamus patrocinari, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tanto impensius debemus providere, quanto ipsius cura ac defensio a divina providentia creditur Nobis esse commissa specialius.

Eo nomine Pius Papa II. celebratissimum Fridericum hunc nostrum impense rogavit, ut Christiano exercitui in expeditiones orientales contra Mahumetanos


nos

nos ducendo ſuprema authoritate præeſſe non gravaretur. Litteræ S. Pontificis Mantuæ die 20. Januarii anno 1460. ad Imp. datæ ita loquuntur:

De Duce ad tantum bellum cogitantibus Tu Nobis occurriſti, cui ex officio Imperiali debitum cenſeatur, cui omnes gentes parere & ſubeſſe non dedignantur.

*Magerus cit. diſſ. cap. 3.*

Concordata Suo & totius Nationis noſtræ Germanicæ nomine cum Nicolao Papa V. erexit, & ita pacem Imperium inter & Sacerdotium firmavit: Antipapam Felicem ejusque aſſeclas perſecutus, Nicolai econtra & Eccleſiæ patrocinium in publicis Ordinum Imperii Conventibus palam profeſſus eſt, Schisma Baſileenſe illius opera extinctum fuit.

XXII. MAXIMILIANUS I. non minori cura atque alii ex Auguſtiſſima ſua Domo glorioſiſſimi Majores Eccleſiaſticam Advocatiam ſuſtinuit; quandoquidem ſacram militiam, quam Fridericus Parens ſuus contra Turcarum graſſationes inſtituerat, ille anno 1494. auxit: in Conventu Wormatienſi Juſtiniani Imp. conſtitutionem contra blasphemos reſtituit: Francofurti Comitia de tuenda Religione adverſus Bohemos hæreticos & Turcas anno 1503. celebravit; eorumque impetus ac tumultus magna clade illis illata compeſcuit. Per epiſtolam Lutheri motus Leoni Papæ X, quem Beatiſſimum Patrem & Reverendiſſimum Dominum ex Comitiis Auguſtanis appellavit, ſignificavit, eo fine, *ut Sinceritas Chriſtiana non lædatur & ſcandalizetur:* addens: *Nos enim, quidquid Beatitudo Veſtra ſancte ſtatuerit in Imperio noſtro ad laudem & honorem Dei omnipotentis & Chriſti fidelium ſalutem, ab omnibus obſervari faciemus.* Denique moriens abſentibus nepotibus ſuis Carolo & Ferdinando præcepit:

Renunciate Carolo & Ferdinando, ut Majorum inſiſtentes veſtigiis, Fidem Catholicam, a Germanis hactenus cultam, adverſus novorum dogmatum authores etiam cum vitæ periculo defendant.

*Pelzhoffer in arcan. ſtat. tract. de Relig. c. 28. epiſtolam vide Tom. 1. edit. Wittenb. anno* 1582.

In Rec. Imp. Auguſtæ de anno 1518. §. *erſtlich*, nec non in Receſſu Treviris & Coloniæ 1512. erecto §. IV. de ſe affirmat plaudens:

Wür als rechter Vogt und Schirm-Herr der Chriſtlichen Kirchen.

XXIII. Ejusdem Advocatiæ Univerſalis titulum immortali laude digniſſimus CAROLUS hujus nominis V. poſt Maximilianum Imperator in Conſtitutione contra Anabaptiſtas anno 1529. Spiræ edita allegavit, §. 39. ajens:

Als Römiſcher Kayſer, Oberſter Vogt, und Beſchirmer unſeres Heiligen Chriſtlichen Glaubens.

Eundem repetiit in Receſſibus Imperii, veluti Auguſtæ an. 1530. §§. 9. & 10.

Nach-

> Nachdem aber uns, als Römischen Kayser und Oberften Vogt der Christenheit, aus auferlegtem Ambt gebühret, wie wür uns auch Schuldig erkennen, den Christlichen Glauben, wie derselbig durch die Heilige gemeine Christliche Kirch bis anher ehrlich und löblich gehalten und vollzogen, zu handhaben.

Et Ratisbonæ in Comitiis anno 1541. §. 19.

> Aber Churfürsten, Fürsten und gemeine Ständ haben . . . Uns, als Advocaten und Beschirmer der Christlichen Kirch unterthäniglich ersucht.

XXIV. Hoc ipso Advocati nomine Protestantibus Salvum Conductum ad Concilium Generale, Tridenti a Paulo III. inductum, libere accedendi & ab eodem pro lubitu recedendi, in Comitiis Augustæ anno 1551. celebratis concessit; ubi §. VI. sequentia leguntur:

> Wir seind demnach des gnedigen truen Christlichen Fürhabens, was Uns, als Advocaten der Heiligen Kirchen, und Beschirmer der Concilien von wegen unsers obliegenden Keyserlichen Ambts zu thun geziembt und gebürth.

Quam studiose in reliquis per omnes Imperii gesti annos ex Tutoris atque Advocati officio Catholicam Religionem & Sedem Apostolicam curaverit, protexeritque, ex Actis & Historia Imperii vel ipsi DD. Protestantes magis quam volunt, perspectum habent. Unde inverecundiam Joannis Wolffgangi Jægeri, Scriptoris Tübingensis nemo non honestatis ac veritatis vel modice amantium detestari cogitur, asserentis Carolum V, qui ultimos vitæ annos in cœnobio Hispaniæ, quamvis non Cœnobita, omnia Catholicæ devotionis ac pietatis officia exercens transegit, quibus etiam notorie Sancte immortuus est,

> Inter Solatia Evangelica, a confessario vere quoque Evangelico propinata pie obdormiisse, verum Ecclesiæ membrum, illiusque fidei consanguineum.

*In tract. de Eccles. ad ann.* 1711.

XXV. *Inverecundam* diximus hanc Jægeri de CAROLI V. obitu narrationem, quæ sane nulla veritate nititur, sed prorsus conficta est, siquidem neque ullus Scriptor Carolo V. coævus tale quid de Eo notatum nobis reliquit, neque ipse Jægerus testes, quibus assertum suum probet, adducit, quod facere omnino debuisset, cum ipse rei factum proprio sensu non hauserit. Omnia Caroli gesta huic narratiunculæ Jægerianæ adversantur. Si Carolus Lutheri dogmata imbibisset, cur abdicato sponte Imperio in Catholicissimam Hispaniam, ut se ad mortem compararet, & quidem ad cœnobitas secessit? cur in Germania novis illis dogmatibus oppleta ubi Lutherani confessarii (si tamen eo opus fuisset) copia ad manus esse poterat, non mansit? quis non rideat, dum legit, Protestanticum Cæsarem, ut cum pietate Lutherica ultimum diem clauderet, in regionem omni ex parte Catholicam abiisse, & in eadem cum monachis per ali-

aliquot annos vivere, ac inter eorum manus ſpiritum ſuum exhalare voluiſſe? Adde quod hoc inverecundum aſſertum univerſæ Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ, ex qua omnes & Singuli deſcendentes Avitam & unice veram Catholicam Fidem ore profeſſi, quavis ratione tuiti & usque ad ultimum vitæ halitum corde tenuerunt, maxime injurioſum accidere debeat. Quæ cum Profeſſor iſte Tubingenſis ignorare non potuerit, credimus illum & ſuos fallere ex propoſito voluiſſe, & ſub nominibus *Evangelica ſolatia a confeſſario evangelico propinata* intellexiſſe *Romano Catholica* (ea enim ſunt unice ac ipſa re Evangelica & ſic Cæſarem tanquam verum Eccleſiæ Catholicæ membrum, illiusque fidei conſanguineum pie obdormiiſſe.

XXVI. Quanquam Advocatialia pro Fide & Eccleſia Catholica indefeſſe ſuſcepta ſtudia univerſim omnes cæteros ex incomparabili hac Auſtriorum Gente Imperatores quam optime commendent, præcipua tamen quadam ratione FERDINANDUM I. illuſtrat in Comitiis anno 1555. habitis evictum & tabulis Pacif. Rel. inſertum Reſervatum Eccleſiaſticum: MAXIMILIANUM vero II. reſtitutio Catholicorum in Bohemiæ Regno facta: RUDOLPHUM II. tuitio Reſervati Eccl. contra Gebhardum Colonienſem, & Hungaris negata Avtonomia: FERDINANDUM II. bella plurima pro reſtituenda & conſervanda Avita religione ſuſcepta & feliciter completa: Ac tot ab adverſa parte illata opprobria, injuriæ, calumniæ, infamia ſcripta, quibus Cæſaris hujus fervorem & Avitæ pietatis Zelum obſcurare aut defatigare, quamvis fruſtra, conata fuit *Illmus Pelzhofferus in arcan. ſtat. tract. de Relig. C. 28.* Similia ſcommata a Conringio in Imp. FERDINANDUM III. petulanter conjecta Eundem ab Advocatia Eccleſ. laudabiliſſime geſta mirum extollunt. *Conring. in Bullam Innocent. t. 2. fol. m. 529.*

XXVII. Operas in conſervanda protegendaque Eccleſia ac Salvifica Fide a LEOPOLDO M, JOSEPHO I, CAROLO VI, CAROLO VII. FRANCISCO I. ſtrenuiſſime navatas, tum ob ſpatia temporum noſtris conjunctiora, tum ob ſcriptorum multitudinem, quæ in omnium manibus verſantur, neminem latent; Accenſa inſuper ſollicitudo & ſingularis Spiritus Fervor, quibus modo glorioſiſſime Imperans JOSEPHUS II. Eccleſiæ jura, pacem & tranquillitatem, etiam extra Imperii ac Regnorum hæreditariorum limites peramanter curat, in manifeſta luce poſita novimus omnes, cum ille in controverſia nuper Sedem Apoſtolicam inter & quosdam potentiſſimos Principes exorta Mediatorem ſeſe cum Auguſtiſſima ſua Parente MARIA THERESIA, Heroum Fœminarum Maxima interpoſuerit, ex voto Eccleſiæ proſpere complanandam, quæ huic tam potenti, quam ſollicito ſui Advocato vitam & felicitatem perennem profundo ac gratiſſimo affectu apprecatur.

XXVIII. Advocati Eccleſiaſtici Univerſalis munus Majeſtati Imperatoriæ

riæ inde a temporibus Conſtantini M, qui omnium primus inter Cæſares Chriſti nomen profeſſus fuit, individuo nexu adhæreſcere evicimus: Inde Ssmis S. R. & Germ. Imperii Principibus Electoribus viſum eſt, ut illud Capitulationibus, quas Novo Regi & Imperatori ſub jurisjurandi religione ſervandas offerunt, jam a longiſſimo tempore inſerendum putaverint. Articulus I. Capitulationis Joſephi I. ita loquitur:

> Zum erſten, das Wir in Zeit ſolcher unſerer Königlichen Würden-Ambt und Regierung die Chriſtenheit, und den Stuhl zu Rom, auch Päbſtliche Heiligkeit, und Chriſtliche Kirchen, als Derſelben Advocat, in gutem treulichen Schutz und Schirm halten, darzu inſonderheit in dem Heiligen Reich Frieden und Einigkeit pflanzen, aufrichten und verfügen ſollen.

Hic articulus conformis eſt plurimis Anteceſſorum Impp. Capitulationibus, nec non concepto ſchemati Capitulationis perpetuæ.

XXIX. Ad Advocatiam Eccleſ. quoque ſpectat Articulus 14, qui de obſervantia Concordatorum apud Sedem Romanam procuranda agit, ut ſequitur:

> Auch ſollen und wollen wir bey unſerem Heiligen Vatter dem Pabſt, und Stuhl zu Rom Unſer beſtes Vermögen anwenden, das von demſelben wide die Concordata Principum, und die zwiſchen der Kirchen, Päbſtliche Heiligkeit, oder dem Stuhl zu Rom und der Teutſchen Nation aufgerichte Verträg &c.

XXX. Contra præfatos articulos, præcipue primum, Sereniſſimi Domini Electores Proteſtantici Saxo & Brandeburgicus, uti in eadem capitulatione Joſephiana (aliisque anter- & poſterioribus) art. 1. refertur, exceperunt. Exceptionem Imperator ſequentibus recolit:

> Gleichwohl, ſo viel dieſen, wie auch den nachfolgenden 18ten Articul cit. belanget, haben vorgemelte Unſere Liebe Oheimb. die 2. Churfürſten Sachſen und Brandenburg ſich gegen Uns erklärt, was da von dem Stuhl zu Rom und Päbſtlicher Heiligkeit vor Meldung geſchicht, das Ihro Lbb. Lbb. vor ſich und ihre Religions-Verwandte darinn nicht willigen, noch Uns damit verbunden haben, noch erſtgedachte Advocatia dem Religion und Prophan, auch zu Münſter und Osnabrück aufgerichteten Frieden zu præjudiz angezogen und gebraucht, ſonderen demſelben gleicher Schutz gehalten und geleiſtet werden ſolte, wie wir dann auch ſolches Kraft dieſes verſprechen, und Uns hiemit darzu verbinden.

XXXI. Hæc Proteſtantium exceptio in capitulatione Caroli V. non reperitur, quia tempore ſuæ electionis in Imperatorem prætenſa reformatio eo necdum excreverat, ut talia auderet. Ferdinando I. quidem tres tunc temporis Electores A. C. dictam exceptionem obtulerunt, aſt ab Eodem non fuit admiſſa, proinde neque illius Capitulationi inſerta. Ita teſtatur Goldaſtus *in politiſchen Reichshändlen p. 5. nr. 3.* Primus, qui in illam conſenſit fuit Maximilia-

milianus II. Ferdinandi I. Filius, Patri suo in Imperio anno 1564. surrogatus, cujus capitulationi illa inserta quidem, ast non integra; Siquidem verba illa: *noch erstgedachte Advocatia & reliqua.* Modo Capitulationi Ferdinandi IV. inspersa sunt, cui etiam injunctum fuit, ut Ecclesiis protestantibus, *in quantum scilicet Pacificationes R. & W. illud exigunt*, protectionem suam pari modo, uti Catholicis exhibere debeat. Denique in Capitulatione Leopoldi solemnis adhuc promissio ac expressa obligatio accessit; ex quo tempore Protestantes contendunt, quod dicta ratione Imperator etiam Ecclesiarum suarum Advocatus summo jure dici queat.

*Meditation. ad Capit. Josephi I. art. I. litt. d. e. f.*

XXXII. In Capitulatione Augmi Caroli VII. aucta est præfatæ exceptionis clausula *novo §vo art. 1*: nam post verba: *geleistet werden solle* supra §. 30. relata sequens §vus interjectus est:

> Wo auch selbige sich gegen das instrumentum pacis, Nürnbergischen Executions-Recess, arctiorem modum exequendi, und andere Reichs-Constitutiones zu seyn erachteten, sollen und wollen Wür &c.

*Cap. Caroli VII.*

XXXIII. Rationes, quæ Electores & Ordines ad hanc interponendam protestationem contra Advocatiam Ecclesiæ, Sedis Apost. ac Pontificis Romani permoverunt, a variis variæ, quæ tamen omnes emunctioribus eadem Sacra profitentibus viris haud probantur, afferri solent. Carpzov. *de Capitul. Cæsarea C. 2. S. 23.* Schützius *Volum. 1. Jurispubl. exerc. 4. §. 2. lit. 4.* apud Pfeffinger in Vitriario illustrato *tom. 3. li. 3. tit. 2. §. 11. n. 5.* arbitrantur, Electores AC. credidisse, Romanos PP. terras olim Imperiales injuste possidere, Imperatores autem per Advocaticam illam sponsionem perpetuo prohiberi, ne eas aut repeterent, aut recuperarent, & ideo dicto modo protestatos fuisse.

XXXIV. Verum panicum illum timorem & erroneam Carpzovii & Schützii opinionem utroque acutior aspernatur Limnæus, ac profundius rem inspiciens recte arguit, quod obligatio alterum defendendi protegendique haud prohibeat, quominus defensor suum a defendendo repetere valeat. Rem exemplo satis noto illustrat: Tutor aut curator, ita discurrit, pupillum suum aut minorem defendere ac protegere vi muneris, quod ipsi gerunt, obligantur; idem de procuratore respectu sui clientis statuendum: An propterea non liceat tutori a pupillo, curatori a minore, & procuratori a suo cliente id, quod sibi debetur, exigere? minime sane. Dato igitur interim, ut consecutio fluat, Rom. PP. provincias Imperio debitas, etiam per scelus possidere (quod hactenus Paparum hostes nulla ratione probarunt) hæc tamen injusta (si vera esset) detentio haudquaquam obstaret, quominus Imperatores Sedem Apostolicam defenderent, & injuste possessa, ostensa rei veritate, Imperio vindicarent.

XXXV.

XXXV. Textor *de ratione Status cap. 18.* pro suæ Religioni addictis magis, quam pro Imperio sollicitus autumat, protestari solere AC. Electores, ne silentio suo articulum 1mum & Advocatiam Romanæ Ecclesiæ in eo contentam approbare, sicque Imperatoriæ Majestatis sese inhabiles declarare videantur. Sed Henniges *in suis meditationibus ad capit. Josephinam cit.* vana isthac sollicitudine Textorem liberat, dum ostendit Advocatiam Sedis Apost. & Rom. Pontificis nulla ratione obstare, quin ex ordine protestantium Princeps ad Solium Imperiale promoveri possit. Nam Imperator Catholicus, ita contendit, Evangelicis Ecclesiis suam protectionem ad ductum Pac. Rel. & Westph. præstare tenetur; pari modo igitur & Evangelicus politicam defensionem ceu Pontifici & Ecclesiæ Romanæ, in sensu saniori promittere ac impertiri poterit; quapropter & Electores in Capitulationis perpetuæ delineatione Articuli 1. dispositionem hancce retinuerunt. Ita ille

*Med. ad cap. Joseph. art. 1. lit. b. sub finem.*

XXXVI. Pfeffingerus in Vitriario illustr. nostro judicio propius ad verum accedit, & rationem prioribus firmiorem, nec non Protestanticæ doctrinæ magis accommodatam profert sequentibus:

> *Protestantium* (contra Advocatiam Sedis Ap. S. Pont. & Rom. Ecclesiæ, *eam fuisse mentem*, ne viderentur ea (*protestatione*) omissa, tacite approbare, præsentem R. Pontificis, Ecclesiæque jussa ejus excipientis Statum & conditionem: quasi ille visibile Caput, Legislator & Judex esset totius Ecclesiæ Christianæ, extra quam nulla speranda salus, dogmate contra quoscunque propugnando, & Papa hoc intuitu defendendo atque protegendo; id quod religioni protestantium adversari palam est.

Hucusque Pfeffinger, & rem acu tetigisse credimus.

*L. C. tom.* 3. *L.* 3. *tit.* 2. §. 11.

XXXVII. Verba *gleicher Schutz*, quam in Art. I. Capit. Imperator protestantibus Ecclesiis promittit, solum debent relative ad ea, quæ illis in pacificationibus & aliis Imperii constitutionibus concessa fuerunt, accipi. Hoc ipsi JCti A. C. ultro fatentur. Testimonium Henniges vide *hoc cap.* §. 31. Gabriel Schwederus JCtus Tubingensis in diss. *de Advocatia ab Imperatore protestantium Ecclesiis non minus ac Romano-Catholicis æquali jure præstanda* anno 1723. Tubingæ vulgata *parte altera* §. 3. idem sequentibus affirmat:

> Ut Advocatia & protectio Ecclesiæ ab Imperatore ita exerceatur, ne per eam pax Imperii Religiosa & Westphalica violetur, sed ipsis (Ss. Electoribus protestantibus) & reliquis fidei suæ asseclis non minus, quam R. Catholicis pari jure præstetur.

In idipsum tendit Frid. Ludovici Professor Halæ in diss. *de protectione ab Imp. Ecclesiis utriusque religionis in Germania æqualiter debita anno 1739.*

XXXVIII. In Imperio proinde nostro Imperatoris Advocatia, si Catholicis cum Augustanis Lis obversetur, sæpe dictarum pacificationum limitibus constringitur, ne justis de imminutione jurium aut possessionum suarum querelis ansa præbeatur. Ubi autem de commodis Ecclesiæ Catholicæ, Sedis Apostolicæ aut Romani Pontificis agitur, quæ cum rebus protestantium, & pactis publicis cum iisdem celebratis connexa non sunt, latius illa se exporrigere nullo jure vetatur: quin adeo Imperator ex Advocati titulo Ecclesiæ Catholicæ, ac Romano Pontifici succurrere debebit, quando infideles aliique hostes vim illis parant, & inferunt &c. &c. In his enim Advocatia per tabulas pacificationum restrictionem passa non est, sed latissime, uti ante prætensæ reformationis tempora dominari pergit. Hæc de Imperatoribus, qua Universalibus Ecclesiæ Protectoribus Advocatis dicta sunto satis. Quare nos ordo vocat, ut de iisdem paucis agamus, quatenus illi privatas quasdam Ecclesias in suam clientelam specialem recipere non sunt dedignati. Sit igitur

# CAPUT V.

## De Imperatoribus Advocatis Particularium Ecclesiarum.

I. Christianissimi Romanorum Imperatores non solum Universalis Ecclesiæ, totius Christianitatis, Sedis Apostolicæ ac Romanorum Pontificum Advocatos Protectores & Defensores sese præbuerunt, quod hactenus ex præclarissimis Eorundem factis, a nobis studio brevitatis exiguo tantum numero (quis enim posset omnia) adductis ostendere conati sumus, verum etiam Illorum non pauci fuerunt, qui privatas quasdam Ecclesias & singularia asceteria, tam intra, quam extra Imperii, ac propriorum suorum territoriorum fines in specialem tutelam ex singulari affectu pietatis, aliove titulo privato assumere, fovere, & tutari non fuerunt dedignati. In cujus rei fidem ex antiquis documentis apud probatos Authores allegatis, varia testimonia & exempla afferemus, ne quid Augustorum Impp pietati, & omnis generis Protectoriæ Advocatiæ Ecclesiasticæ ab Ipsis præter Cæsareum officium ex amore Dei & veræ Religionis studio paramanter gestæ, etiam in hisce subtrahere velle videamur.

II. Filum narrationis a *Ludovico* vere *Pio* ordimur: Apud istum celeberrimi in Helvetia monasterii a S. Gallo nuncupati Abbas, narrante rem quodam monacho ejusdem cœnobii *apud Du Chesne* humillime exposuit, quod reiculæ i. e. modicæ res & possessiones sui asceterii non ex Regalibus donariis, uti aliarum Ecclesiarum bene multarum, sed ex privatorum traditiunculis collectæ nullum privilegium aliorum monasteriorum, vel communes cun-

ctorum

lorum populorum leges haberent, & ideo neminem sui Defensorem & Advocatum reperire potuissent. Quibus patienter auditis pientissimus Imperator, referente eodem cœnobita,

> Cunctis adversariis nostris se opponens, Advocatum se vilitatis nostræ coram cunctis Principibus suis profiteri non erubuit.

III. *Otto Imp. I.* magni nominis Abbatiam, quæ in Eremo B. M. V. apud Helvetos magnifice exstructa conspicitur, in singularem protectionem anno 946. assumpsit, his verbis usus:

> Sub Nostra defensione & immunitatis tuitione res illorum perpetualiter maneant.
>
> *Magerus L. C. cap.* 5. *n.* 409.

*Otto Imp. II.* specialem se Ecclesiæ Passaviensis Protectorem professus est apud Lünnig in *spicilegii tom.* 2. *p.* 163. Ubi plura ejuscemodi de aliis Impp. exempla commemorat. *Fridericum Imp. I.* præcipuam Ecclesiæ Spirensi Advocatiam spopondisse, sponsamque præstitisse narrat Crusius *p.* 2. *l.* 2. *Annal.* Similem defensionem *Fridericum Imp. II.* singulari nomine monasteriis Hirsau & Denckendorffensi: *Rudolphum* vero *Imp. I.* Albæ Dominorum *Herren Alb.* *Albertum* Imp. itidem I. Cœnobio Bebenhusano exhibuisse, ex diplomatibus testatur Besoldus. Bebenhusanum sub finem ita habet:

> Monasterium Bebenhusanum cum personis & rebus suis Nostræ tuitioni seu defensioni speciali immediatæ præsentibus assumentes.

IV. His & omnibus aliis Cæsaribus hac in re maxime perspicuus *Carolus M.* suis exemplis fulgentissimis præluxit; is enim plurimas Ecclesias & sacra claustra singulari suæ defensioni commissa voluit. Rationem, quæ inter alias Eundem ad tantam pietatem excitavit, in proœmio diplomatis, quod monasterio Utenbeurensi super ea protectione dedit, hisce aperuit:

> Quoniam Principem ac Defensorem Ecclesiarum Nos fecit Dominus, ne ejus ingrati esse videamur munificentiæ, servitium augmentare, Ecclesias multiplicare, super inceptis & constructis bene ac opportune, ne posthac destruantur, potestati Regali convenit tuitionem impertiri.
>
> *M. Magerus a Schœnberg L. C.*

V. Videntur hæc Caroli verba ad advocatiam Universalem aut certe ad Majestaticam quidem pertinere, nihilominus hac ratione ex generali Ecclesiarum cura protectoria desumpta usus, specialem tuitionem in memorato diplomate prædicto monasterio condixit; quam ut & alii fundatores pro Ecclesiis a se excitatis obtinerent, eas Augustis Impp. humilibus precibus commendare studuerunt, eo fine, ut earundem Ecclesiarum conservationi perpetuæ (quantum in rebus humanis fieri potest) quam optime prospicerent. Cum vero tam

 pie

pie ſolicitam fundatorum commendationem ab Imperatoribus promptiſſima alacritate admiſſam negotiorum multitudo eorum memoriæ nonnunquam abſtuliſſet, Synodus Ticinenſis *canone 16.* decrevit:

> Suggerendum eſt BB. Imperatoribus, quia hi, qui monaſteria & Xenodochia ſub defenſione Sacri Palatii poſuerunt, ideo feciſſe probantur, quod a nullo melius, quam a Summis Poteſtatibus protegenda crediderint.

Ejuſcemodi commendationis exemplar de Wifredo Comite & Ejus Conjuge Oda apud Regem Pipinum interpoſitæ enarrat Author vitæ S. Genulfi *Lib. 2. C. 8.*

VI. Singularis iſthæc Advocatia nulla ratione Univerſalem aut Majeſtaticam impedit, nedum tollit, ſed pulchro nexu ſibi invicem copulantur: Quemadmodum enim Rex aut Princeps ſubditorum ſuorum aliquos, quibus protectionem & tutamen titulo communi Regis Principisve, uti omnibus aliis ſubditis jam debebat, eo non obſtante ſingulari titulo aut affectione in ſpecialem clientelam ac tuitionem recipere nullo modo prohibetur, ita, ut quos antea Subditos ſimpliciter, *gemeine Landes-Unterthanen*, habuit, atque habere deinceps pergit, nunc inſuper eosdem novo titulo tanquam ſubditos clienteläres, *beſondere Schutz-Unterthanen* reſpiciat & foveat: ita quoque nihil prorſus obſtabit, quin Imperator nonnullas Eccleſias, quas Univerſalis aut Majeſtatici Advocati nomine protexit, eisdem quoque ſpecialis tuitionis beneficium impertiatur.

VII. Quoniam vero Sacratiſſimi Imperatores ſæpiſſime bellis, itineribus & aliis graviſſimis Imperii negotiis impliciti Eccleſiis & Religioſorum clauſtris, aliisque locis piis, in ſpecialem protectionem receptis tam celerem opem, ac res eorum afflictæ exigebant, adferre non poterant; ne tamen illi datæ fidei & Advocati officio deeſſent, Principes, Comites aliosque viros pietatis ac religionis ſtudio non minus quam potentia claros in ſuum locum veluti Subadvocatos ſufficere amabant, qui ſuo nomine promiſſam Eccleſiis fidem exſolverent, injuſtos earum oppreſſores coërcerent, ac illarum bona, jura, poſſeſſiones ſarta & integra conſervarent. Horum exemplis omnes Hiſtoriarum libri refertiſſimi inveniuntur.

VIII. Carolum M. Adalberto Comiti Briaconico monaſterii Augiæ divitis, *Reichenau*, Advocatiam delegaſſe, legimus apud Magerum *loc. cit.* Erneſtum Auſtriæ Marchionem ab Henrico Imp. IV. Metropoleos Salisburgenſis tutelam ſingulari diplomate ſibi delatam aſſumpſiſſe, refert Cuſpinianus *in ſua Auſtria cap. 9. n. 650.* Onus protegendi monaſterium Gemblacenſe Ottonem Magnum in Comitem Lovanienſem devolviſſe ſcribit Miræus *in Codice donat.* De Friderico Imp. I. idem narrat Beſoldus *ex documentis Denckendorfenſis cœnobii,*

*bii*, quod scilicet suum per Sueviæ Ducatum in urbe Eslingensi Vicarium modo dictæ Ecclesiæ Regulari Defensorem constituerit. Sic etiam Dagobertus Rex Arnulphi Austriæ Mosellanicæ Ducis tutelæ ac defensioni Trevirenses Ecclesias apud S. Petrum & B. Maximinum anno 623. commendavit, & eam quoque fideliter observare præcepit, eo fine,

> Ut præfatarum Ecclesiarum res prospere ferantur, videlicet B. Petri & B. Maximini, ne deinceps a grassatoribus quidquam *eis* molestiæ inferatur.

Quod Patris exemplum Sigebertus pie sequutus anno 653. dictarum Ecclesiarum protectionem Domino Martino Arnulphi Ducis Austriæ Mosell. ex filio nepoti *pro conservanda* Avitæ *pietatis munificentia* imposuit, uti Franc. de Rosceres *de stemmat. Ducum Lothar. & Baar* exponit apud Christoph. Lehmann *in Chron. Spir. li. 2. cap. 36.*

IX. Non raro Imperatores Ecclesiis & Asceteriis earumque incolumitati in seros annos prospicere volentes derivatæ a Se Advocatiæ jus una cum Regalibus in feudum dederunt. Ita de Friderico Ahenobardo annotat author *Supplementi Frisingensis cap. 21.*, quod is Bertholdum Zeringiæ Ducem non solum de consuetis Regalibus, verum insuper de Advocatia Ecclesiarum Episcopalium, quæ sunt Genevæ, Lausannæ, & Seduni, veluti de novo beneficio feudali investierit. Ssmæ Domus Austriaca & Bavara Advocatiam monasticam Regalibus accensent, quam antiquitus obtinuisse testatur Cuspinianus *l. c. pag. 39.* De eodem tractat laudatissimus Magerus *cit. cap. 9.*

X. Alias Romanis Imperantes, dum certos & perpetuos Ecclesiis Sub-Advocatos justis de causis obtrudere nolebant, voluerunt, ut Ecclesiæ ingruentibus adversitatum tempestatibus, quibus ipsi per se & immediate ex justo impedimento occurrere forti auxilio non poterant, a se Advocatos protectorios efflagitarent, quos etiam facile impetrabant. Testes hujus rei sunt Capitularium libri, quorum 7timo ita statuitur:

> Pro Ecclesiarum causis ac necessitatibus, atque servorum Dei executores vel Advocati seu Defensores, quoties necessitas ingruerit, a Principe postulentur, & ab eo fideliter atque libenter juxta Canonicas Sanctiones fidelissimi dentur.

Idipsum jam præcedente *lib. 5. cap. 31.* Carolus Imp. ordinaverat dicens:

> Defensores Ecclesiarum adversus potentiam sæcularium vel divitum ab Imperatore sunt poscendi.

XI. Fuerunt non pauci fundatores, quibus nec animus, nec vires defensionis deerant, qui Advocatiam protectionis, salvo jure Advocatitio Imperatoris, in Ecclesias a se fundatas sibi ipsis reservarunt, quod antiqua nos instrumenta multis edocent. Hæc Advocatia haud immerito *originaria* dici potest.

 Inter-

Interdum fundatores de Imperatoris & plerumque etiam Ecclesiarum a se erectarum consensu Virum potentem desuper rogatum in primævis fundationum litteris in protectorem dabant: ubi autem horum nihil a piissimis fundatoribus observatum deprehendebatur, Imperatorum veluti Universalium Advocatorum sollicitudo implorari solebat, ut Ecclesiis copiam pro sua in illas clementia facerent, sibi, quem vellent ipsæ, defensorem deligendi, & Advocatum inferiorem constituendi. Talem facultatem Conradus Imp. IV. monasterio Eboracensi solemni diplomate gratiose concessit, ex quo sæpius cum laude nominatus Magerus sequentia extraxit:

> Sicut Ordo Cisterciensis ab omni Advocatorum genere juxta primariam institutionem suam semper liber extitit & immunis, sic deinceps eadem Ecclesia (*Eboracensis*) excepto solo Romanorum Imperatore, nulli prorsus Advocatorum, nisi cui se voluntarie subjecerit, ita, quod velle suum postea valeat immutare, per prædia & possessiones suas aliquatenus sit subjecta.
>
> *Cap.* I. *cit. diss. n.* 27.

XII. Idem Author hac in re deprædicat Henrici Imp. IV. erga monasterium Allerspach paternos favores, quibus simile privilegium Advocatum protectorem sui amantem, & in quo firmam fiduciam collocaret, assumendi authenticis litteris anno 1123. elargitus est, in quibus ita legimus:

> Ut Abbas cum fratribus Advocatum sibi, quem utiliorem providerit, constituat.

Rarius est, quod de Asceterio Hirsaugiensi refertur, quod scilicet illud a Romano Pontifice Urbano II, prætermisso, uti videtur, Cæsare veniam sibi Advocatum constituendi petierit & obtinuerit; nec omnino absone, nam & Romanus Pontifex Advocatus Ecclesiarum Universalis est, ast Spiritualis, cum Imperator temporalis solummodo dicatur. Verba concessionis Pontificiæ Trithemius in Chronico dicti monasterii producit, ex quo sequentia recitamus:

> Advocatum autem Imperatorem Romanorum, qui & Noster Advocatus est, præficimus: propter multiplices tamen Ejus curas & dispositiones liceat Abbati & Fratribus, Illum *de Calune* eligere, si idoneus fuerit, . . . sin autem alias, undecunque libet, liceat alium eligere.

XIII. A diverso modo, quo Advocati protectorii particularium Ecclesiarum constituuntur, Advocatiæ quoque diversis a se nominibus distinguuntur. Quam sibi fundatores reservarunt, secundum superius dicta nuncupatur *Originaria*. Quam Catholici Imperantes ex speciali benevolentiæ affectu in se receperunt, *Assumpta*: quæ ab Imperatoribus & aliis, quibus Subadvocatos dandi facultas est, Ecclesiis irrequisitis imponitur, aut etiam requirentibus datur, non harum sed dantium arbitrio, *Dativa*: quæ certæ familiæ adhæret, *Gentilitia* vel *Familiaris*. Quam sibi Ecclesiæ opis indigæ tanquam utilem ex singulari

con-

confidentia adoptant fine pacto *Electitia fimpliciter*: cum pacto, quod paffim accidit, *Pactitia fimul & Electitia*: quæ ad hæredes extraneos quoque tranfit, *Hæreditaria*: quæ denique teftamento ex prima inftitutione relinqui poteft, *Teftamentaria* appellatur.

XIV. Gentilitia & familiaris cum familia extinguitur, & fic Ecclefia evadit libera, argumento a jure patronatus familiari, itidem feudo & emphyteufi derivato. Hæreditaria *per teftamentum* tunc folummodo obtinet, ut ad hæredem fcriptum tranfeat, quando teftator jus Advocaticum fingulariter in ultima fua difpofitione exprimit, fecus fi folum ordinet, *ut hæres in omnia fua bona & jura fuccedat*; fiquidem in generali conceffione Advocatia non cenfetur comprehenfa, cujus ratio datur, quod Advocatia fingulares dotes in Advocato depofcat, quæ in fingulis hæredibus non reperiuntur. Unde argumentum a jure Patronatus ad Advocaticum protectorium, uti paulo inferius dicetur, recte non ducitur. Pleræque Advocatiæ, fi originarias & familiares excipias, electitiæ funt, & hæ potiffimam partem infimul pactitiæ, cum lucro & quæftu Advocatorum conftitutæ, de quo argumento paulo poft.

XV. Sunt, qui Advocatiam particularium Ecclefiarum certis perfonis communicatam cum jure patronatus confundunt, quæ tamen multis modis a fe invicem differunt: Nam *1mo* jus patronatus fæpe numero eft *reale*, & certo Caftro, prædio, cui antiqua phrafi inhærere fingitur, affixum, quocum ad omnem & qualemcunque proprietarium aut legitimum poffefforem *juxta cap. 7. de jure patron.* ex liberali difpofitione Ecclefiæ devolvitur: Hoc vero de Advocatia nullibi legimus conftitutum, nec forte congruenter conftitui poffe videtur, cum Advocatia fingulares dotes, ut Ecclefiæ fit bene profpectum, in Advocato defideret, non item jus patronatus in patrono, qui tantum perfonam ad Collatorem adducit, cujus idoneitatem ipfe Collator explorat: unde in dandis & conftituendis inferioribus Advocatis, ficut in defignando procuratore aut negotiorum geftore, ad fingularem perfonæ induftriam attendi folet.

XVI. Deinde Advocatia ex longe alia origine ac jus patronatus derivatur: *Patronum* enim, juxta decantatum verficulum *faciunt dos, ædificatio, fundus.* Gloffa *in Can 26. XVI. q. 7.* Advocatum protectorium e contra creant, Suprema Cæfarea Majeftas, Superioritas Territorialis, Mandatum Cæfareum & Regium, infeudatio, pactum, electio, humiles preces apud Papam vel Imperatorem interpofitæ. De quibus fupra egimus. Porro jus patronatus fundanti, dotanti, & ædificatori Ecclefiæ etiam de hoc jure non cogitanti, modo contraria voluntate illud non rejiciat, ex liberali juris Ecclefiaftici difpenfatione acquiri folet: Non ita Advocatia Ecclefiaftica, fi Univerfalem, & Majefta-ticam, quæ Dignitati Imperiali, Regiæ & Territoriali cohærent, exceperis, com-

comparatur, quæ libera Advocati voluntate & Ecclesiarum consensu ordinarie perficitur.

XVII. Denique aliud officium & finis est Patroni, aliud Advocati. Hujus scilicet advocati est Ecclesiam aut monasterium sibi commissum ab injuriis, grassationibus & violentis invasionibus vi & armis defendere, jura, bona & possessiones integra servare, & manifesta injustitia forte invasa retrahere: Istius nempe Patroni autem munus exigit, ad vacantes Ecclesias homines idoneos & dotibus legalibus instructos Superioribus Ecclesiasticis præsentare, modeste & sine armorum strepitu curare, ne fundationes dotesque ad alienas manus delabantur, illæque ab ipsis Ecclesiarum & Monasteriorum Præsulibus, absque eo, quod Administrationi bonorum illorum sese immisceant, utiliter ac debite regantur, & in sua frugifera integritate conserventur.

XVIII. Quoniam vero multæ Ecclesiæ inferiores patronos habent, Advocatis autem protectoriis destitutæ sunt, & patroni certo modo suis Ecclesiis quoque auxilium & protectionem exhibent, accidit, ut & ipsi Summi Pontifices Patronos interdum in suis decretis honorifico Advocati nomine compellaverint: cujus rei exempla nobis Alexander III. & Lucius III. subministrant, Hic in epistola decretali ad Norvicensem Episcopum anno 1180. data, cujus pars *cap. 24.* X *de Jure Patron.* refertur, & ita habet:

> Cum autem Advocatus clericum idoneum Episcopo præsentaverit (*Hoc autem patroni, non Advocati proprie talis est.*

Ille autem ad Episcopum Exoniensem scribit, relatus *can. 6. tit. eod.*

> Quia Clerici quidam Advocatias Ecclesiarum sibi comparant, vel quocunque medio possunt, acquirunt, ut postmodum eorum filii (*ante Clericatum in matrimonio geniti*) vel nepotes ad easdem Ecclesias præsententur &c.

XIX. Plurimi quidem ex Imperatoribus specialem protectionem Ecclesiis & Monasteriis gratis exhibuerunt, solo defensionis per se ipsos præstitæ honore, excelsæ munificentiæ, ac suæ erga Deum pietatis gloria contenti in terris, laborum suorum atque impensarum retributionem a bonorum omnium remuneratore exspectantes in cœlis (quamvis nec terrena Deus fideles hosce locorum piorum Advocatos benedictione inanes dimiserit) fuerunt nihilominus qui pro mundiburde & suscepto Defensoris officio a monasteriis aliquid sibi dependi voluerunt. Ratbertus *de casibus monasterii S. Galli c. 8.* refert de Ludovico Pio sequentia:

> Rex piissimus Ludovicus in eadem charta conscribi jussit regia dona, sibimet ipsi secundum consuetudinem aliorum monasteriorum pro securitate prædictorum quot annis ventura, id est duos caballos & duo scuta cum lanceis.

Abbas Urspergensis de sua Ecclesia perhibet, quod Fridericus I. Imperator per

per suum in Suevia procuratorem pro Advocatia defensoria, quam in se susceperat, annuatim exegerit Advocaticum, scilicet ut quilibet mansus rusticanorum prædiorum solveret maltare unum avenæ pro annona æquorum, non quidem suorum, sed officialium.

XX. Subadvocatis, quos Imperatores sibi, ut auxilium promptius ex vicinia haberent Ecclesiæ, substituere passim etiam in partieularibus Ecclesiis solebant, officium suum semper lucrosum voluerunt, aut enim ipsi feuda in præmium illis assignabant, aut certum aliquid in pecunia vel aliis rebus, per modum annui census Ecclesiis & Monasteriis imponebant. Salarium hoc annuum *Advocaticum*, *jus Advocaticum*, *justitia Advocatiæ*, germanice *Vogtrecht* dicebatur, imo subinde ipsius Ecclesiæ Defendendæ nomine efferebatur. Sic Maximilianus Imp. I, dum anno 1504. monasterii Maulbrunnensis Advocatiam Ulrico Wirtenbergæ Duci donaret, ipsam Maulbrunnam eidem donasse legitur: Ecclesiam autem illam Duci donatam re ipsa non fuisse, inde patet, quod Idem Imperator ex post facto Abbatem illius, veluti immediatum Imperii civem ad Comitia solemnia vocari jusserit.

*Besold in prodromo monum. Wirtenb. cap.* 10.

XXI. Assertum aliquot Imperatorum factis comprobamus. De Ottone I. Miræus in *charta designationis*, quam publico typo sparsit, narrat, quod Is Comiti Lovaniensi pro Advocatia Abbatiæ Gemblacensis in Ducatu Brabantiæ, de consensu tamen fundatoris, Abbatis & Conventus d. mon. certum beneficium seu jus percipiendi quosdam reditus constituerit, ac eidem Comiti Subadvocatum permiserit, cujus jura sequentibus definivit:

Subadvocatus in villis ad Abbatiam pertinentibus nihil aliud juris habebit, nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, & avenæ Sextarium unum.

Idem Miræus in alia charta *cap. 53. suæ compilationis* ait, quod Comes Limburgensis, qua Advocatus Sancti Trudonis anno 1130. in beneficio habuerit assignatos mille & centum mansos terræ in verbis:

Vos habebitis in feodo (*feudo*) mille & centum mansos.

Jussitque Imperator, ut præter beneficium & jura, quibus donabantur, Advocati nihil exigerent.

*Spicileg. tom. 6. cap.* 53.

*Apud Thomass. N. V. E. discipl. p.* 3. *L.* 2. *C.* 55. *n.* 3.

XXII. Pari ratione Imperatores Advocatis forensibus & jurisdictionalibus Ecclesiarum & cœnobiorum certum quid, Salarii loco constituere placuit, quod plerumque in tertia sportularum judicialium parte consistebat, uti pro-

num est colligere ex Joan. Nauclero. *vol. 2. generat. 27. fol. 698.* ubi is memorat, quod Carolus M. in diplomate super donatione Villæ Regalis, seu Ulmæ, taliter ordinaverit:

> Statuimus & præcipimus, si præsens Advocatus Adelbertus vel quisquam suorum successorum in prædicta villa placitare (*i. e. placitum vel sententias judiciales inter subditos villæ regalis dicere*) voluerit .... quidquid placitando ibidem acquirat, tertia parte retenta, duas Abbati reddat.

Interdum lex aut consuetudo utrisque hisce Advocatis honorarium mercedis loco determinavit.

XXIII. Advocati Protectorii, quos de Imperatoris consensu Ecclesiæ & monasteria sibi elegerunt, defensionis onus admodum raro gratis & sine utilitate temporali assumebant, sed pacto inter ipsos & Ecclesias inito, hinc terra in feudum, aut alia res temporalis Advocato constituta, inde Ecclesiæ Defensio promissa. Exemplum loco mille unicum ex Ludov. Thomassino loco §. 20. superius allegato adducere sufficiet. Abbatia S. Salvatoris a Bertholdo Tullensi Episcopo exstructa videns, se non posse tot & tantis, quibus undique impetebatur, molestationibus resistere, Albimontii Dominum in Advocatum & Conservatorem sibi ad id elegit, eique jura & proventus addixit annuos in armenta, domos, lites, stagna, piscationes & id genus alia: Advocatus vero partes suas Abbati præstabat & monasterio.

*Ex Chronico Sennonensi.*

XXIV. Conradus Friderici I. Augusti Frater, qui Hermanno in Palatinatu Rheni successit, magnanimi pectoris Princeps & Religionis amantissimus plurium insignium Ecclesiarum Advocatiam Defensoriam in se suscepit, puta Archiepiscopalis Trevirensis: Cathedralium, quæ sunt Argentinæ, Spiræ, Herbipoli in Franconia, Abbatialis Fuldæ apud Buchones, nec non Principalis Weisenburgensis, quibus adjunxit tutelam protectoriam monasteriorum Laurisheim- Limburg- Ravengirsburg- & Salatien- vulgo Selzensis, uti de illo scribit notissimus Tolnerus scriptor Palatinus, quin temporale inde commodum Eidem provenisse commemoret: obtrusum tamen sibi a Wormatiensi Episcopo & Capitulo feudum in auxiliatricis Advocatiæ præmium acceptasse idem Tolnerus asserit, & litteris infeudationis, quas Episcopus cum Capitulo Eidem Conrado obtulit, probat, ex quibus sequentia excerpta suæ historiæ omnibus notissimæ inseruit:

> Quia Dominus commisit vobis potestatem, per quam Wormatiensem Ecclesiam juvare potestis, & ei assistere in necessitatibus, ut ad auxilium & consilium tam nostrum, quam ejusdem Ecclesiæ tam Vos, quam Successores vestri sitis perpetuo obligati, & Vobis & Successoribus Vestris concessimus, & assigna-

**signamus de communi consensu Capituli nostri Castrum in Heidelberg cum burgo ipsius castri, & Cometiam Stahlbohel cum omnibus attinentiis.**

*In Historia Palatina. cap. 2. fol.* 31. 32.

XXV. Nec indecens quicpiam in eo, quod Ecclesiarum Advocatis sub Imperatore constitutis, & in quorum illæ territorio sitæ non sunt, feuda, aliasve utilitates temporales in defensionis præmium constituant, datur nobis invenire, quin potius sana ratio illud haud leviter cohonestare videtur; nulla enim justitiæ lege Princeps, Comes, aliusve Dynasta Ecclesiam aut Monasterium extra suum territorium existens, & quidem cum tanto suo incommodo, quod armatam Advocatiam comitari solet, defendere tenetur. Cum enim talis defensio vario apparatu bellico & multo milite suscipi persæpe debeat, multas quoque expensas & sumptus deposcit, quin adeo in causa non raro est, ut quos ab Ecclesiæ & monasterii invasione, direptione, oppressione arcere conatur malignos homines, hos contra se irritet, ita, ut rabiem illi ac vim, quam Ecclesiis parabant, in ejus Advocatum convertant, & ingens valde sæpe damnum illius terris ac bonis inferant; unde sumptuosum bellum facili negotio enasci potest. His adde commoda plurima, conservationem potissimum jurium ac bonorum suorum, quæ Ecclesiis ac Monasteriis ex Advocatiali protectione affluunt; quæ sane omnia talia sunt, ac tanta, ut meritissimo jure Ecclesiæ condigno honorario suis Advocatis Imperatori subordinatis correspondeant.

# CAPUT VI.

## De Officio ac Jure summorum & aliorum Ecclesiarum Advocatorum.

I. Officium Advocati protectorii non solum ex hactenus dictis, verum etiam ex ipsa nomenclatura manifestum redditur, quod nimirum illud in nuda protectione ac defensione consistat: proinde Imperatori qua Supremo & universali Advocato Ecclesiastico, & vi illius tutelæ cum officio Cæsareo susceptæ incumbit, totam Ecclesiam ejusque Statum, quoad caput & membra, jura & possessiones legitime comparatas, Fidei præterea dogmata, morum decreta & alias constitutiones Summorum PP. & CC. in sua puritate juxta ductum Eorundem conservare, & contra adversarios fortiter defendere: Dominis vero territorialibus ut Advocatis Majestaticis idipsum in suis propriis territoriis, sub Imperatore, curare. Vide *cap. 3. §§. 2. & 3.*

II. Advocatia tamen protectoria qualiscunque, tam Ecclesiastica quam profana nullam Advocato in protegendum clientem, ejusve bona, jura, subditos

ditos &c. jurisdictionem *per se & ratione sui* tribuit. Assertum contrita a multis sæculis parœmia cantavit:

## Schutz und Schirm giebt keine Obrigkeit.

Quam communis, imo unanimis Doctorum sententia confirmat. Quando igitur immediatus Imperii subditus, sive Ecclesia fuerit, sive civitas, aut privatus homo, nobilis vel ignobilis, a quodam Principe in protectionem recipitur, nihil Princeps in illum jurisdictionis acquirit; quia protegendus solum in Protectoris *clientelam*, non subjectionem transit; quapropter Princeps Protector talem clientem in suis litteris non vocat: *lieben getreuen*; quia ista appellatio solummodo in subditos principali jurisdictioni ex recepto usu cadere & usurpari solet.

*Gailius de Arrestis Imperii. Cap.* 7. *nr.* 13.
*Reichenberg de Advocatis & Advocatiis Germaniæ.* §. 30.

III. Ex certissimo isthoc fundamento Augusti Imperatores in suis diplomatibus protectoriis, quæ certis Ecclesiis, Principibus, populis & alienis subditis immediatis concedere dignati sunt, rem ita sollicite egerunt, ut salvam semper & intactam prioris seu ordinarii Domini immediati jurisdictionem, cui in Tutelam Cæsaream receptus antea subjectus fuerat, esse voluerint. Siquidem diplomata protectoria naturam imitantur privilegiorum, quæ juribus Tertio quæsitis & quiete possessis, minime debent præjudicare. Neque necesse est, ut dicta salvatio jurium ipsi protectionis instrumento inseratur, quia hæc ex natura simplicis protectionis fluit, & ipsa per se jam inesse intelligitur: id quod multis deducit juris Feudalis Vitembergæ Professor Martinus Chladenius in diss. anno 1750. edita, cui titulus:

*Diplomata protectoria intelligi salva Jurisdictione ordinaria.*

IV. Placuit nihilominus Sacratissimis Imperatoribus justis de causis clausulam: *salva jurisdictione ordinaria.* sæpius diplomatibus, quibus vel Ipsi quibusdam singularem protectionem condixerunt, aut facultatem, sibi specialem protectorem eligendi tribuerunt, inspergere, quo scilicet Protectores sui officii admonitos cohiberent, vel clientes metu novæ subjectionis & jurium pristinorum minuendorum liberarent. Rem quibusdam exemplis profanis illustramus. Gloriosissimus Rom. Rex RUPERTUS ex Comitibus Palatinis Rheni Civitati Spirensi, quæ seipsam cum multis aliis urbibus regit, anno 1408. protectionis a se Ipso præstandæ tabulas tradidit, sed ita confectas, ut civitatis atque adeo singulorum subditorum privilegia, jura, libertas & probatæ consuetudines intacta atque illæsa perdurarent.

Lehmanni *Chron. Spirens. lib. VII. cap.* 75. *fol.* 853.

V. Fri-

V. Fridericus III. Imp. Marchioni Badensi anno 1454. Imperiali liberæque civitati Eslingensi protectorem dedit, ast cum clausula:

Doch in alle weeg Uns und dem Heiligen Reich an unser Obrigkeit, und gewaltsame unvorgreiflich, und unschädlich.

Eodem modo Imp. Carolus V. in diplomate Episcopo Leodiensi anno 1521. expedito Protectores & Conservatores indulsit quidem, sic tamen, ne contra receptum morem jurisdictionem in Episcopi subditos & terrarum istarum incolas exercerent, Ita autem Cæsar constituit:

Ordinamus, quod de cætero omnes ac singuli subditi & incolæ dictæ patriæ Leodiensis coram suo proprio judice, tribunali, ac justitia ordinaria Spirituali, ac Seculari debeant tutari . . . quodque nulli conservatores vigore conservatoriarium (*seu advocatiarum*) jurisdictionem in quisbusvis causis exercere debeant.

*Lünnig teutsch Reichs-Archiv. part. spec. contin.* I.

VI. Nec protectoria mediatis Imperii subditis, quando licent, concessa illos a communi sui Domini territorialis jurisdictione eximunt; hinc dum Sueci concinnandæ eo tempore pacificationis Westphalicæ schema delinearent, tabulis illis publicis inserenda putabant verba:

Privilegia, immunitates, executiones aut protectoria provincialibus, civibus, aut subditis Statuum non concedantur, absque eorum, quorum interest, consensu.

Quæ tamen verba Legati Cæsarei expungenda duxerunt, rationem Suecico schemati adscribentes:

Es wäre juris per se, also dieses Orts crambe bis cocta.

In idem cum Cæsareis placitum iverunt plurimorum Statuum Legati opponentes:

Das dieser §vus zu præteriren, weil er ohnedem schon juris.

*Schwedische project apud Godfrid de Mayeren ad acta P. W. lib.* 29. §. 3. *n.* I. *pag.* 492. *Videatur quoque Capitul. Franc.* I. *art.* 15. *§.* I. *&* 2.

VII. Quæ laudatus Chladenius de urbium, populorum & alienorum subditorum protectione docet, quod ista scilicet Advocato protectorio jurisdictionem non largiatur, hæc eadem cohærenti doctrina Ecclesiarum & cœnobiorum protectioni Advocaticæ, ut debuit, applicat, & unam eandemque utriusque Advocatiæ rationem esse, verissime tradit. Unde lectorem monet, si forte is videat, Advocatos protectores, *Schutz- und Schirm-Vögt*, jurisdictionem non in Ecclesias quidem ipsas, sed in Ecclesiarum subditos exercere, id non Advocatiæ *per se*, verum pacto, aut privilegio, præscriptioni, aut reservationi in limine fundationis constitutæ, aut juri territoriali tribuat. Tum concludit Chladenius;

denius, Advocatum, cui nihil dictorum patrocinatur, & qui nihilominus aliquam jurisdictionis partem in Ecclesiæ clientelaris subditos exercere audeat, munere Advocati non uti, sed abuti.

*Cit. Diss. §. XVII.*

VIII. Doctrina hujus & aliorum JCtorum de exclusione Advocatorum Ecclesiasticorum ab exercitio jurisdictionis in Ecclesiarum profana jura & subditos conformis est Constitutionibus Caroli V. Imp. Glor. mem Hic enim in una, quam Bruxellis anno 1549. edidit, severe prohibet, ne Advocati demandata sibi protectione abutantur, Prælatos, Ecclesias, Monasteria, contra protectionis indolem usurpando, opprimendo, gravando, cum adhoc inter alia dati sint, ut eorum jura ac bona conservent, & adversus impetitores pro virili tueantur. Idem ipse Carolus, dum urbi Hildesiensi singulare protectorium indulgeret, prius subjectionis vinculum, quo illa Episcopo colligata fuit, omnino indiscissum voluit.

*Goldast. in ita dict. Const. Imp. tom.* 3. *pag.* 565.

IX. Quod ipsum longissime ante Caroli V. tempora Fridericus I. jam observavit: nam dum Imperator ille anno 1159. Asceterium Richersbergense, Archiepiscopi Salisburgensis juribus addictum in Cæsaream protectionem speciali clementia reciperet, in diplomate desuper conscripto diserte cavit, ne Metropolitica jurisdictio vel minimum inde pateretur. Tenor litterarum ita sonat:

> Richersbergense cœnoblum salva in omnibus Archiepiscopi Salzburgensis, quæ prælibata est, jurisdictione, Nos in nostræ Imperialis Majestatis, & omnium Successorum Nostrorum tutelam recipimus.

*J. P. de Ludwieg. rerum Bamb. vol.* 2. *pag.* 281.

X. Ex quibus aliisque innumeris documentis & constanti omnium Doctorum sensu apertissime constat, Advocatiam protectoriam defensione regulariter absolvi, & in ea præcipuum Advocati Protectoris munus contineri. Nihilominus Slevogt *cit. diss. th. 3.* Advocatiam Ecclesiasticam non solum in tuenda, verum etiam in regenda Ecclesia, inverso ordine & maxima doctrinæ inconstantia constituit; unde Advocatiæ omne jus Sacrorum innectit, Imperatorem ex Advocato & Defensore in Papam & Moderatorem Ecclesiæ Universalem creans. Slevogtio passim Scriptores A. C. addicti consentiunt, quorum longissimum catalogum Pfeffinger in Vitriario Illustr. *tom. 3. tit. 2. n. 8. lit. a.* attexit. Qui eodem loco prædictum Sacrorum jus Cæsaribus ex *ordinatione divina*, quam tamen ex *solo* Veteri Testamento & Synagoga, quæ a nova Christi Ecclesia plurimum distat, inconcinne petit: tum ex Universali *potestate Imperatoris legislativa*, quæ sola temporalis & secularis esse noscitur: nec non ex titulis *Pastoris*, *Nutritii Ecclesiæ*, *Vicarii & Ministri*, *Protectoris Conciliorum*, quibus

bus in Sacro Codice Reges condecorantur, derivat, qui tamen omnes solo defensoris officio quam facillime salvantur, inani studio vindicare laborat. Posthæc 14. actus, quibus Cæsares & Reges jus sacrorum vigore suæ Majestatis, vel Supremæ ac Universalis Advocatiæ exercuisse putat, subjungit, quos singulos refellere hic nimis longum, tum quia ea res directe huc non pertinet, tum quia id jam sæpe præstitimus in dissertationibus de his argumentis successive editis, veluti:

*Ad cap. Hadrianus 22. Distinct. 63. anno 1755.*

*De Ficto posthiminio juris sacrorum Principibus per P. R. & W. restituti anno 1757.*

*De juribus patroni in Ecclesia sui patronatus anno 1762.*

*De juramento fidelitatis in Catholico Clero Secularibus Dominis præstando. anno 1767.*

XI. Advocatorum sub Universali Ecclesiarum Tutore Cæsare constitutorum, sive ab Imperatoribus dati, sive ab Ecclesiis & Monasteriis electi fuerint, munus est, ut defensionem eo modo, quo illa ipsis imposita est, accurate & opportuno præstent tempore, ac insuper Advocatico, quod ipsis vel Imperator vel pactum constituit, omnino contenti sint, nec ultra id aliud extorqueant, multo minus ipsas Ecclesias invadant, bona diripiant, earumque jura sibi usurpent, neque administrationibus Ecclesiarum ac bonorum, nisi forte conventio, præscriptio legitime peracta, vel aliis justus titulus (quem adversante ipsis præsumptione juris docere tenentur) suffragetur, sese immisceant.

*Chockier de Advocatis. quæst. 59.*

*Spicileg. tom. III. Chronici Senonensis.*

*Besoldi in docum. Laureac. 8. notæ a pag. 73.*

XII. Sed omne Advocatorum genus limites sibi præscriptos, cupiditate vincente honestatem & justitiam longe transiliit, ita ut universæ propemodum Ecclesiæ immunes se ab iis efficere summis viribus contenderint, Ipsique Cæsares ac Reges magnam se gratiam facturos existimabant, si dilectas sibi Ecclesias a tanto onere eximerent. Cujus rei exemplum illustre nobis reliquit Albertus I. Rom. Rex, dum anno 1303. conditum a se monasterium Regiofontanum, *Königsbrunn*, ab omni Advocatiali onere liberavit. Eandem libertatem alii Cæsares aliis cœnobiis incredibili eorum gaudio gratiose indulserunt, veluti Ludovicus IV. monasterio Rotenmünster: Rupertus Palatinus R. Rex Neoburgensi, Carolus IV & Fridericus III. Albæ Dominorum, Alpirpacensi, Anhusano, Blaubeurano, Denckendorffensi, Hirsaug. Lorsch. & Maulbrunensi &c. &c. Vide Magerum *cap. 5. n. 441.*

XIII.

XIII. Ut igitur de singulorum Advocatorum excessibus pauca dicamus, initium ducimus a Foren- & jurisdictionalibus: His Carolus M, uti superiore capite §. 22. insinuavimus, & postea Henrici III. & IV. accedente usu & longæva consuetudine nonnisi 3tiam partem mulctarum & placitarum concesserat, ut est apud Chockier & Besoldum *loc. citt.* Sed cum isti Advocati nihilominus ab hac mensura longissime exorbitarent, Eos Concilium Rhemense anno 1148. *cap. 6.* ac postea, cum nihil emendarentur, Synodus Occumenica Lateran. IV. anno 1215. *cap. 45.* coarctare studuit. Hæc postrema post recensitos Advocatorum defectus in hunc modum statuit:

> Cum igitur, quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri; prohibemus expresse, ne Patroni, vel Advocati seu Vicedomini super præmissis de cætero plus usurpent, quam reperitur in jure expressum; & si contra præsumpserint, per severitatem Canonicam districtissime compescantur.
>
> *Cap. in quibusdam* ☧. 12. *de pœnis.*

Huic Lateranensi constitutioni Concilium Lugdunense sub Gregorio X. anno 1273. excommunicationem in prævaricatores adjunxit. Decisio Conciliaris refertur *cap. generali 13.* ☧. *de elect. in 6.*

Videantur etiam *cap. præterea* 4. ☧. *de jure patron. C. in singulis* 7. *in fine de statu monach.*

XIV. Nec minus grassati sunt Advocati Oeconomi ex laicali statu assumpti, nam quemadmodum forenses jurisdictionem vicariam pro clientelaribus Ecclesiis a Cæsare aut fundatore sibi datam in jurisdictionem sibi propriam contra Ecclesias & monasteria verterunt, ita & isti Advocatiam Oeconomicam, *Kastenvogtey*, contra sui officii rationem, & optime cognitam fundatorum intentionem in dominium & jus proprietarium ausu temerario commutarunt, aut saltem bona Ecclesiæ in suum commodum magis, quam illius administrabant, sicque offas suas alieno adipe impinguarunt. Quos redarguit Gregor. X. in Concil. Lugdun. relatus cap. *Hoc consultissimo 2.* ☧. *de reb. Eccl. alien. in 6.* & Trid. anathemati subjicit *Sess. XXII. cap. 11. de reform.* Infideles horum Advocatorum administrationes Ecclesias eo compulerunt, ut omnem operam indefesse impenderent, ut se ab iis liberarent, id quod tandem quoque felici successu effecerunt.

XV. Sed minora fuerunt damna, quæ Ecclesiæ ab Advocatis jurisdictionalibus & œconomis passæ fuerunt, nam facilius ob minorem illorum potentiam huic malo remedium inveniebatur, longe maxima fuerunt, quæ ab Advocatis & Subadvocatis protectoribus, Viris passim præpotentibus, ac non raro Principalis præeminentiæ illis inferebantur. Illa generali compendio Zasius enarrat, dum scribit:

Verum

Verum isti (*Advocati minores monasteriorum protectorii*) pro defensione, ad quam tenentur, Monasteria & eorum subditos sæpe supprimunt, pro patrocinio oppugnant, subterunt, spoliant, gravant, premunt, flagellant, personisque, rebus, bonis, privilegiis & juribus monasteriorum abutuntur.

*Feud.* 10. *Concl.* 8.

XVI. Zasii testimonio longe antiquius est illud Salviani, siquidem idem ille jam sæculo IV. Defensores Ecclesiarum perstringit sequentibus:

Illud grave & peracerbum est, *inquiens*, quod hac lege Advocati tueri pauperes videntur, ut spolient: hac lege defendunt miseros, ut miseriores faciant defendendo. Omnes enim hi, qui defendi videntur, defensoribus suis omnem fere substantiam suam prius, quam defendantur, addicunt: ac sic, ut Patres habeant defensionem, perdunt filii hæreditatem.

*Lib. de gubernat. Dei ultra medium.*

Conqueritur hoc ipsum monachus quidam Zwifaltensis Chronographus, dum ait:

Auro & argento cum Dei adjutorio hactenus maxime ab invasoribus protecti sumus: nam nullus noster Advocatus, nisi pro lucro suo nostris oppressoribus fuit oppositus: omnes enim, quæ sua sunt, quærunt. Nummus semper fuit præcipuus noster Advocatus.

*Apud Crusium A. S. p.* 2. *L.* 9. *C.* 20.

XVII. Atque ut quædam incommoda in specie proferamus: ingens sane fuerunt hospitationes Advocati & Advocatialis familiæ tam transeuntis, quam ex monasteriis ad venationes excurrentis & revertentis, ac longo sæpe tempore ibidem subsistentis, cum equis & canibus, quibus stabulationem & pabulum avenæ, hordei, aliarumque frugum magna copia subministrare, vecturas proprias & alienas procurare, integræ familiæ vero Advocatiali cum famulitio & venatoribus mensas laute & ad delicias instruere, & tam sumptuosis hospitibus insuper pecunias adjicere cogebantur. De quo videatur Besoldus *in prodromo vindiciarum C. 8.* Variæ mulieres insuper, quod longe pessimum erat, in intima septorum religiosorum subintroductæ; unde factum, ut non solum reditus & substantiæ monasteriorum, verum & mores ac disciplina Ecclesiastica multis in locis corruerint. Qua de re Concilium Meldense jam anno 845. apud Carolum Imp. conquestum fuisse tradit Harduinus *tom. IV. Concil. Col. 1487. n. 17.* Quæ & tanta monasterialium bonorum & disciplinæ jactura non paucos optimos principes permovit, ut asceteria ab hoc durissimo hospitationis onere liberarint, quod a Leopoldo Archiduce Austriæ anno 1384. intuitu monasterii Regiofontani cum insigni laude commemorat Besoldus *in Cit. Prodromo C. 8.*

XVIII. His miseriis alia longe durior accessit, directa invasio nimirum bonorum, atque ipsarum adeo personarum Ecclesiasticarum. Exempla sine nume-

numero ſcriptores allegant. Comites de Pogen *inferiorem Altach*, vetuſtum & hodiedum florens monaſterium ſub velamine tutelæ ad eas incitas redegerunt, ut prædia ſubtracta, reditus exhauſti, & monaſterium impar evaſerit monachis ſuſtentandis. Sicuti refert Hundius *in Metrop. Saliſb. tom. 2.* De monaſteriis Wirtenb. inſpiciantur *duo libri Beſoldi*, quos de hoc argumento edidit. Idem Beſoldus *in prodromo vindic.* de nominato monaſterio Denckendorff perhibet, illud a ſuis protectoribus, qui promiſerant, ſe amore Dei illius tutelam ſuſcepturos, ita fuiſſe oppreſſos, ut Præpoſitus hoc ovile ſuum anno 1450. deſerere fuerit coactus. Perſecutiones, poſſeſſionum & bonorum diſſipationes per Advocatos monaſterio Bebenhuſano illatas & inde tantam aſceterii ruinam, ut religioſi conventuales duabus civibus per alia monaſteria, aliaque loca fuerint diſperſi, deplorat Joannes Papa XXII. in quadam bulla apud Beſold. *in document. Bebenh.* Ipſi Imperatores & Reges tam acerbis monaſteriorum fatis indoluerunt, uti Philippus Rom. Rex apud Abbatem Uſpergenſem *in vita ejusdem Regis.* Rudolphus I. Imp. *in Diplom. apud Rotenburg dato anno 1275.* Ludovicus IV. Imp. anno 1338. & laudatiſſimus Rupertus Rom. Rex anno 1401. præcipue ſuper collapſo per Advocatos ſtatu Monaſterii Albædominorum. De invaſione monaſteriorum, quam amare ob imminutam matriculam Imperii conqueſtus fuerit Maximilianus Imp. II, legi poteſt in Receſſu Imperii Spiræ de anno 1570 §. *als wir dann weiters 108.* Legi quoque ſuper hoc triſti argumento meretur Browerus *in antiquit. Fuldens.* Chriſtoph. Paulini *tract. de Advocatis Monaſticis* §. 18. Wehner *in princ. obſerv. 5. Vogthey.* Theodor. Reincking *de Regim. Eccleſ. & Secul. lib. 3. Cl. 1. C. 9. n. 59.* Magerus *C. 1. n. 205. ſqq. de Advocatia armata.*

XIX. Aliqua cauſa prædictæ occupationis inde petita fuit, quod jus Advocaticum *ſub nomine monaſterii* veteres bonis ſuis Cameralibus adſcripſerint. *Vide Cap. 5. §. 20.* quo ſenſu conductor *ſuum* agrum, habitator *ſuam* domum, beneficiatus *ſuam* Eccleſiam dicere ſolent. Unde factum, ut non jam jus Advocatiæ ſeu onus defendendi cum aſſignato annuo ſalario, ſed ipſum *Corpus*, id eſt Eccleſias & bona illarum in dominio ſuo peſſime perſuaſi Advocati eſſe contenderent, a vero fine, origine & natura Advocatiæ quam longiſſime exerrantes. Mos bona Eccleſiaſtica Cameralibus adnumerandi olim viguit in Bohemiæ Regno, etiam tabulis Regni illatus, ſed Ferdinandus I. Imp. pro ſua pietate in teſtamenti ſui tabulis abolitum & omnino deletum illud voluit, quod per falſam perſuaſionem Eccleſiarum bona in album Cameralium bonorum irrepſiſſent.

*Teſtam. Ferdin. I. quoad paſſum concernentem habet commonitorium ad JCtos Cath. nuper editum C.* 5. §. 5. 6.

XX.

XX. Novum gravamen Ecclesiis inde accersebatur, quod passim jus Advocatiæ (quod tamen ex dictis non tam jus, quam onus dici debet) una cum salario Advocatico venditione, donatione, permutatione, oppignoratione aliisque modis in alios sæpe ineptos, nec vili pretio transferreretur; unde bona monasteriorum in periculum primo distractionis adducebantur, ac demum ipsa distrahebantur. Cui malo Camera Imperialis Spiræ aliquando occurrit, decernens, quod per ejusmodi contractus tantum jus Advocaticum, neutiquam bona, transferatur, uti causa inter Wirtenbergenses & Monasterium Oberstenfeld judicata nos edocet, apud Besold. *in Cit Prodromo Cap. 8 pag. 125.* Felici tamen, an infelici dicamus, fato contigit, ut illud jus Advocaticum ab illis ipsis monasteriis eodem pretio, quo aliis venale erat expositum, fuerit redemptum. Exempla refert mox nominatus Besoldus *l. cit.*

XXI. Quibus Advocatis volupe non erat Advocatiam alienare, illis in jurisdictionem & titulum tam a fundatione alienum, quam Ecclesiis præjudiciosum eam commutare minime displicuit. Et dum Advocati antea juramentum de libertate Ecclesiarum, juribus & illarum bonis tuendis atque curandis, instar tutorum, ex præscripto Urbani Papæ II. anno 1095. apud Trithem *in Chron. Hirsaug.* Besold *in docum. Hirsaug* Mager *L. C. Cap. 9. & 14.* edere debebant; inverso stylo ipsi ab Ecclesiis & Monasteriis Sacramentum Clientelare potenter extuderunt; a quo juramento ad subjectionem, & ab hac ad jurisdictionem transire non reformidarunt, cum tamen ex supra dictis & communi omnium Doctorum calculo protectoria Advocatia jurisdictionem & subjectionem non involvat.

XXII. Levius malum, quo tamen Ecclesiæ non modice etiam a supremis Advocatis vexabantur, erat *jus Regalium*, quod in Gallia primo adinventum, postea quoque in Imperium pedem movit & ad tempus invaluit. Vigore hujus mortui ab intestato Episcopi & Abbatis Principis bona mobilia & se moventia, nec non proventus ex immobilibus ad Episcopatum pertinentibus Cameræ Imperiali *Sede vacante* inferrebantur. Sed Principes Germaniæ eo tempore, quo Otto IV. in Imperatorem electus erat, indignitate rei commoti Innocentio Papæ III. significarunt anno 1200, pravam illam consuetudinem ab Ottone fuisse abolitam, illumque statuisse, ut bona a Prælatis relicta futuris successoribus conservari debeant. *apud Baron. ad ann. 996.* Pium Ottonis sui prædecessoris exemplum sequutus Fridericus II. Solemni Constitutione anno 1213. edita, & in sua bulla aurea anno 1219. ad Honorium Papam III. confirmata Ecclesias hoc onere absolvit. Verba Goldastus *l. c.* sequentibus reddit:

Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis. Omnia Nos Spiritua-

tualia Vobis (*Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis*) relinquimus libere disponenda; ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo recta distributione reddantur.

Invaluerunt constitutiones Ottonis & Friderici, earumque virtute jus Regalium in nostro Imperio R. G. prorsus cessavit.

XXIII. Redimus ad Sub-Advocatos, quos aut Imperatores sibi suffecerunt, aut Ecclesiæ sibi delegerunt (quo nomine minime veniunt Majestatici, qui sub Imperatore quidem, sed ex munere & præeminentia territoriali Ecclesiarum tutelam gerunt) Hi quando Advocatia in damnum Ecclesiarum & Monasteriorum invasione, spoliatione, oppressione aliisve modis paulo ante commemoratis abutuntur, jure Advocatiæ privari possunt. *Dati* quidem per varias Constitutiones tam civiles, quam canonicas. Ac primo quidem Friderici II. Imp. *de pace tenenda & ejus violatoribus lib. 2. feud. tit. 27. §. 7.* ubi ita legimus:

> Quicunque Advocatiam suam, vel aliquod aliud beneficium inordinate tractaverit, & a Domino admonitus non resipuerit, & in sua perdurans insolentia ordine judiciario, tam Advocatia, quam beneficio (*i. e. feudo intuitu Advocatiæ possesso*) exutus fuerit, si postmodum ausu temerario Advocatiam vel beneficium invaserit, pro violatore (*pacis*) habeatur.

Suffragantur commentaria in hunc locum Friderici Schenck, Udalrici Zasii, Jacobi Streith & aliorum elucubrationes, Mageri, Hopingk Manlii & Authoris der nothwendigen Erinnerungen *p. 1. in refut. 1. §. daher* ubi contendit, civitatem Donauweerd Advocatiam monasterii S. Crucis amisisse, quia illud spoliavit, occupavit, & monachos inde expulit.

XXIV. Carolus M. in Bulla donationis, qua villam suam Ulmam Abbati & conventui divitis Augiæ anno 813. concessit apud Nauclerum *volum. 2. generat. 27.* in hunc modum loquitur:

> Quandocunque Advocatus sui commissi (*officii*) prævaricator aut in rebus vel hominibus existat, statim sine mora, sine judicio Advocatiam perdat.

Urbanus II. in Bulla confirmatoria restaurati monasterii Hirsaug apud Magerum *de Advocatia armata c. 16.* excommunicationem superaddit dicens:

> Si autem non ut Defensor, sed potius ut calumniator & pervasor rerum sibi commissarum extiterit, nostro banno excommunicatum omnino habeat Abbas, & potestatem hunc reprobare, & alium sibi utiliorem, undecunque placuerit. auxilio etiam Imperatoris, si necesse fuerit, eidem monasterio providere.

Pari modo de eodem instaurato monasterio decernit Henricus I. RR. Rex apud eundem Magerum, qui plura alia id genus exhibet testimonia.

XXV.

XXV. *Electitii vero & Pactitii Advocati*, qui ſub modo Defendendi, protegendi & curandi Eccleſiarum libertates, jura & poſſeſſiones aſſumpti & conſtituti ſunt, jure meritiſſimo non ſolum Advocatico, verum & ipſa Advocatia exuuntur, non tantum ſi munus defenſoris deſerant, quod mere negativum dicimus, ſed multo magis, ſi quod poſitivum, ex defenſoribus in apertos hoſtes & oppugnatores evadant. Natura hoc contractus poſt ſe trahit, ut ſi ex altera parte, quod promiſſum eſt, ſeu in conventionem venit, non ſervetur, neque altera pars ſervare teneatur. Eccleſiæ autem & monaſteria taliter verſantur in contractu cum ſuis Advocatis: *Damus vobis honorem, poteſtatem, commoda, annuum ſalarium, ut nos etiam manu armata, ſi opus ſit, contra injuſte vexantes & opprimentes defendatis.* Igitur, ſi aſſumpti in Advocatos Eccleſiarum & monaſteriorum officia ſua non præſtent, imo directe protectioni contraria audeant, opprimendo, ſpoliando, invadendo, occupando, detinendo &c. jura officii ac poteſtatis ſuæ amittere debent. Favent nobis ex recepta doctrina Politici cum Georgio Gumpellzhaimer Lutherano *vol. 1. Arumæi, diſcurſu Acad. de jure clientelari 27. theſ. 4. fol. 828.*

XXVI. Argumentum hoc dilucidant per ſimilia in legibus definita Dilingenſes JCti *de compoſitione pacis cap. 8. q. 63. n. 114.* Tutor, inquiunt, a tutela removendus eſt, *ſi graſſatus in tutela eſt, aut ſordide egit, vel pernicioſe cum pupillo, vel aliquid intercepit ex rebus pupillaribus.* L. 3. §. nunc videmus ff. de ſuſpectis tutoribus. Si colonus conceſſo ſibi fundo male utatur, ac deteriorem efficiat, jure ſuo cadit, atque expelli poteſt. *L. 3. Cod. de locato.* Similiter & emphyteuta, ſi re in emphyteuſin accepta contra pacti tenorem male utatur. *Auth. qui rem C. de Ss. Eccleſiis &c.* Quod vaſallus, ſi feudo abutatur e. g. ſæviendo in ſubditos, illo privari poſſit, communis eſt DD. apud Roſenthal *in Synopſi de feudis cap. 10. n. 45. ſqq.* Oeconomus Eccleſiæ, qui in illegitimam rei Eccleſiaſticæ alienationem conſenſerit, commiſſa ſibi œconomiæ adminiſtratione privari debet *L. jubemus 14. §. œconomus C. de Ss. Eccleſ. nam* generaliter *privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* can. ubi 7. diſt. 74. In idem recidit gloſſa, quæ in cap. *in quibusdam 12.* ꝟ *de pœnis* ita commentatur: *Nota pœnam illorum, qui contra Eccleſiam delinquunt, ſcilicet, quod amittere debent, quidquid ab Eccleſia tenent.*

XXVII. Hanc privationem recta ratio, & ei ſuffulta naturalis æquitas omnino ſuadet, aut rectius urget, cum enim Advocatia quælibet, præprimis protectoria ad defenſionis ſubſidium adinventa ſit & introducta, quid rectæ rationi conformius, quid æquitas magis exigit, quam ut illa ad depreſſionis diſpendium retorqueri non debeat? *cap. in quibusdam cit.* Quid monſtruoſius cogitari dicique poteſt, quam Eccleſiam defenſorem, a quo defenſionis loco vexationes, direptiones, cladem & excidium experitur, tolerare, ſalario inſuper

honorare, & ita suum interitum & excisionem hilari vultu & plaudentibus manibus non tam aspicere, quam promovere debere.

XXVIII. Ad cohibenda tanta Ecclesiarum ac monasteriorum mala Advocatos Honorius III. Papa in quadam Bulla, quam recitat Gelenius *in vita Engelberti Archiepiscopi*, adhortatur, ubi simul originem tot excessuum ab iisdem in loca Deo dicata commissorum sequentibus indicat:

> Si Advocati Ecclesiarum significatum sui nominis attenderent, ut deberent, studerent eas ob reverentiam Advocati cœlestis, cui speciali titulo Ecclesiæ sunt ascriptæ, fovere beneficiis, & viribus defensare &c.

XXIX. Fuerunt Advocati, qui paternis monitis obsecundantes resipuerunt, & ruinas Ecclesiis contra Advoçati officia illatas ante suum diem restaurare, quantum per angustias mortis & temporis licuit, conati sunt, quorum plures cit. Paulini *tract. de Advocatiis monasticis §. 25. sqq.* inducit. Besoldus quoque *in documentis Blauburanis* exemplum pœnitentis Rudolphi Comitis refert, quod is jus Advocatiæ in remedium animæ suæ, ac parentum suorum, & in compensationem damnorum, gravaminum & injuriarum crebro indebite Abbati & Conventui prædicto illatorum, quorum occasione gravaminum sacra divinorum officia frequenter neglecta, & in Salutis suæ (Advocati) dispendium minus debite sunt peracta, monasterio resignaverit, illudque a tam gravi & dura Servitutis Advocatialis sarcina liberaverit.

XXX. Ex hactenus fuse quidem, attamen pro argumenti dignitate haud satis disputatis, pronum est colligere 1. quam fluxæ & instabiles sint omnes humanæ, etiam optime constitutæ dispositiones: omnis Imperatorum & pientissimorum secularium Fundatorum authoritas eo collecta videbatur, ut fundationes piæ firmæ essent, & Ecclesiæ monasteriaque in suis juribus ac possessionibus perpetim starent immobiles; & nihilominus illa hominum perversorum studiis subruta & plurimum labefactata concidit. 2. Quam longe melius Ecclesiis ac Cœnobiis consultum sit, si ipsæ sub *sola* protectione Imperatorum, aut Principum Statuumque territorialium protectione, seclusa omni alia Advocatia per Prælatos suos regantur, & bona sua administrentur. 3. Præcipuum ac fere unicum Ecclesiarum, Cœnobiorum aliorumque locorum piorum Advocatum, in quo protectionis tam certæ, quam efficacis fiduciam tuto collocent, in cœlis existere, quem S. Joannes Apost. 1. *epist. c. 2. v. 1.* nobis designat, dicens:

Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum,

qui ad dexteram ejus existens Paulo teste Rom. 8. *interpellat*, & Hebr. 7. est *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, & ad nos fortiter protegendum; nam

nam ipse *Dominus Deus*, *qui est*, *qui erat*, & *qui venturus est omnipotens*. Apocal. 1. qui & sit tenuissimi hujus nostri laboris, rerumque omnium *alpha* & *omega*, *principium* & .

FINIS.

# Animadversiones Editoris.

Ad *Cap. IV.* §. *XVIII.* Quoad verba Capitulationis Caesareae ab Auctore relata, notandum inprimis est in Capitulatione *Caroli V.* ea ita referri: die Christenheit und den Stuhl zu Rom, auch Päbstliche Heiligkeit, und *NB.* die Kirchen, quae dein in Capitulatione *Ferdinandi I.* mutata sunt; facilius autem est evitare tavtologiam quoad textum prout in Capitulatione *Caroli V.* habentur, nimirum ut praeter Christianam Religionem et Ecclesiam universim, quod insinuatur per *τὸ* Christenheit, Imperator etiam in specie protegat Ecclesias Germanicas, quod intellige per *τὸ* Kirchen, cum in Capitulationibus posterioribus non satis discerni videantur Christenheit und Christliche Kirchen, nisi fortassis per ultimum eodem modo intelligere velis Ecclesias Germanicas. Itaque vi horum verborum obstringit se Imperator 1) ad defendendam universim Religionem et Ecclesiam Christianam, ex quo fundamento eundem quondam et sua ratione adhuc hodie tanquam Caput temporale totius Reipublicae etiam a Principibus aliis Supremis agnitum fuisse agnoscique ostendit NELLER *in Diss. de genuina Romanorum Imperatoris idea* Tom. III. hujus Thesauri N. X. ubi effectus itidem hujus protectionis recenset, ejus dicta animadversionibus pluribus l. cit subjectis illustravi. 2) Distinguitur in textu Pontifex a Sede Pontificia, sicut et eodem modo Episcopus a Sede sua Episcopali: per Sedem Pontificiam intelligitur ipse Primatus in universam Ecclesiam a Christo institutus, juraque legitime eidem conjuncta, ad quae proin protegenda Imperator se obligat; propterea tamen ad omnes praetensiones Curiae Romanae, quae vel plane non agnoscuntur, vel in dubium etiam a Catholicis vocantur defendendas non obstringitur, quippe qui sensus nec est Electorum formulam Capitulationis praescribentium nec Imperatoris eam jurato a se observandam spondentis, immo vero alio Capitulationis loco uti Art. 14. potius Caesar ad varias ejusmodi praetensiones in praejudicium Ecclesiarum Germanicarum amoliendas obligatur. Cum tamen Sedes Pontificia a persona Pontificis secernatur aeque ad hanc sicut ipsam Sedem defendendam Imperator vi verborum tenetur. 3) Advocatia isthaec non solum onus protectionis complecti-

plectitur, sed et vicissim insignia Imperatoris jura, quae tamen evolvere hujus loci non est; atque ex parte in citata Dissertatione *Nelleriana* enucleantur; universim autem justo systemate genuinis principiis suffulto uberius exponi exoptat *Auctor Observat. Historico-juridicarum in Concordata Obs. 1.* Videri quoque potest praecipue circa applicationem ad Protestantes MOSER *in Tractat.* von den Kayserlichen Regierungsrechten und Pflichten 1772. *Part. 1. a p. 240. seqq.*

*Ad Cap. IV. §. VI. seqq.* Universim de Advocatis Ecclesiasticis juribusque illis quondam et hodie adhuc competentibus omnino verum esse videtur, quod ait Vir Celeb. L. B. de Senckenberg Select. Jur. et Histor. Tom. 3. p. 518. in not. adeo variare hac in materia diplomata aliaque monumenta vetera, ut de iis tanquam pro regula vix quicquam sat certi definiri queat, atque ita in casu speciali controverso hodie ad titulum originemque ejusmodi Advocatiae, uti ad reservationem in fundatione factam, ad formulam pacti aut conventionis, ad specialem concessionem Imperatoris etc. recurrendum esse, atque inde potissimum controversiam ejusmodi esse dijudicandam. Si de jurisdictione annexa Advocatiis istis in specie quaeritur, tum quidem ante omnia, ne lis de nomine inanis evadat, discernendum, an quaestio sit de jurisdictione Ecclesiae cuidam de se propria, sed ejus nomine nonnisi ab Advocato exercenda eo nimirum aevo, quando ex rigore Canonum Ecclesiastici nonnisi parcissime negotiis ejusmodi saecularibus tumultui praesertim forensi sese immiscebant; atque hanc equidem plerumque Advocatiis annexam fuisse plurima documenta ostendunt. *Conf.* Kritische Staats-Betrachtungen 4. Theil. 3. Stück. Von der Altklösterlichen *Advocatie.* Memorabile est, quod ait *Rudolphus Comes de Hohenberg* anno 1338. l. cit. p. 158. *quod velit bona Monasterii in Bebenhusen non ut Advocatus ejusdem Monasterii, sed tanquam ipsius promotor atque defensor tueri et gubernare, nihil sibi vel suis haeredibus per hoc jurisdictionis Advocatiae Monasterii supra-dicti usurpans atque attrahens quoquo modo;* cujusmodi adhuc alia ibidem videri possunt. Eo porro sensu, quod Advocatis istis jurisdictio aliqua propria praeterquam ea, quam nomine Ecclesiae exercebant in ejus bonis non competierit, verum est, quod passim defenditur ex notissimo illo axiomate: Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit. Consequitur exinde prono alveo, ab Advocatia istiusmodi, nisi sit Majestatica, ad superioritatem territorialem ipsam argumentum fieri non posse, cum ne jurisdictio quidem ab Advocatis exercita ipsis propria fuerit, sed Ecclesiae potius competierit ejus nomine ab Advocato exercenda, atque inde Advocatiis istis varia ratione abolitis ad Ecclesiam quoque ejusque Praelatos redierit.

*Ad Cap. V. §. XV. seqq.* Nexum Juris patronatus cum jure Advocatiae egregie illustrat *Georg. Ludov.* BOEHMER *in Obser. Jur. Can. Obs. VI.*

Jus

Jus patronatus dicit complexum jurium intuitu fundationis in Ecclesiam competentium, atque Advocatiam Ecclesiasticam, quoad ex fundatione Ecclesiae nascitur sub jure patronatus comprehendi: ad hanc rem inquit *Nobilis Dominus de Lippia* in Diplom. apud SCHEIDIUM l. c. p. 202. relatum: *a se donari jus patronatus Ecclesiae in Lodhe Monachis* Lucaensibus, *nullamque sibi aut haeredibus advocatiam, gardiam vel custodiam seu jus processionis aut jus frequentationis* vel aliud jus quocumque censeatur nomine in eadem *ecclesia reservari.* In Anglia praesertim nomen patroni et Advocati promiscue sumptum, unde ut jam notavit JANUS a COSTA *in Comment. ad Decret. denuo relatus l. cit.* omnes fere Decretales tituli de jure patronatus ad Angliam pertinere et ideo promiscuam in illis esse Advocati et patroni appellationem. Quid nihilominus discriminis inter utrumque justum patronatus tum Advocatiae sit statuendum, satis jam refertur, ab Auctore, cui adde, quod Advocatiae propria sit potestas publica bona et jura Ecclesiae suae defendendi, atque ita vi fundationis competere non soleat nisi fundatoribus, in quorum antea jurisdictione bona ejusmodi sita fuerunt, fundatoribus itaque privatis, beneficiorum item minorum tantum erectoribus non accrescat: hisce vicissim jus praesentandi ex fundatione acquisitum fuerit; Advocatis aut patronis fundatoribus Ecclesiarum majorum ferme solum jus consentiendi reliquum mansit, quippe in quibus aut libera electio aut alius modus providendi jure communi determinatus fuit, uti videre est, *C. 25. de Jure Patronat.* et alibi.

*Ad Cap. VI.* §. *XXIII. seqq.* A Subadvocatis discernendi sunt Advocati speciales seu particulares, aut rerum specialium ad Ecclesias pertinentium: certum enim est, quod praeter Advocatum generalem alicujus Ecclesiae subinde plures Advocati speciales extiterint quorundam bonorum ad eandem spectantium, dum nimirum v. g. collatores horum bonorum sibi eorundem Advocatiam et protectionem reservarunt; adeo ut et in chartis vetustis subinde quorundam mansorum Advocati occurrant, uti apud KETTNER *in Antiq. Quedlinb. p. 255. 257. 261. 295. &c.* SCHANNAT *in Histor. Fuldens. P. II. C. 2. §. 1.* observat praeter unum Ecclesiae Fuldensis principalem Advocatum Comitem de Ziegenhain jam Sec. IX. nominatim recenseri XVIII. particulares bonorum advocatos. In Diplom. *Frid. I. de anno 1188.* pro Ecclesia Ss. Simonis et Judae Goslariensi apud *Jo. Mich.* HEINECC. *in Antiq. Goslar. L. 2. p. 185.* recensentur plures advocati particularium praediorum, quorum excessus Imperator coercet; mentio item injicitur bonorum Advocatorum onere liberorum. Sub-Advocati praecipue graves Ecclesiis evaserunt; inde variae circa illos abolendos constitutiones editae, uti a *Friderico I.* prohibitum, nequis sub poena amittendae Advocatiae Subadvocatum nominet apud HUNDIUM *Metrop. Salisburg. T. 2. p. 4.* item KÜSTERUM in *Collect. March. Part. 17. p. 134.*

134. item a *Conrado III. apud eundem l. cit. p. 128.* ubi dicitur: *Subadvocatos vero omnino interdicimus, quos etiam communis lex totius regni nostri ab advocatiae justo judicio removet.* Accessere prohibitiones Conciliorum, uti *Rhemensis* ad annum 1148. quorum decreta appellat et confirmat *Hadrian. IV.* in epist. apud HUNDIUM *l. cit.* atque idcirco recte dixit *Eberhardus* Salisburgensis in diplomate quodam suo: *Subadvocatiae tam Synodalibus quam etiam imperialibus judiciis abjudicatae sunt.* Conf. HANSIZ *German. Sac. Tom. 1. in Eberhardo I.* §. *29.* Adde HAEBERLIN *Histor. Tom. 2. p. 442. et 443.*

X. JO.

# X.

## JOAN. CHRIST. HERMENEGILDI ESCHERMANN U. J. L.
Judicii Electoralis Aulici Trevirensis Secretarii,

## DISSERTATIO INAUGURALIS CANONICA
AD CAPITULUM II.

# DE HIS, QUAE FIUNT A PRAELATO etc.

*Treviris* 1772.

## *CONSPECTUS DISSERTATIONIS.*

§. I.

I. *Exposito* Summario, Inscriptione, *et Capituli* Textu, *vt est in Corpore iuris*, &

II. *In 1ma Compilatione MSta*,

III. *Indicatur fons*, *ex quo*

IV. *Capitulum* resecatum *redintegratur*, *et*

V. *in duas diuiditur partes*,

VI. *resoluta obiectione*, *ex* rescripto inter constitutiones Benedicti XIV. 113. Bullarii magni tom. 16. pag. 262. §. 9. et seqq. *desumpta*.

§. II.

VII. *Posita ad Capituli analysin transitione*, *non pauca capitulorum* Summaria *male concepta ac falsa*, *exemplis demonstratur*, *quibus*

VIII. *et praesentis Capituli* Summarium *adiicitur*.

IX. *Praemissa communi* Inscriptionum *crisi*,

X. *de* Rescribente, *h. c. dubitari non posse*, *asseritur*, *ac*

XI. } XII. } *cui* Epiſcopo Noruic. *hocce Capitulum reſcriptum fuerit*, *deducitur.*

XIII. *Primam caſus dubii partem*

XIV. *Etymologia lucernam praeferente explicandam eſſe*, *demonſtratur.*

XV. *Expoſitis*, *ſiniſtrae h. c. interpretationis ratione*, *ac*

XVI. *vero et proprio interpretandi modo*, *nec non*

XVII. *memoratis praepoſteris Autorum commentariis in h. c.*,

XVIII. } XIX. } *probatur*, *idem Anglis fuiſſe* Decimam, *quod* Decania.

XX. *Textus hic non de* Decima *vel* Decania politica *(quae populi diuiſio prius apud Germanos, et in noſtro quoque Treuiratu, quam apud Anglos viguiſſe oſtenditur in *) intelligi poteſt; ſed*

XXI. *de* Decania eccleſiaſtica; *ad quod demonſtrandum*

XXII. } XXIII. } XXIV. } *Praemittitur origo, ac primaeua eccleſiarum denominatio, earumque diuiſio in* Parochiales *et* Baptiſmales.

XXV. Baptiſmalibus *praefuiſſe* Decanos, *et hinc eas*

XXVI. *Anglis dictas eſſe* Decanias, *ſeu* Decimas, *probatur.*

XXVII. *Obiectis contrariorum argumentis*

XXVIII. *Reſolutis*

XXIX. *Verus exponitur huius verſus ſenſus; ad ſequentem*

XXX. *refutatur* Gonzalez *ad h c. in not. c.*

XXXI. *duplici exinde deſumpta obiectione*

XXXII. *ſoluta*,

XXXIII. *hic verſus ſecundum genuinum eius ſenſum explanatur*, *et verſus ſequens exponitur*, *qui*

XXXIV. *vel de* beneficio *vel* dignitate *interpretandus probatur.*

XXXV. *Quum vero de qualicunque* beneficio *non poſſit accipi*,

XXXVI. *hinc de* dignitate, *et quidem* Decanali, *intelligendus.*

XXXVII. *Hunc intellectum probat inueſtitura*, *per* Clauem *et* Librum *ab Archidiacono data; quod*

XXXVIII.

XVIII. }
XIX. } *argumentis et exemplis vberius demonstratur.*

I. *Exposito vltimo casus dubii versu,*

II. *ad primum Pontificiae decisionis membrum properatur,*

III. *cui opponuntur notoria I. V. principia, quibus*

IV. *et* XLV. *resolutis, ad*

VI. *secundam Pontificiae decisionis partem, eidemque contraria argumenta acceditur, et*

VII. *propositis Glossae,*

VIII. *Aliorumque Commentatorum interpretationibus,*

IX. *hocce Capit. ante* Concil. Lateran. III. *ab* Alexandro III. *rescriptum fuisse, arguitur.*

} *opponitur difficultas in hac decisionis parte, quae resoluta probatur per*

I. *Allegationem* Panormitani.

I. *Noua proponitur difficultas, quae,*

. *allegatis variis Autorum solutionibus,*

I. *resoluitur.*

§. III.

II. *Casus* longus *Capituli, ex quo*

III. *duo communiter A. A. deducunt* crinomena, *quorum primum simpliciter reiicitur,*

X. *secundum vero, vt iacet, defendi non posse, probatur per* Canisium, *et per*

I. } *allegationem legum, quibus taciturnitas pro consensu non est. Hinc*

III. *modificatur, et consensum ex taciturnitate saepe praesumi, probatur ex iure Canonico et*

IV. *ex iure Ciuili. Demum*

## PRÆFATIO.

*Quum nuper in vtriusque iuris Doctorum ordinem recipi desiderarem, mihi, in pridiano inclyti senatus iuridici consessu, variis ex omnigeno iure quaestionibus tentato, atque ad examen rigorosum postera, vt praescriptum est, die subeundum ex vnanimi consensu admisso, sorte, quod moris est, elaborandum, et intra* 24. *horas, quodque pauxillum superat, repetendum, desuperque in forma scholastica disputandum obuenit* 1) *ex iure Canonico* CAPITULUM 2. x. de his, quae fiunt a Praelato fine consensu Capituli. *et* 2) *ex iure Ciuili* l. 11. Cod. qui testam. fac. *Quoniam vero ob nimias temporis angustias praefatum Capitulum pro dignitate eius* et aenigmate *in verbis:* concessio decimae, *quae clauis sunt, ea, qua optassem eruditione, atque eo, quo debuissem, argumentorum pondere repetere haud satis potui: nunc plus otii nactus, illi magis enucleando manum denuo admoni, vidensque, dignum esse, pro inauguralis meae Dissertationis themate, modo analytico deducendum, elegi, sequentem resolutoriae repetitionis ordinem seruando. Praemitto autem* 1.) *ipsius Capituli textum vna cum* summario *et* inscriptione, *prout hæc reperire est in Corpore iuris, et* 1*ma Compilatione MSta.* 2.) *Redintegro textum, et* 3.) *totum Capitulum in suas partes distribuo.* 4.) *Explicato ac illustrato totius Capituli textu de versu ad versum, pono* 5.) Casum longum, *vt eum Veteres vocabant*, Bernardi, *deducendo ex inde* punctum Capituli, *quod iidem appellitabant* casum breuem; *cui* 6.) *oppono nonnullas obiectiones: demum* 7.) *ipsum Capituli punctum solidis rationibus euincere nitor, resolutis* 8.) *quibuscunque contrariis.*

*Quid quantumque praestiterim, an vel in quantum propositi thematis dignitati correspondeat haec pertractatio mea, benigni Lectoris beneuolae*

crisi

*crisi eo libentius submitto, quo enixius illum rogatum volo, ne, quod necessitate subii, temerariae tribuat praesumptioni: fatendum enim mihi est, me nec reperisse cuncta, quae dilucidare volebam, nec cuncta posuisse, quae reperi: quum et rerum magnitudo scientiae desiderium succenderet, et diuersitatum confusio fastidii nimietatem praeberet. Veruntamen etsi censoria Lectoris mei indagatio in his, quae proponam, non habeat copiam satietatis, qua delectetur, habebit certe ansam inquisitionis, qua melius exerceatur.*

## §. I.

*CAP. 2. x. de his, quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli,*

### *I. SUMMARIUM.*

Tam in Corpore iuris, quam ab interpretibus communiter poni solitum:

*In temporali alienatione, quam facit Praelatus, taciturnitas Capituli habetur pro consensu.*

### *INSCRIPTIO.*

ALEXANDER III. NORUICEN. EPISCOPO.

### TEXTUS.

C*ontinebatur*: (et infra) *Cons. t. t. r., quod concessio DECIMÆ ab Abbatissa prius facta, si Conuentu sciente, et non contradicente facta est, robur firmum debet habere. Verum, si, ignorante Conuentu aut contradicente, DECIMAM prius praedicto H. concessit, & non post multum temporis de assensu Conuentus eandem DECIMAM dedit eidem, secunda concessio debet praeiudicare priori.*

II. Compilatio 1ma. ad quam *Notator* Lectorem remittit sub *lit.* h., quibusdam mutatis sic habet in Cod. MSto.:

ALEX. III. NORUICENSI EPISCOPO.

*Continebatur* (et infra) *Consult. t. t. r., quod concessio decime ab abbatissa prius facta, si conuentu sciente, et non contradicente facta est, robur firmum debet habere. Verum si* prefata abbatissa *ignorante conuentu, aut contradicente* prius predicto N. *decimam* suam *concessit, & non post multum temporis de assensu Conuentus eandem decimam* memorato H. *dedit, secunda concessio debet preiudicare priori.*

III. Clarum est, et nulla demonstratione indiget, Capitulum hocce (vt cum Canonistis loquar) esse Capitulum *resecatum;* quod tamen non nisi inspecto fonte

fonte illuſtrari poteſt; Quum et P. *Laymannus* ad h. c. n. 2. caſum eius non ſatis explicatum eſſe ſcribat, ſic, vt certam ex eo doctrinam colligi non poſſe cenſeat, et *Eman. Gonzalez* ad idem cap. n. 3. ponat: *Difficilis profecto, & merito, viſus eſt praeſens textus iuris interpretibus.* Ad fontem igitur accedam, memor illius prouerbii: *Ex fonte potius, quam riuulis, eſſe hauriendum.* Aſt, ne ad eius ſcaturiginem peruenire deſiderans, a recta deflectam via, ſequar *paruum Notatorem* ad hoc Capitulum, illudque ex his, quae poſt Conc. Lateranenſe III. in *Collectione Conc. Biniana tom. 3. part. 2. pag. 636.*, et in *Collectione Harduini tom. 6. part. 2. pag. 1842.* ponuntur, ſic redintegro:

## ALEX. III. NORUICENSI EPISCOPO.

IV. *Continebatur in litteris a te nobis transmiſſis, quod, quum ſuper DECIMA de QUERCHE inter Magiſtrum Hub. et N. de mandato noſtro coram te verteretur, conſtiterit tibi, quod M. Abbatiſſa Sanctae Mariae de Wint. pro communi voto, et vnanimi conſenſu, Conuentu aſſenſum praeſtante, DECIMAM ipſam praedicto H. conceſſit, & Rad. Winton. Archidiaconus per clauem et librum ſibi exinde inueſtituram fecit: Magiſter vero N. probauit coram te idoneis teſtibus, quod praefata Abbatiſſa praeſcriptam DECIMAM ſibi PRIUS dederat, Conuentu non contradicente, QUAM eam praefato Huberto dediſſet, et quod a dioeceſano Epiſcopo eius fuerit conceſſio confirmata. Vnde, quia nos conſulere voluiſti, cui conceſſioni innitendum ſit, Conſultationi tuae taliter reſpondemus, quod conceſſio prius facta, ſi Conuentu ſciente, et non contradicente facta eſt, robur firmum debet habere. Verum, ſi praefata abbatiſſa, ignorante Conuentu, aut contradicente, prius praedicto N. DECIMAM ſuam conceſſit, et non poſt multum tempus de aſſenſu Conuentus eandem DECIMAM memorato Huberto dedit, ſic, vt tibi eam datam fuiſſe conſtet, ſecunda conceſſio debet praeiudicare priori.*

V. Redintegrato itaque Capitulo ex iam dicto Concil. Lateran. III., vt Diſſertatio mea conſpectui tractationis in Praefatione allegato correſpondeat, totius Capituli textum in partes ſuas cum Abbate *Panormitano*, celeberrimo Saeculi XV. Canoniſta, diuidens, duas conſtituo, quarum prima (ab initio ſcilicet capituli vſque ad verba: *Vnde quia nos conſulere &c.*) continetur dubius Capituli caſus, *Alexandro* III. S. P. ab Epiſcopo Noruicenſi conſulente, atque apoſtolicam deciſionem petente propoſitus. Secunda vero pars *duplicem* S. Pontificis, ac diſtinctioni innixam complectitur *reſponſionem.* Huius diuiſionis fundamentum in progreſſu, et ipſa Capituli repetitione, quam nunc aggredior, clarius pateſcet.

VI. Prius vero atque in ipſo adhuc veſtibulo, illi ſcrupulo obuiandum duxi, quem nonnulli ex reſcripſit *Benedicti XIV. 113. §. 9. et ſeqq. tom. 16. Bullarii magni ab Archiep. S. Dominici in Inſula Hiſpaniola* dato mouere poſſent:

Decre-

Decretales sunt sumendae, sicuti iacent, et *resecata* non praestant argumentum. Hanc obiectionem Doctores communiter sic resoluunt: Verum est, *resecata* non praestare argumentum ad *euertendum* ea, quae remanserunt; sed praestant ad *illustrandum*. Nam *si resecata fuit decretalis, quia superflua, aut nimis prolixa, tunc ad declarationem legis non resecatae potest allegari: et ita quotidie allegamus recisam decretalem*, inquit *PANORMITANUS* ad proemium Decretalium *Rex Pacificus* n. 7. Confer quoque *GONZALEZ in apparatu n. 53. & 54. pag. m. 25.*

## §. II.

VII. Vt itaque Dissertationis meae scopo propius accedam, ab ipsius *Summarii* examine rem auspicor. Omnibus, etiam ipsis iuris Canonici tyronibus, noto notius est, Capitulorum *Summaria* nullius in iure nostro esse autoritatis, vtpote non ab ipsomet *S. Raymundo* Decretalium compilatore, vel *Gregorio IX.*, sed post MStos et primi typi codices modo, priuatorum Doctorum appositos partus, nulla vnquam potestate publica approbatos, quibus fides eo minus tuto haberi potest, quo crebrius est, reperiri in Corpore iuris Canonici *Summaria*, quae sinistra interpretatione a proprio Capituli sensu abducunt, nec veram ac fidelem *puncti decidentis* praebent constitutionem.*

* Exemplo nobis sit *Summarium* Cap. 3. x. de Constitut., vbi textum: *translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat*, sic extra rhombum summat: *Potestas legem condendi et mutandi est penes Vicarium Christi;* in *Cap. 3. de Testib.*, vbi docet: *Mulierem*, criminis complicem, *testificari contra clericum, quum de crimine agitur.* in Cap. 1. de Capell. Monach., vbi textum singularem: *in ecclesiis, vbi monachi habitant, populus per monachum non regatur*, summat generaliter: *Ad curam monasterio subiectam, non monachi, sed saeculares clerici praeficiuntur.* Tacendo alia *Summaria* titubantia, nec firmo talo consistentia.

VIII. Hanc breuem *Summariorum* crisin eo fine praemisi, ne quis forte me accuset, quod in praesenti *Summarium* huius Capituli deseram, aliudque illi substituam; non innitor in hoc prudentiae meae contra *Cap. 5. de constitut.*: quia, a vero ac genuino illius sensu deuium, interpretes plurimos in diuinationum auia deduxit, non solum autem in haec, sed etiam in thema hoc positiue falsum: *Ad alienationem rei ecclesiasticae sufficit tacitus Capituli consensus.* Vnde ad illud refutandum, ac improbandum permouit me rei ipsius euidentia, quae in decursu patebit.

IX. Praemissa itaque *Summarii* non admittendi notatione, vt me intra praescriptos dissertationis meae cancellos contineam, ad *Inscriptionem* transeo. Et quidem Capitulorum *inscriptiones* plus autoritatis habent, quam *Summaria*, vtpote a Decretalium conditore positae, non minus, ac Rubricae; attamen et has

has crisi subiacere, propter amanuensium partim abbreuiantium, partim abbreuiata integre scribentium, oscitantiam, vel ignorantiam, norunt eruditi.*

* Cuius rei paratum dat exemplum *inscriptio Cap.* 3. x. *de feriis* & *Cap.* 6. *de poenitent.*, quae Capitula inscribuntur *Triburiensi Archiepiscopo*, quum *Triburiae* (vnde habemus *Triburiensia* Concilia) nunquam fuerit Episcopus, multominus Archiepiscopus. Topographicum hocce Canonicum correcturus *Gonzalez*, per nominum affinitatem deceptus, in alium lapsus est errorem, autumando, legendum esse: *Treuirensi Archiepiscopo.* Quum tamen in prolixa et numerosa piscium nostrorum recensione nequidem *Ausonius* noster halecum meminerit, nec Archidioecesis nostra halecem viuam vnquam viderit.

X. Ab hac autem critica censurae nota praesentis Capituli *inscriptio* eo magis absoluetur, quo vniformior est in MStis atque impressis Codicibus, neque absurdum aliquid, siue circa historiam rescribentis, siue quo ad locum, ad quem rescriptum est, praesefert.

XI. Maioris sane erit difficultatis indagare, *quisnam fuerit Episcopus ille Noruicensis*, cui *Alexander III.* hanc decretalem scripsit? De hac Ecclesia *Noruicensi* agit *Gonzalez* ad *Cap.* 9. x. *de rescript.* et nota *A* haec ponit: „*Noruicensis Ecclesia est in Anglia, Suffraganea Archiepiscopi Cantuariensis, cuius Episcopo JOANNI, qui prius fuerat Archidiaconus Sarisbariensis, et floruit ex anno* 1175.* *vsque ad annum* 1200.**, *missa est praesens decretalis*," nimirum *Cap.* 9. x. *de rescript.*

* Confer Mich. *Alfordi*, Iesuitae Angli, annales ecclesiae Anglic. ad a. C. 1175. n. 11. tom. 4. pag. 271.

** Consentit celeberrimus ille Saec. XVI. Angliae Historio-Geographus *Polydorus Vergilius* in *suo hist. Angl. Libro* 15. *pag.* 270. ad a. S. h 1200. sic ponens: *Annuit Rex libens petitioni, simulque monachos est hortatus, vt JOANNEM NORDOUICENSEM Episcopum, domesticum suum, ac sui familiaris Senatus Caput, renuntiarent Archiepiscopum Cantuariensem.*

XII. Iam vero instituta huius allegationis comparatione cum nota superius ex *Gonzalez* citata, habita quoque temporis, aliarumque circumstantiarum ratione, prono consecutionis filo sequitur, eundem esse *Joannem*, qui a *Gonzalez* sub titulo *Noruicensis*, et a *Polydoro*, teste exceptione omni maiore, sub titulo *Nordouicensis* Episcopi laudatur; princeps enim verbum *Nordouicum* est, a quo contractum *Noruicum*. Confer in hoc verbo *Hoffmanni* Lexicon.

XIII. Nunc ad ipsum Capituli textum progredior. Exorditur decretalis S. Pontificis his verbis: *Continebatur * in litteris a te nobis transmissis.* Exordium hoc patenter probat, duas illas, queis supra textum diuisi, partes eo plus textui correspondere, quo magis Pontifex innuit, se consultum fuisse de

casu dubio, quem in textu pergendo sic exponit: *Quod, quum super DECIMA de QUERCHE inter Magistrum Hub. et N. de mandato nostro coram te ** verteretur, constiterit tibi.*

* Apud nonnullos autores, vt etiam apud *Panormitanum*, reperitur: *Quum continebatur.*

** *Quaestio verteretur*: ita, referente *Gonzalezio*, supplet *Antonius Augustinus*, Archiepiscopus Tarraconensis, autor Saec. XVI., ad hunc textum in notis suis ad Imam Collect.

XIV. Salebrosa hic, ac variis contentionibus agitata exoritur quaestio, non *iuris* quidem, sed *etymologiae*, quae tamen totius intelligendi Capituli clauis est, nempe, quid verbum hoc *Decima* sibi velit? Equidem hoc meum Capitulum verbis sat amplis et sat, vt fieri non infrequenter solet, confusis flagellatum atque discussum fuit a iuris Canonici interpretibus, quos *Repetentes* dicunt: quorsum refero *Antonium de Butrio* *Joannem Andreae*, vtrumque *Abbatem Siculum*, *Laymannum*, *Gonzalez*, aliosque quam plurimos.

XV. Sed cum venia tantorum virorum dixero: si quis illorum inspexerit argumenta, clare intelliget, eos incertis agitari procellis, dubia mouere, quae non soluunt; in verbo *decimae* singularis numeri plerosque labi, etymologia, vi, ac potestate eiusdem perperam intellecta, & non nisi confusum quoddam chaos, quod Lectori saepe bilem moueat, sistere. Sinistrae huius interpretationis rationes, si quis desideret, in promptu sunt: Veteres huius Capituli Commentatores rudibus suis, & verborum medii aeui (quod sane in supparibus, aut aetate proximioribus mirandum est) notitia destitutis iuris principiis vnice insistentes, solius iuris adminicula interpretationibus suis adhibebant, quum potius particulares particularium verborum significatus euoluere eos oportuisset, ne, falsa verbi cuiusdam suppositione facta, insulam imponerent arenae.

XVI Sicuti vero medicus, detecto morbi fonte, eo rectius aegrorum corpus sanabit; ita detecto fonte difficultatum, quae interpretibus in huius Capituli commentario occurrerunt, illae eo citius euanescent, fluetque prono, vt aiunt, alueo res ipsa, si ante omnia, quid rectae rationi in expositione huius Capituli sit conforme, excutiam, et iura positiua, mores, ac Statuta Angliae, in quam rescriptum fuit, particularia cum his fundamentis conferam.

XVII. Praetereo vulgatam antiquorum interpretum sententiam, *Joannis Andreae*, *Antonii de Butrio &c.*, textum *de modica decimae alienatione* intelligentium; haec enim manifesta diuinatio est, quam alias ipsimet hi diuinatores oderunt, aliisque obiecerunt. Plus tribuendum est tribus, quos ego saltem vidi, *Hostiensi* scilicet, *Panormitano*, et *Gonzalezio*, textum Capituli de *concessione*

*sione beneficii* explicantibus; hi enim propius metam tetigere; quin tamen rationem darent, cur *decimam* interpretati sint *beneficium.* * Horum adiuuandae sententiae gratia, imo veritatis demonstrandae, ex Anglicae historiae visceribus, quid et quam late Anglis vox *Decima* sonuerit, eruam.

* *Panormitanus* ad h. c. n. 9. sic ponit: „Ego dicerem, quod aut textus iste in„telligitur *in concessione*, quae sit loco *collationis beneficii:* aut in concessio„ne *alterius rei* alicui facta tanquam bene merito.„ Vacillat hic *Panormitanus*, nec vllum alternatiuae opinionis suae indicat fundamentum. Magis positiue loquitur *Gonzalez* ad h. c. num. 3. post med. scribens, *decimam in praesenti non significare, quod sonat, sed potius beneficium Ecclesiasticum:* atqui sonat id, quod *Gonzalez* intelligit! licet idem Commentator praepostere ibidem alleget *Cap.* 2. x. *de locato*, quum hoc non loquatur de concessione decimarum *in beneficium*, sed de *fructibus decimarum ad firmam datis*, i. e. vt hodie loquimur, *admodiatis.*

XVIII. Voluendo itaque vetera Regum Anglicorum monumenta, ex annalium fide cognoui, *Alfredum* Anglorum Regem, cognomento *Magnum*, ad compescendas indigenarum rapinas, eorumque excessus (vt Autor est *Ingulphus*) more Francorum et Germanorum, totius Angliae pagos & prouincias in *Comitatus*, primum omnium commutasse, *Comitatus* in *Centurias* (quae Anglis *Hundredae*, forte a voce germanica: Hundert, dicuntur) et in *DECIMAS* diuisisse. Huius constitutionis Regiae haud immemor Rex *Kanutus* in legibus suis cap. 40. statuit: *Volumus, vt omnis homo liber in Hundredo* (i. e. centuria) *et in DECIMA positus sit.*

XIX. Glossarium Caroli *Dufresne* ad vocem: *Decena* sic ponit: *Decena* dicitur *decuria*, seu *decemuirale collegium*, cui praeerat *Decanus.* .... DECIMA Anglis dicitur in legibus *Inae* Cap. antepenult. DECIMA igitur Anglis dicebatur *Collegium decemuirale*, cui praeerat *Decanus*; quod & leges *Henrici I.* Regis Angliae clare confirmant, quae Cap. 6. sic statuunt: *Centuriae in DECANIAS vel DECIMAS distinguuntur.* Idem ergo Anglis est *DECIMA*, *quod DECANIA.*

XX. His vero cognitis, in dubium vocari poterit, de qua *DECANIA* vel *DECIMA* in praesenti Decretali Pontifex loquatur? An de *Politica*, de qua leges num. praeced. citatae? An vero de *Ecclesiastica?* Sed dubium hoc facile cadet, si Capitulum attente examinetur, maxime in subsidium vocato fonte; nihil enim *DECANIA politica* * ad *Episcopum*, nihil ad eius confirmationem, multo minus inuestitura ad *Archidiaconum.*

* *Politicas* has *DECANIAS* describit allegatus supra *Alfordus* tom. 3. pag. 178. ad a. C. 888. n. 3., cuius propria verba illustrationis gratia hic insero: „...Omnem itaque suae ditionis insulam, in *centurias*, *decuriasque* distinxit; eo „fere more, quem nunc, post tot saecula seruamus, quique ab *Alfredo*, sub „hoc

„hoc tempus sumpsit exordium. De eo Malmesburiensis. *Verum..... Et „quia, occasione barbarorum, indigenae etiam in rapinas anhelauerant, adeo „vt nulli tutus commeatus esset, sine armorum praesidio; CENTURIAS, quas „HUNDRED dicunt, et DECIMAS, quas TITHINGAS vocant, insti- „tuit, vt omnis Anglus legaliter duntaxat viuens, haberet et CENTURIAM „et DECIMAM. Quod si quis alicuius delicti insimularetur, statim ex CEN- „TURIA et DECIMA exhiberet, qui eum vadarentur. Qui vero eiusmodi „vadem non reperiret, seueritatem legum horreret. Si quis reus, vel ante va- „dationem, vel post, transfugeret, omnes ex CENTURIA et DECIMA Re- „gis mulctam incurrerent....* N. 4. Verum, ne nimia esset Centuriarum, de- „curiarumque confusio, et inpermixta nomina; descripsit primo Rex insu- „lam in *Comitatus* quosdam, seu *Prouincias*, quas a partitione vulgus *Schy- „ras* appellavit..... Quanti fecerint *Alfredi* sententiam posteri, in confesso „est. Quia post multas annorum Centurias, post aliarum gentium leges, „moresque introductos, manet tamen adhuc eadem distinctio, eadem offi- „ciorum, ac magistratuum nomina; et iuris fere eadem dictio. Nam *Centu- „ria*, et aliquando Comitatus integer, punitur, si in fure comprehendendo, „aut eundem insequendo fuerit negligentior. Quod etiam ab *Alfredo* cau- „tum. Haec prima apud nos Centuriarum origo. N. 5. Verum *ab antiquis „Germanis illam fluxisse*, vel inde colligimus, quod narrat de eorum mori- „bus TACITUS: *Centeni*, inquit, *ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter „suos vocantur; et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor fuit.*" Sed et iam prius *Alfredo*, anno videlicet 633. 4ta Aprilis *Dagobertus I.* Franco- rum Rex in sua pro S. Maximino Treuirensi charta, curtem suam Regiam, *de- cem* ex villis *constantem* vocauit *DECIMAM* (hodie *Dezem* ad Mosellam) quae pluribus villis nunc adaucta vocatur S. Maximini Satrapia, das Amt St. Maximin, inter Siluam Ider Wald, et Ruuerim fluuium conclusa, et extra hanc marca *Tallfang*, S. R. I. Comitibus Syluestribus et Rheni in feudum da- ta Vid. *Hist. Diplom. Trev. Tom.* 1. *pag.* 78., in quod verbum commenta- tus est Perillustris Camerae Wetzlariensis Assessor L. B. *de* Cramer. Nebens stunden part. 35. pag. 78 a §. 23., vbi recte hoc verbo indigitari sentit *terri- torium* et *districtum*: adde ibid. §. 24., vbi ex *C. Dufresne* quoque explicat, quid sit *francum plegium*; Capitularia Francorum videntur adhibuisse ver- bum *plebeium* vel *plebium*. Capitulare Karoli M. 24. et 42. de anno 800. No- bis Treuiris hodieque solenne est verbum Pfleeg; Sic prope Rhenum extat nobis die Haßeringer-Pfleeg, die Berg-Pfleeg; ad Sarauum: die Pfleegen des Amts Saarburgs, die Gau-Pfleeg; ad Mosellam vero ist das Amt Pfalzel in seine Pfleegen eingetheilt, und saget man: die Pfleeg Pfalzel, die Pfleeg Schweich, Leiwen. Waltrach, die Pfleeg Conz, wovon jede Pfleeg ihren Schultheiß, oder Meyeren hat. In Dhaunensi Eiffliaca satrapia sic Proauunculus meus ad Prin- cipem retulit de dato Dhaun den 9ten Junii 1749. sich auf das Churfürstl. Cam- pitels-Weysthum beziehend: Das Amt Daun nannte sich vorhin das Land von Daun, und ist noch biß auf heutigen Tag eingetheilt in 21. Centeneyen (Anglus dixisset Hundrede) siue Centenas, sic dictas a centum, quas circumcirca com- plecterentur, Familiis, diuisis in *decurias* vel *decimas*, quae decem tantum continerent. Vid. Struuii Corpus I. P. cap. 21. §. 4. pag. m. 720. Ecce no- men *Centuriarum, Decimarum, Plegiorum* vigens quoque apud Treuiros: *Plegium* vero non interpretor solum pro vadimonio et fideiussione cum *Du-*

 *fresnio*

*fresnio* in hoc verbo, sed etiam de minore, quam sit *Decima*, regiunculae districtu. Id quod innuere videtur Lex *Henrici I.* Angliae Regis cap. 8. *Statutum est, vt a duodecimo aetatis suae anno & in HUNDREDO sit, et DECIMA, vel PLEGIO liberali, quisquis were vel witte vel iure liberi dignus curat aestimari.*

XXI. Indagandum igitur mihi solum erit. quid olim in Ecclesiis fuerit *Decania?* Nam de hodierno *Decaniae* vel *Decanorum* in Ecclesia verbo vberius differere, inutilis esset labor, quum fere neminem lateat, quis hodie *Decani*, vel quid *Decaniae* nomine intelligatur.

XXII. Quam rem vt euidentius illustrem: primaeua Ecclesiarum nomina ac diuisiones praemitto. Omnibus praeliminari tantum aerae christianae historia imbutis notum erit, ecclesiarum vsum prius in agris, & extra vrbes, quam in ipsis ciuitatibus, propter infensos Christiano nomini Imperatores crebrias inualuisse. Quum vero tranquilliora Christiani tempora viuerent, publicum religionis suae cultum exercentes, vnam in qualibet etiam vrbe (quum nondum adeo numerosa sementis Christianae seges extaret) Ecclesiam, cui praeerat Episcopus, ad Baptismum, synaxes, sacrosque conuentus habendos aedificauere; extra vrbem vero in pagis & locis rusticis alias construxere Ecclesias, quas *Parochias*, siue vicinorum Christianorum cohabitationes, appellarunt, & in eis *Presbyteri* constituebantur. Aucto demum fidelium numero, diuersae in ciuitatibus quoque constitutae fuerunt parochiae. *

* Harum, tam *rusticarum*, quam *vrbanarum* mentio fit in *Conc. Antioch. a. C.* 341. *Cap. X.* in *Conc. Agath. a. C.* 506. *can.* 22. in *Synodo Regiaticina de a. C.* 850. *Cap.* 6. in *Synodo Romana a. C.* 853. *sub Leone IV. can.* 24. Item apud *Hincmarum Remensem in suis Capitulis*, *Gunthario & Odelhardo*, *Archidiaconibus Presbyteris*, 5. *Idus Iulias anno* 877. *datis*, apud Baron. Tom. 5. pag. 414. §. 7. et 8.

XXIII. Non equidem accedo illis, qui *parochias*, siue cum templis, siue absque his, certo aliquo illis praefecto presbytero distinctas, iam ante *Constantini M.* tempora extitisse, scribunt cum *Gonzalez* ad *Cap.* 2. x. *de Paroch.* n. 10; nam quae liber Pontificalis, siue *Anastasius*, aliusue autor, tribuit *Euaristo* Papae, Canon econtra vn. XIII. quaest. 1. *Dionysio* Papae de Parochiarum diuisione, viri eruditissimi cum *Carolo Sebastiano Berardo in part.* 2. *tom.* 1. *Canonum Gratiani pag.* 148. non credunt, quibus potius certum est, tribus saltem Ecclesiae saeculis nullas alias fuisse Ecclesias, etiam sine templis pro solis Christianorum coetibus, sub vno aliquo peculiari presbytero acceptis, nisi *Cathedrales*. Sed post pacem, a *Constantino M.* Christianis factam, inualuerunt tum in Ciuitatibus, tum ruri. In *Concilio Meldensi* demum a. C. 845. Can. XLVIII. vt et in Burchardo (Lib. 3. c. 22. ex quodam *Aquisgranensi Concilio*) diserte con-

constitutum legitur: *plures Baptismales Ecclesiae in vna terminatione esse non possunt, sed vna tantummodo cum subditis capellis.*

XXIV. Quaenam vero olim fuerint *Ecclesiae Baptismales*, pluribus tradunt *J. FILESACUS Doctor Sorbonicus* Saec. XVI. *de origine parocciarum Cap. 4. per totum*: *Sebastianus CAESAR de Hierarchia Ecclesiast. Claud. FLEURI Diss. 2. de Baptist.* Illud tantum (ne a proposito meo diutius abstrahar) hic memorabo, *Parochiam*, *Dioecesim*, ac *Ecclesiam Baptismalem* in antiquis verborum Glossariis ac Vocabulariis reperiri synonima. Sic *C. DUFRESNE Dioecesim* appellat *Parochiam*; *BRITO* in suo Vocabulario dicit: *Dioecesis proprie est Baptismalis Ecclesiae territorium, & gubernatio.* Adde tot textus Decretalium, in quibus *Dioecesis* vocatur Episcopi *Parochia.*

XXV. Quod vt melius intelligatur, admoneo, non omnes olim Ecclesias fuisse *Baptismales*, sed eas tantum, quae *Parochiales* dicebantur, seu *Parochiae* aut *Plebaniae*, quae plures sub se Presbyteros, particularesque habebant ecclesias, quae *Capellae* vocabantur. Tali Parochiae praefectus dicebatur *Plebanus*, eo quod *Ecclesiae Baptismales* in Conciliorum codicibus *Plebes* passim vocentur. Dicebatur et *Archipresbyter* (nomine hodiedum Gallis vsitato) *ruralis*, vel *ciuitatensis*, prout vel rurali, vel ciuitatensi parochiae erat praepositus. Videatur desuper *Panormitanus* ad *Cap. 4. de Offic. Archip.*

XXVI. At vero quum hi *Archipresbyteri* in Concil. *Turonensi II. a. C. 567. can. 19.* & in *Claromontano a. C. 1095. can. 3.* dicantur *Decani*, vti et in Capitulis post *Synodum Rauennatem* apud Baron. n. 26. vbi diserte legitur: *DECANI. qui presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiunt*; *Decani* vero nomine intelligatur omnis, qui *Decaniae* seu *decemuirali collegio* praeest, quumque *Decania* Anglis dicatur *DECIMA* *: hinc sane concludo: *Decaniam*, anglice *DECIMAM*, esse Ecclesiam, cui praeest *Decanus*. Et sic explicatur in praesenti textu haec vox, cuius expositio interpretum ingenia tam mire torsit.

* Vt iam supra N. XIX. vberius demonstraui.

XXVII. Nec dicat quis, hoc argumentum minus recte a *saeculari* diuisione, supra N. XX. sub asterisco allegata, ad *ecclesiasticam* concludere; neminem enim, Statuum ac Hierarchiae principia indagantem, latebit, diuisionem ecclesiae in multis se accommodasse ciuilibus Imperii et Regnorum diuisionibus, quod arguit *an 1. Dist. 21.*, vbi a Metropolibus Metropolitani nostri; arguit quoque vel ipsum *Decani* nomen, quod primitus saecularem denotauit ministerialem. *Capitulare Karoli M. 10. & 58. de a. C. 800*, et *Pippini* Regis Italiae de a. 793, postmodum vero notorie minoribus Ecclesiae Praelatis, sicut prius minoribus villarum iudicibus, datum fuit. Hanc saecularium atque ecclesiastica-

sticarum seu dignitatum, seu praefecturarum analogiam pluribus demonstrat *Wallafridus Strabo*; * facta enim comparatione Pontificis Romani cum Augustis et Caesaribus, Patriarcharum cum Patriciis Romanis, Archiepiscoporum cum Regibus, Metropolitarum cum Ducibus, Episcoporum cum Comitibus, Abbatum cum militum Tribunis, summos Franciae Capellanos ** confert Comitibus Palatii, Chorepiscopos iudicibus saecularium delegatis, et demum *Decanos* militum cum *Plebium* *** *Decanis*, *qui Baptismales Ecclesias tenent*, *et minoribus presbyteris praesunt*, comparari posse asserit; quanquam vero non vnamquamque harum *Strabonis* comparationum, vt istae hic iacent, adoptem, antecessorem tamen habeo instituti mei.

* Autor Saec. IX., Fuldensis monachus, S. Galli Decanus, demumque Abbas Reigenauuiensis siue *diuitis Augiae* in Sueuia. In suo libro de Ecclesiasticar. rer. exord. et increment. Cap. 31., relatus a *Melchiore Hittorpio* in libro de diuinis Cath. Eccl. Offic. ac ministeriis pag. 418.

** Dicti sunt autem primitus *Capellani*, a *Cappa* B. Martini, quam Reges Francorum, ob adiutorium victoriae in praeliis solebant secum habere; quam ferentes et custodientes, cum caeteris Sanctorum Reliquiis, Clerici *Capellani* coeperunt vocari. *C. Dufresne in Gloss.* ad hanc vocem.

*** Dicitur *Plebs*, *gen. Plebis*, *de turba hominum*, sed *Plebes*, *gen. Plebis*, *de Ecclesia.* Vide eundem in verbo *Plebes.* Adde Capitulare 32. Lib. 7. Canonem *Isaaci Lingonensis* 10., nec non Capitulare *Karoli Calui* 7. de a. 876.: *qui in villulis et possessionibus sunt*, *ad publicum officium in PLEBEM festinent.* Eiusdemque Capitulare 11. *et vt ECCLESIAS BAPTISMALES*, *quas PLEBES appellant*, *secundum antiquam consuetudinem ecclesiae filii instaurent.* Iunge notas *Steph. Baluzii* ad Capitularia tom. 2. col. 1065.; et ibidem col. 1575. in additionibus ad notas, vbi refert *Paschalis II.* rescriptum ad Tornacensem Episcopum: *idem etiam Leo* (IV.) *Episcopis Britanniae scribens illis tantum ecclesiis*, *quae PLEBES vocantur*, *deberi decimas*, *indicat*, *vbi sacrosancta dantur baptismata.*

XXVIII. Hinc veram ac propriam hanc DECIMAE significationem ex saecularibus ipsius Angliae, * aliarumque nationum constitutionibus eruisse mihi videor; *Decimamque* in praesenti textu significare *Ecclesiam Decanalem*, eo Fidentius assero, quo magis illud in ipsius Angliae moribus ac legibus fundatum, totiusque Capituli textui conueniens esse reperio.

* Iuuat hic ex Conc. *Oxon.* a. C. 1222. in *Dauidis Wilkins* collect. Concil. Britanniae et Hyberniae Vol. I. pag. 586., eiusdemque Cap. XVIII. verba inserere: *De forma iuramenti praesentati ad DECIMAS vel vicariam.*

*Praesenti quoque statuto diffinimus*, *vt Episcopus ab eo*, *qui sibi praesentatus fuerit*, *recipiat iuramentum*, *quod propter praesentationem illam nec dederit aliquid praesentanti*, *nec aliquam ob hoc inierit pactionem.* Ex hoc apparet, praesentationem ad *Decimas* hic aliquid spirituale sapere, pro quo non licuit aliquid dare vel pacisci.

XXIX.

XXIX. Ad textum nunc redux, a quo fat diu retinebar, primum versum, n. XIII. supra relatum sic interpretor: *Proposuisti nobis per litteras tuas, quod, quum super ECCLESIA DECANALI de Querche de mandato nostro* * *coram te quaestio verteretur, constiterit tibi*; iam ad versum insequentem: *quod M. Abbatissa* vsque: *praedicto H. concessit*.

* Haec verba: *de mandato nostro* probant, Episcopum Nordouicensem non fuisse litigantium iudicem *ordinarium*, sed a Sede Apostolica *delegatum*.

XXX. In hoc versu iterum labitur *Gonzalez* ad h. c. in not. c, vbi sic legi vult: quod M. Abbatissa S. Mariae de *Wiltonia*, et non de *Wintonia*, vt textus dicit, asserens praeterea, Abbatiam hanc fuisse coenobium *monachorum* diui Benedicti in pago proximo ad Sarisbariam, prouocans ad *Polyd. Vergil.* lib. 6. *Hist. Angl.* pag. 117. sed quem hic allegat testem sententiae suae, suae eundem habet falsitatis. Tantum enim abest, vt *Polydorus* sententiae eius *loc. cit.* suffragetur, vt potius *lib. 5. pag. 105. n. 22.* contrarium plane narret: „*Aluredus*, inquit ad annum 883., praeterea condidit *tria* coenobia apparatu magnifico, vnum *Wintoniae*, quod *nouum monasterium* nuncupatur: alterum in „pago proximo, quem dicunt *Schaftisburiam*, dioecesis Sarisberiensis, et illud „voluit *monacharum* esse, quibus praefecit filiam nomine *Ethelgeram* siue *Elgi-*„*nam* &c. Ex allegatis his itaque concludo. 1.) Quod *Polydorus* non velit legi *Wilt*- pro *Wintonia*, sicut *Gonzalez* contra textum ipsum. 2.) Quod dicta Abbatia non fuerit coenobium *monachorum Diui Benedicti*, vt praetendit *Gonzalez*, sed *monacharum*, de quarum ordine nullam plane *Polydorus* facit mentionem. Consentit *Westmonasteriensis* ab *Alfordo* Tom. 3. ad a. C. 888. pag. 178. n. 1. allegatus: *Ibi ad orientalem plagam Schaftesbiriae* (prius dicebatur *Septonia*: vide *Hoffmanni* Lexicon in hoc postremo verbo) *habitationem* SANCTIMONIALIUM *fabricari praecepit; in quo filiam propriam, nomine Algivam* (haec est Ethelgida) *Abbatissam constituit, Virginem Domino consecratam: et haec monasteria diuitiis et possessionibus abundanter ditauit.* Pergit autem *Alfordus* n. 2. „In eo loco Alfredus Ecclesiam erexit, *Deiparae Matri* * et Sanctis omnibus sa-„cram, vt scirent posteri Regiae fidei illustrissimum ornamentum esse pietatem, „Dei Matris et Sanctorum cultum. Centum omnino hidas terrae, omniaque, „quae in eis erant praedia, seruire Ecclesiae, et nobilium Virginum vsibus fe-„cit; dirasque imprecatus est, dictam servitutem a Sanctorum cultu alienanti-„bus." Huius donationis chartam Regiam, ex ipsis Septoniensis monasterii monumentis descriptam, saepius iam memoratus hoc n. 2. exhibet *Alfordus*. **

* Luculente correspondent haec verba Capituli praesentis textui fontali, in quo dicitur: *Abbatissa* S. MARIAE *de Wintonia*.

** Charta haec Regia sequentis est tenoris: *Ego Aluredus, in honore Dei, et Sanctae Virginis, et omnium Sanctorum dono, et concedo viuens, et in pro-*

*speritate adhuc vigens, Septoniensi Ecclesiae, centum hidas terrae, cum hominibus, et aliis pertinentiis; quemadmodum modo se habent, et Ailenam filiam meam, cum eisdem, quae, cogente infirmitate, in eadem Ecclesia facta est monialis &c.* Ita legitur apud *Alfordum loc. cit.*

XXXI. At vero non leue dubium nonnullis hic exsurget ex descriptione *Polydori*. In textu enim legitur: *Abbatissa S. Mariae de Wintonia;* Qua ratione autem dici posset de *Wintonia*, si illius coenobium non sit *Wintoniae*, sed in pago proximo, quem *Schaftisburiam* dicunt, quique non *Wintoniensis*, sed *Sarisberiensis* dioeceseos sit? Equidem haec obiectio prima facie difficilis videtur, sed indagando disparebit;

XXXII. Ad 1.) itaque respondeo: vt Abbatissa possit dici de *Wintonia*, non requiri, vt abbatia sit *Wintoniae*, sed sufficere, si sit in loco *Wintoniae* propius adiacente. Exemplo sint quatuor Abbatiae Augustae Trevirorum, quarum nullam intra vrbis moenia consistere notum est, sed in suburbiis; & tamen vocantur Abbatiae Treuirorum: sic et Abbatia S. Mariae potuit vere appellari de *Wintonia*, tanquam a loco celebriori, cui coenobium istud adiacebat. Ad 2.) vero, excussa sedis Episcopalis *Sarisberiensis* origine, inueni, eam ex *Wintoniensi* (in cap. 25. x. *de Elect*, vocatur: *Wintonensis*) Dioecesi ortum hausisse: dicit enim *Polyd. Vergil. Hist. Angl.* lib. 4. n. 28. pag. 88. „Wintoniae, in quo (subintellige, templo) „sedes Episcopalis locata fuit: sed postea „illa diuisa est, et inde *Episcopatus Sarisberiae* institutus, cuius primus Episco„pus (vt idem refert lib. 9. n. 4. pag. 163.) fuit *Hermannus* a. S. h. 1087. „*Gulielmo* Angliae Rege vix defuncto; ipsam autem abbatiam ante hanc sedis Episcopalis diuisionem, ab *Alfredo* Rege a. C. 883, iam fuisse aedificatam, supra n. XXX. ostendi; quo tempore *Schaftisburia* nondum erat Dioeceseos *Sarisberiensis*, vtpote post 204. annos primum erectae.

XXXIII. His illustrandi causa praemissis, illuc, vnde abii, redeo; quumque praesens versus nulla nunc amplius interpretatione indigeat, vtpote clare dicens, *Delegato constitisse, quod Abbatissa de Wint. Conuentu sciente, et assensum praestante, decimam ipsam*, i. e. ecclesiam Decanalem, *praesentando concesserit praedicto H;* ideo ad sequentem versum: *Et Rad. Winton. Archid.* vsque: *fecit*.

XXXIV. Agitur in hoc versu de inuestitura, per *Clauem* et *Librum* ab Archidiacono data. Notorium est, ad Archidiaconos pertinere ius inuestiturae, tam in beneficiis, quam in dignitatibus suae regiunculae per *cap. 7. x. de offic. Archid.* Euidens iterum est, Capitulum praesens non loqui *de temporali decimarum alienatione* *, vtpote inuestitura Archidiaconi non indigente, vt supra n. XX. iam monui. Igitur vel *de beneficio* vel *dignitate* textus erit explicandus.

* Hic versus planum facit, quam erronee capitulum hocce passim ab autoribus (per

(per falsum summarium in hunc errorem certe inductis) *temporalium rerum alienationi* applicetur; quum concessio decimae in h. c. *spirituale* quid (vt n. XXII. dixi) et non *temporale* sapiat. Praepostetae talis applicationis exemplum praebet §. 4. part. 1. pag. 5. der Wezlarischer Nebenstunden, quem hic insero: Und wie, wenn wohl gar das Capitul den ganzen Vorgang z. E. der Diuision oder Permutation gewußt, und niemals contradiciret hätte? Solchens falls würde c. 2. x. *de his, quae fiunt a Praelat.* Platz ergreiffen, *vbi subsistere dicitur concessio Decimae, Conuentu sciente et non contradicente.* Hunc ego quidem lapsum, & sinistrum Capituli intellectum, non Perillustri L. B. *de Cramer*, sed deductori iurium partis cuiusdam in Camera Wetzlariensi litigantis, et ei, qui petiam hanc extraxit, adscribendum esse censeo.

XXXV. Verum de *beneficio communi* praesentem Archidiaconi inuestituram, intelligi non patitur explicatum *Decimae* * verbum.; Quanquam verum sit, id, quod nostro in textu de inuestitura *Decimae*, eiusdemque praesentatione, facta ab Abbatissa Patrona, deciditur, ad omne etiam vulgare beneficium, imo et ad quodlibet officium, siue ecclesiae, siue saeculi, pertinere, quoties (vt in casu Capituli mei supponi debet) donatio ista *non soli Praelato* competit ex consuetudine, sed *huic coniunctim cum Conuentu* aut Capitulo.

* Confer omnino *cap.* 7. x. *de iure patron.*, vbi pariter occurrit Abbatissa nostra *Wintoniensis*, exercens contra militem quendam, villae suae admodiatorem, ius patronatus: non dicitur ibi praesentasse, siue miles, siue Abbatissa ad *Decimam*, vt hic, sed ad *Ecclesiam* in villa sitam, cuius *persona*, i. e. primarius pastor, non *Decanus*, fuerat defuncta. Cur hoc, nisi quod illa duntaxat ecclesia vocaretur *Decima*, cui annexa erat dignitas *Decanalis*?

XXXVI. Itaque verum manet, quod supra iam euici, & de nouo per textum praesentem probatur, Pontificem non loqui neque de *temporali* alienatione e. g. decimarum; neque de beneficio *vulgari*, sed de collatione alicuius *Dignitatis minoris*, seu vt supra N. XXVI. dixi, de concessione *Decaniae*.

XXXVII. Probat hanc conclusionem meam ipsa *inuestitura* ab Archidiacono data, et singularis illius modus per *Clauem* et *Librum*. Ab Archidiacono dabatur inuestitura; *Decanos* enim ab illo corporaliter institui, vult supra iam cit. cap. 7. x. *de Offic. Archid.* §. *subsequenter.* Haec institutio corporalis in substrato casu fiebat per *Clauem* et *Librum*; quo ipso propositionis meae probationem perfici vberius ostendam.

XXXVIII. Scimus, traditiones, ac inuestituras olim non nudo verbo, aut per simplicem scripturam vel chartam (quod inuestiturae genus recentius inuectum, et *abusiuae* nomine donatum est) sed per symbola quaedam, quae factam rei translationem reapse denotarent, factas fuisse. Nec quemquam latebit, ea potissimum veteres adhibuisse in eiusmodi traditionum symbolis * instrumenta, quae maximam cum re, quae donaretur, vel cederetur, haberent affinitatem. **



*Plura

* Plura de his legere cupiens adeat, si ei placet, *C. DUFRESNE Gloss.* ad vocem: *inuestitura*, vbi ordine alphabetico signa varia recenset. *HENR. LAKMANNI Diss. de Symbolica inuestiendi ratione. BOEHMER Diss.* ad Titulos *Iuris Ecclesias.* de *Instit. et Benefic. ORIGIN. GUELFIC* Tom. 4. pag. 11. et 99. et in *Praefat.* eiusdem tomi pag. 81. *GONZALEZ* ad cap. 4. x. *de Concess. praeb.* num. 2. lit. b.

** Sic agri, aut praedii inuestitura fiebat olim per cespitem, glebam seu *wasonem*, ex ipso agro desumptum; qui modus traditionis veteribus dicebatur *effestucatio.* Sic quoque fiebat per *herbam*, et *terram*, per *ramum*, et *cespitem*, per *baculum*, per *fustem* cum *ligno*, per *cultellum*, per *annulum*, per *librum*, *sigillum*, *funem campanae.* &c. &c.

Sic et hodie adhuc noui Curtarii Blankenheimenses per *aristam et stipulam*, quam manu tenent, in Curtem recipiuntur in Dussemundani Montis-Cella, satrapiae nostrae Beroniscastellanae.

XXXIX. In praesenti corporali institutione symbola adhiberi solita erant *Clauis* et *Liber*. Supra n. XXXV. ostendi, hanc inuestituram non de communi *beneficio*, sed *dignitate* esse intelligendam; exoritur itaque quaestio, de quanam dignitate? mihi in promptu est responsio: de illa, cuius officium per *Clauem* et *Librum* symbolice demonstratur.

XL. Nullam certe quis inueniet Hierarchiae dignitatem, cui haec *symbola* magis propria sint, quam *Decanali*, seu *Decani. Decanus* enim, vt supra n XXV. et XXVI. ostendi, dicebatur *Praepositus ecclesiae Baptismali*, seu Ecclesiae, in qua Baptismus administrabatur; huius rei symbola certe quam maxime propria sunt *Clauis* et *Liber. Clauis* in signum potestatis reserandi et occludendi fontem baptismalem: ac baptizandi, quod olim non nisi in Ecclesiis Baptismalibus, seu Decanalibus fiebat. * Dein per *librum*, scilicet illum, in quo ordinatur modus baptizandi, nec non dicendi, ac solemnizandi diuinum officium. Quum enim *Decanus* decem praepositus esset presbyteris, per *minores titulos* habitantibus, vt supra n. XXVI., Ecclesiam tamen *Decanalem* statutis diebus visitantibus, necessarius ipsi fuit certus, ac praescriptus cantandi, orandi, ac celebrandi modus. Liber ille (vt autor est *Lindwodus* ad Prouinciale Cantuar. Eccl. lib. 3. Tit. 27.) Anglis dicebatur ORDINALE **, *Balduino* nostro ORDINARIUS. Hodie passim dicitur RITUALE, AGENDA. Ad versum nunc sequentem.

* Antiquitatis huius vnum adhuc, quod ego saltem scio, Archidioecesis Treuirensis tenet residuum monumentum in ecclesia Parochiali de *Beronis-Castello*, nouem leucis infra Treuiros ad Mosellam, in qua Parochi de *Monzelfeld*, *Longcamp* & *Grach* hodieque baptizare debent suos Parochianos.

** *Ranulfus* in Polychron. L. 7. C. 3. sub a. C. 1077. de *Osmundo* Sarisber. Episcopo sic scribit: *Hic quoque composuit Librum ORDINALEM Ecclesiastici Officii*,

*Officii, quem CONSUETUDINARIUM vocant, quo fere nunc tota Anglia, Wallia vtitur, et Hybernia.*

XLI. *Magister vero N.* vsque: *confirmata*: hic versus exponit rationem fundamentalem, vi cuius *Magister N.* saepius iam dictae *decimae* concessionem *Magistro Hub.* Conuentu assensum praestante factam, impugnare, et euertere conabatur. Praetendit enim concessionem *decimae* sibi *prius*, quam Magistro Hub. factam, ab Episcopo Dioecesano iam fuisse *confirmatam*, sibique eandem ex hoc capite potius, quam Magistro Hub., deberi.

XLII. Exposito sic dubio Capituli casu, iam ad Pontificis decisionem, quae distinctioni insistit, properandum. *Vnde, quia nos consulere voluisti*, inquit Pontifex, *conf. t. t. r.*: *quod concessio* vsque *habere*. Primo hoc decisionis suae membro ita respondet Pontifex: *Concessio prius facta, si Conuentu sciente, et non contradicente* * *facta est, robur firmum debet habere.*

* Haec verba iterum euidenter probant, Capitulum hocce non posse accipi de *temporali* decimarum (quam incaute passim intellexerunt autores, vt iam N. XXXIV. sub asterisco monui) *alienatione* propter clarum *cap.* 1. *h. t.* sic statuens: *Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticae absque COLLAUDATIONE et SUBSCRIPTIONE Clericorum.* Qui autem collaudare et subscribere debet, an sufficiet, hunc *non contradicere?*

XLIII. Mirabilis profecto, et notoriis iuris vtriusque principiis contraria haec decisio videri posset, quum *in pari causa potior sit conditio possidentis.* R. I. 65. in 6., item l. 128 ff. de R. I. Ergo quoque in praesenti casu potior esse debuisset *Magistri Huberti*, praedictae decimae possessoris, vtpote ab Archidiacono iam inuestiti, conditio, quam *Magistri N.* possessionem nondum nacti, sed nudam Episcopi confirmationem. Accedit *l.* 15. Cod. de R. V. *Manifesti iuris est*, inquit Imperator, *eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem.* Videbitur itaque Pontifex in praesenti casu contra manifesta vtriusque iuris principia decidisse.

XLIV. Sed respondendum, in *pari causa*, i. e. *titulo vtrinque pari duorum*, praeferri possessorem; suppositum negando, si, quod ait textus, Delegato constiterit, praedicto N. *prius*, non contradicente Conuentu, concessam fuisse *Decimam*; ipsamque hanc concessionem Episcopo ad confirmationem praesentatam; tunc enim secunda concessio in fauorem *Huberti* fuisset nulla, vtpote quum patronus iste Ecclesiasticus suo praesentandi munere iam fuisset functus, & honorificus iuris Patronatus fructus consumptus, nec ei variandi licentia concederetur: vnde potius subintrabit altera I. R. 33. in 6. *Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum.*

XLV. Nec obstat *cit. l.* 15. *Cod. de R. V.*; hanc enim legem si intelligas

 (vt

(vt eam ego quidem intelligendam censeo) de re duobus, tanquam *emendi correis*, *in solidum*, *iure*, consequenter *simul*, & non *successiue* per fraudem, vendita, constat meo casui applicari non posse; Si vero *secundum ordinarium intellectum* eam accipias, *de duabus venditionibus successiuis*, posteriore per fraudem venditoris contra fidem prioris contractus facta, intercedet communis Canonistarum responsio ex *cap. 5. x. de donation.* * *Quod Ecclesia in actibus suis fraudem non debeat aliquam adhibere*; quidquid esset de puncto iuris Ciuilis; ex quo ipso principio Pontifex ita decidisse mihi videtur: *secundam concessionem* pro H, vtpote fraudulentam, etiamsi huic accesserit inuestitura, *robur firmum non debere habere, si prima concessio pro N. Conuentu sciente & non contradicente facta fuerit.*

* Ad h. cap. *Panormitanus* n. 5. ita scribit: *Ecclesia enim debet permaximam in suis actibus puritatem adhibere.*

XLVI. Ad secundam Pontificiae decisionis partem accedo: *Verum si vsque: priori.* Graue hic iterum interpretibus occurrit dubium; ait enim Alexander *III.*: *si praefata Abbatissa, ignorante Conuentu, aut contradicente, prius praedicto N. Decimam suam concessit*, *et* NON POST MULTUM TEMPUS *de assensu Conuentus eandem Decimam memorato Huberto dedit, sic, vt tibi eam datam fuisse constet, secunda concessio debet praeiudicare priori.* Hac decisione Pontifex tacite saltem dicit per argumentum a contrario, si *post multum tempus* secunda concessio facta fuisset, prior debeat eidem praeiudicare, licet etiam ignorante, vel renuente Capitulo facta esset. Absurditatis hic noli arguere Pontificis responsionem, quasi primam *Decimae* concessionem, ob defectum consensus *ab initio* non valentem, *tractu multi temporis* reualidari decidisset, quadam velut praescriptione hic intercedente, et repugnante Regula: *Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.* l. 29. ff. de R. I. et: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* R. I. 18. in 6. Ex quibus videri posset, priorem *Decimae* concessionem, *Magistro* N. ab Abbatissa, ignorante aut contradicente Conuentu factam, etiam *per accessum longissimi temporis*, non conualescere, vtpote quae de iure ab initio non subsistebat.

XLVII. *Glossa* verbo: *post multum* argumentata: *quod si multum tempus elapsum esset, et Conuentus semper tacuisset, videretur consensisse. arg. cap. 6. de priuil.*, subiungit autem mox: *quod non credo, sed solum factum hic narrat; quia semper possunt contradicere tali contractui; imo non posset praescribere; quia emit a solo Praelato, quum sciat Episcopum non habere ius distrahendi; quia contra leges mercatur, et ideo non praescribit. l. 7. Cod. de agricol. can. 10. XVI. q. 3.* Veruntamen *Glossa* hic extra casum arguit, qui non est *de re ecclesiae* sine consensu Capituli a Praelato *alienata*, sed de concessione *Decanalis beneficii*, quam nemo vocabit alienationem; vnde nec istud verbum in toto contextu apparet. *

* Quod

* Quod autem *Innocentius IV.* et alii quidam Veteres hic velint augere et emendare textum apposito verbo *maxime*, vt sic legatur: *Si ignorante Conuentu, aut contradicente, Decimam prius praedicto H. concessit, et MAXIME, si post multum temporis de assensu Conuentus eandem Decimam dedit eidem &c.*; id nec interpreti licitum est, nec mihi necessarium.

XLVIII. Alii Commentatores, relicta *praescriptionis* via, ad illam *praeclusionis* se conuertunt, reflectendo *ad cap. final. de Elect. in 6.*, vbi contradictor non veniens intra praefixum terminum praecluditur. *Card. Hostiensis* se recipit ad *cap. 2. x. de concess. praeb.*, ibidemque fixum *terminum Concilii Lateranensis*, nempe semestre: Veruntamen, vt vt istos sequar in via *praeclusionis*; neutrum tamen Capitulum textui meo inseruire iudico; illud enim interpres non aduocabit, quod Legislator in promptu habuisset, facile dicturus, si voluisset. *Arg. l. vn. §. 11. in fin. Cod. de Caduc. l. 1. §. 1. ff. si mensor fals. mod.* Non dixit autem *Alexander III.: Et non post sex menses*, sed: *Et non post multum temporis.*

XLIX. Quid igitur? Ex hac ipsa *indefiniti temporis* expressione * et *termini Conc. Lateranensis* omissione fortiter arguo, Decretalem hanc epistolam ab *Alexandro* III. scriptam fuisse *adhuc ante* Concilium Lateranense III. a. C. 1179, celebratum, tempore, quo nondum praesentationi patronorum praefixum fuerat *certum tempus fatale*, sed *incertum*, non tamen *multum* temporis concedi solebat.

* Multum ob hanc expressionem fabulatur *P. PIRHING ad hunc tit. n. XI. tom. 3. pag. m. 179. col. 1. circa fin.* vbi illud: *non post multum temporis* in parte *Narratiua*, et non *Dispositiua* iuris, prouocando ad *Gloss. hoc verbo*, positum vult, contra textum, quem sententiae suae gratia sic immutat, quod interpretem certe non decet, quum verba illa manifeste sint posita in parte *dispositiva*, neque *Glossa*, quam *P. Pirhing* non intellexerat, dicit, in meo Capitulo eiusque verbis: *non post multum tempus*, factum narrari, sed in *cap. 6. de priuilegiis*, quod proxime sibi obiecerat glossa.

L. Quantum vero id fuerat, ne *multum tempus* abiisset Conuentui, atque vt iste, quanquam ignorans vel contradicens, *tempore* fuisset *praeclusus*, solius Abbatissae praesentatione valitura? Respondendum puto: *multum tempus* recte explicari per verbum: *diu*, cui leges aliquando designant *biennium*, *l. 56. ff. Locati.*, aliquando, *quinquennium*, l. 3. §. 2. iunct. l. 13. §. 6. *ff. de re milit.*, aliquando *decennium*, l. 16. §. 3. *ff. qui, et a quib. manum.*, aliquando 40. *annos* l. 2. C. *de praescript. 30. v. 40. an.* Sed et ipsae leges verbum *diu* inexplicatum, et arbitrio iudicantis reliquerunt; quod, cessante lege, quae tempus definiat, pro negotiorum diuersitate aut breuius erit, aut longius. Quum itaque ante Concilium *Lateranense III.* nullum praesentationibus ad beneficia faciendis praefixum esset tempus vniuersaliter certum atque vniforme; diutinae vero Ecclesiarum

ſiarum vacationes his eſſent nociuae, *arbitrarium* quidem eousque tempus exſtiterat, ſic tamen, vt non eſſet *multum*, conſequenter non ad 40. 30. 10., imo ne ad 2 quidem annos extendendum; ſed illo potius fine concludendum, qui *ſemeſtre* tunc praeſtitutum vel efficeret, vel prope ſubſequeretur. Et ſic aio intelligendum fore *Alexandrum III.* reſcribentem, in caſu ignorantis, aut contradicentis Conuentus, debuiſſe *Decimam non poſt multum temporis* conferri, alias a collatione praeclusum fuiſſe eundem.

LI. Atque hac ratione, omittendo alias, ad citt. Regulas iuris exceptiones facilis eſt reſponſio, praeſentationem Abbatiſſae non fuiſſe ab initio *inualidam*, quum et ipſa fuerit *Compatrona* ſuae decimae; fuiſſe tamen *inſufficientem*, quia conſenſus Compatroni Conuentus deerat, donec tantum temporis lapſum fuerat, quantum de conſuetudine Anglicana, vel arbitrio iudicantis, ſuffeciſſet ad praecludendum Conuentum.

LII. Ex his probatis textibus neceſſario iam concluditur, priorem *Decimae* conceſſionem, Magiſtro N. ab Abbatiſſa, Conuentu ignorante, vel contradicente factam, licet initio *ſe ſola* iure non ſubſtiterat, per negligentiam tamen Conuentus conualeſcere potuiſſe; imo etiam per *nouiſſimum conſenſum*, *arg. Cap. 1. x. de his, quae vi &c.* ſaltem *praeſumptum*; incredibile enim eſt, Conuentum *poſt multum tempus* conceſſionem *Decimae* ab Abbatiſſa factam ignorare potuiſſe; igitur eo ipſo, quod haec conceſſio multo elapſo tempore Conuentum latere non poterat, ſi non contradixerit, acceſſit *nouiſſimus conſenſus*, qui conceſſionem priorem initio *inſufficientem*, poſt *multum tempus* effeciſſet *ſufficientem*.

LIII. Quam quidem de lapſu multi temporis deciſionem recte intellexit *Panormitanus* hic n. 9. de figura caſus, quo Abbatiſſa *ſola*, et *absque actu Capitulari* conceſſiſſet *Decimam*; aliud fore docens, ſi ipſa *in congregato Capitulo*, conſequenter *ſciente Conuentu*, eandem conceſſiſſet, et Conuentuales tacuiſſent; tunc enim iam eo tempore tacite conſenſum praebuiſſent omnes, et ſic valuiſſet, *tanquam communiter facta*, conceſſio. *

* Et quoniam notabilis hic a *Panormitano* traditur doctrina quoad actus quoscunque Capitulares, nempe haec: *Si Praelatus in Capitulo, quaſi praefiniendo, aliquid decernat, vel concedat, & Capitulum taceat, habetur iſtud pro conſentiente*; ideo verba eius huc apponenda duxi: „Ego dicerem, quod aut tex„tus iſte intelligitur in conceſſione, quae fit *loco collationis beneficii:* aut in „conceſſione *alterius rei* alicui facta tanquam bene merito. *Primo caſu* ſi „Praelatus *contulit beneficium*, praeſente Capitulo, & non contradicente, vi„detur *in continenti* conſentire, nec dabitur tempus ad contradicendum. Hoc „apertiſſime vult principium huius Cap., et ſic habes caſum, *in quo tacens ha„betur pro conſentiente*, licet non agatur de re *concupiſcibili:* ſed potius *prae„iudicabili* . . . . Item poteſt allegari dictum Inn. in Cap. 1. *de his, quae fiunt „a maj. part. Cap.*, vbi dicit, *quod exiſtentes in Vniuerſitate debent contradi„cere his, quae aguntur, ſi nolunt conſentire; alias habentur pro conſentienti„bus,*

„*bus*, & quoad peccatum et quoad poenam, si aliqua ibi male agerentur, et „probo illud dictum Inn. hac ratione: quisquis de Vniuersitate debet votum „suum exprimere in concernentibus factum Vniuersitatis ex debito officii. „*Arg. C.* I. *de his, quae fiunt a mai. part. Cap.* Is autem, qui tenetur lo- „qui & tacet, habetur pro consentiente vel contradicente, quatenus tendit „in eius praeiudicium. *l. de aetate.* §. *qui tacuit* ff. *de interrog. act.* & in *Cap.* „*si post praestit. de Confess. lib.* 6.; ita dicendum in proposito. Si vero con- „cessio fit per Praelatum *absente Capitulo:* tunc potest sustineri dictum Host. „et Jo. Andreae: in isto Casu proprie loquuntur, vt non habeatur Capitulum „pro consentiente *in continenti*, quum scit et non contradicit.„

LIV. Superest vltima difficultas, quam nobis fecit resecator *Raymundus* i verbo penultimi versus EIDEM; quum enim supra n. XIII. ostenderim, *fon- lem* textum loqui de *duobus*, super hac *Decima* inter se contendentibus, H. delicet et N., S. *Raymundus* autem in textu solum H., omisso N, retinuerit, rquentur interpretes per dictum verbum EIDEM. Quid enim? Si primum [. *Decimam* Ecclesiam accepisset ab Abbatissa sola, deinde ab eadem simul et onuentu? Nonne *idem* eandem tamen habuisset? Ad quid igitur haec dispu- tio, si non figurentur duo de eadem *Decimae* dignitate inter se contendentes?

LV. Abbas *antiquus*, qui erat similiter *Panormitanus*, in repetitione hu- is Capituli ad verbum *dedit* refert, quosdam hic, i. e. immediate post *dedit*, cere punctum, volentes coniungere *τὸ eidem* cum *τὸ priori*, quod est vltima uius Decretalis dictio, ita, vt esset sensus, quod primo *vni*, et postmodum *'is* fuisset facta concessio; sed dicto Abbati magis placuit, quod volunt alii, fa- entes punctum modo post *eidem*, ita, vt *vni et eidem* sit facta, tam prima, uam secunda concessio.

LVI. Hanc communem lecturam ego quoque retineo, tum quod con- aria sit violenti styli, tum quia S. *Raymundus* studiose videtur resecasse *perso- irum* impetrantium *dualitatem.* Propterea tamen non fiet superflua quaestio, *:ra tenuerit concessio, 1ma, an 2da?* nam interest *ob fructus medio tempore ab H. rceptos;* suos enim non fecit, licet inuestitus et possessor, si prima *Decimae* oncessio non valuit; suos fecit, si contra: ita multi ex nostris antiquis. Quan- iam et hoc addi possit, *principale intentum* Compilatoris resecantis fuisse, vt tenderet, *quomodo ignorantia, aut contradictio Conuentus noceat concessioni Prae- ti* in hoc vel simili casu, nec non, *quanto temporis lapsu nocere desinat.* At- ue sic repetito totius Capituli textu, ad vltimum nunc Dissertationis meae ca- it progredior, in quo proposito Capituli *casu longo*, sistam illius *crinomenon*, ıe *casum breuem.*

## §. III.

## CASUS LONGUS, ET BREUIS CAPITULI.

LVII. *Quaedam Abbatissa fecit quandam donationem cuiusdam decimae cui- dam*

*dam nomine H. Postea vero, aliquanto tempore elapso, eandem Decimam concessit eidem. Quaerebatur, quae concessio praeualeret? Respondit Papa, quod concessio Decimae prius facta; si Conuentu sciente, et non contradicente facta est, tenet et valet: sed si, ignorante Conuentu, aut contradicente, Decimam praedicto H. prius concessit: et postea de consensu Capituli eandem Decimam dedit eidem: secunda donatio debet valere, et praeiudicare priori.* Ita BERNARDUS *in casibus longis.* *

* Vtitur *Bernardus* glossator verbo *donationis*, quum textus habeat verbum *concessionis*: equidem *donationis* verbum etiam exercitio iuris patronatus conuenire, probant textus in *cap.* 40. *de testib.* et *cap. fin. de concess. praeb.*; veruntamen nolim huc illud adhiberi, ne quis inducatur ad credendum, quod fuisset *cuiusdam rei temporalis* per donationem facta *alienatio.* 2.) Dicit dictus *Casus longus* positiue, quod, *aliquanto tempore elapso*, Abbatissa concessisset eidem, cui prius, *Decimam* de consensu Capituli; quum tamen litera non doceat in facto, an post *multum*, an post *aliquantum* tempus id contigerit. 3.) In decisione non tangit posteriorem textus partem, quae est in verbis: *et non post multum tempus.* Quapropter *casum longum* sic constituo: *Pertinuit concessio Decimae ad Praelatam, eiusque Conuentum communiter. Praelata dedit eidem Clerico literas praesentationis ad eandem bis, nempe priores, et posteriores: Quaerebatur, quaenam istarum tenerent: distinxit Papa casum Conuentus, scientis, et non contradicentis, a casu Conuentus ignorantis, aut contradicentis: si Conuentus sciuerit, nec contradixerit, rescripsit, tenere priores literas concessionis; si vero aut ignorauerit Conuentus, aut Praelatae contradixerit, priores non tenere; posteriores autem tunc tenere, si datae sint de adsensu Conuentus, nec post multum temporis.*

LVIII. Ex hoc casu *Bernardus*, *Joannes Andreae*, Card. *Zabarella*, Joan. de *Imola*, et alii haec duo puncta communiter inferunt: 1) *In temporali alienatione, quam facit Praelatus, taciturnitas Capituli habetur pro consensu.* 2.) Et quidem rectius: *Qui non contradicit, consentire videtur.* Sed quia iam supra a n. XVII. vsque XXVII. demonstraui, hoc Capitulum nullatenus de *alienatione rerum temporalium* posse intelligi; hinc *primum axioma* simpliciter reiicio.

LIX. *Secundum* vero *axioma*, quod etiam *Glossa* primo loco notat his verbis: *Qui non contradicit, consentire videtur*; quanquam fere sint verba R. I. 43. in 6.: *qui tacet, consentire videtur*, adiuuabitur *adiectionibus magis specificis*; quia, vt sane ait Henr. *Canisius* in commentario ad d. R.: *haec Regula, si nude inspiciatur, defendi non potest:* igitur ad *certas species* coarctanda est; etenim multis casibus accidit, vt sciens et tacens non censeatur consentire; quapropter necesse est, vt in tacente *circumstantia aliqua* concurrat aut *causa*, quae ex taciturnitate inferat consensum, maxime quum, licet *ius Ciuile* saepe numero tacentem pro consentiente habeat, in eodem tamen non reperiatur dicta Regula, contra quam

LX.

LX. Sane complures leges allegantur, vt l. 8. §. 1. *ff. de Procur.* l. 142. *de R. I.*, ex quibus vna cum notis *Gothofredi* sequens formatur argumen-n: Qui non contradicit, non potest dici consentire; *Inuitum* enim, vt ait d. 3., *accipere debemus, non eum tantum, qui contradicit, verum eum quoque, qui sensisse non probatur.* Iam vero, qui non contradicit, sed tacet, consensisse n probatur; sicut enim tacens nec fatetur, nec negat, *cap. 44. de R. I. in 6.*, o, vt ait *Socinus* ad R. I. 195., eo ipso, quo tacet, contradicere videtur; , qui tacet, non videtur consentire.

LXI. Instauratur per consonantes alios iuris textus. Sic in *l. 5. ff. de u. praed. vrb.*, eiusdemque notis, *contradicere* videtur et *inuitus* est, qui non nsentit; licet non contradicat: in *l. 45. §. 5. ff. de R. N.* Vlpianus illum tronum declarat *inuitum*, et contradicentem, qui non consentit. Ergo, qui :et, nec consentit, is contradicere videtur.

- LXII. Porro in iure nostro aliud est *velle*, aliud *non nolle*, ad primum n sufficit scire et tacere, ad secundum vero sufficit, l. 1. §. 3. *ff. de tribut.* .: *non enim* VELLE *debet dominus, sed* NON NOLLE: *si igitur scit, et non testatur et contradicit, tenebitur tributoria actione.* Ergo Conuentus sciens ac :ens non fuisset *volens* et adsentiens, sed solum *non nolens*, vtpote non *palam* tans, et contradicens. Adde l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. solu. *Non vi-tur autem consensisse creditor, si sciente eo debitor rem vendiderit.* l. penult. ff. de rt. *Si quis, quum sciret quid sibi subripi, non prohibuit, non potest furti agere* ulus: *imo contra; nam si quis scit sibi rapi, et quia non potest probibere, quieuit, rti agere potest: at, si potuit prohibere, nec prohibuit, nihilominus furti aget: et c modo patronus quoque liberto, et is, cuius magna verecundia, ei, quem in prae-tia pudor a resistendo impedit, furtum facere solet.*

LXIII. Sed et permultae sunt leges, quibus taciturnitas pro consensu :*; vt vere dicam: *saepe qui tacet, consentire videtur: saepe non videtur consen-e, qui tacet.*

* L. 11. §. 4. *ff. de interr. in iur. fac.*, quia interrogatus in iure respondere tenetur sub praeiudicio confessi: idem est de iusso respondere ad positiones. *cap. vlt. de Confess. in* 6. Sic l. 12. ff. *de SC. Maced.* ait: *Si tantum sciente patre, creditum sit filio, dicendum est, cessare Senatusconsultum.* Sic l. 5. *Cod. de Nupt.*. Patrem, qui non contradicit, nuptiis filii consensisse intelligi declarat; ratum enim habuit, dicunt ibidem *notae sub lit.* x., quum post cognitas nuptias non contradixit. Item *l.* 7. §. 1. ff. de Sponsal.: *intelligi tamen semper filiae patrem consentire, nisi euidenter dissentiat, Iulianus scribit.* l. 2. §. 2. ff solut. matrim. *Ab Imp. Antonino rescriptum, filiam, nisi euidenter contradicat, videri consentire patri.* l. 4. §. *fin. ff. de fideiuss.* Si tutor aliquem pro fideiussore nominet, isque praesens, et non contradicens actis nomen suum inscribi permisit, praesumitur consensisse, licet hoc ei sit odiosum. Adde l. 18. ff. *mandati*, pluresque alias.

LXIV. Iuri *Ciuili*, ex taciturnitate consensum saepe inferenti, adstipulatur ius *Canonicum* *; praeprimis autem *in negotiis, Praelatum simul et Capitulum attinentibus.* **

* E. g. Si seruus sciente domino, et non contradicente ordinatur, ordinatio valet, et seruus liber euadit, licet hoc domino sit praeiudiciosum. *can.* 20. *dist.* 54. item *cap. vlt. et penult. de his, quae fiunt a maj. par. cap.*; ex quibus erui potest, existentes in vniuersitate debere contradicere his, quae aguntur, si nolint consentire; non contradicentes enim habentur pro consentientibus et quoad peccatum et quoad poenam, si aliqua ibi male agerentur. item *cap. vn.* §. *fin. de desponsl. impub. in* 6. Si Parentes pro filiis vel filiabus praesentibus, et non contradicentibus sponsalia contrahant, valent, etsi prolibus forsan odiosa.

** Vide supra n. LVI. sub asterisco.

LXVI. Supersedeo allegare responsiones, et distinctiones Legistarum nostrorum, quibus explicare nituntur, et conciliare textus iuris Ciuilis, quos supra a n. LX. vsque ad hunc num., pro et contra ex silentio consensus sufficientiam deducentes, adduxi; quum his ad propositum meum adeo non indigeam; praeterire tamen nequeo, illorum non satisfacere solutionem, qui Regulam iuris Canonici restringunt ad *ea sola, quae tacenti fauent*; quum eadem saepe etiam tangat illos, quibus praeiudicatur, tacentes. *

* Obiectam supra l. 5. *ff. de seru. praed. vrb.* GOTHOFREDUS ibid. lit. a soluit sic notando: „*Inuitus* est, qui non consentit, licet non contradicat:" adde l. 45. §. 5. ff. *de R. N.*, vnde colligunt, taciturnitatem, quando *de iure tacentis minuendo agitur*, pro consensu non haberi; in citatis autem legibus agitur de iure tacentis minuendo. Quoties vero agitur *de iuribus minuendis*, vel *causa praeiudiciali* aut *odiosa*, toties, inquit *Barbosa*, tacens non videtur consentire. Et hoc modo soluunt dictam obiectionem: nam in l. 5. ff. *de seru. praed. vrb.* agitur de *minuendo iure*, quod vicinus habet, ne luminibus suis officiatur; in l. 45. ff. *de R. N.* vero de *praeiudiciali causa* patroni, et sic ex data ab his Doctoribus limitatione sequitur, non sufficere, vt patronus vel vicinus non contradicat, verum necesse esse, vt ambo expresse consentiant, quia de illorum agitur praeiudicio. At vero, licet in hoc casu ita possit solui ista obiectio, minus tamen mihi placet illud *generale dictum*, quanquam doctrinam hanc magis communem, imo vulgarem esse asserat *Barbosa*. In iure enim valde multos est reperire casus, in quibus tacens, etiam in *praeiudicialibus* et *odiosis* pro vere consentiente habetur, vt meas supra positas allegationes consideranti patebit: magis saltem arridet mihi illorum opinio, qui illud axioma sic immutarunt: *Ille, qui in praeiudicialibus tacet, tunc consentire videtur, quando contradicendo, vel expresse dissentiendo facile potest impedire id, quod agitur.*

LXVI. Quidquid vero sit de R. 43. in 6., vtrum *satis generaliter*, atque ita teneat, vt Regula vera dici mereatur, siue de *vtroque iure*, siue de *Canonico saltem*, ad rem praesentis Capituli suppeditauit mihi Abbas *Panormitanus* Regulam

gulam hanc *specialiorem* ex *l.* 38. §. 1. *ff. de donat. int. vir. et vxor.*, * quam dicit notam esse ad confirmationem huius Capituli; nimirum: *in concessione rei communis, quam facit condominorum vnus, alter sciens, et tacens consentire videtur.*

* Ibi: *Idem iuris erit, si ex tribus fratribus vnus vxorem haberet, et REM COMMUNEM vxori donasset; nam ex tertia parte mulieris res facta non est: ex duabus autem partibus reliquis, SI ID SCISSENT FRATRES, aut, postea quam donata esset, ratum habuissent, non debere mulierem reddere;* et subiungit *Panormitanus* allegans: „ Si frater donat filio *rem communem* sibi et „fratri, *fratre* praesente et non contradicente, valet concessio. „

LXVII. Iam vero in casu repetiti hactenus Capituli concessio *Decimae* erat *communis* Abbatissae et Conuentui: * Ergo conferente eandem Abbatissa, tacente vero, siquidem sciuit, Conuentu, *Decima* valide fuit collata.

* Tum ex consuetudine illius monasterii, tum vero etiam ex iure communi per *cap.* 6. *h. t.*; ita quidem, vt stet praesumptio iuris huius inter Praelatum, etiam regularem, eiusque Conuentum, donec Praelatus priuatiuum ac solitarium concessionis ius ex antiqua, et approbata consuetudine, vel concessa sibi libertate ostenderit; ideoque *Bernardus Bottonus* post *casum longum* huius cap. recte istud iuris communis notamen posuit: *Praelatus sine consensu Capituli concessionem facere non potest*; Quod plerumque tenet in Praelato *ecclesiae Saecularis* e. g. *Decano*; nisi enim concessio alicuius beneficii vel alterius gratiae expressis verbis annexa fuerit eius dignitati in Statutis, ius Patronatus, vel simile non aliter exercebit, quam de assensu Capituli sui per vota maiora; ita quidem, vt *Decanus* gaudeat tantum vno suffragio, sicut alius quispiam Capitularis. Dum e contra in Praelatis regularibus, ius commune frequentius patitur exceptionem in *d. cap.* 6. *h. t.* clausam.

LXVIII. Quibus sic praestabilitis, loco summarii vulgati, quod supra num. LVIII reieci et refutaui, Capitulo meo istud substituo: *Si concessio aliqua rerum monasterii vel collegii ad Praelatum et Capitulum pertinet* COMMUNITER, *sufficit taciturnitas Capituli ad id, quod statuit et facit Praelatus,* * *excepta sola alienatione, utpote solennitatem, proindeque Capitularium expressum consensum, requirente.* **

* Et hoc verum est tam in concedendis *beneficiis*, siue dignitates sint, siue non, quam in officiis *Saecularibus*, e. g. Satrapae, Syndici, nec non elocationibus, similibusque gratiis et contractibus, etiamsi de consuetudine ad haec concurrere quoque deberet consensus Capituli.

** Iam allegaui supra num. XLII. sub asterisco, *Cap.* 1. *h. t.*; hic addo *Cap.* 8. et 9. *eodem*; Quum enim incorporatio alicuius Ecclesiae sit *species alienationis*, non poterit vtique Episcopus praeter adsensum maioris Ecclesiae vacantes Ecclesias Baptismales coenobiis vel Ecclesiis conuentualibus perpetuo iure conferre. Similiter etiam species alienationis est, viris religiosis conferre proventus alicuius paroecialis Ecclesiae, quantumlibet reseruata Vicarii sustentatione.

LXIX. Et tantum quidem de crinomeno *prioris partis* Capituli, quae principale mihi facessebat negotium. Nunc, vt fide supra data me liberem, etiam pro secunda parte hoc punctum constituo: *Si concessio, Praelato et Capitulo communiter competens, de iure vel consuetudine aut intra certum tempus fieri, aut non post multum temporis incerti differri debeat, valet solius Praelati tempestiua concessio.* *

* Non tam quia *tacitus ex lapsu multi temporis consensus* praesumeretur, quod aliqui, referente *Glossa*, hic docent, quam quia *in exercitio rei communis, vno sibi vigilante, et caeteris tempus fatale negligentibus, tota potestas ea viee residet in vno:* Suppono tamen hic, quod Conventus sciuerit *vacare Ecclesiam,* licet ignorasset, eam ab Abbatissa sola fuisse concessam. In aliis vero concessionibus, Praelato simul et Capitulo competentibus, nec aliquo temporis fatali arctatis, dicendum est, Capitulum posse contradicere *vsque ad annum*, computandum, *ex quo sciverit* solius Abbatis dispositionem. E. G. Si feudum, ab antiquo infeudari solitum, reuersum fuerit ad monasterium, de cuius consuetudine noua eiusdem concessio ad Abbatem simul et Conuentum pertinet, valebit solius Abbatis concessio, si Conuentus per annum, ex quo illam sciuit, tacuerit, *arg.* II. *feud.* 26. §. *Titius.* 1.

## *EPILOGUS.*

Ordini, quem in Praefatione mihi proposueram adhaesi; quid praestiterim, non meum, sed Lectoris erit iudicare, cuius iudicio laborem hunc qualemcunque submitto, contentus, si vnam alteramue attuli obseruationem, ad Capituli, mihi forte delati, elucidationem quidquam conferentem.

## *APPENDIX.*

Et haec quidem, luminibus atque conceptibus meis non fidens, subieci examini venerandi Antecessoris mei Domini Nellrri, inclytae Facultatis Juridicae Senioris, Comitiuam legis ex vicennali professione quatuor fere ab hinc annis promeriti, Serenissimi Electoris nostri Consiliarii intimi &c., idque eo lubentius feci, quo notius mihi fuerat ex quotidianis lectionibus, collegiis priuatis, ac disputationibus, Viri huius, in omnibus perspicacissimi, robur praecipuum in feliciore textuum interpretatione consistere, maxime, dum verba medii aeui veniunt enucleanda: honoravit me iste sequenti iudicio:

*Praenobili ac Doctissimo* JOANNI CHRISTIANO ESCHERMANNO

GEORGIUS CHRISTOPHORUS NELLER, Professor & Assessor Senior, in ordine futurus Brabeuta, salutem.

*Placuit tam labor tuus primitialis, quam quae eundem obelo meo subjecit, modestia atque fiducia: legi, relegi, & primum opus magisterii inveni esse magistrale, claritate*

*ate ſtyli, digeſtionis ordine, interpretationis ſoliditate: Sextus nunc es ab anno 1748. orum, qui ſuas inaugurales, proprio, ut ajunt, marte conſcriptas, reviſioni meæ ubmiſerunt; in deductione tua pauca ſolum inveni mutanda, reſecanda, transponen-la, aut etiam clarius exprimenda, quæ in adjecta pagina conſpicies, mecum porro ollaturus, ſi quid perperam confixiſſe aut monuiſſe tibi videbor, cum, qui componit, ›cutius rem, quæ eſt, inſpicere atque profundius illo ſoleat, qui aliena compoſita tan-um perluſtrat; talis quoque ego ſum cum S. Auguſtino rel.* in can. 10. diſt. 9. *in criptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum: expertus ſum eo, quo te inſti-ui triennio, docilem tibi eſſe animum, atque ab amore proprii ſenſus tam alienum, ut enſor imperans & alludens dicere tibi cum ſpe moris gerendi poſſit illud Gen. 22. v. 2.* Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac: *illum intelligo partum, quo nvento mens noſtra parturiens ſingulariter delectatur, cum tamen hoc ipſo titulo no-is deberet eſſe præprimis ſuſpectus; nam &* elegans *interdum eſt* diſtinctio, *ſcilicet rima facie, & nihilominus, ait* Pomponius *in l. 85. ff. de legat.* 3.: non puto, ortiter poſſe defendi. *Adoleſcens arbor una æſtate ex capite truncoque ſuo protru-it virgulta plurium ulnarum, oportet quidem hoc, ſed, ut ſit, quod maneat, quod-ue amputetur: lacrymatur vitis, dum putatur, quia lucrum putationis ignorat. Sed uid præoccupo? ſcio, te æquiſſime laturum, ſatque fore divitem pariter ac honeſtum is, quæ reliqui; palam quippe fateor ac lubens, me ſive ex antiquis ſive ex recentio-ibus noſtris Repetentibus non inveniſſe quemquam, cui ſuppar eſſet tua hæc repetitio, ʒ quo interprete non præſtarent, quæ tu hic præſtitiſti primus: dum poſt tentamen peruerас Decretalium Gregorii IX. codicem, conſpexi hoc Cap. 2., venerabili noſtro Collegio, ut iſtud potius aſſignaret, conſultor fui; tum quia illud nemo, donec ego ic Ss. Canones profiteor, adhuc ſortitus fuerat, ut eſſet textus huсusque intacta no-is virgo, tum quod nondum abiiſſet multum temporis, ex quo eundem cuidam viro octo, ſuper caſu alienationis, ante plures annos per abbatem, ſciente ac tacente Con-›entu, facta, me conſulenti propoſueram, quanquam jam tunc parum fidens ſumma-io, quod, nemine tibi ſuggerente, in Examine rigoroſo optimo judicio deſeruiſti, tuum-ue ſubſtituiſti: miratus ſum, quia hoc a te conſilium non exſpectaveram, cum ſoleant lerumque adoleſcentes noſtri, textum reſolventes, ſummarium in Corpore juris vul-atum retinere: Quod tibi tunc anguſtia temporis plenius elaborare non conceſſit, hoc upplevit poſtmodum ſolertia tua, conſultis tum interpretum, tum hiſtoricorum libris: Feliciter res tibi, quod gratulor, ſucceſſit, non dubitans, quin alii JCti meæ ſenten-iæ ſint acceſſuri, habita, quod diſcretio virtutum mater poſtulat, conſideratione æta-is tuæ, cum nondum annos 21. expleveris, & nihilominus minor majores ſuperaveris; nimirum ſæpe Deus revelat parvulis, quod abſcondit a ſapientibus. Et vel ideo a te velim, atque pro ſuprema, quam tibi Promotor ſcribere audeo, lege injungo, quod rubeſcet pudor proprius, ut repetitioni huic ſubjungas duas conſummatorum Canoni-arum repetitiones, unius quidem antiqui, alterius vero recentioris; videlicet* Anto-nii de Butrio, & Pauli Laymanni, *Bipontini, non, ut eorum fieri te cupiam cor-*

*recto-*

*rectorem, sed ut ostendas, in quo tua dissideat ab illis hermeneusis; quapropter adolescentiam tuam nemo reprehendet, me vade ac sponsore: brevem autem te exhibe, imitando Gothofredi notas ad Corpus juris civilis; cum sic jam fere explicaveris cuncta, ut remissione sola opus sit, non refutatione nova, saltem largiore. Obsequium mihi hoc ultimum non denega, & vale. Dabam VII. Kal. Febr. ex Domo mea claustrali in peristylio S. Simeonis.*

Ecce iudicium Professoris mei plurimum venerandi! At vero, priusquam Legi, quam *Vir* ille spectatissimus mihi vltimo posuit, morem geram, Te L. B obtestor, ne literas hasce huc a me ostentationis gratia insertas esse credas, quum praeconia illa, quibus me honorare dignatus est, nec modicae, si quam fateri audeo, iurisscientiae meae, nec Dissertationis meae tenuitati, sed soli, qua Vir iste praecipue pollet, humanitati tribuenda esse lubenter fatear; quumque nec alia mente easdem huc apposuerim, quam ad subterfugienda illorum obiurgia, qui, quod, Professore meo vade et sponsore, me subiisse, ex iis nunc intelligent, temerariae praesumptionis nota censurassent. Vt igitur dictam mihi Legem adimpleam, *Antonii de Butrio* repetitione notis, ad Dissertationis meae numeros remissiuis, illustrata, Commentario Patris *Laymann* S. J. manum admovebo.

D. ANTONII *de* BUTRIO * *celeberrimi ac consummatissimi Viri, iuris vtriusque monarchae*, vt habet inscriptio Libri,

COMMENTARIUS

IN

*Cap. 2. de his quae fiunt a Praelat, &c.*

* JCti Bononiensis et Ferrariensis, qui erat Professor *Joannis de Imola*, celebris pariter Canonistae. Obiisse eum docent A. 1408. referente H. *Graueson* Hist. Eccles. tom. VI. pag. 107. col. 2.

1. *Continebatur. In temporali alienatione*, (1) quam facit prelatus, *taciturnitas* Capituli habetur pro consensu. (2) Hoc dicit. (3) In prima decisa *consultatio.* In secunda distinguens *responsio*, ibi: *consultationi tue.* Et secundum membrum ibi: *verum:*

N O T A E.

1. Hoc verbum abest a textu: vide differt. meae num. 58. idem de adjecto verbo: *temporali.* v. n. 34. 42.

2. Cadit, et vide potius n. 68.

3. Imo non dicit hoc: v. n. 28. 34. 42.

2. Nota, quod *in alienatione* rei ecclesiastice exigitur consensus *Conuentus*, etiam in prelatis *regularibus*, quando a prelato regulari fit *alienatio*: et si

con-

conceſſio eſt *in titulum*, et *ad vitam* beneficiati, *tacitus* (1) conſenſus ſufficit: et *Canonici preſentes et ſcientes*, habentur pro conſentientibus. (2)

3. Nota duo excludentia conſenſum, ſcilicet *ignorantia*, et *contradictio*. (3)

4. Nota argumentum, quod alienatio ſine conſenſu Capituli, *tacito vel expreſſo*, validatur *ex temporis lapſu*. (4)

5. Vltimo nota, quod concurrentibus duabus conceſſionibus *ad eundem finem*, diuerſo tempore, non attenditur *temporis prioritas*, (5) ſed *conceſſionis validitas*.

## NOTAE.

1. Imo non ſufficit *tacitus* hoc caſu conſenſus, ſi conceſſioni inſit *alienatio*. n. 42.
2. Hoc extra *alienationis* caſum, vti in hocce Capitulo. n. 53.
3. Hoc rectum, et probatur ex hoc textu.
4. Hoc verum non eſt. Vid. n. 47.
5. Imo attenditur. v. n. 56. vt infra dicit ipſe quoque *de Butrio*.

Declaremus Decretalem iſtam. Hic a contrario videtur litera velle, quod ſi due conceſſiones interceſſiſſent, et *ambe* fuiſſent *valide*, (1) in eadem, vel diuerſis perſonis, teneret conceſſio prima, et non ſecunda.

## NOTA.

1. Non capio, qua via huc venerint Veteres, vt textui meo ſiue illuſtrando, ſiue in dubium trahendo, advocauerint diſputationem ciuilem *de duabus eiusdem rei venditionibus*; neque etiam, quo fundamento *Antonius* ſupponat, *ambas* Decimae conceſſiones fuiſſe *validas*, ita, vt ſolius praeferentiae quaeſtio eſſet: vide n. 44.

Hoc falſum videtur, et contra l. *quoties*. C. de rei vendic., vbi potior eſt, cui ſecundo res venditur et traditur. Rndit Innoc. et notabiliter valde, differentiam eſſe inter contractus *laicorum* ex vna parte, et contractus *Clericorum* ex alia parte: quia *primo* caſu attenditur *prioritas traditionis*, non *contractus*, vt in contrario. Ita in effectu dicit. *Secundo* caſu ſemper attenditur prioritas contractus et conceſſionis: et prefertur ſecundo habenti conceſſionem, et traditionem. Ratio differentie eſt, quod *laicis* eſt licitum *aliqualiter* inter ſe decipere. l. *in cauſe*. §. *in pretio* ff. de minorib.; ſed non ſic in *clericis;* quod eccleſia nemini parat laqueum XXVII. q. 1. *de viduis*. Item quod tales varietates ſunt clericis prohibite, infra *de iure patron. quod autem*. et in c. *paſtoralis*, licet *laicis* ſint permiſſe, vt ibi. Item, quia fortior eſt conſenſus *ſpiritualis*, quam *carnalis*, et ideo fortius operatur. *de translat. prelat*. C. 2. Nota bene hoc dictum pro limitatione l. *quoties*. prealle. et ſimilium: quod ille leges omnes eſſent correcte in contractibus *clericorum*, dum loquuntur de rei vendicatione vel Publiciana danda primo, vel ſecundo contrahenti. *Sed hoc dictum ſic late intellectum mihi non placet :* (1) quia lex non eſt corrigenda ex opinione Doctorum, cum non reperiatur expreſſe correcta. *de elect. Cum expediat. lib. VI.*

Vnde restringo hoc ad *concessionem iurium spiritualium*: quia in istis *transfertur ius nuda voluntate* sine traditione. infr. *de Praebend. si tibi absenti.* in VI. *de rescript. gratia.* eod. lib. et notata per Compo. de consti. *cum omnes* (2) Vnde in istis potior est primus: quia *plenum ius* haber. Sed in alienationibus rerum *temporalium clericorum*, non puto hoc verum (3) quia *transfertur dominium rerum temporalium sine traditione*, iuxta not. infr. de priuil. *pastoralis.* et sic de consuet. c. 2. Saluo, nisi fieret *in ecclesiam* alienatio: vt *l. fi. C. de sacro. san. eccle.* (4) et notatur in d. c. 2. et hoc tenendo: quia quod d. l. fin. locum habeat, quando ab ecclesia in ecclesiam fit alienatio, licet ibi loqui videatur, quando *a priuato in ecclesiam* fit, puta, vbi ex concessione transfertur *ius in re*: quod quando sit, dixi: sic *attenditur ergo prioritas concessionis, vel prioritas traditionis, etiam in rebus ecclesie.*

NOTAE.

1. Docet hic *ANTONIUS contra communem.* v. n. 45. Quoniam vero rationem bonam mox subiungit, ideo solutio communis non facit rem ita claram; esto enim, quod iuxta Ss. Canones ecclesia in suis contractibus nemini audeat fraudem facere *sui lucri gratia:* si tamen ipsa *in facto* fecisset, eandem rem, primo venditam, vendendo et tradendo secundo emptori, quis canon dicit, potiorem *secundo fore primum*, ex solo titulo et iure ad rem prius quaesito?

2. Ait ergo *ANTONIUS*, in dando iura *spiritualia* primam concessionem praeualere secundae, etiamsi huic accederet traditio: debebit consequenter fateri, *secundam non valere quoad titulum*; alias non apparet, cur secundus, ex titulo valente spirituale sibi traditum possidens, cedere primo deberet, qui tantum id sibi habuit appromissum. Ratio, quam reddit: *in spiritualibus ius nuda voluntate transfertur sine traditione*, lubrica est; nam *nuda* iuris spiritualis *promissio*, eamque tradendi obligatio *ius in re* non parit *arg. cap* 14 *de concess. praeb.* Ipsum *Cap. si tibi absenti* 17. *de praeb. in* 6., quod ANTONIUS allegat, est contra ipsum in verbis: *licet per collationem huiusmodi, donec eam ratam habueris, ius in ipso beneficio, vt tuum dici valeat, non acquiras*: addit autem textus: *ipse tamen Episcopus de ipso Beneficio in personam alterius ordinare nequibit: quod si fecerit, eius ordinatio facta de beneficio non libero, viribus non subsistet.* Cur hoc? Quia secunda ordinatio contra fidelitatem primae non praestat titulum validum. Nec probat illud dictum alter textus in *cap. gratia.* 7. *de rescript. in* 6., vt examinanti patebit.

3. Hic titubat ANTONIUS, quasi metuens, ne id, quod de *laico* alienante dicitur, *sine traditione dominium non transferri*, in *clerico* alienante fallat propter notata in cap. *pastoralis* 19. *de priuil.*, cuius litera tamen illud assertum non euincit, adhuc vero minus *cap.* 2. *de consuet.*; quum ibi sit in *scotatione* traditio *totius* per realem oblationem *partis.*

4. Quam hic, more Veterum, digrediatur a themate suo ANTONIUS, nemo non videbit: vtique vero singulare illud ius *l.* 23. *et fin. C. de Ss. Eccles.* firmat regulam in *aliis*, quod sine traditione nec *clericus* nec *laicus* dominium rei temporalis transferat.

Se-

Secundo quaero, quis sit effectus, (1) *quod, facta duplici collatione, possit inniti prime, an secunde.* Dic, quod, si non potest inniti *prime*, et si illa non tenuit, et debet restituere fructus perceptos vsque ad *secundam*, ex quo illegitime tenuit: alias non deberet restituere, si potuisset inniti prime, *et sic non est disputatio de vento.* Et hoc procedit, quando collationes ambe sunt facte *eidem* (2) persone: tamen alii contra (3) voluerunt, intelligentes text. de collationibus etiam factis *diuersis.*

N O T A E.

1. Effectum hunc exposui n. 56.

2. Varias super hoc Autorum opiniones vide num. cit.

3. Vide num. 54. et 55.

6. Venio ad gl. Gl. i. ibi: *hoc ius.* in fin. hic requiritur *subscriptio.* Ea gl. in fi oppo. videtur, quod in alienatione non sufficit *tacitus* consensus supr. c. proxi *cum si.* (1) solu. dic hic in alienatione vel concessione *temporali*, contrarium in *perpetua*: vel dic contrarium procedit in alienatione *magne rei*, hic *parue rei*: alias esset necessaria etiam autoritas Superioris. XVII. q. 4. *in venditionibus, et de reb. eccle. non ali. dudum lib. VI.* Idem disputat Barth. Brix. et Damas. et Io. Andr. post eos in regula, *qui tacet* de reg. iur. lib. VI., vbi facit regulam, *quod in alienationibus requiritur consensus Capituli expressus ecclesie, cuius rei fit alienatio.* Hoc fallit in alienatione *modice rei.* Item secundo in concessione temporalium rerum *temporaliter*, in quibus sufficit consensus *tacitus*: in *aliis* alienationibus requiritur *expressus* consensus. Alleg. *c. i. de reb. eccl. non alien. in VI.*, vbi requiritur *tractatus*, qui sine *expresso* consensu haberi non potest: ergo &c. (2) Attende tamen, quod, vbi dixi, quod quando alienatio est *ad tempus* facta, quod sufficit *tacitus* consensus, nec requiritur tanta solennitas, est verum, quando est *de modica re* facta. Sed si *de re maxima*, licet *ad tempus* fiat concessio, requiritur *solennitas*, que est perpetua. Ita dicit Jo. And. in addit. Specul. in tit. de rebus ecclesf. non alie. §. 1. ad fi. (3) Per hec verba posset dici, quod vbi ageretur *de provisione magni beneficii* non sufficeret *tacitus* consensus, imo requiratur *expressus.* (4)

N O T A E.

1. *Cum si:* potius: *cum nos*, & est *cap.* 3. *h. t.*

2. Lusus diuinationum sunt: textus loquitur *de concessione decimae*, non addendo, *magni* fuerit, an *modici* valoris, nec verbum habet de concessione *ad tempus*, non licuit igitur interpreti: eiusmodi additamenta inuenire. Vide num. 58. & ibi remissionem.

3. Hic agnoscit *ANTONIUS* limitans, etiam in alienatione *ad tempus* requiri ex-

*expressum* consensum, e. g. si daretur res ecclesiae in *feudum*, *emphyteusin*, vel *vsumfructum* ad quinquennium, & esset *res maxima*. Sed vnde hanc exceptionem a regula *cap.* 1. *h. t.*, & exceptionis exceptionem, quae reducit ad regulam, accepit *de Butrio*? Sane non ex can. *terrulas*. 53. XII. q. 2., quem Repetentes allegare hic solent; quia tales terrulas Episcopus *solus*, sine quonis, *tacito*, vel *expresso*, Capituli sui consensu alienandi potestatem habet.

4. Imo errat *ANTONIUS*, quantacunque enim magnitudo foret beneficii, ad concessionem Praelati et Capituli communiter pertinentis, sufficeret tacitus istius consensus in concessionem illius; quum debeat concedi alicui, & quidem sine diminutione.

Gl. III. querit, *quid, si longo tempore omnes sine consensu taceant?* Quidam, quod validatur *contractus*, (1) quasi ex quo non contradixerunt, videatur contractus ratificatus longo tempore. Contrarium tenet Gl. *quod contractus, ab initio nullus, nunquam tractu longi temporis potest validari*: quia tales contra leges mercantur, ideo non prescribunt. C. de agri. et censi. l. *quemadmodum* Lib. XI. (2)

N O T A E.

1. Ex demonstratis non erat *contractus*, sed *nominatio*, aut *praesentatio* patronae ad beneficium maius.
2. Glossa quidem recte sensit, sed extra casum Capituli. Vid. n. 47.

Idem tenet Innoc. et ad text. subauditur, maxime (1)

N O T A.

1. Innocentium IV. refutaui num. 47. in *

Host. autem contradicit, ad terminos decretalis nostre restringendo dictum suum, dicit, quod litera sic voluit, quod *concessio*, *de qua agitur hic*, scilicet *concessio beneficii*, (1) confirmaretur per lapsum temporis ex *defectu consensus*. (2) Ad hoc ista litera, non cauillando eam.

N O T A E.

1. Hic rem tetigit propius Hostiensis, sentiens, agi in Cap. *de concessione beneficii.* Vide n. 17.
2. Potius: *quoad defectum consensus.*

Item quia ista concessio, secundum eum, si venit infringenda, venit *propter contemptum Capituli* infringenda: quo casu actus non est *nullus*, sed *annullandus*. sic de elect. *quod sicut*. Ideo si non contradicit Capitulum per aliquod tempus, habetur pro consentiente, secundum eum. Et dicit, quod istud terminatur per tempus *sex mensium*, computandorum a die scientie, vt sup. ti. 1.

*quia*

*quia diversitatem.*; quia si intra illud non prosequitur contemptum, non potest plus prosequi. (1)

N O T A.

1. Neutrum huc quadrat; quum non sit 1) casus *electionis* cuiusdam *dese validae*, quamuis *actione de contemptu* irritabilis; sed *praesentationis se sola insufficientis*, vtpote per eam factae, quae *sola* non erat patrona. Vide num. 52.; nec etiam 2.) mentio in hoc textu fiat neglecti termini Conc. Lateran. Vide n. 48. & 49.

Io. Andr. dicit, quod hodie *citiori termino* excluditur Capitulum a prosequendo contemptum, scilicet *ex lapsu temporis positi in edicto*, (1) *quod mitti debet.* de elect. c. fi. in VI. Et sic in illis non videtur posse stare dictum Host. Hoc dependet a notatis in d. c. fin., an dispositio ipsius habeat locum *tam in collatione*, quam *in electione.* quia si tenetur, quod sic, procedit dictum Io. Andr., reiecto dicto Hostien., si tenetur, quod non, tunc remanet dictum Hostien., reiecto dicto Io. Andr. (2)

N O T A E.

1. Intelligit *citationem edictalem* siue *generalem*, vt vocat summarium, *cridam*, quam ante electionis confirmationem praescripsit *cap. fin. de elect. in* 6., quod vtique peremptorium est, seu praeclusiuum: verum ad hoc ius posterius *Alexander III.* rescribens non reflexit: neque etiam casus *electionis confirmandae* aderat, sed *concessionis faciendae.*

2. Si male, quod mox dixi, huc applicetur *d. cap. fin.*, non tamen propterea valebit dictum Hostiensis, quia terminus Concilii Lateran. nondum erat tunc in mundo. Num. 49.

Dicit tamen, quod illud Capitulum non habet locum *in collationibus*: quia in eis non mittitur *edictum*: (1) de quibus omnibus remittit Io. And. ad no. de elect. *cum dilecti* in gl.

N O T A.

1. Hoc recte dicit Joan. Andr.

Nota quia et in c. *nihil* dicebat in gl., et de causa possess. *cum olim* in gl. magna, de elect *quod sicut* in gl. vlt.; et vide, quod not. in c. *concertationi.* de appellat. lib. VI. (1)

N O T A.

1. Remissiones istae omnes ad Glossam, nimis ab antiquis adoratam, huc non seruiunt, non illustrant, sed tenebras offundunt.

Ex praedictis habes ampliatum c. *quod sicut*, quod loquitur, vbi *solus vnus* canonicus est contemptus, non vbi *maior pars:* quia tunc electio est nulla. eod. tit. *ecclesia.* el. 4. (1)

NOTA.

1. Extrauagatio est, et ne vera quidem, per ipsum cap. *Ecclesia*, huius initii secundum, siue *cap.* 57. *de elect.*

Sed vbi collatio pertinet *ad Episcopum et Capitulum*, vel *ad Prelatum cum Capitulo*, tunc non erit collatio *nulla*; sed poterit prosequi *contemptus Capituli:* sic, secundum hoc, dispositio c. *ecclesia* el. 4., alias c. fin de elect. non habet locum in collatione: (1) quod est notandum, et tenendum menti perpetuo.

NOTA.

1. Praelati solius collatio non erit *nulla insanabiliter*; nam, si Capitulum, *sciens eam*, taceat, vel, si *vacationem beneficii sciens*, ignoraret quidem collationem Praelati, differret autem *multo tempore* alicui dare (post Conc. Later. IV. sinens 6. menses effluere) solius Praelati collatio plena virtute inualescceret; quum ante lapsum multi temporis tantum esset vnicum votum pro habendo beneficio.

Vnde (1) *effectus opinionum istarum* secundum Gloss. et Host. videtur dependere a notatis e. c. *nouit.* et c. *ea noscitur* (2) an collatio, facta *contempto Capitulo*, sit *nulla*: quia si tenetur, quod sit nulla, prout tenuit Archid. in *c. fin. de elect. lib. VI.*, procedit opinio glossae et Innoc. per notata in c. *auditis.* de elect., et in Regula, *non firmatur.* de reg. iur. lib. VI., et ad hoc alleg. tex. c. *nouit.* in fi. inf. eo. Si tenetur, quod sit *aliqua*, tunc procedit opinio Hostiensis, qui hoc tenuit, per c. *ea noscitur.* in verb. *variari.* inf. eo. Et pro hoc facit, quod notat ipse Hostien. inf. c. proximo, vbi dicit, quod *in alienatione temporali sufficit non solum expressus consensus, imo et tacitus*, vbi alienatio est *temporalis.* Ipsius tamen dictum potest intelligi secundum quod notatur hic, *quando non est omnino nullus:* alias secus, vt etiam ipse sensit supra: vel quod *solus cursus temporis hoc non operetur*, sed *alius consensus tacitus*, sicut ad hoc notatur in regula: *non firmatur* de reg. iur. lib. VI.

NOTAE.

1. Apparet hinc, quantum hic se torserint, et per varias allegationes iuuare voluerint antiqui, demum vero, *propter opinionum diuersitatem*, nihil *certi* deprehenderint.

2. Cap. *nouit.* 4. h. t. non euincit nullitatem in nostro casu; dicit enim solum, quod *institutiones & destitutiones*, quas *sine consilio* Capituli sui facit *Episcopus*, careant *firmitatis robore.* Ad nostrum vero casum pertinet alterum ab *ANTONIO* adductum *cap.* nempe 6. h. t., vbi Coelestin. III. *in praesentationi-*

*tionibus Praelatorum intelligi debet, quod fiant de collegiorum suorum adsensu, sine quo non obtinent firmitatem: vnde si constiterit, vel maioris vel sanioris partis non adfuisse consensum, institutiones huiusmodi conuenit euacuari; nisi ex antiqua & approbata consuetudine, vel concessa libertate, aliqui eorum probauerint, commissi sibi collegii non debere in ecclesiarum seu beneficiorum collationibus requiri consensum.* Sed neque hinc probatur *plena nullitas* collationis, quam solus Praelatus faceret; quia *euacuabitur* solum, i. e. per contradictionem & repulsam viribus destituetur; non erit autem *ipso iure* nulla. *arg.* l. 13. §. 2. *in med. C. de indic.* Et obserua, quod, quum fons haberet verba prorsus *annullantia* ista: *sine quo* (assensu Capituli) *firmitatem non valent ALIQUATENUS obtinere*, Compilator substituerit molliora haec: *sine quo non obtinent firmitatem.*

Secundo restringit: quia vbi dicitur ibi, *quod potest prosequi contemptum vsque ad confirmationem*: hoc restringit *vsque ad lapsum sex mensium*, vel *temporis in edicto positi.* Gloss. fin. opponit, et videtur, quod hic donatio non teneat: *quia prelatus non potest vendere, vel donare*, nisi in meliora *prospiciat.* XII. q. 2. *sue.* cum similibus. Dic contrarium loquitur in *perpetua*, id est, vbi fieret in *titulum:* hic non fuit *perpetua* (1) ita ANTONIUS *de* BUTRIO.

N O T A.

1. Atqui hic fuit concessio in *titulum*, num. 38. et *seqq.* ergo *perpetua*: de contractu *venditionis* aut *donationis* inepte hoc ingeritur disceptatio.

## R. P. PAULI LAYMANNI S. J. Theologi, Ss. Canonum in Dilingana Professoris, ius Canonicum praelectionibus illustrantis

### COMMENTARIUS
### IN
### *Cap. 2. De his, quae fiunt a Praelat.*

### CAPITULUM II.

*Continebatur.*

### *PARAPHRASIS.*

Abbatissa quaedam cuidam nomine H. *decimas* (1) concessit, *Conuentu non requisito.* (2) Postea vero cum concessio videretur irrita, (3) sub alia forma (4) *eidem* (5) noua facta est concessio cum Conuentus assensu. (6) Dubitatum fuit, *vtra concessio valeret.* Respondet Alexander III., priorem concessionem validam esse, si facta fuit Conuentu *sciente et non contradicente.* Sin autem Conuentus *ignorauit*, aut *contradixit*, (7) secundam concessionem subsistere. (8)

NO-

## N O T A E.

1. Textus dicit: *decimam*. Vid. n. 1. hic iam praecurrit error ſuppoſitionis.
2. Haec circumſtantia eſt contra Cap. fontale n. 4. allatum; nec habet eam *Gregorius* IX. in ſpecie huius textus.
3. & 4. Hae circumſtantiae ſunt pariter extra textum.
5. Juxta textum, vtvt cap. fontale *diuerſos* habeat inter ſe de praelatione in adipiſcenda vel retinenda Decima hac *litigantes*. Vide num. 54. 55. & 56.
6. Textus hoc non dicit *abſolute*, ſed ponit in *conditione*. Vid. num. 46.
7. Omiſſa hic eſt circumſtantia, quae multum interpretibus faceſſit negotii, ſcilicet: *& non poſt multum temporis* &c. Vid. num. 4. & 46. 47. 48. 49. 50. 53.
8. Addi debuiſſet: ſiquidem iſti demum Conuentus *tempeſtiue* adſenſerit. Num. 51.

### *Summarium Laymanni I.*

1. Rerum ad monaſterium pertinentium adminiſtrationem habet Abbatiſſa.

### *Deductio huius Summarii.*

*Notandum primo.* Abbatiſſae (1) competit *adminiſtratio* rerum ad monaſterium pertinentium, et *earum*, quippe eccleſiaſticarum, prohibita eſt *alienatio*, niſi fiat praecedente *tractatu* et *conſenſu* Conuentus (2) ſanctimonialium: ita *Abbas hic: n. 4.*, vbi ait, quod Abbatiſſa, non obſtante ſexu foemineo, habet adminiſtrationem rerum monaſterii, (3) ſicuti Abbas habet in monaſterio virorum; conſequenter, *ordinarie loquendo*, Abbates et Praepoſiti Regularium non poſſunt ſe immiſcere adminiſtrationi; (4) ſed habent tantum *viſitationem*, et *regularis obſeruantiae curam cum ſpirituali iurisdictione.* (5)

## N O T A E.

1. Vel ſoli, vel ſimul & Conuentui. Vide n. 67.
2. Ita: ſi ſit *alienatio*; contra, ſi ſit *conceſſio* rei, quae debet, aut libere poteſt concedi. n. 68.
3. Non ſolum *temporalium*, ſed etiam *ſpiritualium*. Stephan. D'Aluin. Ord. Minim. *de pot. Episc. Abbat. et Abbatiſſ. c.* 3., monens, ſic eſſe intelligendum *Panormitanum;* et probant *Cap.* 12. *de M. et O. Cap. vlt. de Statu Monach.*
4. Niſi reſpectu Parthenonum fuerint ſic nuncupati *Patres Abbates*, vt in Praemonſtratenſi ordine ſunt, etiam nonnullis virorum monaſteriis, horumque Abbatibus praefecti, vt ſuperintendant.
5. Intellige pro *foro animae*, in quas non Abbatiſſae *Cap.* 10. *de poenit.*, ſed ſacerdotes *poteſtatem clauium* habent. Caeterum pro *foro exteriore* iurisdictionis verbum, Abbatibus vtriusque ſexus applicatum, *frequentius* eſt abuſiuum; etiamſi forent paſſiue exempti.

*Sum-*

*Summarium Laymanni II.*

2. Ad *quam* rerum Ecclesiae *alienationem* (1) a Praelato faciendam, *temporalem tantum*, aut *perpetuam*, *personalem*, vel *realem*, requiratur *expressus* Capituli *consensus?*

*Deductio huius Summarii.*

*Notandum secundo.* In *alienatione* rerum Ecclesiasticarum *temporali* non requiritur Capituli consensus *expressus*, sed sufficit *tacitus*: quia *taciturnitas Capituli scientis et non repugnantis habetur pro consensu.* Ita *Gl.* hic ferme communiter recepta a Canonistis. (2) Veruntamen, cum *casus huius Capituli non satis explicatus sit* (3) ideo *certa* ex eo *doctrina* colligi non potest, sed necesse est, ut aliorum Canonum adminiculo (4) hanc rem decidamus.

NOTAE.

1. *Alienationis* verbum continet *conductionem*, permutationem, venditionem, donationem, inquit *Panormitanus* ad *cap. nulli* 5. *de reb. Eccl. alien. num* 1. Sed male legit: *conductionem* pro: *conditionem*, videlicet oneris impositionem. e. g. census vel seruitutis.

2. Hoc iam refutatum supra.

3. Accusat vitium textus per *can.* 2. *dist.* 4. Quid enim sic proprium est legum, sicut claritas? *Nou.* 107. *cap.* 1. Verum *intelligenti verba* clarus est textus.

4. Non hoc solum, sed etiam *ad fontem recurrendum.* vide num. 3. 4.

Itaque distingue. (1) Si non *perpetua*, sed *temporalis*, siue ad *certum tempus* fiat *alienatio*, seu *concessio*, v. g. locatio fundi, num ea fiat *ad tempus longum*, videl. *decem annorum*, *aut ultra*; an vero *ad tempus non longum*; et iterum, num locatio *personalis tantum* sit, siue *nomine proprio* ipsius Praelati, Rectoris, aut beneficiarii facta, an vero *realis*, seu facta *nomine dignitatis*, *aut Ecclesiae.*

NOTA.

1. Simplex textus tot diuisionibus, ac subdiuisionibus potius intricatur: his parce vtendum, plane vero abstinendum, quum sunt *alienae*, textu eas non vrgente, vt hic nulla erat necessitas tractandi de *locatione rerum ecclesiae*, eiusque *a tempore* diuisionibus; sed *Laymannus* secutus est veteres a puncto aberrantes, quorum insuper tradita suis adiectionibus supplere voluit.

*Dico primo.* Concessionem, seu locationem *realem*, sive *nomine Ecclesiae*, ad *tempus longum* non potest facere Praelatus absque Capituli *expresso* (1) consensu, et *aliis solennitatibus* (2) iure requisitis. Ita *colligitur* ex *Clem.* 1. *de reb. eccl. non alien.*, et docent DD. in *cap. nulli eod. tit.*, quod nomine *alienationis* rerum ecclesiasticarum prohibitae comprehenditur etiam *ea concessio*, qua *dominium*

*nium utile*, seu *ius tantum vtilitatis* transfertur, quod fit *per locationem ad decem annos*, vel ultra, (3) *iuxta Gl. et DD. in l. ult. ff. si ager vectig, vel emphit.* (4) &c. *Covarr.* (5) *lib. 2. resolutionum c. 16. n. 1. Molina* (6) *tract. 2. disp. 445. n. 2.* Contractum quidem hoc tempus est a *Paulo II.* in *cit.* (7) *Extravag.* ad locationem *ultra triennium*, ut etiam talis prohibita sit, perinde ac si *ad tempus longum* facta sit: sed eam extravagantem quoad hoc in multis regionibus non receptam esse, monui *lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 5.*

## NOTAE.

1. Hoc verbum non legitur in *Clem.* I. *de reb. eccl. non alien.*; hinc subjungit *LAYMANNUS: colligitur*: sed quid si *praesente* et *tacente* Conuentu? Vid. num. 57.

2. Ad *temporalem locationem* etiam *longi temporis* nullae requiruntur *solennitates*, saltem ante Extrau. *Ambitiosae. Pauli II.*, et in locis, vbi haec recepta non est. *Alienationis* enim verbo non continetur *simplex concessio*, aut *locatio*, de qua in *cap. nulli* 5. *de reb. eccle. alien.* nullus est apex. Nullatenus vero vlla Ss. Can. dispositio ferit concessionem nouam *alicuius vacantis ecclesiae, aut beneficii*, quia haec necessitate iuris fiet.

3. Cap. 5. cit. tacet, vt dixi, tam de *locatione*, quam de *decem annis*, vel *vltra.* Extrauag. *Ambitiosae* vetat eam protendi *vltra triennium.* Sed in Treuiratu praxis admittit locationes ad *nouem annos* absque solennitate. Vtique vero Capitula consentire debent, etsi *minoris temporis* foret locatio, nisi consuetudo monasterii aliud ferret. Sed nego, quod requiratur *solennis* consensus; nam et *taciturnitate exhibitus* sufficiet.

4. Neque l. vlt. neque Glossae immoror; quia ad rem non sunt; nam, vbi *concessio communiter facienda* imminet, requiritur *consensus*, *saltem tacitus*, eius, qui in communione stat, siue concessio fiat ad *breue*, siue ad *longum* tempus.

5. *Couarruuias* ibi dicit, vt *Laymannus*, ad *longum tempus:* at sic non sonat *Clem. I.*, ad quam appellat: *ad vitam*, seu *aliud certum tempus:* et infra: *ad tempus modicum.* Sane nec omne *certum tempus* est *longum tempus*, siue decennium; nec omne *tempus decennio minus* est *modicum.*

6. Frustra huc vocatur *Molina*, qui *loc. cit.* hoc non tangit, tradens solum, quod *emphyteusis* dari possit *perpetuo* et *temporaliter.*

7. Recte monuit in sua Theol. mor.; neque enim locationes rerum ecclesiae in Germania restrictae sunt ad angustias *triennii;* neque in veris propriis alienationibus desideratur solennitas decreti Papalis.

*Dico secundo.* Praelatus absque consensu Capituli *expresso*, alisque omissis solennitatibus, fundum *nomine Ecclesiae*, seu in utilitatem Ecclesiae, *locare*, aut *concedere* potest ad tempus *breue*, (1) seu *non longum.* (2) Ita sumitur ex *c. ult.* (3) *ne Praelati vices suas &c.* Et idem *fortasse* (4) est intellectus huius Capituli, (5) et tradit *Covar. lib. 2. resolutionum c. 15. n. 6.* Ratio est manifesta,

festa, quia ad Praelatum pertinet administratio rerum Ecclesiae; atqui ad administrationem ac bonam oeconomiam spectat, ut fundi, cum proprio labore excoli frequenter non possint, aliis elocentur pro pensione. Accedit, quod haec locatio proprie non sit *alienatio*, (7) cum nullum ius *dominii* (8) transferatur in *conductorem*, seu colonum; itaque in ea (9) non requiruntur solennitates iuris statutae pro *alienationibus* rerum ecclesiasticarum. (10)

## N O T A E.

1. *Clem.* I. *de reb. Eccl. non alien.* ait: *ad tempus modicum*: hoc retineamus; nam *breue* est omne tempus, quod opponitur *longo*, i. e. decennio, etiamsi forent nouem anni cum decimi anni cunctis, praeter vltimum inceptum, diebus: eritne hoc *breue* etiam *modicum* tempus? Sed nec istud verum est in his Praelatis, qui sine Capitulo nihil possunt ordinare, vt Decani.

2. Aliud est tempus *non longum*, aliud *modicum*: non omne tempus *non longum* est *modicum*, vt mox ostendi exemplo.

3. Non est ad rem; quum *Alexander III.* non loquatur ibi de *Praelato, qui habuit iuxta se Capitulum vel Conuentum*, sed de Persona parochialis Ecclesiae, quam Germani Ober-Pfarrern nominant, qui curatum constituerat, deseruiturum pro se ad septennium, eumque ante terminum constitutum remouerat.

4. *Fortasse* est verbum *diuinantis*.

5. Imo contrarius plane. Vide num. 17. 28. 34. 42.

6. Attendendum, an ad Praelatum *solum*, vel *simul et Conuentum*? num. 67.

7. Nec etiam locatio *ad longum tempus* dici potest *alienatio*. Vide *saep. cit. cap. nulli*.

8. Atqui nec plus dominii transfertur in locatione *decennali*, et *tricennali*, quam in concessione ad breuius tempus.

9. Sicut nec in *omni temporali concessione, communiter facienda*, nec in hac; si, vt in casu huiusce capituli, necesse sit semper eam fieri; quoties existit casus aperti iuris patronatus.

10. Nulla enim locatio dici potest *alienatio*, quanquam *Paulus II.* in extrauag. *Ambitiosae* reductiue posuerit inter *solennizandas* eam, quae est ultra *triennium*.

Nihilominus, *spectato communi iure*, in talibus *Capituli consilium* requiri debet, sed *non ideo* Praelatus *illud sequi* tenetur, (1) nisi Capitulum ostendat locationem Ecclesiae noxiam esse; atque *de tali locatione*, seu *concessione*, quae *sciente Capitulo*, aut *saltem non rationabiliter repugnante*, (2) facta fuit *nomine Ecclesiae*, dicitur, *quod ea successor stare teneatur*, (3) sicuti dicitur in *cit. c. vlt.* (4) et bene declarat *Couarr. cit. c. 15. n. 6.* Si Rector alicuius hospitalis (nam bona hospitalis, auctoritate Episcopi constituti, inter pia et ecclesiastica numerantur) *ad annum tantum* constitutus, ipsius fundum locaverit *ad triem*

*triennium*, vel aliud tempus iure conceſſum, obligari *ſucceſſorem* ad locationis contractum ſervandum, quamuis, ſi Eccleſia laeſa ſit, reſtitutionem in integrum petere non prohibeatur. (5)

N O T A E.

1. Si Praelatus non adſtringitur ad conſenſum Capituli ad hoc, vt valide agit ab initio, aut ne actum a ſe poſtea infirmetur, verum eſt hoc: ſecus ſi adſtringatur, et attende *ad cap.* 6. *h. t.*

2. Si conceſſio pertineat *communiter* ad Praelatum et Capitulum, non eſt quaeſtio (quantum ad eum) an Capitulum *rationabiliter* contradixerit, nec ne: ſed hoc diſcutiet Superior.

3. Immiſcetur hic *aliena* quaeſtio.

4. Videl. *ne praelati vices ſuas &c.* quod de *ſucceſſore* perſonae contrahentis nihil habet.

5. Non mirum, quia ſolus eſt Hoſpitalis Rector, et iubetur elocanda elocare nomine illius.

Aduertendum tamen, quod in *Concilio Tridentino Seſſ. 25. c. 11. de reformatione* (1) prohibitae ſint *illae locationes*, quae fiunt ad *plures* annos *per anticipationem* penſionis, eo quod in ſucceſſoris detrimentum, ſi interim Praelatus locans moriatur, cedere ſoleant.

N O T A.

1. Hoc quidem verum eſt, ſed eſt peregrinatio extra punctum noſtri textus.

*Dico tertio.* Si reditus ex fundo ad *Praelatum*, ſeu *menſam eius proprie* ſpectent, *non requiſito Capituli conſenſu*, conceſſionem, ſeu locationem facere poteſt pro tempore vitae ſuae, *arg. cap. veniens 8, ubi Abbas num. 1., de transactionib., et idem Abbas hic num. 7.* Ratio dari debet, quia nullum contrahitur periculum, ſeu Eccleſiae, ſeu Succeſſori, quia *locatio exſpirat per mortem concedentis*, ſeu locantis, cum ſit *perſonalis*, ſeu dependens a vita concedentis, tanquam uſufructuarii. Vide, quae docui *in cit. c. veniens*, et *lib. Moralis Theologiae. tract. 4. c. 10. n. 9.* et videri poteſt *Alexander de Naevo ſuper Abbate in cit. c. vlt. ne Praelati vices ſuas* (1) *&c.*

N O T A.

1. Hic nos iterum ducit Repetens in caſum a *textu alienum*, videlicet, vbi non imminet facienda *conceſſio*, quae ad Praelatum et Capitulum *communiter* pertineat, ſed *perſonalis* eſt, ideoque cum perſona locante exſpirat.

Omnia
autem probate: quod bonum eſt, tenete.

*S. Paulus I. Theſſal. V. 20.*

Animad-

## Animadversiones Editoris.

Ad §. II. N. IX. *Cap.* 3. *de Feriis* ab Auctore hic citato indulget *Alexander III.* ut paroecianis liceat diebus dominicis et aliis Festis praeterquam majoribus anni, si *alecia* terrae se inclinaverint, eorum captioni intendere. In *Cap.* 6. ut hi, qui tenentur ad poenitentiam in pane et aqua, panem vero, quo vescantur, non habent possint leguminibus aut piscibus, aut aliis cibariis refici, si necessitas id exposcat, dumne his utantur ad delicias. Inscriptionem vulgarem erroneam esse, nec recte a GONZALEZ pro *Triburiensi*, substitui *Trevirensi* jam animadvertit Auctor; cui adde, quod teste Cel. NELLERO *in Exercit. Jurid. ad* 10. *Jul.* 1771. Codex unus MS. Bibliothecae S. *Simeonis* Trevir. habeat *Tribunensi* Archi-Episcopo: *Corpus Juris Pithoeanum* notat in plerisque Codicibus legi Episcopo, non Archi-Episcopo. Verosimilius est legendum esse: *Wiburgensi Episcopo* in Chersoneso Cimbrica, hodie Jutia Regni Daniae provincia, Suffraganeo Lundensis olim Archi-Episcopi in Scania provincia hodie a Dania avulsa, cujus uti et *Ablburgensis* Episcopi Dioecesin haleces ex mari Bothnico aut etiam Arctoo prorumpentes per Sinus Codanum et Limicum ingrediuntur.

*Ad ejusdem §. N. XX.* Huc facit, quod illustrat MURRAY *in Antiquitatibus Septentrionalis et Britannicis et Hybernicis inter se comparatis*, cujus opus ipsum cum mihi ad manus non sit, addo, quae breuiter habentur in den Göttingischen Anzeigen 138. Stück 1774. ab Alfredo Rege divisam esse Angliam in majores et minores districtus, qui *Syre*, *Hundari* vel *Wapentak* et *Thyting* vocabantur. Affinis divisio elucet ex *Slesvycorum Hardis*, *Harden*, *Danorum Herredis*, et *Suecorum Haerradis*. Circa Upsalam ipsum nomen *Hundari* adhuc residuum esse idem inquit: ita et porro existimat nomina districtuum majorum in Uplandia, *Attunda*, *Tiunda*, *Fierdhunda* rite referri ad numerum *Hundariorum*, der *Hundari*, ex quibus conflati erant. *Decurias* aut *Decimas* ulterius divisas fuisse in *Septenas* et *Quintanas* ex WENDELINO notat ECCARD *ad Legem Salicam p.* 87. quae in Consuetudinibus Bituricensibus et Andegavensibus vocantur *Septaines* et *Quintes*, inde quoque *Septenarii* et *Quintenarii*; de *Centenariis* Germanorum, quidque de derivatione *Zentgraviorum* hodiernorum et *Zentenis* aut *Centenis* ex *Centenariis* Germanorum veterum sit sentiendum vide apud *eundem l. cit.*

*Ad ejusdem §. N. XXVII.* Eadem comparatio instituitur in *Formulis antiquis Alsaticis* apud ECCARDUM extantibus l. c p. 234. form. 3. vel potius ECCARDUS hanc formulam ex *Strabone* ab Auctore allegato desumpsit; aut quisquis eas *Marculphianis* in Codice antiquissimo et probae notae, ut animadvertit, praefatio Parisina adjunxit.

# XI.

## JOANNIS NEPOMUCENI ENDRES

SS. Theol. et U. J. D. in Univ. Wirceb. SS. Can. Prof. Publ. et Ordin. &c.

DISSERTATIO
JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI
DE

# VERO ET GENUINO LIBERTATIS ECCLESIARUM GERMANIAE FUNDAMENTO.

*Wirceb.* 1774.

## *CONSPECTUS ET ORDO TOTIUS DISSERTATIONIS.*

I. *Enumeratis diversis* Libertatis Ecclesiasticæ *speciebus vera ejus notio præfigitur.*

II. *Libertas* externa *Divino Jure constituta in causis spiritualibus removetur.*

III. *Tanquam Privilegiis haud accensenda.*

IV. *Nisi quoad effectus quosdam Civiles atque Politicos ex officio tamen Principum debitos.*

V. *Altera in negotiis temporalibus sedulo separanda: non separantium vero abusus in Ecclesiæ ipsius perniciem.*

VI. & VII. *Non minor eorum abusus, qui causas sive negotia separant, Juri tamen Divino, aut saltem Ecclesiastico hujus primævam originem indiscriminatim asserunt.*

VIII. *Excessus ex adversa parte libertates has Ecclesiæ impugnantium.*

IX. *Ex*

. *Ex Jure Ecclesiastico primæva libertatum Ecclesiæ externarum in temporalibus origo haud derivanda statuitur, sed ex favore Principum.*

*Quin potestati legislativæ Ecclesiasticæ, aut ejus Constitutionibus inde injuria irrogetur.*

. *Singulorum proin Regnorum systemati accommodatam esse oportet.*

I. *In Germania non tam ex Jure Civili Justinianæo, quam ex propriis legibus repetenda.*

II. *Sunt hæ Capitularia authoritate Regum cum consensu non tantum Procerum, sed & populi condita.*

V. *Quorum condendorum modus authoritatem Regiam tanquam veram libertatum Ecclesiæ originem demonstrans ex Concilio Moguntino anni DCCCXIII. illustratur.*

V. *Omnes libertatis Ecclesiasticæ partes iisdem comprobantur.*

VI. *A successoribus posthac identidem confirmatæ,*

VII. *Quorum Politia, non obstante Regni divisione, ad Germaniam attinet.*

VIII. *Sub Germanis Imperatoribus continuata usque ad* HENRICUM II.

X. *Post dissidium Sacerdotii & Imperii diserte per* FRIDERICUM II. *innovata, cujus Constitutiò ab objectionibus vindicatur.*

X. *Eadem* CAROLI IV. *Constitutio in nullo requisito deficiens plenissime defendit, in posterioribus Imperii Ordinationibus confirmata,*

XI. *Per Concilia ex jussu Imperatoris per Imperium promulgata.*

XII. *Major ejusdem declaratio & ampliatio pro exigentia temporum* SIGISMUNDO *Imperatori in acceptis refertur.*

XIII. *Mutatus Imperii status eandem non sustulit,*

XIV. *Sed inde Imperatori speciatim Jus Advocatiæ Ecclesiarum Germaniæ reservavit.*

XV. *Quin tamen hæc Juribus Statuum hodiernis, sive Comitialibus, sive Territorialibus præjudicet.*

XVI. *Imperii pro libertatibus Ecclesiæ cura luculentissime ex temporibus Reformationis sic dictæ aut dissidiorum Religionis illustratur.*

XVII. *Inde obmoveri solitum Status in Statu argumentum congrua responsione refellitur.*

XXVIII.

## §. I.

Vastissimus est LIBERTATIS ECCLESIASTICAE ambitus, ut sub uno hoc nomine pro rerum causarumve & temporum diversitate quam plurima ac diversissima Jura aut privilegia comprehendi possint. Omissa enim libertate *interna* per JOANNEM a) a CHRISTO asserta & per Apostolum

a) Evang. JOAN. Cap. 8. Vers. 36.

m PAULUM exposito Saræ & Agar typo b) deprædicata, qua CHRIS-US a peccati servitute, & a Mosaicæ legis observatione, tanquam jugo in-lerabili, nos liberavit, eam tantum consideramus, quæ ad statum Ecclesiæ *ternum* pertinet. Atque ita etiam constricta in diversos etiamnum significa-s diffunditur. Liberam quippe populi ad Cultum Dei & Episcoporum ad 'nodos conveniendi facultatem & munerum quoque immunitatem EUSE-IUS, OPTATUS & cæteri antiquiores libertatem vocavere.

Unde tandem effectum, ut privilegia Clericis aut Ecclesiis indulta Liber-tes dicerentur, ut passim in Capitularibus Regum & Imperatorum Carolin-corum, aliisque Tabulis antiquis videre est.

Quin & privilegia Monasteriis concessa Libertates Monasteriorum dice-ntur, ut ex MARCULFI formulis cæterisque Libertatum aut Privilegio-m Diplomatis constat.

Quantum proinde ista sese diffundunt, tantum libertas se extendit; unde ia Libertatis Ecclesiasticæ significatio succedit, ad mentem FELICIS III. apæ Romani, in eo potissimum constituenda, *ut Ecclesia sinatur in causis suis opriis regi legibus & moribus, uti judiciis atque privilegiis.* c)

Nec illum etiam Libertatis significatum præterimus, qua Ecclesia ad-rsus ipsosmet Prælatos suos de antiquis Canonibus, moribus, aut Privile-is excipit, ubi per nova Decreta, aut insolitos eorundem conatus, ac arbitra-as innovationes, vel etiam sæcularis potestatis injustam usurpationem iniqua rvitute premitur. Non minus enim tum Libertas imminuitur, dum sub Sa-rdotii prætextu mundanæ potestatis fastus aut arbitrarius despotismus irre-t, aut Suprematus Politici Jura invaduntur, aut rationabiles consuetudines privilegia Nationis integræ infringuntur.



b) Epist. ad Galat. Cap. 4.

c) Similem notionem suppeditavit jam FELIX III. Pont. Rom. in sua Epist. ad ZENONEM Augustum data, quam P. SIRMONDUS in appendice Cod. Theodos. pag. 128. edidit. PETRUM enim Alexandrinum Episcopum ob hæresin Eutychianam damnaverat, & ACACIUM C. P. a communione sua repulerat, eoquod hic PETRUM prædictum absque Sedis Apostolicæ Mandato anathemate suo solvisset. Legatis vero ob eam rem in Urbem Regiam missis, ab Imp. ZENONE violatis, FELIX de Contumelia illata conqueritur, suadetque Principi, ut damnationi PETRI & ACACII acquiescat his Verbis: *Puto, quod vobis sine ulla dubitatione sit utile, si Ecclesiam Catholicam omni tempore Principatus vestri sinatis* UTI LEGIBUS SUIS, NEC LIBERTATI EJUS QUEMQUAM PERMITTATIS OBSISTERE, *quæ Regni vobis restituit potestatem.*

## §. II.

In tam largo prioris *Libertatis externæ* complexu jure merito causas distinguimus, in quibus ad easdem provocari assolet. Aliæ enim finem spiritualem, Religionem & orthodoxæ fidei doctrinæve prædicationem, curam & regimen animarum, Sacramentorum administrationem, Ministerium sacrum personarum Ecclesiasticarum, earundem ordinationem, Cultum Divinum immediate & intime uniceque respiciunt. De hac Ecclesiarum Libertate in thesi & quoad substantiam suam nulla est inter Catholicos, quos inter scribo Catholicus, controversia.

Quin & superiori ac Divino illam Jure constitutam esse inter omnes convenit. Propria in his Ecclesiæ potestas non tantum interna, sed & externa, tam legislativa, aut directiva, quam coercitiva ex Divina institutione immediate in eandem profluit, utpote necessaria ad Sacri Regiminis, quod ei Deus contulit, executionem. Et utique non potest, nisi ad externum & contradictorium, simulque coercitivum judicium pertinere istud, quod Apostolus TIMOTHEO Episcopo de judicandis Presbyteris præscribit *a*). Hujus sacræ potestatis originem ad unum Deum referunt divinæ Scripturæ: Christus enim gregem suum, quo fideles universi, & Ecclesiastici, & cujuscunque status laici comprehenduntur, cum omnes se Christi oviculas esse glorientur, pascendum & regendum in spiritualibus PETRO tradidit. *b*) Ipse vero PETRUS hac supremi Pastoris accepta Divinitus potestate, minoribus, sibique subjectis Pastoribus præcipit, *c*) Et sacri Apostolatus consors PAULUS Pastorum Ecclesiæ munus non alio refert, quam ad Spiritum Sanctum, quem Deum esse constat. *d*) Munus igitur Episcopis injunctum, non ab hominibus, sed a Deo ipso versatur in eo, ut regant Ecclesiam Dei. Munus vero reliquis omnibus sine ulla exceptione fidelibus, sive publicam, sive privatam personam gerant, demandatum ab ipso Deo, istud est, ut sacros Pastores venerentur, eisque in spiritualibus subjiciantur, & obtemperent. *e*) Hæc sunt indubitata Dei præcepta

*a*) Epist. I. ad Timoth. 5. Accusationem adversus Presbyterum noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.

*b*) JOAN. 21. Pasce Agnos meos, pasce oves meas.

*c*) I. PETRI 5. Pascite, qui in vobis est, Gregem Dei.

*d*) Sic enim illos admonet Act. 20. Attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

*e*) Hebr. 13 Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

cepta, & incommutabilia, planeque indiſpenſabilia inſtituta, quibus nulla poſſit aut hominum temeritas, aut temporum diuturnitas derogare.

## §. III.

Unde, quod in his Eccleſia ſuis ſinatur legibus vivere, ac judiciis uti, nec privilegiis proprie adcenſeri oportet. Niſi privilegium in latiori ſignificatu Jus quoddam præcipuum atque eximium undequaque conſtitutum, aut prærogativam Juris ſingularem atque propriam cæteris non communem intelligas. Ita ipſe quoque Primatus Sedis Romanæ eſſentialis & primigenius privilegium quandoque a Pontificibus ipſiſmet LEONE I., GELASIO, NICOLAO I. cæteriſque dici aſſolet, quod Jus ſit eximium atque præcipuum, a Chriſto licet indultum, per Apoſtolos atque Synodos conſervatum ac propagatum, quod cæterarum Eccleſiarum omnium Juribus præcellat. Et in his cauſis intrinſece ſpiritualibus ad internam animarum ſanctificationem ſeu ad ſpiritum perficiendum ex indole ſua pertinentibus, tamquam *cauſis Dei*, libertatem illam proprie FELIX III. ſupra relatus intellexerat, prout ejus allegandæ occaſio atque reliquus contextus indigitat. *a*) Totus autem in eo eſt, ut graviter hisce in rebus officii ſui Principes, atque præcipue ipſum Orientis Imperatorem adhortetur, ne, cum de fidei negotiis aut *cauſis Dei* agitur, authoritate ſua, quæ in ſubſidium Eccleſiæ illis data eſt, Decretis aut Apoſtolicæ Sedis aut Conciliorum renitantur, atque ita ſibi humanarum rerum faſtigium noverint eſſe commiſſum, ut tamen ea, quæ Divina ſunt, per Diſpenſatores divinitus conſtitutos percipienda non ambigant, & eatenus iisdem neceſſario parendum, aut ſuum præſtandum eſſe auxilium perſpiciant. *b*)

 §. IV.

*a*) Ad cauſas enim Dei eandem reſtringit. Occaſio quippe ad eandem provocandi Eutychianæ hæreſeos condemnatio, ac eapropter cenſurarum inflictio fuerat. Ita enim proſequitur loco ſup. cit. *Certum eſt enim hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, ut cum de Cauſſis Dei agitur, juxta ipſius conſtitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, præferre & ſacroſancta per eorum Præſules diſcere potius, quam docere, Eccleſiæ formam ſequi, non huic humanitus ſequenda jura præfigere, neque ejus ſanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla ſubmittere, ne dum menſura cæleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis.*

*b*) Hac quoque Libertate Eccleſiaſtica in cauſis ſpiritualibus fretus S. GREGORIUS NAZIANZENUS orat. XVII. ad cives timore perculſos ita præſentem Præfectum alloquitur: *Et tu quoque una es Gregis mei ovicula, meæ poteſtati meoque tribunali ex ipſius Chriſti mandato ſubjecta: mea vero judiciaria poteſtas eo præſtantior eſt illa poteſtate, quam geris, quo ſpiritus carni, & cælum terræ præeminet.*

## §. IV.

Si tamen in his effectus quosdam civiles & politicos consideremus; *illos* Jure Divino constitutos haud deprehendimus, nec eos Ecclesiæ ipsi tanquam proprios vindicare possumus; utpote quæ immediate ac Jure proprio eos decernendi authoritate caret.

Unde eos aliunde, potius ex ipsa Principum pietate, accessisse fatemur, atque hoc intuitu Libertas ejusmodi divinitus quidem concessa quoad substantiam, ex parte tamen & quoad effectus suos aliquos, civiles videlicet atque politicos, privilegiata censeri poterit. *a*) Huic tamen Libertati rarius privilegiorum nomen accommodatur, quod privilegii significatio ambigua sit & ad merum favorem liberaliter indultum trahi soleat, substantia vero causarum istarum & Legum Judiciorumque eas concernentium Jure ipso superiori Ecclesiæ competat.

Non

*a*) Exemplum est in Crimine hæreseos. Cujus definitio, cognitio judicialis, pœnarum Ecclesiasticarum inflictio, ad Ecclesiam jure suo pertinet, pœnarum civilium adiectio a Magistratu sæculari superaddita. Anno MCCXXVIII. S. LUDOVICUS constitutionem promulgavit in hæreticos & excommunicatos, qua hæreticos eorumque fautores omnibus officiis & dignitatibus privat, item factione testamenti & omnibus bonis tam mobilibus quam immobilibus; nec non præcipit Baillivis suis, ut apprehendant bona eorum, qui anno integro excommunicati manebunt; & prohibet ista restituere, prius quam absoluti fuerint, sine suo speciali mandato. Quæ constitutio unum est ex illustrioribus, quæ supersint, monumentis pietatis S. LUDOVICI, ejusque zeli, ad conversionem hæreticorum & excommunicatorum correctionem. Concessa sibi divinitus potestate sapiens utitur Princeps, adeo usque, ut hæreticos & excommunicatos bonis exuat, sed una docet nos, sibi persuasum esse, solos Principes hanc pœnam sancire posse. Vult excommunicatorum bona capta manere, donec absoluti fuerint, Ecclesiæque satisfecerint; sed ab Episcopali judicio non pendet, ut ea restituantur. Jubet, ut suum exspectetur mandatum speciale, *nec tum etiam*, *nisi de nostro speciali mandato*.

Similem Constitutionem jam antea ediderat FRID. II. Imp. quæ excusa est ad Calcem Corporis Juris Civilis & relata a Clar. RIEGGERO in Collectionem Corporis Juris Publici Ecclesiastici Germano-Academici.

Alterum Exemplum præbet matrimonium inter Christianos ad dignitatem Sacramenti a Christo elevatum, quod quoad valorem suum internum, Sacramenti gratiam & indissolubilitatem ad legislativam & judicativam Ecclesiæ potestatem ex Divino Jure pertinet. Quod autem per Ecclesiasticas Leges irritata, aut per sententias ejusdem Ecclesiae judiciales dissoluta effectibus etiam civilibus destituantur, ex consensione Principum leges easdem vel expresse vel tacite adoptantium provenit.

Non igitur cum iis privilegiatis libertatibus confundenda venit, quæ in uamplurimis negotiis & Capitibus secundum indolem suam mere temporalius liberali Principum favore Ecclesiæ sunt indulta, satis econtra fit observaniæ singulari, quam Principum pietati Ecclesia semper profitetur, quod hanc per eorum Leges atque brachium sæculare sustentatam atque amplificatam fuisse dicat, quamvis nec isti immemores esse possint muneris illius Protectionis & Advocatiæ cum suprema potestate Politica indivulse in Principe Christiano conjuncti, quod hosce ab iis abstinere illosve denegare haud sinit, in quantum os suo in modo ac mensura honor Dei, puritatis fidei conservatio aut propagatio necessario exigit, nec majoris mali aliunde sive Reipublicæ, sive Ecclesiæ etiam ipsi imminentis metus impedit. b)

## §. V.

Alia est causarum, negotiorum & rerum temporalium indoles, in quibus altera Ecclesiarum Libertatis pars versatur. In his quippe suis frui Juribus, egibus, Judiciis & privilegiis non magis invidendum est, dummodo ad excessum usque haud protendatur.

Horum varios jure non immerito notari fateor. Id unum commemorans, non integro illos Ecclesiasticorum ordini, multo minus Ecclesiæ ipsi sanctissimæ, sed hominum abusui, quandoque videlicet improvido ipsorummet Prælatorum quorundam zelo, si præcipue lumine scientiæ, & prudentiæ Canonicæ destitutus barbariem temporum ducem secutus fuerit, vel Doctorum etiam ignorantiæ imputandos esse. Paucos duntaxat, qui ad rem præsentem faciunt, recenseo. Primum, quod ista in negotiis & rebus mox dictis aut Ecclesiarum aut personarum Ecclesiasticarum libertatis species cum priori in causis Dei mox dicta penitus æquiparari in omnibus velit. Secundus exinde consequus est, quod hanc quoque ex Jure Divino ita statutam, concessamque Ecclesiæ asserere quamplures conati sint, ut nec Principum favore aut privilegio ullatenus indiguerit. Aut demum, si immediate ex lege Divina haud descendat, ita tamen Ecclesiæ eandem præcipiendi suis legibus authoritatem a Deo concessam fuisse, ut sola summum quemque Principem obsequendi gloria, nulla im-



b) Tanquam debitum officii hoc a Principe suo sive Imperatore exegerunt Patres Ecclesiæ Germanicæ in Concilio Moguntiæ. Anno DCCCLVII. congregati in Epist. ad Ludovicum. Ubi inter alia dicunt: Zelo Dei opportet vos defendere Ecclesias Christi, qui vobis Regnum in terra & dominationem tribuit, adductisque postea exemplis priorum Imperatorum ad id excitant.

Concilium vero Parisiense sextum An. DCCCXXIX. ita cohortatur: Cognoscant Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt,

imperandi poteſtas manſerit; qui omnes, ſi non verbis forſan, certe re ipſa in eo demum ultimo conſpirant, ut eo uſque perperam Eccleſiarum libertatem porrectam velint, ut omnem omnino in perſonas & res Eccleſiaſticas authoritatem ſummo Principi adimant ac denegent. Certiſſima quippe eſt regula ex FELICE III. ſuperius *a*) adnotata, Libertatem Eccleſiæ in eo verſari, ut legibus ſuis utatur, atque hanc Eccleſiæ a Deo indultam, imo pretioſo Chriſti ſanguine redemptam eſſe. Illum vero ad *cauſas Dei* eandem reſtrinxiſſe haud prætermiſimus, & in hiſce ille, quo utebatur, zelus juſtiſſimus a quocunque juſto rerum arbitro exiſtimabitur. Sed ſucceſſores quidam eam libertatem ad Inveſtiturarum in baculo & annulo, & conſuetum eo tempore recognitionis feudorum Regalium per Juramentum profitendæ modum Prælatorumque nominationem extenderunt. Quo factum eſt, ut Sacerdotium & Imperium inter ſe commiſſa ſint, populique Chriſtiani in Europa diriſſimis & diuturnis bellis lugubriter attriti; cum Pontifices pro libertate Eccleſiæ reſtituenda, Imperatores vero pro Juribus Imperii retinendis contenderent. GREGORIUS certe VII. in diſſidio cum HENRICO IV. paſſim libertatem Eccleſiæ obtendit. *b*) Nec alia PASCHALI II. ſententia ſedit. *c*) Ad eorundem mentem GOFFRIDUS quoque Vindocinenſis *d*) multus eſt in ea controverſia, ut libertatem Eccleſiæ, quam profectam contendit a Chriſto, commendet ac tueatur. *e*) Zelo equidem hic poſtremus uti videtur æque præfervido, nec luce ſcientiæ magis illuſtrato, quem tamen practica quadam prudentia moderari magis ſtuduit funeſta jam rerum ſubſequi & ſui temporis experientia edoctus. Sapienter quippe monuit, his contentionibus magis minui libertatem Eccleſiæ, ideoque maxime cavendum, ne nimis præfracte exigatur, nec facile ad cau-ſas

*a*) In §. I. & III.

*b*) Lib. 9. Ep. 3. ait: Nobilius eſſe dignoſcitur, multo tempore pro libertate ſanctæ Eccleſiæ decertare, quam miſeræ ac diabolicæ ſervituti ſubjacere.

*c*) Teſtatur SUGERIUS Abbas in vita LUDOVICI ita illum referens: Eccleſiam pretioſo Jeſu Chriſti ſanguine redemptam & liberam conſtitutam nullo modo ancillari opportere.

*d*) In Opuſc. ad CALLIXTUM Papam Cap. 6.

*e*) Verba hæc ſunt: *Quando Eccleſia ſeculari poteſtati ſubjicitur, quæ ante Domina erat, ancilla efficitur, & quam Chriſtus Dominus dictavit in Cruce, & quaſi propriis manibus de ſuo ſanguine ſcripſit, chartam libertatis amittit. Hanc enim Libertatis chartam Chriſtus vindicavit in Cruce, & ſuæ ſponſæ Eccleſiæ per ſemetipſum dedit; ut homines alios per peccatum factos diaboli ſervos, ipſa libera liberos & Dei filios faceret, & ſuos, qui ſibi diligenter ſervirent, & tanquam bonæ Matri devoti filii obedirent.*

sas Dei trahi oportere ea, que Politicum quendam, ut Investitura, intuitum involverent. *f)*

## §. VI.

Ad eundem, quem GOFFRIDUS provide prætimuit, scopulum multo fortius allidunt ii, qui causarum quidem & negotiorum, uti & diversi, quem Personæ Ecclesiasticæ & Ecclesiæ ad utramque Rempublicam, sive sacram, sive profanam habent, intuitus distinctione animadversa, in ipsis adeo his temporalibus negotiis, quæ Principum tanquam Dei Ministrorum & Vicariorum curæ Divinitus commissa noscuntur, libertati Ecclesiarum Divini Juris originem immediatam asserunt, itaque eo constitutam tuentur, ut nec Principum pietati aliquatenus debeatur. Personæ Deo specialius dicatæ characterem sacrum eo extollunt, ut non tantum sub omni intuitu eandem omni potestati profanæ subtrahant, sed & adhærentia iis temporalia, tanquam accessoria, eandem sequi inferant, & vicariæ Dei potestati sacræ sive Ecclesiasticæ addicant.

Quantum hæc inferendi & concludendi ratio ab omni solida Philosophia Christiana aberret, nolim prolixius attingere. Eruditis sane Politicis, queis mundus abundat, quibusque aures meliori nunc Philosophiæ assuetæ sunt, absurda hæc merito audiunt; dum aliam in Politicis practicisque argumentandi rationem, quam in Philosophicis argutiis desiderant. Lucrum ego, quod exaggerationibus suis argutis, aut tenaci exactioni correspondere hactenus senserunt, hisce Doctoribus expono. Certe non aliud se persensisse testari poterunt, quam ut excitata eorum, qui Summis Principibus assistunt, suspicione parciores eos nunc & retinentiores in substantialibus experiantur, in accessoriis vero reliquis invidiosos atque inexorabiles, in aliis solo usu & consuetudine aut antiqua conniventia nixis exactos atque oculatos Argos. Avidis occasionem ipsi sponte suppeditant, & colorem, quo hanc Ecclesiæ libertatem impugnare possint, ac totalem etiam abolitionem persuadere, ingratitudinem iis imputando, qui eam sibi de Jure adeo Divino debitam asserunt, ut nec Principum & Potestatis civilis favori in acceptis referant, quæ sola ingratitudo alias justam retractationis privilegiorum causam constituat. *a)*

§. VII.

*f)* Cap. enim. 4. loc. cit. ita inquit: Nam Rex & Romanus Pontifex, cum unus contra alium, alter pro Regni consuetudine, alter pro Ecclesiæ Libertate erigitur; Regnum illam consuetudinem obtinere non potest, nec poterit, & Ecclesia suæ libertatis amittit plurimum.

Inferius autem practicam inde conclusionem deducit: Habeat Ecclesia suam libertatem; sed summopere caveat, ne, dum nimis emunxerit, eliciat sanguinem, & dum rubiginem de vase conatur eradere, vas ipsum frangatur.

*a)* Conf. Veremunds von Lochstein Gründe sowohl für als wider die geistliche Immunität in zeitlichen Dingen.

Bar-

## §. VII.

Nec melius rei communi Ecclesiæ consulunt, qui Juri quidem humano, Ecclesiastico tamen ac præcipue Pontificio primam ejus originem adstruunt. Magnam hi utriusque potestatis distinctæ a se invicem in Republica Christiana confusionem inducunt, dum suos neutri limites servant; in sequela vero Ecclesiarum & Personarum Ecclesiasticarum plenariam in temporalibus independentiam a statu profano evitare nec possunt nec volunt. a) Gravius hi & veritatem & suprematum Potestatis Politicæ suo in ordine Divinitus institutæ ejusque tranquillitatem ac felicitatem offendunt.

Nihil quippe periculosius Statui supremo cogitari potest, quam præcipuis quibusdam ejus membris & civibus omnimodam ab ejus legibus independentiam asserere, eorumque subordinationem tollere, qui Religionis intuitu reliquorum civium animos, adeoque & quietem ac tranquillitatem Status in suis gerunt manibus, ac medullam quoque tritici magna ex parte comedunt, æqualem prorsus protectionem aliaque emolumenta publica percipiunt, peregrino haud absimiles, qui in domum benevole a patrefamilias receptus filios præpedit, societatis autem œconomicæ bonum aut leges ad se nullatenus attinere existimat.

Hoc sane, quod majus est, in idem recidit, ac statum quendam independentem in statu asserere videtur, quod tanquam monstro simile sana Philosophia abhorret. Abhorruerunt & Principes in Ecclesiam licet religiosissimi æque ac liberalissimi, qui in tanta latitudine suam abdicare penitus authoritatem ac suprematum in cives quosdam nec potuerunt nec voluerunt.

Ecclesia vero, cujus Jurisdictionis sphæra eo usque se haud extendit, nunquam affectare præsumpsit. b)

§. VIII.

Barbariei sæculi, & stultæ animorum aversioni per infelix dissidium Sacerdotium inter & Impêrium inductæ adscribitur, quod Collectores Canonum sæculi XI., ut Burcardus & reliqui, Imperatorum piissimorum Carolingicorum, quorum Capitularia excerpserunt, nomina laudare dedignati sint, indeque Gratianum sui imitatorem in varios errores falsasque Conciliorum nullibi celebratorum allegationes induxerint. Indignam nostro sæculo simile m ingratitudinem, nemo est, qui non abhorreat.

a) Bellarmini hac in re industria infeliciter collocata & a Barclajo castigata publico literario alioquin satis constat.

b) In hoc sane systema jure merito corruunt tela illa omnia, quæ a Protestantibus Juris Consultis fama alias celebratissimis adversus Potestatem Ecclesiasticam suam intra sphæram a sæculari distinctam frustra evibrantur a Sam. Puffendorff de habitu Relig. ad vitam civ. & Joann. Gottl. Canzio in Monstr. politico detecto.

## §. VIII.

Iliacos intra muros peccatur & extra. Ex altera enim parte non minus irrationabilis æmulationis suspicio se prodit, dum, qui nescio, abusus exaggerantur, & qui hominum eorumque paucorum aut vitio aut ignorantiæ debentur, ipsi Ordini aut Ecclesiæ adeo, pietatis, æquitatis ac reverentiæ in Principes semper cultrici, perperam imputantur; dum theoreticæ quædam Scholarum opiniones, quas tanquam ineptias alii Doctores æque Ecclesiastici derident, ac totis viribus impugnant, & Prælati practicis applicationibus omnino destituunt, in vitium morale, aut in gravem turbatæ quietis & felicitatis publicæ violationem pœnis quibusque universalibus vindicandam detorquentur, dum Magistratus quisque inferior aut Judex, cujus est secundum leges hactenus receptas judicare, facultatem sibi sumit de iis judicandi, & , quantum potest, Ecclesiarum libertatem invadendi; dum excessus excessibus compensantur, & augentur. Sicut enim vitio non immerito Ecclesiasticis quibusdam Doctoribus vertitur, quod, uti antea animadversum fuit, libertatem omnem Ecclesiasticam in latissimo suo ambitu comprehensam absque ulla causarum & negotiorum distinctione Divino Jure constitutam asseruerint; ita in aliud quoque extremum non minus enorme perperam falsa veris miscendo ex parte adversa deflectitur, dum eadem Ecclesiarum libertas non tantum Jure Divino non constituta asseritur, sed eidem adeo & omni sanæ rationi ac naturali æquitati adversari & repugnare jactitatur; quo asserto omni congruentiæ rationis, exemplis in sacro Codice relatis tam Principum ipsorummet Gentilium, quam Dei Rempublicam quondam Judaicam sapientissime moderantis, communi omnium ætatum ac temporum, Legislatorum sapientissimorum, ac universi Orbis sensui præfracte contradicitur.

## §. IX.

Nolim ego priorum illorum numero adcenseri, qui merito tanquam cæco propriorum emolumentorum studio abrepti aut domus suæ amore præoccupati, & inter eruditos etiam verorum limitum utriusque Potestatis sacræ & Politicæ ignari redarguuntur, quique Jurisdictionem fori contentiosi cum integro Superioritatis & Imperii complexu inepte confundentes libertatem a foro civili contentioso, quæ privilegiis præter primævum Jus Naturæ & Gentium, nec a Christo per legem suam Evangelicam immutatum, indulta fuit, pro plena totalique independentia interpretantur, aut ex priori, tanquam parte, eaque facile separabili & multoties separata, ad alteram, tanquam totum, inciviliter concludunt, quod concedentes penitus abdicare nec voluerunt, nec potuerunt. Illud etiam ingrati animi vitium detestor, quo nec Religiosissimi Principes tanquam veri Libertatis hujus autores laudari volunt, nec liberalis in his

his eorum munificentia pietasque agnosci. Potius profiteor, si Principes supremi non voluissent, nec in Ecclesiæ potestate fuisse positum, eandem per leges proprias, utpote ultra sphæram sibi propriam, constituere, aut ausu proprio sibi sumere. Secus, qui statuunt, in conclusiones quasdam multo longinquiores, quam ipsi velint, protruduntur. Necesse enim esset, eos fateri, potestatem temporalem in spirituali contineri; & quod consectaneum est, Ecclesiam & Pontifices supremam in omnibus Regnis Christianis authoritatem temporalem sibi vindicare posse; horum autem Dominos nihil esse nisi Delegatos, qui sub authoritate Pontificum eorum jussa exequerentur, nullo vero suprematu potirentur. Ii enim, qui circa res temporales a legum observantia eximere possunt, circa eas etiam leges condunt, quæ sint norma populorum, & quas Imperia eorumque Domini mutare nequeant. Ii, inquam, procul dubio rerum supremi essent administratores aut Moderatores ac Directores potestatis temporalis. Alia quippe nunquam fuit supremæ potestatis & dignitatis idea, adeo, ut omnes Reges etiam sanctissimi & zelotissimi nihil aliud essent in sua Ditione, quam quod est Romæ Gubernator aliarumve Urbium aut Provinciarum Præfecti, quarum Pontifex est Dominus. Quid? quod ex horum principiis sequitur, nullum esse Concilium Provinciale, neque etiam Episcopum, qui in temporali administratione non sit supra Reges; possent singuli abrogare leges Principum, unusquisque in ea, cui præest, provincia. Sequelæ profecto, queis paucissimi Antipatroni hodierno sæculo suffragari, suumque apponere calculum audebunt.

## §. X.

Neque tamen magnam propterea legum Ecclesiasticarum, Canonum, partim Conciliarium, partim Constitutionum Pontificiarum, Decretalium præcipue moderno Corpori Juris insertarum molem tanquam nudam potestatis sæcularis usurpationem arguere, aut suam iis obligandi vim atque efficaciam derogare animus est, uti nonnemo ex sola Thesi abstracta, priori numero asserta, perperam inferre ausus est, aut posthac forsan auderet. Omnino vero inter eas distinguimus, quæ quandoque Principum supremorum constitutiones his super rebus præcesserant, & inter eas, quæ easdem jam conditas fuerunt subsecutæ.

Priores videlicet pia duntaxat consilia fuerunt a Patribus, qui Conciliis interfuere, quique ea media ad fidelium sanctificationem, ad Religionis propagationem & conservationem, Cultus Divini augmentum, Ministrorum reverentiam & populorum salutem utilia duxerunt, Regibus aut Summis Principibus proposita eo fine, ut suam illi authoritatem impertirentur, atque ea in leges publicas converterent, nisi malum quoddam imminens, quod inde Respublica sentire posset, superaret bonum, quod Ecclesiæ inde ad finem suum essen-

essentialem & internum sperabatur. Nullatenus Pastores sibi arrogarunt, ut immediate authoritate sua ad vim & efficaciam Legum quoscunque Cives & Magistratus civilis administros aut subditos obligantium sua illa consilia aut media bene visa evehere possent.

Posteriores vero eo tendunt, ut, quatenus poterant, executionem Legum supremorum Principum Christianorum, quas utilissimas ad fines Ecclesiasticos perspexerant, ideoque cum gratiarum actione acceptaverant, atque in vim legis quoque Ecclesiasticæ adoptaverant, procurarent, ac pœnis etiam Ecclesiasticis, quæ in eorum fuerant potestate, urgerent jure defensionis, quod cuique etiam privato adversus injustum invasorem haud est interdictum.

Adversus inferiores proinde quoscunque & subalternos adeo Magistratus ac Judices hæ in vim etiam legis præsupposita Principum concessione se exerunt, dummodo Supremos ipsæ Principes independentes non comprehendant.

Nam hos in causis Dei Libertatem Ecclesiæ revereri debere tanquam subditos superius commonstratum fuit. In causis vero temporalibus, quæ Antecessorum suorum favore concessa sunt, licet nec ipsi temere revocare debeant, vix tamen est, ut eandem pœnarum severitatem approbari liceat, per quas ejusdem favoris continuatio ex stricta legis necessitate exigatur; prout nec Ecclesia unquam exegisse videtur, cum Canones ipsa suos pænales in Conciliis adversus hos non extenderit. a)

Aliæ item sunt, quæ licet inter leges Ecclesiasticas referantur, non tamen Ecclesiasticam potestatem, sed Politicam reapse autorem habent. Tales permultæ sunt, quas Principes in Comitiis Episcoporum aliorumque Magnatum Ditionis suæ constituerunt, quæque vulgo Canones vocantur, quamvis authoritas legislativa Ecclesiæ in eis haud intervenerit, & Principes solummodo consuluerint Episcopos velut Viros præ aliis Regnorum Proceribus magna prudentia & summa probitate commendatos. Concilia quandoque vocabulo Ecclesiastico vocantur, quæ reapse Regnorum Comitia fuerant. Plura eorum in Præfatione æque ac in decursu Canonum indicant, qualis quantaque & unica Regum in iis fuerit authoritas. Si vero plura sunt, in quibus ita diserte non

 effer-

a) Exemplo esse potest provida illa moderatio, qua Ss. Concilii Tridentini Patres in Sess. 25. Cap. 20. de Reform. super hoc Immunitatum Ecclesiasticarum argumento utuntur, dum comminationibus aut pœnis adversus Principes haud detonant, sed elocutionibus reverentia, modestia, ac fiducia plenis Principes sui tantum officii admonendos censuerunt, ne Immunitatem Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum a suis Officialibus, aut inferioribus Magistratibus & subditis, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua, violari permitterent.

effertur aut afferitur, Decreta ex authoritate Principum profecta esse; nec alia tamen his etiam opinio fuit ex ipsa ea celebrandi ratione & rerum indole satis perspecta. Aliæ demum sunt, quæ ab Episcopis & summis Pontificibus ipsismet suprema simul authoritate temporali præditis proficiscebantur, quæ cum Canonibus Ecclesiæ vulgo confusæ reperiuntur. Hæc ratio inter eas non infima numerari potest, quare non tantum Pontifices, sed & Concilia in Occidente, in Germania ac Romæ præcipue habita plus quidpiam circa res ejusmodi statum etiam Politicum cum Ecclesiastico implicantes sibi sumpserint, quin primario semper intenderint, ut omnes ejusmodi Canones omnium Statuum Christianorum leges evaderent, nisi vel Summorum Principum jam consensum præcessisse nossent, aut hunc eorum præsentia vel per se vel per Legatos in Conciliis diserte explicatum obtinerent, aut de subsecuturo admodum confiderent, quem ipsa dein Legum ejusmodi receptio ac diuturna observantia testata fuit.

## §. XI.

Non unam proinde esse libertatis Ecclesiarum in rebus temporalibus privilegiatæ faciem, eandemque, latitudinem in omnibus Nationibus, sed pro temporum & locorum Regnorumve vicissitudinibus eam variare potuisse, ex his facile consequitur. Cum enim Imperium sit in Ecclesia, & Ecclesia quoque sit in Imperio, rationes utriusque & utilitates intime sunt inter se religatæ, ut separari a se invicem haud possint. Eandem proinde, prout ad statum Imperii Romano-Germanici accommodata est, considerare sufficit, quin ad primæva Ecclesiæ Christianæ incunabula redire, aut ad alias extra Germaniam Nationes respicere opus sit.

## §. XII.

Ipsam ejus originem in Germania firmo satis fundamento principiis præstructis maxime conformi inniti indubitatum est. Neque enim hic ad solum Jus Romanum Civile sive Justianæum recurrendum nobis est.

Quippe infirmum hoc permultis præsidium esse videtur, &, spectata primæva ejus origine, reapse est. Neque enim circa Politicam Germaniæ nostræ administrationem Imperatores Orientis normam legemque dare potuerunt. At vero ex mero recepto illud obligandi vim habere, inter omnes convenit. Unde quemcunque Legislatorem aut Statum Imperii eidem per leges proprias Provinciales contrarias derogare posse, necessario consequitur. Spontanea quippe illius receptione suas sibi manus ligare voluisse nemo præsumitur. Atque ipsa illa receptio potius tacite, & per Doctorum in Scholis traditionem & provocationem, ac succedaneam Tribunalium Judicumque applicationem observantiamque sensim propagata fuit, quam per Ordinationes disertas singulorum Territoriorum stabilita.

Sin-

Singularis vero in Ditionibus Statuum receptio dudum præcessit, dum demum universalis illa pro Imperio & supremis Tribunalibus ejusdem adoptatio ad dijudicandas privatas controversias per Ordinationem Cameralis Judicii a MAXIMILIANO I. Imperatore constitutam subsequereretur. Multo sane antiquius sanctiusque Germanorum Principum Religioni ejusdem Libertatis Ecclesiasticæ fuit auspicium.

Nec alienos sequi nutus maluerunt, quam propria potius in Deum ejusque Ecclesiam pietate duci. Nam, quamvis LYMNAEUS *a*) asserat, sub Francis Regibus Civitates quasdam Galliæ & Germaniæ Romanis legibus usas fuisse, ejusque rei argumenta quædam se reperisse existimet ex AGATHIA *b*) ejusque Interprete BONAVENTURA VULCANIO & ex Capitularibus LUDOVICI, *c*) ubi Lex Romana omnium humanarum legum mater laudatur. Certum tamen est, Legis Romanæ nomine Codicem tantum THEODOSIANUM intelligi, non vero JUS JUSTINIANAEUM, *d*) quod in Gallia receptum non fuit, quia jam tum Galliæ desierant esse sub Imperio Romano occupatæ a Gothis Francis & Burgundionibus. Deinde usus illarum legum fuit particularis, ad universam Galliam & Germaniam haud pertinens. *e*) Qui vero posthac in rebus Ecclesiasticis imitatione quadam obtinuit, ipsimet Francorum Regum & Imperatorum pietati in acceptis est referendus.

 §. XIII.

*a*) Ad Capit. CAROLI V. §. 132.

*b*) De Imp. & rebus gestis Imp. JUST. Lib. I. Verba sunt: Et politia utplurimum utuntur Romana & legibus iisdem, eandem etiam contractuum & nuptiarum rationem & Divini Numinis cultum tenent.

*c*) Lib. 4. Addit. Cap. 160.

*d*) GREGORIUS Turonensis Episcopus Lib. 4. Hist. Cap. 41. sub Rege Francorum SIGEBERTO laudat ANDARCHIUM Legis Theodosianæ libris arteque calculi apprime eruditum.

*e*) Eo pertinet, quod in Capitulis CAROLI CALVI Tit. 31. c. 20. est: In illis autem Regionibus, in quibus secundum legem Romanam judicantur judicia, juxta ipsam legem committentes talia judicentur, quia super illam legem, vel contra ipsam legem nec antecessores nostri quodcunque Capitulum statuerunt, nec nos aliquid constituimus. Hujusmodi varietatem jurium causam fuisse iniquitatis in judiciis Comitum, conqueritur HINCMARUS Archiepiscopus Remensis his verbis: Quando sperant aliquid lucrari, ad legem Romanam se convertunt: quando vero per legem non æstimant acquirere, ad Capitula (CAROLI MAGNI & Successorum) confugiunt; sicque interdum fit, ut nec Capitula plene observentur, sed pro nihilo habeantur, nec Lex.

## §. XIII.

Nullæ certe magis ſunt patriæ propriæque Germanis, nullæ itidem omnibus magis communes leges, quam eæ olim per Capitularia Imperatorum Carolingicorum, quibus cum Francia Germania noſtra ejusdem tum ſyſtematis publici conſors paruit, conditæ, queis & Epiſcopi & alii Regni Proceres congregati conſilium, populus conſenſum & acceptationem, Duces Comitesque executionem miniſterialem, Imperatores vero plenam impertiri ſolebant authoritatem.

Modus eadem condendi notiſſimus id ſatis denotat. In his ea omnia, quæ ſive Politicum ſive Eccleſiaſticum Regimen reſpiciebant, pertractabantur. Præcipue recta Eccleſiæ in externis gubernatio Statum totius Germaniæ attingere exiſtimabatur, indeque omnibus communis in his norma communi omnium conſilio ab Imperatore præſcribi voluit. *a*) Novimus autem in his conventibus adfuiſſe cum ipſo Imperatore Epiſcopos & cæteros fideles, Abbates nimirum, Duces, Comites, aliosque Proceees. *b*) Nec defuerunt etiam inferioris Ordinis ſive Clerici ſive Laici; eo tamen ſervato diſcrimine, quod Epiſcopi quidem, Duces ac Comites conſiliis ſuis omnia diſponerent ac regerent; Alter vero Cleri Ordo & Laici, quæ decreta fuerant, addiſcerent, nonnunquam, ut ſalubriter quid monerent, potiſſimum tamen, ut, quæ exequenda ſibi forent, pernoſcerent. *c*)

Por-

*a*) Hinc CAROLUS CALVUS in Cap. Anni DCCCLXXVII. apud Cariſiacum Cap. 2. ea ab omnibus ſervari ſtatuit, quæ communi omnium conſenſu ab ipſo tam pro ſtatu & munimine S. Eccleſiæ & Miniſtrorum ejus, quam pro pace & juſtitia populi ac quiete Regni conſtituta aſſerit.

*b*) Ut legitur in præfatione Cap. ſecundi An. DCCCXIII. CAROLUS Sereniſſimus Imperator Auguſtus a Deo coronatus, magnus, & pacificus cum Epiſcopis Abbatibus, Comitibus, Ducibus, omnibus fidelibus Chriſtianæ Eccleſiæ cum conſenſu conſilioque conſtituit.

*c*) HINCMARUS Remenſis in Epiſt. 3. de Regno & Palatio commemorat Seniores Clericos & Laicos, quos & primos Senatores & Seniores ac præcipuos conſiliarios appellat, & de Conventu vel placito generali ſic refert: *Generalitas univerſorum Majorum & Minorum tam clericorum quam laicorum conveniebat; Seniores propter conſilium ordinandum, minores propter idem* CONSILIUM SUSCIPIENDUM, & INTERDUM PARITER TRACTANDUM & CONFIRMANDUM. Minores vero non tam Schultetos judices vel magiſtratus, quo tendere videtur LEHMANNUS *in Chron. ſuo Spirenſi*; ſed populum univerſum intelligit CONRINGIUS; quod ſolidis ſatis rationibus probat *Exercitat. de Civ. Imp. Germ. §.* 33. Conſpirat & THOMASS. vet. & nov. Diſcip. P. II. Lib. III. Cap. 51. num. 9. Manſuetudinem Imperii Carolingici hoc admodum commendabat, populi adeo conſenſum ad leges exequirere; ſed

Porro HINCMARUS *d*) hos solennes Regni Conventus bis anno quo-
ret haberi solitos fuisse docet. Celebrior frequentiorque erat primus, quod
erque Ordo, ut mox præmissum, simul ex universo Imperio confluerer, at-
ıe hic regimen totius Regni in totum annum dirigeretur. Conventus alter
inus frequens fuerat. Soli ibi Seniores & Principes Consiliarii Regni conse-
runt; atque ibi jaciebantur fundamenta administrationis Reipublicæ ac Eccle-
e in annum sequentem, sive quæ in Conventu generali consultanda erant,
æstruebantur. Præterea in tres Conventus dispertiri solebant, totidem vi-
licet turmas, quas hodie Galli Cameras vocare amant. Unum enim in lo-
m conveniebant Episcopi, Abbates in alterum, in tertium denique Præsides
ovinciarum & Magistratus, Comites ac Judices. Mixta propterea Concilia
ationalia fere referebant, ubi Synodus Episcoporum, Capitulum Monacho-
m, Curia Magistratuum nunc separatim, nunc conjunctim consultabant ad
cclesiæ & Reipublicæ disciplinam regendam vel corrigendam, ut jure merito
erumque nomine Concilii universalis ejusmodi tergeminus Conventus veni-
t, quod nempe Episcopi & Abbates, etsi duos conventus sejunctim celebra-
nt, & tertio quodammodo moderarentur, ut leges Divinæ humanis, ut
rangelica instituta Politicis omnibus antecellunt & aliquando tandem domi-
nan-

sed & libertatum Ecclesiasticarum justitiam inde pariter intelligere, si velint,
poterunt, qui easdem sine populi consensu nec concedi nec istius vestigium
reperiri perperam autumant. Luculentissime porro idem ostenditur ex pri-
mæva legum Germanicarum genesi. Nam in Legum Alemannicarum princi-
pio est secundum antiqua exemplaria: *Incipit lex Alemannorum, quæ tempo-
ribus* CHLOTARII *Regis una cum Principibus suis, id sunt, XXXIII.
Episcopis & XXXIII. Ducibus & LXXII. Comitibus, &* CETERO POPULO
*constituta.* DAGOBERTUS Rex in præfatione Capitularis triplicis A.
DCXXX. apud BALUZIUM. *Hoc decretum est apud Regem, & Principes
ejus, & apud cunctum populum Christianum, qui infra Regnum Merovungo-
rum consistunt.* Capitulare vero tertium An. DCCCIII. Cap. 19. omnes sub-
scripisse refert: *ut populus interrogetur de Capitulis, quæ in lege noviter ad-
dita sunt. Et postquam omnes consenserint, subscriptiones & manuum firma-
tiones in ipsis Capitulis faciant.* Demum eorum promulgatio & executio
committebatur Episcopis, & Comitibus, ac Missis Dominicis testante Capi-
tulari LUDOVICI An. DCCCXXIII. Cap. 24. Hinc in plurima exempla-
ria diffundebantur, ut ea ratione conservari possent, & in publicum emitti.
Quæ omnia pluribus probavit STEPH. BALUZIUS doctissima ad Franco-
rum Capitularia præfatione.

*d*) Conf. HINCMARUS jam supra laudatus in verbis: Consuetudo tunc tem-
poris talis erat, ut non sæpius, sed bis in anno placita duo tenerentur, unum,
quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spatium: quod or-
dinatum, nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toti
Regno incumbebat, mutabat.

nantur. Omnes enim Cameras in unum convenisse conventum narrat HINCMARUS e), ubi præcipue de causis mixtis, id est, partim temporalibus & Civilibus, partim Ecclesiasticis communicato consilio agendum fuerat.

## §. XIV.

Insigne ejus generis exemplum exhibet Concilium Moguntinum sub CAROLO M. Anno DCCCXIII. tres hasce turmas in Præfatione sua enumerans. a) In his Episcopos solos ac seorsim de rebus Ecclesiasticis tractasse palam est, non tamen a civilibus & sæcularibus exclusos; de his enim conjunctim æque cum Comitibus pertractabant. Inde nec mirum est, toties occurrere negotia mere sæcularia in antiquis Canonibus Conciliorum Germaniæ pertractata, ut de monetis, de ponderibus & mensuris determinandis. Sed & illud inde consequitur, nullibi magis effulgere legitimam, quam supra asseruimus, in concedendis ejusmodi libertatibus Ecclesiarum circa temporalia Imperii Politici authoritatem, quam in hisce Galliæ quondam Germaniæque fœderatæ Conventibus publicis.

Quantum enim nudi tantum consilii vim & efficaciam sibi tribuerint Episcopi,

e) Idem HINCMARUS loc. cit. in verb. *Ut primo omnes Episcopi, Abbates vel hujusmodi honorificentiores Clerici absque ulla laicorum mixtione congregarentur. Similiter Comites vel hujusmodi Principes a cætera multitudine segregarentur . . . & tunc prædicti Seniores more solito, Clerici ad suam, Laici vero ad suam constitutam curiam commorarentur. Qui cum separati a cæteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul vel quando separati residerent, prout eos tractandæ causæ qualitas docebat sive de spiritualibus, sive de sæcularibus, seu etiam commixtis.*

a) „Verba Præfationis hæc sunt: Incipientes igitur in Nomine Domini communi consensu & voluntate tractare pariter de statu veræ Religionis ac de utilitate & profectu Christianæ Plebis, convenit nobis, de nostro communi „Collegio Clericorum seu Laicorum tres facere turmas, sicut & fecimus. „In prima autem turma consederant Episcopi cum quibusdam Notariis, legentes atque tractantes sanctum Evangelium, nec non Epistolas & actus „Apostolorum, Canones quoque ac diversa Ss. Patrum opuscula pastoralemque librum S. GREGORII, cum cæteris sacris dogmatibus; diligenti studio perquirentes, quibus modis statum Ecclesiæ Dei & Christianæ Plebis „profectum sana doctrina & Exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratia Dei perficere & conservare potuissent. In alia vero turma consederunt „Abbates ac probati Monachi, regulam S. Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem statum, atque „augmentum cum Dei gratia perducere potuissent. In tertia denique turma „sederunt Comites & Judices in Mundanis legibus decertantes, vulgi justitias perquirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes, modis, quibus poterant, justitias terminantes.

pi, ea illorum ostendit modestia, qua placita mutua deliberatione discussa n aliter publicare se posse fatentur, quam Regis accedente assensu, cujus non itum confirmationi, sed & emendationi ac correctioni ea submiserunt, ab vero solo omnis iis legis authoritas conciliabatur. *b*) Unde etiam ab eo in nis Comitiis sive tribus Conventibus in unum congregatis promulgari sole- nt, & ipsæ variorum Canonum Formulæ Regium propterea nomen enunciant præseferunt. *c*)

Nec ipse tamen Imperator extra Concilium sibi vindicabat eandem au- oritatem, aut, quam habebat, exercere se solo ambiebat. Sed quæ in par- ularibus Conciliis singularum Provinciarum consultata fuerant, referebantur Imperatorem illi superiori præsidentem consilio sive Concilio generali, cui ererant Conciliorum particularium delegati Episcopi, & ubi Decreta com- arium Conciliorum particularium ita temperabantur, ut alia aliis, omnia nibus concordarent, existeretque & obtineret, quod ad pacem, ad discipli- m puriorem Ecclesiæ plurimum conferret. Et hinc manifeste perspicitur, re CAROLI M. & successorum ævo Imperium Sacerdotale fuisse & Regale cerdotium, nulla tunc æmulationis nubecula serenum ejus pacis & tranquilli- tatis

*b*) Antiquissimum testimonium est in Epist. ad CLODOVEUM, quæ Synodo AURELIANENSI I. præfigitur: *Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut sacerdotalis mentis affectu sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis; secundum voluntatis vestræ consultationem & titulos, quos dedistis, ea, quæ nobis visa sunt, respondimus, ita ut. si ea, quæ nos statuimus*, ETIAM VESTRO RECTA ESSE JUDICIO COMPROBANTUR, *tanti consensus Regis ac Domini majori auctoritate servandam tantorum firmat sententiam Sacerdotum.* In Concilii Arelatensis A. DCCCXIII. calce legitur: *Hæc igitur sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quam brevissime adnotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, siquid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; siquid secus, quam se ratio habet, ejus judicio emendetur.* Et in Synodi Moguntinæ supra laudatæ, quæ eodem anno celebrata est, Præfatione: *De his tamen omnibus valde indigemus vestro adjutorio atque sana doctrina, quæ & nos jugiter admoneat atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis subter perstrinximus Capitulis, a vestra auctoritate firmentur: si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit, & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica Imperialis dignitas jubeat emendare.*

Adde Synodum Turonensem in Præfatione & Can. 51. & Cabilonensis Præfat. & Can. 66.

*c*) Plures id Synodi Francofordiensis sub CAROLO M. Anno DCCXCIV. celebratæ Canones, quartus videlicet, sextus, septimus, nonus & decimus testantur: Statuit piissimus Rex noster, Statutum est a Domino Rege & sancta Synodo &c. Definitum est a Domino Rege & sancta Synodo &c. Rex ipse quandoque verba facit: Placuit nobis & sanctæ Synodo &c.

tatis obumbrante, & mira ultro citroque poteſtatis & dignitatis reciprocante viciſſitudine.

## §. XV.

Porro nullum eſt Libertatis Eccleſiaſticæ caput, quod non aliquod ex antiquis horum Conventuum publicorum atque mixtorum ſanctionibus, aut Imperatorum Carolingicorum Capitularibus luculentum obtineat firmamentum. Ut enim brevis eſſe poſſim, integrum illius complexum in *liberum legum Eccleſiaſticarum* Germaniæ cum Gallia alias communium per ſingulas Imperii Provincias *curſum*, *& integram in his uniformitatem*, *in privilegiatam illam* quoad certas cauſas mixtas, & in his quoad effectus etiam politicos indivulſe cum iis connexos *Epiſcoporum Jurisdictionem*, in *Perſonarum Eccleſiaſticarum* a cognitione Judiciali & coercitione Judicum Laicorum *exemptionem*, atque in *rerum* etiam *Eccleſiaſticarum* ab oneribus realibus *immunitatem*, uti *perſonarum a perſonalibus eliberationem* diſpeſcere poſſum. Ad *leges* enim quod attinet, ex ante allegatis luculenter colligitur, communi eas Epiſcoporum conſilio deliberatas, ac ſoli dein Imperatorum Religioſiſſimorum judicio, ubi probatæ fuerant, ita univerſis promulgatas fuiſſe, ut communem ſui obſervantiam atque univerſalem per Imperium executionem ſibi expoſcerent. *a*) *Judiciis* vero *Eccleſiaſticis* Epiſcoporum circa cauſas aliquatenus Eccleſiaſticas, ſed Politicum inſuper reſpectum habentes, effectus civiles denegari non voluiſſe inde eluceſcit, quod ad exemplum veterum Imperatorum audientiam Epiſcopalem in cauſis etiam mere civilibus firmam & irretractabilem ſtatuentium *b*) CAROLUS M. ejusque ſucceſſores civiles etiam Laicorum cauſas Epiſcoporum arbitrio componendas duxerint relinquendas, eorumque ſententiis neceſſariam imperaverint executionem. *c*) Et ſane quod Carolingicam Periodum excepit, ævum medium frequen-

*a*) Conferantur §. XIII. & §. XIV.

*b*) Lex CONSTANTINI Imperatoris in *L. 1. Cod. Theod. de Epiſc. aud.* relata ea fuerat. „Quicunque litem habens, ſive poſſeſſor, ſive petitor erit, in„ter initia litis, vel decurſis temporum periculis, ſive cum negotium pero„ratur, ſive cum jam cæperit promi ſententia, judicium eligit Ss. Legis An„tiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragatur, ad Epi„ſcopum (alii legunt, ad Epiſcoporum judicium) cum ſermone litigantium „dirigatur. Multa enim, quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula non „patiuntur, inveſtigat, & promit ſacroſanctæ Religionis auctoritas. Omnes „itaque cauſæ, quæ vel Prætoris jure vel Civili tractantur, Epiſcoporum „ſententiis terminatæ perpetuo ſtabilitatis jure firmantur, nec liceat ulterius „retractare negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit.

*c*) Conſtitutio enim, quæ Capitul. lib. 6. Cap. 366. edit. BALUZ. diſerte ad legem CONSTANTINI provocat in Verbis: Volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni noſtræ Deo auxiliante ſubjecti, tam Romani, quam Franci, Ale-

quentia admodum judiciorum Ecclesiasticorum in Sæculares procedentium exempla passim subministrat. *d*) Et quamvis sensim mutata eorundem Politia civiles causæ Laicorum ad propria Tribunalia ab ipsismet Imperatoribus revocatæ fuerint, hoc ipso tamen in Ecclesiasticis, aut ad Ecclesiam vel Sacramenta cultumve divinum respectum habentibus antiquæ leges suum vigorem retinuere.

*Personas Ecclesiasticas* ita soli Episcoporum suorum cognitioni Judiciali ac præcipue coercitioni subesse voluerunt, ut vel volentem coram Judice sæculari litigare pœnis arcendum decernerent. *e*) *Res* denique *Ecclesiasticas* præsertim dotales & pia fundatorum ac dotatorum oblatione Ecclesiis collatas ita solis usibus piis, Cultui Divino, Ecclesiarum conservationi, Ministrorum ac pauperum sustentationi proprias voluerunt, ut aliis quibuscunque Dominis, quos Majores *f*) vocant, de his servitia, census, tributa aut alias quascunque præstationes

Alemanni, Baiwarii, Saxones, Turingii, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Longobardi, Vuascones, Beneventani, Gothi & Hispani cæterique nobis subjecti omnes, licet quocunque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex sexto decimo Theodosii Imperatoris libro, Capitulo videlicet XI. ad Interrogata Ablarii Ducis illi, & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra Capitula pro lege tenenda consultu omnium fidelium nostrorum tam Clericorum quam laicorum posuimus, lege cunctis perpetuo tenenda; id est, quicunque litem habens &c.

*d*) Recenset ea Espen. Jur. Eccl. univ. P. III. Cap. I.

*e*) Carolus Magnus Capit. I. An. DCCXXCIX. C. 27. Quod relatum in Capit. 28. item in eodem Concilio (Chalcedonensi) præcipitur, ut, si Clerici inter se negotium habuerint, a suo Episcopo dijudicentur, & non a sæcularibus. Conf. I. Cap. 3. & VI. Cap. 434.

Capitul. Triburiense An. DCCCXXII. a Ludovico Pio ad petitionem Episcoporum in Theodonis villa congregatorum statuit: *Placuit nobis & fidelibus nostris, ut Episcopi & eorum Ministri, quos Deus suo non humano judicio reservavit, juxta sacrorum Canonum & Capitularium præcedentium Regum Statuta intacti maneant.*

*f*) Capitul. Lib. I. Cap. 88. Canon reperitur, quem Gratianus Can. Sancitum XXIII. Quæst. 8. Concilio Wormaciensi adscribit ac refert his verbis: *Sancitum est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio attribuatur, & Presbyteri in eis constituti non de decimis neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel de hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter Ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde Majoribus suis debitum servitium impendant.*

Pro *Majoribus* in ipso Concilii textu & Capitularibus legitur: *Senioribus*, quod & notavit Contius, significatione plane eadem, quia *Majorum* & *Senio-*

stationes publicas exigendi potestatem tollerent. Multo cumulatior autem fuerat Ecclesiarum Episcopalium, Collegiatarum aut Monasteriorum tam in acquirendis bonis, quæ ad unum tantum mansum restringi haud poterant, libertas, quam in acquisitis saltem ab initio ad fundationem earundem & dotationem collatis immunitas amplior. Harum enim terras omnes ac ditiones immunitate frui declaratum est. *g*) Quo & illud pertinet, quod de rebus & bonis Ecclesiæ in judicio Episcopali cognitio institui, eorumque solorum potestati ac Jurisdictioni obnoxia fuerint. Hoc idem diserte Constitutio Capitularium *h*) cor-

*Seniorum* appellatione Domini designantur. ANT. BENGEUS de benef. Tit. de immun. Eccl. §. VI. n. 4. HERMANN. HOTTMANN. de verb. feudal. vocab. *Senior.*

Similis omnino dispositio in iisdem Capitularibus Lib. 5. Cap. 45. legitur: *De uno Manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicunque pro hac causa accusatus fuerit, Comes vel missi hoc, quod inde subtractum est, Presbyterio cum lege sua restituere faciant.*

Conspirat etiam Can. 21. (apud CORILANUM & CARANZAM 20.) Concilii Toletani adductus a GRATIANO Can. Ecclesiarum XII. Q. 2.

Quoniam cognovimus in multis civitatibus Ecclesiarum servos & Episcoporum vel omnium Clericorum a judicibus vel Actoribus publicis diversis angariis fatigari, omne consilium a pietate gloriosissimi Domini nostri poposcit, ut tales deinceps ausus inhibeat, sed servi supra scriptorum officiorum in eorum usibus vel Ecclesiæ laborent. Siquis vero judicum aut actorum clericum aut servum Clerici vel Ecclesiæ in publicis ac privatis negotiis occupare voluerit, a communione Ecclesiastica (Cui impedimentum fuit) efficiatur extraneus.

*g*) Capitul. CAROLI M. Lib. 5. C. 148. *Volumus, atque decernimus, ut omnes intelligant, non solum claustra Monasterii vel Ecclesiæ atque castitia Ecclesiarum sub immunitatis defensione consistere, verum etiam domus & villas & septa villarum, & piscatoria manu facta, & quidquid fossis, aut sepibus, vel etiam alio clausarum genere præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri.*

Et eadem exemptio ad omnes effunditur Ecclesiæ fundos: *Placuit, ut prædia cœlestium Secretorum dicata, Deoque tradita a quibusdam aliqua occasione vexentur, aut invadantur, sed sub immunitatis tuitione perpetua firmitate perdurent. Similiter & homines eorum, & omnia, quæ eis subjecta esse noscuntur.*

Item Capitul. 107. *Possessiones ad Religiosa loca pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad restitutionem viarum vel pontium, si tamen intra eadem loca habuerint possessiones. In aliis vero omnibus habeant integram immunitatem.*

*h*) Refert eandem BENED. LEVITA Capitul. Lib 7. Cap. 213. „*Multi enim* „contra Canonum statuta Ecclesias, quas ædificaverint, postulant conse- „crari,

corroborat, dum non adminiſtrationem ſive ordinationem tantum, ſed & plenam poteſtatem, ſive ſublimius & eminentius omnino Jus Epiſcopis commiſit. Hoc enim ſenſu BENEDICTUM LEVITAM verba allegata accepiſſe inde colligitur, quod in ejus compilatione & præcedens & ſubſequens Capitulum ad judicia formanda pertineat.

§. XVI.

Aequalis certe CAROLI CALVI in Eccleſiam, Epiſcopos, ac Synodos Eccleſiaſticas pietas ſub regiminis ejus auſpicia eluxit. Statim enim, atque LOTHARIUS Frater natu maximus ac Imperator diſceſſiſſet, & ipſe & LUDOVICUS Germanus ejus cauſas ſuas litesque Epiſcoporum judicio terminandas permiſere. a) Imo Conſiliis Epiſcoporum quoad normam Regiminis ſui uti, & ſecundum hæc Regnis ſuis ſe moderari velle profeſſi ſunt. b)

Sed non eadem ſemper ejus animi moderatio & obſervantia forſan perſtitit, quæ Majorum ſuorum fuerat. Dum enim veniſſent in ejus manus Conſtitutiones Synodicæ plurium Metropolitanorum & Epiſcoporum, ab Aulicis Proceribus præoccupatus eas ex parte tantum admittendas ſtatuit, Epiſcopis autem ſignificandum juſſit, nunquam cæteris Regem & Proceres eſſe aſſenſuros. Fuerant hæc Statuta Concilii Meldenſis, in quod anno DCCCXLV. Epiſcopi trium Provinciarum, Senonenſis, Remenſis & Bituricenſis convenerant. Canones conditi erant octoginta, quos affirmat Synodus cum Rege & Proceribus diſceptatos fuiſſe. c)

Dddd 3 Ex

„crari, ut dotem, quam eidem Eccleſiæ contulerint, non cenſeant ad Epi„ſcopi ordinationem pertinere. Quod factum eſt in præterito, diſplicet, & „in futuro prohibetur; ſed omnia ſecundum *conſtitutionem antiquam* ad Epi„ſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant.

a) Viſum eſt, ut rem ad Epiſcopos Sacerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent; ut illorum conſultu, velut Numine divino, harum rerum exordium atque authoritas proderetur. Ita enim apud DU CHESNE Tomo 2. pag. 376. NITHARDUS refert, qui ipſemet inter eos fuit, qui huic terrarum partitioni præpoſiti fuerant.

b) Secundum ſuam (Epiſcoporum) voluntatem ſe & ſuos gubernare & regere velle ajunt.

c) Ita enim Præfatur Concilium Meldenſe: „Primo aliqua ſtatuerant ex his, quæ „nuper a Principe devotiſſimo una cum Sacro Eccleſiaſtico ordine & illu„ſtrium Virorum nobilitate decreta ſunt, ita ut conſtituta ſunt, præfigere; „vel quæ ab ipſis ac Cæteris Chriſti Vicariis ex divina auctoritate ad Statum „S. Eccleſiæ redintegrandum, ad Principis & reipublicæ & ſubſequentis Chri„ſtianitatis ſ[illegible]tem ſunt prolata Capitula, recenti memoria & auditui atque „aſpectui ſalubriter Chriſto propitio præſcribere &c. Apud HARDUIN, Tom. IV. Concil. Colum. 1486.

Ex his vero Canonibus vel Decretis Rex & Proceres duodeviginti tantum admiserunt. *d*) Parciorem quippe in novis concedendis se præbuit Politicorum diffidentia deterritus, antiqua tamen Antecessorum legibus stabilita nec imminuit; & posthac inviolate conservanda spopondit. Primum enim inter ista recepta & confirmata Capitulum fuit de honore & cultu Ecclesiarum, de honore Episcoporum & veneratione servorum Dei omnes anteriores prærogativas generatim complectens. *e*) Hoc ipso videlicet Canon LXIII. de immunitate rerum Ecclesiasticarum & sequentes, qui de variis matrimoniorum impedimentis, causisque aliis Ecclesiasticis statuunt, simul confirmati intelliguntur. Et nihil derogare illum voluisse, cætera Concilia eo præsente habita *f*) & reliqua Capitularia ejus nomine edita loquuntur. *g*) Regnantibus demum

*d*) Oblata quippe sunt Capitula Principi, sicut ipse jusserat, collecta ad relegendum, in Sparnaco Villa Remensis Ecclesiæ. Et quia factione quorundam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, dissentientibus Primoribus Regni sui ab eorundem Episcoporum admonitione, & remotis ab eodem Concilio Episcopis ex omnibus eis Capitulis hæc tantum observanda & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripta tradiderunt, dicentes, non amplius de eorum Capitulis, quam ista & ista acceptasse & velle cum Principe observare.

Eadem recenset idem HARDUIN. loc. cit. Col. 1505.

*e*) De honore videlicet & cultu Dei atque Sanctarum Ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione Regiminis nostri consistant, communiter Domino mediante decernimus, ut, sicut tempore beatæ recordationis Domini ac Genitoris nostri excultæ, honoratæ atque rebus ampliatæ fuerunt, salva æquitatis ratione ita permaneant; & quæ a nostra liberalitate honorantur, atque ditantur, de cætero sub integritate sui serventur. Et Sacerdotes ac servi Dei *vigorem Ecclesiasticum & debita Privilegia* juxta venerandam auctoritatem obtineant. Eisdem vero Regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu Reipublicæ administratores, ut suum Ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juste concurrant.

*f*) Ut Suessionense anni DCCCLIII. Can. 8. apud HARDUIN.

*g*) Uti inter edita in Sylvatico An. DCCCLIII. Capitul. 2. „Qui censum de manso aut ex his, quæ dominus & genitor illorum in suis Capitul. Ecclesiis in „immunitate concessit, exigere non timent, firmiter inquirantur, & plena „justitia inde fiat, secundum quod in Capitularibus Avi & Patris illorum „Statutum habetur.

Capitula data in Synodo apud Carisiacum a CAROLO CALVO.

Cap. I. Ut Ecclesiæ immunitates in nullo infringantur.

Item apud Pistas: „Cap. I. Ut Ecclesiæ sub immunitate maneant & Mi„nistri in Ordinis dignitate honorem atque immunitatem secundum Sacras „leges & Canones habeant.

mum CAROLI CALVI filiis nepotibusque iidem mores obtinuere. Ad LUDOVICUM enim BALBUM Regem rescripsit HINCMARUS, h) nihil ei se posse consilii impertiri de publicis Ecclesiæ & Regni rebus, nisi in Regni consilio & conventu generali cum cæteris Regni Primatibus. i) Atque horum temporibus, cum eodem semper fuerint authoritatis vigore Capitularia, fuere etiam eodem, ut apparet & necessario consequitur, loco privilegia Ecclesiarum, & quæcunque sive rerum sive Ministrorum immunitates.

## §. XVII.

Neque interest mutatum interim fuisse Germaniæ statum, dum in divisione illa, quæ inter LUDOVICI PII filios facta fuit, Germania separatas plane a Francorum Regno rationes accepit, proprii Juris facta, proprias propterea leges nacta videtur. Ex quo rite inferri possit, recensita hactenus & CAROLI CALVI & Successorum Statuta nihil ad eam pertinere, veruntamen qualiscunque inter fratres illos divisio antiquam systematis Ecclesiastici communionem in omnibus salvam voluit. a) Unde & Germania eandem Ecclesiæ Regnique Francorum publicam administrationem continuavit ac æmulata semper fuit jam inde a LOTHARII temporibus filii LUDOVICI PII. Hic quippe convocavit in Synodum Moguntinam anno DCCCLII. ubi separatim hic Episcopi soli de rebus Ecclesiasticis, illic Proceres de publicis causis litibusque pertractarunt, ita ut Synodalia decreta Regio tandem confirmarentur Edicto. b) Con-

h) Tom. 2. Pag. 184.

i) De generalibus Ecclesiæ & Regni negotiis sine generali Primorum Regni consilio & consensu speciale dare consilium nescio, & consensum deliberare non valeo nec præsumo.

a) Charta divisionis Imperii inter LOTHARIUM, PIPINUM & LUDOVICUM Cap. XI. ita enuntiat.

Rectores vero Ecclesiarum de Francia talem potestatem habeant rerum ad illas pertinentium sive in Aquitania sive in Italia sive in aliis Regionibus huic Imperio subjectis, qualem tempore Genitoris nostri habuerunt.

Altera vero charta divisionis inter LUDOVICUM, PIPINUM & CAROLUM data Anno DCCCXXXVII. Aquisgrani Cap. itidem XI. „Super „omnia jubemus, ut ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ simul „suscipiant, Pastores atque Rectores venerabilium locorum habeant pote„statem rerum, quæ ad ipsa pia loca pertinent, in quocunque de his tribus „fratribus illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.

b) DU CHESNE Tomo 2. p. 552. Habita est Synodus ex voluntate & proposito Principis in Civitate Moguntina præsidente RABANO Archi-Episcopo cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Bojvariæ, atque

Concilium Colonienſe anni DCCCLXXXVII. ſub CAROLO CRASSO Epiſcopis conſtabat, Abbatibus, Presbyteris, Diaconis & Laicis quibusdam Religioſis. c) Quod diſertis verbis antiqua Imperatorum Carolingicorum Capitularia in favorem Cleri & Eccleſiarum condita innovavit. d) Sub ARNULPH quoque Rege, quem primum a Germanis in Regnum antea hæreditario Jure deferri ſolitum anno DCCCLXXXVII. non tantum electum, ſed & poſtea anno DCCCXCVI. Imperatorem conſtitutum eſſe conſtat, Metenſis Conventus mixtus fuit. e) Triburienſe Concilium ann. DCCCXCV. ſub eodem ARNULFO ejusdem quoque fuit generis & argumenti utriusque. f) Et hic enim duo referuntur ſejuncti Conventus. g) Actum quippe in eo eſt de *Regni & Eccleſiæ* negotiis, de cauſis matrimonialibus, de immunitate Clericorum & Eccleſiarum, de pœnis etiam civilibus excommunicatorum. h)

Eccleſiæ nimirum Germaniæ & Regni rationes indivulſe cohærere videbantur Regi æque ac Præſulibus, & in Chriſtianæ charitatis Republica, quod unius

que Saxoniæ. Et illi quidem de abſolvendis quæſtionibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ tractatum habebant; Rex vero cum Principibus & Præfectis Provinciarum publicis cauſis litibusque componendis inſiſtens poſtquam Synodalia eorum Decreta ſuo judicio comprobavit.

c) Vid. ejusdem Præfat. apud HARD. Conc. Tom. VI. P. I. Pag. 398.

d) Vid. ibidem Can. 3. 4. & 5. P. 398.

e) Ut teſtatur ibidem Præfatio ab HARDUINO relata ad An. DCCCLXXXVIII. in verbis: Et multi Sacerdotes cum Comitibus & pluribus Nobilibus & Deum timentibus viris adfuerunt. Ubi pari voto, parique conſenſu pro vera charitate & tranquillitate ſanctæ Dei Eccleſiæ ſibi invicem occurrentes hæc in commune Præſules elocuti ſunt.

Can. 4to immunitatem manſi Eccleſiaſtici confirmat. Præterea de impedimentis matrimonialibus permulta ſtatuit.

f) Idem Sapientiſſimus Rex . . . venit in villam Regiam Triburiam cum Epiſcopis infra conſcriptis, Abbatibus, & omnibus Regni Principibus, nec non convenientibus Eccleſiaſticorum & Sæcularium innumeris Turbis, quatenus infatigabili perſeverantia *divina* & *humana* tractarentur, atque emergentia mala comprimerentur, ut *eo liberius Sancta Dei Eccleſia* ſuo potiretur honore.

g) *Sacerdotes*, qui miſſi ſunt, gratulantes congredientibus quibusdam *Optimatibus* de Throno Regis, cauſa juſtæ Legationis & unanimitatis ad Sanctam Synodum directis, reverſi ſunt ad eos, qui miſerant illos.

h) Hæc omnia videre eſt in Præfatione ejusdem Concilii apud HARDUIN. Tom. VI. P. I. pag. 438.

Canones autem huc facientes ibidem relegantur, ne præſentis inſtituti anguſtiæ excedantur.

anius intererat, utriusque interesse existimatum fuit, hinc vero Statutis Ecclesiæ non parum authoritatis accessit. Ita porro Germanicæ diætæ ex Conciliis ortæ sunt. Ita & hic mixti hi Conventus in plures Cameras seu Conventus minores secabantur, ita Episcopi soli causas spirituales dijudicabant, ita in mixtis mutua consensio impetrata fuit, ita ipsa Episcopalis Synodi Decreta Principes confirmabant, derivata videlicet in Germaniam utraque Gallicanæ Ecclesiæ & Reipublicæ Disciplina.

## §. XVIII.

OTTONIS MAGNI temporibus altius jam inveterata fuerat utriusque Regni divisio, cum non tantum electionem Germani jam antea sibi sumptam exclusa insuper penitus per CONRADUM I. Familia Carolingica continuarunt, sed etiam Germaniæ Regnum cum Romano Imperio feliciter atque perpetuo fuit unitum. Sed tum quoque ab antiquis propterea legibus per Prædecessores Imperatores Carolingicos conditis haud quaquam separatum. Ejusdem certe OTTONIS in Ecclesiam & Ecclesiasticos ac Episcopalem authoritatem studium atque liberalitatem nemo ignorat. Magnopere ejus auspiciis hanc auctam crevisse ejusdem gesta docent, novorumque Episcopatuum fundationes, veterum dotationes ac locupletationes. Eundem Regni & Ecclesiæ negotia simul pertractandi morem & ipse retinuit, prout Synodi sub glorioso regimine ejusdem congregatæ exhibent. *a*)

Ad leges Saxonicas, quas ab HEROLDO primum & post LINDENBROGIO editas CAROLO M. velut autori vulgo adscribunt, provocat OTTO MAGNUS in Charta anni DCCCCLII. *b*) Imo & OTTO III. in Charta anni DCCCCXCVII. *c*) Ejus enim legis, cujus meminere, sententia legitur in Tit. VII. & Tit. XIV. legum Saxonicarum.



*a*) Augustana de An. DCCCCLII. ab HARD. refertur, ab ipso eum in finem decreta, quatenus concordi diligentia tam sancti Cleri, quam populi Ecclesiæ stabilitatis profectus & totius Christianitatis utilitates pertractarentur. Rege enim ingresso, ubi Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus FRITHURICUS humiliter strenueque sermonem regulari studio congruentem protulerat, deinde cuncta, quæ de Jure Ecclesiastico juxta Canonicam auctoritatem & imitanda Ss. Patrum decreta erant ventilata, pronuntians in hisce omnibus huic rei necessariis se in commune ejus præsidium sentire postulabat. Quibus Rex superni amoris igne succensus & zelo divini amoris animatus mentis corporisque nisu Ecclesiasticarum rerum auxillatorem, & defensorem promptissimum se esse promittendo certificavit.

*b*) Apud STANGEFOLIUM Lib. 2. Annal. Westphal. pag. 185.

*c*) Apud eundem loc. cit. pag. 203.

Existimat quoque HERTIUS, *d*) illud, quod refert WITICHINDUS *e*) Leges Divinas atque humanas auctorali vigore (OTTONIS MAGNI) polluisse, & conjuratos *secundum leges* sceleribus suis meritas luisse pœnas, respicere ad leges illas a Francis Imperatoribus sive latas sive confirmatas.

Disertius vero hanc Capitularium confirmationem in altera Synodo Francofordiensi ejusdem anni edixit, in qua cum Episcopis & Proceribus Germaniæ multa utiliter in causis Ecclesiasticis & mixtis decrevisse, & tanquam normam Capitularium Codicem sibi præsumpsisse, a REGINONE in Libr. de Discipl. Ecclesiastica Cap. 53. narratur. *f*)

Ab OTTONIS I. exemplo & legibus reliquos II. & III. non discessisse, præter allegatam nuper OTTONIS III. provocationem inde verosimilis conjectura desumitur, eo ipso, quod mutatio haud ostendatur. Quin & disertas anteriorum Legum & libertatum Ecclesiasticarum iisdem sancitarum confirmationes ab hisce OTTONIBUS editas allegat GOLDASTUS, *g*) ibidemque HENRICI II. sive Sancti Edictum de Jurisdictione Ecclesiarum Imperii adjungit, *h*) ut de perpetuo earundem legum, quibus Ecclesiarum & Imperii ad se

*d*) In Dissertatione de consultationibus, legibus, & judiciis in specialibus Rom. Germ. Imp. Rebuspubl. §. 12.

*e*) In Annal. pag. 21. & 22. Edit. MEIBOM.

*f*) Verba ejus sunt: Constitutum est a Rege OTTONE, consentientibus Episcopis, Comitibus, aliisque fidelibus compluribus Canonum Sanctorumque Patrum auctoritate, *nec non Capitularium præcedentium Regum institutis coram positis.*

Eodem REGINONIS argumento utitur PFEFFEL dans l'Abregé Chronologique de l'Histoire & du Droit publique d'Allemagne pag. 158. Il y a grande apparence, qu'on a suivi les Capitulaires de Frances & les autres Loix Provinciales composées par le Roi Merovingiens & par Charlemagne. Il est constant par une addition au Livre de REGINON de la discipline Ecclesiastique, que la diete de Francfort, de DCCCCLII. Les Capitulaires ont été posés sur la table.

Idem quoque argumentum sequitur HERTIUS loc. cit. Caput 21. REGINONIS ex Edit. Helmstad. allegans.

*g*) Constit. Imper. Tom. III. pag. 310. & seq. ubi refertur Constitutio IV. de Jurisdict. Eccles. Imp. OTTONIS III. Constitutio II. de Libertate Ecclesiarum in Regno Danorum.

*h*) Ibid. HENRICI II. Edictum de Jurisdictione Eccles. Imperii. „Decrevimus præcipientes, ut nullus Judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesia nostræ regalis potestatis & piissimorum nostrorum Antecessorum Regum vel Imperatorum mundiburdio ac defensione receptas, ad causas audiendas vel fræda exigenda ingredi audeat, seu ab illis penitus exigere præsumat. „

se invicem habitudo regebatur, vigore ad hæc usque tempora haud sit ambigendum. Atque huc pertinent frequentissimæ eo ævo Imperatorum literæ, per quas Monasteriis vel sua vel aliorum piorum fundatorum pia liberalitate recens erectis, aut saltem ad Majestatém Cæsaream confugientibus adversus quoscunque defensio immediata assecurata fuit. *i*)

## §. XIX.

Interrupta tantisper videri potest continua hæc novarum concessionum ac confirmationum Imperialium series. Nam Conciliorum posthac, quæ simul Regni aut Imperii essent Comitia, cessatione ac turbata per dissidium Investituræ funestissimum Sacerdotii & Imperii concordia videtur non potuisse non periclitari admodum ac fluctuare Ecclesiarum libertas i sdem concussa motibus. Decrescente enim Imperatorum authoritate, illa vero Procerum indies crescente, hi majora sensim jura sibi sumpserunt. Imo his insolita etiam & iniqua tentantibus connivere Cæsares sibi necesse duxerunt, ne eorundem animos, titubante semper solio, a se prorsus alienarent, sed sibi potius adversus conatus Pontificios devincirent.

Ipsi quoque Episcopi hisce partium studiis & tumultuationibus divisi non eadem amplius consensione unanimi conspirarunt, qua sola nullas non infringere



*i*) Revera si pleraque Diplomata, quæ recens erecta Monasteria eo tempore ab Imperatoribus impetrarunt, ad amussim examinentur, ea nihil aliud esse deprehendentur, quam nuda participatio privilegii communis immunitatis jam antea aliis Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis indultæ, quæ his recens erectis aut speciatim Supplicantibus per speciales literas communicari & assecurari voluit. Abusus autem est maxime detestandus & excessus eorundem intolerabilis, si privilegia ejusmodi, quæ superioritatis territorialis usum tantum & exercitium in partibus quibusdam ad leges constitutas atque receptas restringunt ac moderantur, ad totalem a superioritate territoriali independentiam detorquere attentent.

Similem excessum indigitat quoad Ecclesiastica Jura Ordinariorum Originalis quædam Bulla nomine Concilii Basileensis sub sigillo plumbeo expedita, & in Scriniis hujatis Regiminis Ecclesiastici asservata, quæ in substantia sua ultra nudum Fridericianæ & Carolinæ Constitutionis quoad immunitates omnibus Ecclesiasticis & Clericis communes confirmationem nec literam plus enuntiat, & tamen a confœderatis quibusdam Regularibus ad probandam inde exemptionem a jurisdictione Ordinarii producta fuit, cum hanc notam pro rubrica inscripserint: *Ex Concilio Basileensi super eo, quod sumus exempti.* Sed videntur reperisse viros literarum magis gnaros, qui desiderium ipsorum & temerarium conatum effectu frustraverint, cum hodiedum boni illi Patres ac Domini extra omnem controversiam Ordinario plene subjectos se agnoscant.

gere potuissent difficultatum moles Canonicis institutis aut libertatibus adversas. Suscitata inde summorum Imperantium & Procerum quoque æmulatio non patiebatur eos justis licet Episcoporum desideriis annuere, quos haud confidebant unum id cupere, aut in id unice conniti, ut in Ecclesia Religio, in Republica justitia & pax inconcussa vigeret. Variis potius invasionibus, sicut Sedis Apostolicæ, ita particularium Ecclesiarum & Episcoporum quorundam Jura turbata violataque esse constat, *a*) quæ tamen in meris factis subsistentes antiquarum legum vigorem non sustulerunt, imo potius restituta dein Sacerdotii & Imperii concordia atque perpetua amnestia sublatæ sunt. Mirum igitur non est, æquales inde propullulasse Libertatum Ecclesiasticarum generalium violationes. Præcipue Jurisdictio contentiosa Episcoporum aliquam passa est diminutionem, mutuis tamen conventionibus & causarum mere sæcularium ad sæcularia fora revocationibus, quoad eas, quæ ad Ecclesiam relationem quandam habent, hoc ipso stabilita sancitaque, ac, ne ulterius usurpationes attentarentur, sedulo cautum fuit. Verum neque opus fuit novis concessionibus, cum Ecclesia parta tueri semper acquieverit.

Status ipsi ab OTTONE IV. petierunt, ad eliminandas aut potius arcendas ab Imperio peregrinas leges, eas antiquas patrias confirmari, quæ a CAROLO M. ejusque successoribus conditæ fuissent. *b*) Eundemque ad protegenda Ecclesiarum Jura diserti Jurisjurandi Religione adstrinxerunt; uti & ad Jus Regaliæ abdicandum.

Nec defuerunt aliæ frequentes anteriorum legum confirmationes. Has inter jure merito FRIDERICI II. Imperatoris Constitutio numeranda venit, qua generatim Ecclesiæ libertatem, prout integrum superius præmissum complexum comprehendit, amplissime stabilivit ac roboravit *c*)

Si-

*a*) Hoc fato præcipue afflictam fuisse Ecclesiam Wirceburgensem testatur CONRADUS Abbas Urspergensis in Chronico MCXVI. *Unusquisque non quod rectum, sed quod sibi placitum videbatur, hoc faciebat. Primo ergo pars utraque conventibus assiduis agros alterius vastare, colonos despoliare cœpit, maximeque in Episcopio Wirceburgensi per* CONRADUM *fratrem Ducis* FRIDERICI *lues ista succrevit.*]

Ducatum præcipue Orientalis Franciæ ab HENRICO V. interversum fuisse idem enuntiat ad eundem annum: *Qua etiam commotione succensus Imperator Ducatum Orientalis Franciæ, qui Vuirziburgensi Episcopio antiqua regum successione competebat,* CHUNRADO *sororis suæ filio commisit.*

*b*) PFEFFEL loc. supra citato pag. 318. Qu'il aboliroit tous les nouveaux péages, & qu'abrogeant toutes les Loix étrangeres, il feroit observer les anciennes Loix Provinciales, que Charlemagne & ses successeurs avoient etablies.

*c*) Extat procusa ad calcem Corporis Juris Civilis, eademque Codici inserta reperi-

Sicut autem eidem constitutioni legis Imperialis characterem atque vim abjudicandi nullam invenimus rationem; *d*) ita de consensu quoque Statuum eidem impertito curiosius laborandi & indagandi nullam reperimus necessitatem. *e*) Certe eo tempore necdum ea Imperii facies fuerat, quæ hodie viget; & ex hodiernis Statuum Juribus antiqua metiri ineptum atque ab omni Historiæ ac Juris Publici ratione absonum esse, nemo non intelligit. Nec enim tum ad singulorum negotiorum deliberationes ab Imperatoribus Comitia convocari consuetum, nec ea frequentare Statibus jucundum fuit. Magni potius privilegii & favoris loco sibi duxerunt, ab iis abesse posse. *f*) Superioritas ipsa Territorialis Statuum modo illius, quod FRIDERICI II. & CONRADI IV. mortem subsecutum fuit, magni interregni sequela fuit. Neque nova hæc Imperii lex fuerat, sed nuda anteriorum nunquam adhuc abolitarum, imo toties stabilitarum, quas recensuimus hactenus, confirmatio. Nemo unquam hodie Imperatoris supremam judicandi secundum leges Imperii jam constitutas pote-



peritur in Authent: *nulla communitas* & *Authentica: Statuimus, ut nullus* &c. Cod. de Ep. & Cler.

*d*) Infirma prorsus & frivola ea est, quæ ex neglecta ejusdem insertione in Corpus ita dictum Juris publici deducitur. Quis enim est, qui nesciat collectiones plerasque Corporis Juris Publici Rom. Germ. nomine insignitas privat aduntaxat Collectorum recentiorum, eorumque Protestantium, opera prodiisse. Eodem proinde fundamento hisce collectionibus opponitur illa, quæ a Clarissimo RIEGGERO Univers. Cæsar. Vindobonensis Antecessore curata fuit. Quid? quod GOLDASTI collectio Constitutionum Imperialium eandem atque alias consimiles haud reticet. Et perillustris quoque SENKENB. Corpus Noviss. Recess. Imperii Eruditorum omnium laude commendatissimum nobis suffragatur, utpote quod eandem haud prætermisit. Quod enim antiquo in idiomate teutonico vix intelligibili exhibet, Exemplar quoad substantiam cum latina Corpori Juris Civilis adnexa admodum concordat. Vid. ibid. pag. 27.

Idemmet quoque eandem refert in Corp. Jur. Feud. Germ. p. 453.

*e*) Ea, quam idem FRIDERICUS contra Hæreticos edidit, constitutio tanquam lex Imperii universos obligans ita recepta fuerat, ut nonnisi publicis ea legibus & pacificationibus Religiosis immutari potuerit, nec tamen alios & ipsa Characteres exhibet, imo hujus ipsiusmet constitutionis pro libertatibus Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum allegari solitæ, de qua loquimur, pars est.

*f*) Conferatur PFEFFEL loc. sup. cit. La frequentation des diétes etoit une véritable charge dans ce Siécle, où les Empereurs parcouroient l'Allemagne & appelloient souvent les Etats d'une frontiere a l'autre. L'Abbé de S. MAXIMIN. se fit dispenser de ses courses par l'Empereur HENRI II. en MXXIII. & le Comte Palatin fut chargé de voter à sa place. C'est peut-etre le plus ancien vestige d'un suffrage exercé par Commission.

ſtatem controvertit. Imo earundem ſupremus Executor, Tutor, Cuſtos, & Vindex in Imperio colendus. Privilegia itidem, dummodo firmatis nunc Statuum Juribus non præjudicioſa, concedendi facultas Imperatoribus nec hodie denegatur, aut interdicta penitus cenſetur. Multo potius Juribus Imperatori hodiedum reſervatis ſemper adnumerata fuit, *g*) ſed nec iisdem, quibus hodie, limitibus tum temporis circumſcribi voluit. Et ſi conſenſus etiam Statuum defuiſſet prævius aut concomitans, de ſubſequa ratificatione nullus ambigendi locus ſupereſt, cum poſteriores etiam leges Imperiales, præſertim Ordinationes Pacis Publicæ toties iteratæ & partim in plenis Comitiis conditæ easdem libertates Eccleſiarum in hiſce ſtabilitas novo ſemper robore firmaverint. *h*)

## §. XX.

Nec enim minor eſt, quæ per CAROLUM IV. libertatibus Eccleſiarum conſervari voluit, vis & efficacia. Recruduerunt nimirum uſurpationes priſtinæ, quas dubiæ Cæſarum electiones fovebant, & effrænes eorum temporum diffidationes ſuſtentabant, quibus leges etiam ſanctiſſimæ ſus deque habebantur, omneque jus in manibus & armis quærebatur. Jus hoc ita dictum manuarium per Auream Bullam ſuam ad certos tantum modos coarctavit, extinguere penitus non potuit. Eccleſiis tamen ne poſthac per exactiones eſſet perniciosum, conſtituere voluit.

Ejus ſane Conſtitutio iisdem mox deductis reflexionibus defenditur, imo & ipſam prælaudatam FRIDERICI II. Conſtitutionem tot aliis prælibatis robo-

*g*) Patet hoc ex diverſis Privilegiorum formulis, utpote FRIDERICI I. Privilegio de An. MCLII. apud Dom. DE LUDWIG pag. 186. Ibi: *Ad Regiæ dignitatis munificentiam pertinet, bene de Republica merentibus virtutum præmia tribuere.* Concordat Receſſus Imperii ultimus §. CXV. ubi de Privilegiis de non appellando dicitur. Deren fernere Erhöhung bey uns, als Römischen Kayser, von dem diese und andere dergleichen Begnadigungen herrühren ꝛc.

*h*) Sunt eæ Pax Publica Regis Romanorum WILHELMI An. MCCLV. condita, qua generalis immunitatum confirmatio enuntiatur: *Omnes Eccleſiæ juxta ſpecialia jura ſua gaudeant & fruantur pacifice & quiete illis libertatibus, honoribus & juribus generalibus & ſpecialibus, quæ obtinuerunt hactenus ex antiquo.* Et RUDOLPHI I. Pax Publica hic Wirceburgi An. MCCLXXXVII. In Concilio condita & Spiræ An. MCCLXXXXI. innovata: Wir gepieten auch vestiglich, daß man in allem Römischen Reich an geistlichen Dingen nach Gepot und nach Rath der Erzbischoffen sich behalte und auch der Bischoff und der Erzpriester nach geistlichen Rechten, und wer dawieder ist, dem soll man haben vor einem unglaubigen Mann. P. P. ab ADOLPHO An. MCCLXXXXIII. Coloniæ confirmata atque iterum ab ALBERTO Norimbergæ An. MCCCIII. §. XX. Von geistlichen Dingen.

roboratam defendit. a) Quibus vero & ista accedit, quod ad querelas Archi- & Episcoporum ad ipsum delatas adversus injustas potentiorum usurpationes prævia causæ cognitione edita fuerit. Characteres præterea legis Imperii secundum hodiernum etiam requisitum Statuum consensum manifestiores præ se fert. Variorum enim Ordinum Ecclesiasticorum & sæcularium nomina adscripta refert, & aliorum quamplurium, licet nominatim non expressorum, præsentiam testatur. b) Horum insuper solorum consensum secundum ejus temporis morem sufficisse vel inde patet, quod soli Principes in comitatu Imperatoris existentes ab eodem consultari soliti sint, reliquis haud affectantibus sui quoque consensus necessitatem, utpote qui convocari ad Comitia haud ambiebant.

Ignorantia vero falsitatis Decretalium Isidorianarum aut erronea de divino Immunitatum istarum Ecclesiasticarum præcepto opinio perperam omnino in subsidium vocatur; cum ad antecessorum Imperatorum exempla & civiles sanctiones ubique provocet, & propriæ clementiæ suæ motu easdem firmari & roborari asserat.

Atque ex hac insuper Constitutione luculenter colligitur, quas Jurium & Privilegiorum species generalis illa libertatum Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum confirmatio in subsequis ordinationibus Pacis Publicæ statim in principio præmissa sub se complecti voluerit. c).

## §. XXI.

Ab Imperio ad Ecclesiam tantisper digredi mihi liceat, ut ipsius in acceptandis hisce Imperii favoribus sollicitudo pateat, & ipsa etiam, quam in omnibus hisce professa fuit, gratitudo. Ac primo quidem FRIDERICIANAM Constitutionem HONORIUS III. inde ab initio statim suas in Epistolas retulit, a) BONIFACIUS IX. & FRIDERICIANAM mox dictam & CARO-

a) Refert GOLDASTUS Constitut. Imp. Tom. II. p. 92.

Exhibet eandem LUNIG in Archivio Imperii Contin. Part. Gener. P. I. pag. 8.

b) Videantur ibidem recensiti cum verbis adjectis: Et alii quamplures nostri Principes, Nobiles & Fideles.

c) Conf. Ordinatio Pacis Publicæ sub WENCESLAO An. MCCCLXXXXVIII. Apud SENKENBERG p. 97. Zum ersten, daß alle Pfaffen und geistliche Leuthe, Münster, Klöster, Kirchen, Spitale, Kirchhoffe und andere Gotteshäusere, und ihre Zugehörunge, bey ihren Rechten und Freyheiten bleiben sollen, und soll niemand daran hinderen, oder sie darüber schädigen mit Gewalt.

a) Lib. V. Epist. 483. Inter relatas in Bullario Rom. hujus Pontificis I.

CAROLINAM nuper allegatam simul junctam speciali Decretali, ut vocat, executoria anno MCCCXCI. edita adoptavit, b) ac ejus quoque exemplum universalis Synodi Constantiensis Patres, ac post eam absolutam MARTINUS V. ad reparanda schismatis diuturni detrimenta imitati sunt. c) Similiter & Basileenses, utut funesta iis tempora captandi Magnatum favoris necessitatem ineluctabilem imposuissent, ab harum tamen Constitutionum Imperialium confirmatione & urgenda executione abstinere penitus haud potuerunt. d) Neque parum conducit horum Conciliorum authoritas ad perpetuam illis legibus Imperii de libertate Ecclesiarum stabilitatem conciliandam. Ipsi quippe Imperatores ac varii Imperii Status, aut per se, aut per Legatos suos, Oratores ac Deputatos interfuerant, suaque præsentia easdem agnoverunt, innovato adsensu roborarunt, earumque promulgationem & executionem adprobarunt. Et ipsa etiam hæc Conciliorum promulgatio non propria & Ecclesiastica solitaria potestate, sed & imperatoria authoritate decreta fuit; Siquidem ipsemet Imperator CAROLUS IV. ad plenam legis suæ notitiam facilius ad omnes propagandam Metropolitanis omnibus & Episcopis ejusdem promulgationem in omnibus suis Synodis posthac celebrandis faciendam in mandatis dedit. e)

Unde factum est, ut ab eo fere tempore vix Concilium quoddam Provinciale videre sit, quod non aliquam utriusque Constitutionis Imperialis mentionem fecerit, atque executionem adversus quoscunque Magnates & Proceres præceperit. Atque ne infinitus sim, Provinciale Moguntinum & Wirceburgense Diœcesanum anno MCCCCLII. paucis instar omnium recenseo. f)

## §. XXII.

In viam redeo, dum ad authoritatem Imperii & Imperatoris coævi Majestatem regredior. SIGISMUNDUS quippe non tantum constitutiones antedictas

b) Vid. GOLDAST. Tom. 2. pag. 95. & Bullarium Tom. I. pag. 275.

c) Vid. HARD. Conc. Tom. 8. Colum. 923. & Bullarium Tom. I. pag. 300.

d) Vid. HARDUIN. Tom. cit. 8. Col. 1483. in App. Conf. etiam §§. XVIII. Not. sub. Lit. i.

e) Vid. §. VI. Volumus etiam, hortamur & requirimus ipsos Prælatos Ecclesiasticos, ut hanc nostram Legem & Constitutionem in Synodis & Ecclesiis publicari procurent, & requisiti executionem pœnarum & sententiarum denuncient, ne in præmissis excedentes per simulatam ignorantiam suas malicias valeant excusare.

f) Antiquum exemplar possidet Bibliotheca hujus Almæ Universitatis Julio-Ducalis, quod vid. pag. 23. ubi PETRUS tituli Sancti Vitalis Presbyter Cardinalis & Episcopus Augustanus ex illustri Familia DE SCHAUMBERG eandem transmisisse laudatur, atque in fine pag. 90. sub nomine NICOLAI V. Papæ denuo confirmata legitur.

:dictas tanquam justas, sanctas & legitimas alia edictali, ut vocat, lege & mperiali authoritate adprobavit pariter & innovavit; a) sed ad tollendum uodcunque ambiguitatis dubium ad omnes omnino Ecclesias, videlicet non :rrarum duntaxat ac ditionum hæreditariarum, ut quidam autumant, aut is, quæ sive pro confirmatione Pontificia, sive pro executione Cæsarea ob :equentiores invasiones ac turbationes supplicaverant, pertinere declaravit, :que alias etiam libertatum Ecclesiasticarum species eadem comprehendit, ac urisdictionem præcipue Ecclesiasticam Episcoporum in certis causis mixtis ad ffectus quoque politicos antehac privilegiatam ab omni usurpatione, impeimento ac turbatione defendit; b) immunitatem a vectigalibus quoad fructus on tantum & reditus beneficiales, sed & cæteras res, sive ad victum & vestiım, sive ad honestam recreationem necessarias, quoad bona Clericorum hæ:ditaria sine impedimentis, invasionibus, intromissionibus, exactionibus & ccupationibus in hæredes eorum pacifice transferenda indulsit. c) Jurisdictiois Ecclesiasticæ & punitivæ Prælatorum potestatis impedimentum omne ac ırbationem non tantum interdixit, sed etiam ad præviam requisitionem fidele ad-

a) Goldast. Const. Imper. Tom. 2. pag. 107.

b) Deinde statuimus hoc edicto in perpetuum valituro, ut nullus judex secularis in Ecclesiasticis Causis, præsertim Matrimonii, legitimationis, usurarum, testamentorum infra annum non executorum, & ad judicium Ecclesiasticum legitime devolutorum, ac decimarum, prædiorum, ac fructuum, reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum, ac locationum, & conductionum seu conductorum eorundem possit seu valeat judicare, aut quomodolibet de hujusmodi causis aut eorum articulis cognoscere, nisi quatenus ab Ecclesiasticis judicibus fuerit requisitus. Quodsi contrarium fecerit, judicatum non teneat: & judex ex tunc judicandi potestate sit privatus: & subjaceat nihilominus poenis supra scriptis: actorque a suo Jure cadat ipso facto.

c) Demum præsenti & irrevocabili sancimus, declaramus, decernimus, & pronunciamus edicto, quo minus vina, grana, res & bona de suis redditibus Ecclesiasticis provenientia, libere & sine solutione theolonii seu gabellæ vendere seu adduci facere possint: Et quo minus res, bona, vina, cerevisias, carnes, grana, panes & pannos, & alia quæcunque eorum usui & recreationi convenientia sive intraneæ sive intranea, seu exteræ vel extera fuerint, pro eorum usibus seu recreatione sibi & per quævis loca, civitates, terras, castra, & aquas vectigio vel navigio absque quavis prohibitione libere & absque solutione cujuscunque theolonii, daciæ vel gabellæ, adduci & portari facere valeant: Et etiam quo minus res & bona mobilia & immobilia, ex Prælatorum seu Ecclesiasticarum personarum obitu relicta ad manus illorum, ad quos de Jure spectant, libere & sine quibuscunque impedimentis, invasionibus, intromissionibus, exactionibus & occupationibus præsertim per Laicos quantumcunque attemptatis perveniant, sive valeant pacifice pervenire.

adjumentum & impertiendum sæcularis brachii auxilium Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Consulibus, Rectoribus aut potestatibus injunxit. d)

Unde concludere licet nullum esse libertatum Ecclesiæ articulum, cui non aliqua hujus constitutionis SIGISMUNDINAE pars suffragetur.

## §. XXIII.

Mutatam interea admodum fuisse formam ac systema Imperii publicum, nemo est, qui ignoret; dum Statuum in singularibus Ditionibus suis potestas sensim maxima cepit incrementa, atque in illud, quo nunc Superioritas ita dicta Territorialis Majestatis æmula eminet, fastigium emersit. Imo & Nobilitas Imperii immediata eosdem saltem effectus cum reliquis Statibus communes per leges etiam publicas assertos posthac consecuta fuit. Quo minus tamen Ecclesia Germaniæ iisdem omnino vicissitudinibus & fatis cum maximo sui detrimento implicaretur, primis semper in curis numeravit Imperium.

Antiquæ jam divisiones Imperii factæ Ecclesiam in omnibus salvam, ejusque systema Regiminis & Status externi integrum intactumque præservarunt, prout chartæ divisionis inter LUDOVICI PII filios superius jam allegatæ pluribus enuntiant. a)

Unde mirum non est, his etiam temporibus, ubi Imperium in tot tamque diversas lacinias, in tot Capita majora & minora sensim discissum fuit, in unitatem tamen & concordiam integram Ecclesiarum in diversis licet partibus Imperii dispersarum per editas hasce Imperatorias leges antiqui semper systematis custodes invigilatum fuisse.

Hæc

d) Quin immo magis volumus & mandamus sub banno & pœna proxime supra dicta, ut Principes, Duces, Comites, Barones, Comitatus, Consules, Rectores, ac in officiis, dominiis & potestatibus prædictis constituti, quicunque ab impedimentis & usucapionibus rerum & bonorum relictorum hujusmodi, & a prædictis violentis hospitalitatibus, vectigalibus, serviciis, exactionibus, & petitionibus hujusmodi colonorum & subditorum Ecclesiasticarum personarum, & ab impedimentis & perturbationibus Ecclesiasticæ jurisdictionis omnino desistant: Nec captos nec abductos rebelles repetere vel repeti facere præsumant: Nec non requisiti totis viribus personas Ecclesiasticas in præmissis, ac jurisdictionem hujusmodi Ecclesiasticam exercentes, adjuvent, & diligenter sine omni dilatione adhibeant & apponant auxilium brachii secularis, ut libertas Ecclesiastica manuteneantur, & ut subditi rebelles, criminosi & delinquentes, modis præfatis aut alias, prout eisdem Jurisdictionem Ecclesiasticam exercentibus conjunctim vel divisim expedire videbitur, digna animadversione confligantur.

a) Dissertationis præsentis §. XVII. Lit. a.

Hæc etiam diversa Imperii nostri facies genuina & fundamentalis ratio est, cur non omnia illa, quæ in Regno Galliæ, utpote Monarchico, sustinentur, principia licet Theoretice haud semper rejicienda, practicam tamen sui adplicationem difficilius invenire possint, & quæ potestati Politicæ in Thesi adseruntur, ad supremam ab omni alio superiori independentem atque absolutam pertineant, omni vero & cuicunque, quæ in Germania viget, indiscriminatim haud adcommodanda.

## §. XXIV.

Inde porro profectum fuisse videtur, ut non obstante ea mutatione antiquum tamen Advocatiæ Ecclesiasticæ Jus & Protectionis munus intuitu omnium Germanicarum Ecclesiarum soli Imperatori adhuc reservatum, & propterea tot vincula stipulationum & Juramentorum in solenni inaugurationis cæremonia retenta fuerint. Hinc fit, ut Episcopi Sceptrum & Diadema Imperatoribus neo electis porrigant, hinc anathemata & execrationes illis imponuntur, si fidem datam fefellerint. Hinc Sacerdotum instar sacris vestibus ornantur & inunguntur, scilicet ut in Sacerdotalis Ministerii quandam partem se adsumptos reminiscantur, seque exterius Episcopos quodammodo effectos externam Ecclesiæ pacem, disciplinam, prærogativas, Jura & privilegia debere defendere, eidemque conservandæ, propagandæ, amplificandæ & protegendæ omnibus modis studere, quemadmodum internis Ecclesiæ mysteriis Episcopi veri præsunt. Huc alludens CAROLUS M. L. VI. Capitul. ait: *Quod & nos, qui Ministri Domini sumus, nec sine causa Dei gladium portamus, Episcopali in vice omnium Episcoporum atque regali authoritate pro viribus agere jubemur.* Perpenderunt nimirum Majores nostri ex priscorum temporum experientia edocti illam rerum humanarum, multo autem magis divinarum perturbationem, quam eo tempore potissimum, quo dissipato Imperio Romano in omnibus Europæ Provinciis nova Regna emergebant, Ecclesia perpessa fuerat; Ponderarunt econtra, quantum sub illo Divino Principum Constantinorum, Theodosiorum, Marcianorum, Justinianorum, Carolingicorum cum Episcopis nexu Ecclesia Dei ad salutem plurimorum aucta sit, ac simul Respublica Politica profecerit. Humana proinde providentia, quam optime fieri poterat, præcavere voluerunt, ne istiusmodi tempestatibus Germana quoque Ecclesia posthac concuteretur, sub uno propterea summo Capite Politico in unam disciplinæ externæ politiam confœderanda & coadunanda. Quam ob causam leges Imperii quamplurimæ prostant, ubi Cæsares non olim duntaxat, sed & hodie in defensoris Ecclesiarum titulo magnifice sibi in facie totius Imperii gratulantur. a) Ad hoc ipsum etiam jurato promittendum neo electum Regem Ro-

a) Conf. Rec. Imp. Colon. de An. MDXII. §. Und nachdeme 4.

Romanorum aut Imperatorem in primo statim Capitulationum initio per Serenissimos Electores adstringi quam notissimum est, prout omnium illarum exempla inde a CAROLO V., qua antiquiorem non habemus, usque ad Augustissimum JOSEPHUM II. modo gloriosissime imperantem demonstrant, id quod etiam Capitulationi perpetuæ & harmonicæ insertum legitur Artic. I. *b*) Ipsæ vero privilegiorum superius recensitorum iteratæ confirmationes post Carolingicos Imperatores a Germanis Imperatoribus liberaliter Ecclesiis impertitæ, ubi etiamnum major penes ipsos potestatis plenitudo resederat, nihil aliud reapse fuerunt, quam earundem in specialem suam protectionem ac defensionem receptio, ne eodem vicissitudinum, quæ circa civilia indies magis ingravescere advertebantur, turbine involverentur, & absorberentur, prout ipsæ variæ formulæ enuntiare videntur. *c*)

## §. XXV.

Hodie porro Advocatia eadem Ecclesiastica Imperatori secundum leges & observantias Imperii receptas asserta nulli est præjudicio Statibus Imperii, neque eorum Juribus vel Comitialibus vel Territorialibus in minimo detrahit. In nuda quippe legum Imperii antehac constitutarum executione, tuitione & custodia consistit, ad novas condendas sine consensu Statuum haudquaquam hodie se exerit. Imo nec nova hodie privilegia, quæ aliis Imperii legibus jam firmata non sint, aut in detrimentum ac diminutionem potestatis ac Superioritatis Statuum cedere possint, amplius impertitur. Antiqua tamen Legibus jam firmata suprema sua authoritate tueri eidem semper reservatum statuitur. Præcipue vero ea, quæ ad Religionem & Ecclesiam intuitum habent, & ad Comitia tamen differri vel ob casuum frequentiam difficile nimis vel operæ pretium non esset, aut quæ in nuda executione legum jam conditarum, aut privilegiorum legitimorum moribus receptorum manutentione consistunt, ad unitatem in his conservandam eidem asserta fuerunt. Ita per antiquas leges a FRIDE-

R. I. August. de An. MDXVIII. §. Erstlich 1. ubi Imperator der ganzen Christenheit Schutz- und Schirmherr vocatur.

R. I. Spiren. de An. MDXXIX. §. Und anfänglich.

R. I. August. de An. MDXXX. §. Nachdem aber 10.

R. I. Ratisbonens. de An. MDXLI. §. Aber Churfürsten 19.

R. I. August. de An. MDXLVIII. §. Damit dann 6.

*b*) Incipit enim: Der Erwehlte Römische König und Kayser soll und will die Christenheit, den Stuhl zu Rom, Päbstl. Heil., Christliche Kirchen als derselben Advocat in guten treulichen Schutz halten ꝛc.

*c*) Confer. Edictum HENRICI II. supra §. XVIII. allegatum.

DERICO II. Imp. firmatas alias sectas præter Religionem Catholicam unam & solam tum in Imperio approbatam in Ditionibus suis recipiendi, eisque effectus civiles & politicos juraque civium indulgendi facultas Statibus singulis ademta fuerat. Inde natum videtur Jus illud privativum Judæos recipiendi & protegendi Cæsareæ dudum Majestati reservatum, ut vel hac de causa servi Cameræ speciales dicti fuerint apud GOLDAST. a) Imo fere in proprietatem ejus translati. b) Et quis ignorat sanctionem aureæ Bullæ, c) qua Electoribus jus recipiendi Judæos speciale privilegium concessum est? Tandem vero temporis successu, Jus hoc antea specialibus privilegiis quibusdam datum, serius omnibus assertum atque superioritati Territoriali adscriptum est. d) Ut eodem demum omnes, qui regalia cætera habent, gaudeant. Cæsarem tanquam Concordatorum & Jurium iisdem Ecclesiis Germaniæ stabilitorum defensorem universum implorat Imperium. e) Reverendissimorum Archi- & Episcoporum Ecclesiarumque eisdem subjectarum singularia privilegia, statuta recepta, & consuetudines ejusdem tutelæ commendantur adversus quascunque infractiones ac violationes, quas undecunque subinde attentari contingeret; adversus informia Rescripta comminatoria præsertim ac pœnalia legitimæ authoritati pastorali opposita intercedendi cura & officium demandatur. f) Imo & legum sive Constitutionum Pontificiarum, siquæ Juribus suprematus ac independentiæ Imperii aut Nationis & Ecclesiarum libertatibus adversæ, aut quieti ac tranquillitati subditorum & Ecclesiarum pro temporum circumstantiis periculosæ emanaverint, promulgationem impedire ad eundem pertinet. g) Atque in-



a) Tom. II. Rer. Germ. p. 85.

b) Vid. Jus ALEMANN. Cap. 76.

LUDEWIG. ad aur. Bull. Tit. IX. §. 2. & 3.

MAGER. de Advocat. Cap. 8. n. 273.

c) Tit. IX. §. 2.

d) Reformation guter Policey zu Augspurg vom Jahr 1548. Tit. 20. Von Juden und ihren Bücher.

e) Conf. Capit. Cæsar. Artic. XV. & XVIII.

f) Conf. Capit. Cæsar. Art. XIV.

g) Exemplum prostat gloriosissimi Imperatoris CAROLI VI., qui exemplo Galliæ funestissimo motus, ne turbæ occasione Constitutionis: *Unigenitus*, ibidem suscitatæ per novarum Bullarum Pontificiarum promulgationem in Belgium & Germaniam nostram diffunderentur, latiusque serperent, consultum credidit, tanquam Advocatus Eccles. Germaniæ, missis Romam seriis omnino

insuper controversiarum, quas Ecclesiam inter & Rempublicam profanam de finibus Jurisdictionis alterutrius regundis moveri perfrequens esse solet, compositio, eoque necessaria causarum Civilium ab Ecclesiasticis & spiritualibus separatio secundum receptas Imperii leges ac observantias communi ejusdem Systemati commensuratas committitur. *b*)

## §. XXVI.

Hæc ipsa porro eminens Imperii & Imperatoris pro libertate Ecclesiæ cura ac sollicitudo tanquam ipsi reservata, nec singulorum Statuum arbitrio relicta, nullo magis tempore eluxit, quam in ipsis funestis Religionum dissidiis, quæ Germaniam hodiedum affligunt, ac in partes divisam detinent, imo iis ipsis opinionibus, quæ nunc a Catholicis quoque Politicis adversus Ecclesias inconsulta imitatione propagantur, originem, occasionem atque fomentum præbuisse videntur. Quamvis enim inde ab initio Status quidam in Reformationem sic dictam prochviores circa Ecclesiæ dogmata non minus, quam disciplinam majorem sibi, quam legibus hactenus permissa esset, potestatem arrogarent, quin etiam conniventibus demum Imperatore & Comitiis obtinerent; ejus tamen dependentiam professi sunt, dum ita sese gesturos esse professi sunt, ut coram Deo, Cæsare & Imperio rationem desuper reddere se posse confiderent. *a*)

Hoc

no literis hortari suum ad Sedem Romanam Legatum Eminentissimum Cardinalem DE ALTHAN, ut novo Pontifici nondum in hoc argumento longe progresso curas suas Imperatorias contra serpens hoc malum explanaret. Literas Gallico idiomate conceptas refert BECK in Differt. *de triplici Advocatia Imperatoris.*

*b*) Conf. idem Artic. XIV. Exempla antiquiora CONRADI III. FRIDERICI I. FRIDERICI II. ac LUDOVICI BAVARI prolixe recenset PFEFFINGER AD VITRIARIUM Lib. 3. Tit. 3. p. 436. Quam ægre SIGISMUNDUS Imperator Appellationem ERICI Lauenburgensium Ducis, in causa Saxoniæ Electoratis in FRIDERICUM Misniæ Marchionem translati, An. MCCCCXXXIII. ad Concilium Basileense interpositam tulerit, binæ ejusdem litteræ sub dato Ulmæ, Feria quarta post JACOBI An. MCCCCXXXIV. ad Concilium præscriptæ. quibus causæ Remissionem ad forum competens vehementer urgebat, satis superque loquuntur. Tenor litterarum integer occurrit apud LONDORPIUM Tom. I. Actor. Public. Lib. 1, C. 5. p. 27. & Thucelium in Electis Juris Publici Curiosis de Ann. MDCLXXXXIV. C. 1. p. 13. seqq.

*a*) Recess. Imper. Spirens. An. MDXXVI. §. 4. Also zu regieren und zu halten, wie ein jeder solches gegen Gott und Kayserl. Majestät hoffet und vertrauet zu verantworten.

Hoc eodem etiam tempore, quod mirum eſt, illa ipſa Eccleſiæ & Epiſcoporum in perſonas Eccleſiaſticas ſibi ſubjectas in cauſis criminalibus, fractæ adeo Pacis Publicæ, Jurisdictio ita firmata fuit, ut immediatæ Sæcularium Tribunalium coercitioni aliorum inſtar Civium Imperii haud ſubjicerentur. Immediati econtra Status, licet tanquam Vaſalli Imperii ab eodem judicentur ac puniantur, quoad pœnam tamen illud diſcriminis ſervatur, quod ſolis Juribus temporalibus, feudis regalibus aliisque privilegiis priventur, perſonis vero eorundem ab offenſione ſalvis, cum econtra ſæculares cujuslibet læſioni privatæ impune exponi ſoleant. *b*) Quamvis tolerantia Religionis cujusque in ſingulis Territoriis effectus tantum Politicus videri poſſit; hanc tamen indulgere cuicunque in arbitrio Statuum haud relinqui voluit, ſed, ut præter Catholicam ſola tantum ab A. C. nuncupata admitteretur, cautum fuit in Pace Religioſa. *c*) Id quod in Pace Weſtphalica, qua ita dicta Reformata in Pacis ejusdem ac effectuum non tantum communium Politicorum, ſed & Jurium Imperii publicorum conſortium admitti voluit, quoad omnes tamen alias rigidius fuit diſertiusque interdictum. *d*)

Quantum ad cauſas Eccleſiaſticas ſoli cognitioni Eccleſiaſticorum ſeu Epiſcopalium judiciorum obnoxias attinet, licet vix ullæ ex iis ſint, quæ non ad effectus quoque Politicos ſeſe extendant, aut temporale quidpiam inſuper involvant, nonniſi privilegio aut benevola Imperii Politici ceſſione privative Eccleſiæ aſſertum, non tantum Ordinationes Judicii Cameralis, ac Decretum præcipue Viſitationis de anno MDLXX. ab ejus ſupremi Tribunalis jurisdictione immunes pronuntiant, eoque nunquam pro ſuperiori inſtantia admittendas, *e*) ſed quam maxime Pax Religioſa ſæpius allegata dum Jurisdictionis Eccleſiaſticæ uſum adverſus Proteſtantes in iis, quæ intime ad finem Eccleſiæ, ad fidem

*b*) In Pace Publica Wormat. Ann. MDXXI. per CAROLUM V. publicata §. Item ob geiſtliche Perſonen, id conſtitutum fuerat, & in altera poſt diſſidium Religionis jam ſatis inveteratum Auguſtæ Ann. MDXLVIII. Tit. 22. declarata & innovata iisdem verbis repetitum. Add. Tit. 3. Und ob jemand hohen oder niedrigen weltlichen Stands.

Conf. GAIL de Pac. Public. Cap. 1. §. 13.

*c*) In Verbis: Doch ſollen alle andere obgemeldten beyden Religionen nicht anhängig in dieſen Frieden nicht gemeint, ſondern gänzlich ausgeſchloſſen ſeyn

*d*) Inſtrumentum Pacis Oſnab. Art. 7. §. 2. in Verbis: Præter Religiones ſupra nominatas nulla alia in Sacro Imperio Romano recipiatur vel *toleretur*. Ubi prohibitio tolerantiæ non alios ſane, quam Status ſingulos concernere poteſt.

*e*) Confer. CRAMER. Nebenſtunden 79ter Theil, ubi ad tuendam cauſarum Eccleſiaſticarum inter Proteſtantes exemptionem ab appellationibus ad ſuperiora Imperii dicaſteria argumenta Catholicis tantum ſuffragantia & huc optime applicabilia latius videri poſſunt.

fidem & dogmata, ritus, cæremonias, Ministrorum ordinationes pertinent, usque ad totalem Christianam dissidiorum Religionis compositionem conquiescere jussit, eique executionem adversus A. C. addictos denegavit, in his tamen causis secundum se magis adiaphoris ex utroque intuitu, temporali videlicet & spirituali, mixtis, ut Decimalibus, sponsalium, matrimonialibus, Juris Patronatus &c. eandem ubique & quidem non tantum in territoria & subditos, sed & in personas Statuum A. C. jam addictorum salvam esse voluit, atque in ea quidem latitudine quoad personas, res, causas sive mixtas, sive mere Ecclesiasticas, Civiles & Criminales, qua ejusdem exercitium antehac receptum, aut Ecclesiastici in ejusdem quasi possessione fuerant. *f*) In Pace vero Westphalica, licet in his etiam rebus adversus Status A. C. addictos eorumque subditos in regula suspensa denuo fuerit, in subditos tamen A. C. addictos Statuum Catholicorum, qui in Anno Normali secundum terminos Pacis Religiosæ eandem in causis ejusmodi adiaphoris agnoverant, disertis verbis firmata fuit. *g*) Quæ ergo in ipsos etiam Protestantes non aliter, nisi per leges publicas totius Imperii remitti potuit, imo quoad reliquos potius casus ad fidem & Ministerium non pertinentes denuo stabilita fuit, respectu Catholicorum certe eadem prorsus & firma immotaque perstitit, ac novum potius robur viresque obtinuit. Pro qua enim Catholici Status, tanquam pro aris focisque, profuso etiam sanguine decertarunt, eam privato singulorum arbitrio moderandam aut attrectandam relinqui voluisse, quis unquam prudens cogitabit? *h*)

Eadem argumentandi ratio ad res & bona Ecclesiastica, tanquam Juri diœcesano, superintendentiæ ac eminenti administrationi Episcoporum cum exclusione Statuum Sæcularium Catholicorum concredita, horum vero imperio vi legum publicarum etiamnum subtracta pertinet, & æquali prorsus robore suffragatur. Et ipsi quoque Protestantes Status sub initium dissidiorum supremam vel Ecclesiæ vel Imperatoris & Imperii curam atque inspectionem reveriti etiamnum fuerant, quam subterfugere se noluisse fatebantur. *i*)

§. XXVII.

*f*) Instrum. P. Relig. §. 20. Aber in anderen Sachen und Fällen der Augspurgischen Confession Religion Glauben ꝛc. nicht anlangend, soll und mag die geistliche Jurisdiction durch die Erzbischöff, Bischöff und andre Prälaten, wie deren Exercitium an einen jeden Ort hergebracht, und sie deren in Uebung Gebrauch und Possession, hinführo, wie bisher, unverhindert exercirt geübt und gebraucht werden.

*g*) Instrum. P. W. Artic. V. §. 48.

*h*) Confer. Majer Acta P. W. Tom. II. pag. 548. & 582. quibus Catholicorum pro tuenda jurisdictione Ecclesiastica Episcoporum in his causis adiaphoris zelus luculenter patescit.

*i*) Cum enim Imperator Carolus V. Recess. Imp. An. MDXXX. Statibus Protestantibus imputaret, quod Catholicorum bonis inhiarent potius, quam quod pie-

§. XXVIII.

Parum proinde præsidii adversus Libertates Ecclesiæ toties legibus Imperii stabilitas atque firmatas afferre potest, quod illæ Statum in Statu formare videantur. Nihil enim magis frequens esse solet in Germania, quam unum imperantem in alieno etiam Territorio certa Jura & Regalia habere, ut Jura querelæ, aperturæ, conducendi, vectigalium, Centenam, Jurisdictionem altam vel bassam &c. a) Statum tamen in Statu nemo infert, licet Jura, quæ ab alieno exercentur, ex natura sua ejusdem ordinis & ad eundem cum potestate Territoriali finem ordinata sint. Ubi ergo diversus est secundum indolem negotii ordo, licet ex consequenti ad fines ejusdem potestatis Politicæ quoad aliquos effectus non penitus separabiles accedat; tanto minus metus ille locum habere poterit. Sicut nimirum ex Regalibus in alieno Territorio competentibus speciale statim Jus Territorii haud fingendum est; cum Territorium, salva manente substantia, quibusdam Regalibus carere possit, & Regalia tanquam separatum quid sine Territorio haberi queant, atque sufficit illa Jura vel ex lege vel ex concessione communis Superioris, Imperatoris videlicet ac Imperii in alieno possideri; ita iis etiam Juribus Ecclesiasticis, quæ alioquin nunquam cum Statuum potestate conjuncta, aut quæ antiquius Ecclesiæ & Episcoporum mitris insita fuerant, carere potest. Ab Imperatore quippe & Imperio eo jam tempore hæc Jura & Jurisdictiones ad Politica aliquatenus se extendentes indulta sunt, quando superioritas Procerum Imperii ad suam perfectio-

pietatis ac Religionis haberent rationem, in propositione ad Cæsaris Legatum Granvellanum in Conventu Smalcaldico An. MDXL. Mense Aprili ita inter alia responderant: „Bonam proventuum partem „ad Ecclesiæ ministeria con„vertimus, & in usus eorum, qui vel egestate vel adversa valetudine pre„muntur, & in ludos quoque litterarum. Et his quidem rationibus annui „Cænobiorum Census nonnihil sunt accisi: quidquid autem ex iis bonis re„liquum est, asservatur, ut sit, quod in tenuiores Ecclesias, in sacerdotes „egenos, & adolescentes rei literariæ deditos erogari possit, quæ vero sunt „reliqua bona, non recusamus ad pios & salutares usus concedere pro *legitimi* „*Concilii, siquod erit, aut Imperii Conventus arbitrio.* Huc enim proprie „pertinent Ecclesiæ facultates, ut & sacræ literæ testantur. Videsis integram repræsentationem apud. Jo. SLEIDANUM L. XIII. pag. 328. seqq. nec non apud HORTLED. de C. B. G. L. V. C. IX. pag. 1286.

a) Confer. ENGELBRECHT de servitutibus Juris Publici Prolegom. §. 9. lit. X. ubi commune Doctorum assertum dicit, nihil frequentius esse in Germania, quam ut quædam Provinciæ plurium dominatu fatigentur. Alleg. VICTOR. de Exempt. Conclus. XXXIII. n. 1. add. Omnino LEIPOLD de Concurrentia jurisdict. Quæst. XII. & LINDENSPÜR. de Imperior. ac familiar. success. & mutat. C. XXXIII. n. 33. & seqq.

fectionem necdum erat provecta, ſcilicet nec authoritate propria leges ferendi, *b*) nec judicandi, *c*) aut alia ſibi emolumenta aſſerendi munita fuerat, ſed ipſa quoque a ſolo Imperatoris arbitrio dependebat. Ubi igitur Duces & Comites Provincias ſuas proprio & hæreditario Jure poſſidere cœperunt, Jura illa ſingularia Epiſcopis jam antehac per leges firmata in ipſos non poterant tranſire, utpote jam præoccupata.

## §. XXVIII.

Quam vero ſenſim poſt indultas jam Eccleſiæ libertates adepti ſunt Status Imperii, poteſtas atque ſuperioritas certe non libera prorſus aut arbitraria ac illimitata, ſed ſuis etiam limitibus circumſcripta eſt. Nolim equidem duriores illas, quas Juriſconſulti quidam celeberrimi hanc in rem adferunt, expreſſiones aut mordaces fere invectivas in ſervilem, ut, ajunt adulationem, qua Principibus abſolutum ſuadetur Imperium, meas facere; *a*) minus vero mere

*b*) Confer. HERTIUS de Superioritate Territ. §. XXV. ubi teſte BESOLDO probat, legislatoriam poteſtatem ſerius Statibus conceſſam eſſe, eorum vero leges uſque ad ADOLPHI Imperatoris tempora continuatione & privilegio Cæſaris indiguiſſe. Hanc quoque XVI. adhuc ſæculo a quibusdam & præcipue a Moguntino Electore impetratam fuiſſe. Eodem ſæc. exeunte An. videlicet MDLXXX. JULIUM Epiſcopum Herbipolenſ. Ordinationis ſuæ Provincialis confirmationem Cæſaream petiiſſe & RUDOLPHUM II. Imp. eam impertiiſſe narrat, & Inſtrumenti tenorem refert Clariſſ. D. SCHNEIDT *Diſſert. de fontibus Juris Francon.* §. 6. Addat. etiam STRUV. Corpus Jur. Publici. Cap. XXX. §. XII.

*c*) Confer. ibidem Authores loc. cit. §§. ſubſequent. præſertim poſt XVI. ubi ad FRIDERICI II. indultum jurisdictio Judiciaria Statuum reducitur.

*a*) TREVERUS in Monſtro arbitrarii Juris Territorialis Legibus Imperii e Germania profligato §. 1. ubi de adulatione ſervili conqueritur, qua Imperantibus abſolutum ubique ſuadetur Imperium, & totus fere orbis terrarum ab ipſo factus eſſe Hobbeſianus dicitur.

Eo SECKENDORFFII in Additionibus des teutſchen Fürſtenſtaats §. 19. admonitio pertinet, quando ait: Es mißbrauchen etliche, zumahl neuangehende Räthe und Diener an Höffen, das Wort Lands-Fürſt, wann ſie ſolches in ſeinen Syllaben klingen hören, ſo müſte auch [illegible] alles daraus folgen, was ſie etwa in Büchern geleſen, daß insgemein ein Lands-Fürſt oder Summus Princeps thuen könne. Et §. 6. Die Unart der eigenwilligen Herrſchafft hat allem Anſehen nach und ſo viel man aus Hiſtorien begreiffen und vermuthen kann, der alten Freyheit zuwider mehr und mehr an vielen Orten auch in unſrem Vatterlande zugenommen, allwo doch ehedeſſen mehr Freyheit geweſen, ja wo die Freyheit ihren alten Sitz gehabt und von denen Poeten dahero genennet wird: Germanum Scythicumque bonum. Die Urſachen kommen vielleicht nächſt der göttlichen Straffe, welche erſtlich

mere vicariam Superioritatem Territorialem asserere animus est. *b*) Legibus tamen Imperii publicis subordinatam esse omnes fatentur. Recte MAURITIUS Hassiæ Landgravius inter studia Imperii Romano-Germanici ruinam procurantia retulit eorum placita, qui Statuum libertatem ita extendunt, ut legibus Imperii quibuslibet soluti magis, quam ligati apparere malint. *c*) Et vel sola formula Juramenti, quæ non tantum feudalem, sed & subjectionis obligationem involvit, satis indicat. Recte autem a REINKINGIO *d*) est observatum, nullum Imperii Principem vel Comitem reperiri, qui Jusjurandum hocce non præstet; cum etiam illi, qui Principatum vel Comitatum suum non ab Imperatore & Imperio, sed ab alio recognoscunt, saltem de Regalibus & honorificentiis terris illis annexis ab Imperatore investiantur.

*Legibus* proinde, quæ publicum statum & communem salutem atque utilitatem concernunt, & quæ in ipsos Status latæ iis agendi regendique normam præscribunt, per contrarias leges derogare non possunt. Ecclesiarum vero Status ob ipsam illam per diversa Territoria extensionem ad rationes communes Imperii pertinere semper visus fuit. Neque tales leges ferre uni Statuum competit, quæ in detrimentum aliorum cedere possint, & Juri quæsito Constatuum, quales in Imperio sunt Episcopi, præjudicare. Id Historia reformationis sic dictæ aut dissidiorum Religionis superius recensita luculenter demonstrat. *Observantia* quoque Imperii ipsismet præsertim supremorum Imperii Tribunalium præjudiciis & praxi nixa vim legis in Imperio semper habuit. Ipsorum Statuum



lich über die Unterthanen, und dann auch am Ende über die Regenten selbst dadurch ergehet, aus mancherley oft geringen Umständen her. Den ersten Hub und Beförderung thuen ohne Zweiffel Anfangs dabey eigennutzige Höfflinge, welche gewohnet sind von Jugend auf den Regenten zu schmeichlen, und ihnen ihren hohen Stand und Vorzug dermassen bey aller Gelegenheit vorzustellen, und mit ersparter Wahrheit zu vergrösseren, auch alles was wohl gedeyhet, den Herrn allein zuzustellen, daß ein Wunder, wann sie darüber nach und nach des eitlen Dunstes voll werden, und also ehrlicher Leuthe Sprache, die zwar, wie billig, mit allem Respect, doch gründlich und eigentlich die wahre Bewantniß vorstellen, gleichsam nicht verstehen, sondern dieselbe für ungestümme, harte, hochmüthige Köpfe achten, die man nicht viel müsse wissen lassen, weil sie das Spiel verderben, oder nur Difficultäten machen.

*b*) Hoc plerique veterum. Inter juniores GAILIEUS de P. P. C. 10. STAMMIUS de serv. pers. Lib. 3. C. 8. N. 1. STRAUCHIUS spec. J. P. Tit. 10. §. 1. & alii asserunt, inde cum viderent Majestatis vocabulum non quadrare, in alteram partem nimis excesserunt: Verum cum proprio Jure & nomine, non alieno hodie præsint regantque territoriorum Domini; mere vicaria iis potestas certe tribui nequit.

*c*) SCHWEDER J. E. P. Spec. Sect. 2. Cap. 10. §. 3.

*d*) Lib. 1. de Reg. Sæc. & Eccl. Clas. 5. Cap. 4. n. 12.

tuum Jura nutabunt, nisi observantiæ & antiquæ possessioni vis sua ac firmitas in Imperio tribuatur. Accedunt *Pacta*, *Concordata* & *Recessus*, quibus vix ulla Diœcesis cum exteris quibuscunque Principibus aut Statibus carebit. His enim stari & Juris Naturæ volunt placita & leges Imperii inculcant; cum in sacris, tum in profanis, quamvis hæc certum exercitio Jurium Territorialium modum & subjectioni subditorum mensuram præscribant. *e*) Ratione fori competentis & Jurisdictionis contentiosæ Tribunalium mediatorum ordinatio ipsa Cameralis Wormatiensis MCCCCXCV. edita Statibus Imperii immediatis legem injungit. *f*)

Quoad exactiones ac præstationes adeo profanis Civibus, quibus nullum privilegium, nullum Jus singulare per leges ipsas Imperii communes indultum est, sed quibus hæ ipsæ exactam imperant in regula paritionem, eatenus tamen assistunt, si pactis specialibus aliquam sibi immunitatem acquisierunt. *g*)

Quam

*e*) Exemplum exhibet Inst. P. W. Art. X. §. 16. qui Pomeraniæ Ordinibus & subditis in Suecorum potestatem translatis securitatem jurium præstat, & requirit a suecis, ut competentem eorum libertatem, bona, Jura & Privilegia communia & peculiaria legitime adquisita vel *longo usu obtenta*. . . circa homagii renovationem & præstationem more solito confirment.

Eodem Inst. P. W. Art. XIII. §. 4. cavere monetur Episcopus Osnabrug. per literas reversales Statibus & subditis suis homagio, quatenus observantia ab antiquo obtinuit, ab ipsis recepto, Jura ac Privilegia salva fore, & quæ præterea Statuum & subditorum securitati necessaria videbuntur.

*f*) Tit. 26. Ein jeder soll seine Unterthanen in seinen ordentlichen Gerichten, Rechten und Obrigkeiten bleiben lassen und halten nach eines jeden Fürstenthums, Grafschaft, Herrschaft und Obrigkeit Löbl. Herkommen und Gebräuchen.

*g*) Cum etiam in R. I. novissimo Anni MDCLIV. §. 180. injungeretur, ut Dominis territorii necessaria subditi ferant & subministrent ad fortalitia & præsidia sustinenda, quarum tamen rerum curæ & onera jam pactis antiquioribus ac specialibus in Dominos ipsosmet translata fuerant, multi Jura sua inde læsa existimantes querelas proinde ac lites suscitarunt. Quare LEOPOLD. Imp. in Comitiis An. MDCLXX. eundem Recessum secundum leges Imp. jam antea de juribus civium mediatorum latas declaravit: Daß Ihro Kayserliche Majestät in obangezogenen neuen Vorschlag und prætendirter Extension des R. und gleichwie ohne einigen Unterschied, und zwar ihrer der Chur-Fürsten und Stände, Mediat-Stände, Landsassen und Unterthanen habenden Behelffs ganz zumahlen ungehört und unvernommen willigen und sogar die Rechtshängige Proceß in dergleichen Materiis cassiren und sonderlich denselben, wann sie sich über die Billigkeit beschwehrt zu seyn erachten sollten, dazu können dieselbe in Erwegung der hierbey vorgefallenen hochwichtigen Bedenken einmal nicht einheben, sondern werden um der dabey sich ereigneten Umständen Willen, vielmehr gemüßiget, einen jeden bey dem, wessen er berechtiget, und wie es bis dato observiret worden, in allewege verbleiben zu lassen.

Vid. SCHMAUSS. Corp. Juris Publ. LXXXVI.

Quam firmum proinde præsidium subditorum communium libertati adversus arbitrarium Superioritatis usum in pactis specialibus mutua duntaxat conventione, eaque sæpius extorta, conclusis leges Imperii adstruunt, æque certe validum, imo fortius Ecclesiis atque Ecclesiasticis personis privilegia & Jura singularia legibus ipsismet & concessionibus munificis Imperatorum antecessorum ac Imperii ceu fontis, ex quo in Imperio in subordinatos quoscunque potestas profluxit, firmata subministrant, utpote quibus Status & Ministerii sui dignitas, atque necessitas & insignia in ipsam Rempublicam merita propter Dei ac Religionis, cujus Ministri sunt, honorem, prærogativam quandam conciliant, quæ a cæteris communibus haud est invidenda.

## §. XXIX.

Neque vero ipsimet Ecclesiastici hoc legum humanarum præsidium infirmum sibi esse existiment, aut libertates suas labefactatas inclament, hoc ipso, quod magnam illarum partem Juri divino subtrahamus, & humano duntaxat tribuamus. Inde videlicet inferri animadvertunt, solas illas admodum paucas, atque in effectibus suis restrictas, quæ divinam prorsus originem habent, immutabiles esse ac indispensabiles, quæ nullis hominum contrariis usibus, aut præscriptionibus temporum, aut legibus posterioribus convelli ac labefactari possint. Quæ vero humani Juris sunt, longissimi aut immemorialis temporis præscriptione, aut consuetudine, vel etiam legibus in contrarium posse diminui vel aboleri. Sed hæc couclusio licet non penitus refellenda sit, si suas insuper supponat conditiones requisitas; nullum tamen præjudicium iisdem infert, aut non æque pertimescendum, quam illud, quod ex detecta opinionum illarum Scholasticarum de Jure in hisce rebus temporalibus Divino nimium hyperbolicarum falsitate suapte sponte & natura consequitur. Justa enim sic esset ejus retractatio, quod per errorem & ex falsa causa per Antecessorum simplicitatem & ignorantiam fuisset indultum. His econtra in principiis, quamdiu saltem privilegia ejusmodi superiori lege indulta usu vigent, nec prævaluit opposita legitimi temporis consuetudo, vel lex posterior Imperii communi Statuum consensu edita non derogavit; nemo inferior potest iisdem derogare citra injustitiam gravemque Dei offensam. Legislator itidem derogando ac revocando sua abutitur potestate, nisi cessantibus omnibus iis, quæ Antecessores moverunt, rationibus publicis diversi quidpiam necessitas aut utilitas publica ad aliarum legum irritationem alias requisita exigat. Atque hoc quidem commune est cum omnibus quorumcunque hominum etiam privatorum, aut Collegiorum qualiumcunque profanorum in Republica existentium Juribus mere civilibus, quorum possessio durat, ut non sine injustitia & gravi peccato aliquis ea infringat, etiamsi alioquin possint per non usum amitti. Quantum vero ad Ecclesiastica pri-

privilegia attinet, quæ non divinum, ſed humanum Jus introduxit, ſiquis illa nondum longa legitimaque obſervantia aut lege abolita convellere aut violare intendat, tanto gravius adverſum ſe Judicium Dei provocat, quanto gravior eſt injuſtitia, quæ ob intuitum Dei & Religionis, cui per conceſſionem honor præſtari voluit, adeoque & per attentatam injuſtam & arbitrariam invaſionem injuria irrogatur, quandam ſacrilegii ſpeciem involvere, aut ad eam accedere videtur.

Difficulter etiam inferiorum præſcriptio prævalere poteſt in re ad Statum publicum pertinente & per leges toties innovatas, tum politicas, tum Eccleſiaſticas ſtabilita, tantisque irritationibus munita.

Ex præmiſſis hactenus principiis Jus ſaltem certum atque ſubſiſtens elucеſcit; quibus omiſſis qui de Eccleſiaſticis immunitatibus diſceptantes non diſcernunt ea, quæ ſunt Divini, & quæ humani Juris, atque in ipſis Juribus humanæ atque mutationi obnoxiæ inſtitutionis non diſcernunt inter ea, quæ adhuc uſu vigent, & ea, quæ contraria conſuetudine vel lege publica prorſus antiquata & abolita fuerunt, omnia confundunt, & Andabatarum more cæcutientes ſuos in aere gladios ventilent neceſſe eſt.

## §. XXX.

Cum igitur leges ſemel editæ ac perſeverans earum uſus & obſervantia ſint regula ac norma libertatis Eccleſiaſticæ in relatione ad Rempublicam profanam in rebus de ſe adiaphoris aut mixtis conſideratæ; non incongrua exinde eſt concluſio, ab unius Regni obſervantia ad alterum nullum duci convincens argumentum, nec alterius obſervantiam alteri regulam conſtituere, ubi diverſus eſt Reipublicæ ipſiusmet profanæ Status, diverſæ leges & diverſæ inſuper Eccleſiam moderandi & protegendi rationes. Cum tamen ad Regnum Galliæ plerique provocare amant, ubi ſicut quondam largiſſima fuit libertatum Eccleſiæ extenſio, ita hodie eædem parciſſimæ feruntur; ejusdem Conſtitutiones huc pertinentes aliquas ex CABASSUTIO referre juvat, ex quibus perſpicuum redditur, ampliorem quidem hactenus legibus Germaniæ publicis uſu ſemper & obſervantia retentis favorem indultum fuiſſe; ſi tamen novitia quorundam dogmata & conatus in Germania conſiderentur, quæ vero imitatione ſua latius propagari noſtra necdum vidit ætas, optandum ſane iis eſſet Eccleſiis ſub Gallico potius dominatu jugoque verſari, quam Germanæ libertatis nomine ſine re ipſa gaudere.

Easdem enim uniformes ubique unius Legislatoris ejusque ſupremi leges ac Conſtitutiones ſibi datas a nemine inferiori prætergrediendas ſequitur; in Germania infinitas, utpote cujus Eccleſia univerſim ſumpta infinitis, una ſæpe par-

articularis quam plurimis magnis parvisque subest legislatoribus. Edicta liquot Regia percensere libet in tuendam Ecclesiarum libertatem penitus aduc conspirantia, sive personalem Clericorum a foro sæculari exceptis causis iere realibus, & ab oneribus quoque personalibus, imo quoad bona Ecclestica Beneficiorum suorum etiam a realibus exemptionem, Episcorum quoue in causis non tantum Jure divino eorundem Jurisdictioni obnoxiis, sed in ariis etiam extrinsece tantum spiritualibus privativam cognitionem consieres. a)

Facto-

a) Jus. Canon. Theor. & Prax. Lib. I. Cap. 19. §. 15. Causæ fidei in Gallia perinde ac in reliquis catholicis regionibus sunt Ecclesiastici fori &c. allegat Constit. FRANC. I. HENRICI II. & CAROLI IX. relata sunt in Codice HENRICAEO & in collatione Regiarum constitutionum. Causæ pariter matrimoniorum circa eorum validitatem, aut nullitatem solis attribuuntur Judicibus Ecclesiasticis, juxta edictum HENRICI IV. Art. 12. Ann. MDCVI. Judices quoque Ecclesiastici, non solum de fœdere connubii, sed etiam de sponsalibus ac promissionibus futuri matrimonii, ut præambulis ad hoc Sacramentum cognoscunt & judicant in hoc Regno. BACQUET Pastor de jurisdictione Eccles. Cap. 13. n. 7. profertque Senatusconsulta, per quæ talium promissionum causæ ad Episcopos remissæ sunt.

Addatur ibidem §. XVI. ubi ex ANNAEO ROBERTO Lib. 3. rerum judicat. C. 5. & L. 4. C. 10. referuntur Parisiensia Senatus consulta, quæ partes litigantes tum circa sponsalia, seu sponsionem futuri matrimonii tum circa judicium & cognitionem impotentiæ ad contractum matrimonium, remittunt ad Ordinarium, quem tamen excludunt a cognitione & judicio de damnis, & eo quod interest, utpote spectantibus ad solum laicum Tribunal, tametsi emergant occasione Matrimoniorum.

Quoad realium munerum ac onerum exemptionem CAROLUS IX. edixit Parisiis, Mense Junio An. MDLXVIII. esse immunes Clericos circa prædia & proventus suarum Ecclesiarum & Præbendarum ab omnibus præstationibus publicis, ac vectigalibus, neque his adstringi, nisi in suis patrimonialibus bonis; idemque altero Parisiensi edicto Mensis Novemb. Anno ejusdem Sæculi septuagesimo secundo & altero insequentis Anni Mensis Maji, ad Nemus Vincennarum: deinde HENRICUS III. Avenione, Anno septuagesimo quarto Mense Januar. An. MDLXXX. Art. 19. statuunt Clericos in suorum beneficiorum fructibus & prædiis liberos esse ab omnibus pecuniariis contributionibus & a Gubernatorum & militum hospitiis & ab expensis & sumptibus præsidiorum militarium, munitionum, fortificationum, annonarum militarium, armorum, equorum, itemque ab excubiis & custodiis, etsi mandatis Regiis aut inferiorum Potestatum declaretur comprehendi cunctas exemptas & privilegiatas personas.

Reliqua edicta præterea ibidem relegi possunt, præcipuæ HENRICI III. Blesense Ann. MDLXXVII. quo assumi declarat omnes Ecclesiasticos in suam pro-

Factorum in Germania hinc inde occurrentium facilis erit comparatio. Unde applicationem prudenti cuique lectori lubens relinquo.

## §. XXXI.

Nec tamen is quoque videri volo, qui mutato hodie Imperii statu atque Superioritate Territoriali nunc per leges easdem publicas stabilita, quam Jure proprio quicunque Ordines Majestatis ipsius æmulam in suo obtinent, Statibus, qui iidem quoque nativi sunt particularium Ecclesiarum ad se attinentium Tutores ac Protectores, nihil prorsus circa earundem libertates relictum esse asseram, aut notum illud adagium ex *Cap. X. de Constit.* mutuatum, *quasi solu eos maneat obsequendi necessitas, non authoritas imperandi*, applicare ausim. Ad eam enim, quæ Superioritati Territoriali incumbit, felicitatis publicæ subditorum conservandæ curam libertates hæ nequaquam plane indifferentes existimari possunt. Ab ea proinde circumspectio ac providentia quædam separari nequit, qua caveatur, ne aut concessæ superiori lege libertates malitia hominum in abusum atque in novum præjudicium reliquorum subditorum vertantur, aut ne nimia earundem extensio cum rationibus Status sui haud compossibilis sensim ingravescat. Et quidem prior unius alteriusve duntaxat membri malitia, aut abusus, unius hic & nunc existentis Prælati oscitantia vel præcipiti zelo attentatus, non ideo statim totalem revocationem favoris ex justissimis causis publicis a Superioribus & Antecessoribus suis toti ordini atque perpetuo concessi justificabit; mutuis tamen communicationibus, queis nunquam Ecclesia promptitudinem suam denegare solet, ansam dabit. Inveterati vero si fuerint, constantes, perpetui ac latius diffusi, sicut alioquin efficacius remedium unitis viribus parandum exigunt, cum totalis revocatio ad eundem pertinet, ad quem concessio; ad Imperatorem & Imperium facilis erit recursus, ut reformatio obtineatur, quæ ab Ecclesia denegata foret. Hanc viam antecessoribus S. R. Imperii Ordinibus præplacuisse ostendunt centum illa gravamina unitis studiis deliberata, atque magna ex parte, quantum rei veritas & ratio fundata exigebat, per ipsummet Concilium Tridentinum emendata. *a*)

Et

protectionem Regiam, eorumque domos & prædia recipit, permittens, ut apponant in suis ædibus terris & villis insignia regia ad salvam guardiam.

Quod idem & CAROL. IX. pariter edixerat Art. 15. Constitutionis Parisiis editæ die 16. Aprilis Anno ejusdem sæculi septuagesimo primo.

*a*) Propter nimiam Cleri multitudinem Clericis in minoribus constitutis privilegiorum eorundem usus ad certas conditiones restrictus fuit Sess.23. Cap.6. de Reform.

Nimiæ solennitatum degradationis ambages Clericorum delinquentium impunitatem fovere visæ cum detrimento securitatis publicæ imminutæ sunt sess. 13. Cap. 4. de Reform.

Et ipsa quoque Capitulatio Cæsarea ostendit & varia publica Imperii Acta, curam Imperatoris excitatam fuisse ad evitandam extensionem Jurisdictionis Ecclesiasticæ ad causas mere sæculares, *b*) quæ si certæ mereque tales sunt, & nullo sub respectu foro Ecclesiastico addictæ sive ad illud qualificatæ, ut superius recensitæ fuerunt, dubium non est, quin & quilibet Status suam Jure defensionis jurisdictionem tueri possit, Novatione autem ex principiis supra deductis sibi interdictum existimet.

Quoad moderatum ex parte Ecclesiæ immunitatis realis usum infinita prostant æquanimitatis Episcoporum & Summorum Pontificum in postulata Principum pro casibus particularibus, qui regulam tamen salvam relinquerent, proclivium exempla. Et immortali memoria posterorum fasti eam felicissime nunc regnantis Pontificis CLEMENTIS XIV. moderationem, in Reges ac Principes pietatem & reverentiam commendabunt, qua inde a primis gloriosissimi Pontificatus sui exordiis Bullæ a Cœna Domini vulgo nuncupatæ, quæ alias in eosdem Reges ac Principes eorumque consiliarios Immunitatis Ecclesiarum violatores diserte anathema vibraverat, promulgationem omittendam judicavit, & loco maledictionis benedictionem peramanter impertiri adsolet.

## §. XXXII.

Neque parum est, quod in novarum Ecclesiarum aut piorum Collegiorum intra territorium suum erectionibus, ut eisdem aliarum Ecclesiarum libertatibus per antiquas leges indultis frui illis liceat, consensum Superioritatis Territorialis necessario impetrandum esse, ex hodierno Imperii statu profluat. Eorum quippe interest, ne novis ejusmodi exemptionibus aut sibi nervus rerum gerendarum subtrahatur, aut in reliquos subditos onera ejusmodi vires eorum excedentia devolvantur, eosque ad pauperiem redigant. Nec enim Ecclesiæ ea est potestas, invito Domino, hæc beneficia in alieno per modum legis impertiendi. Atque Imperatoribus ipsis antiqua privilegia ejusmodi & exemptiones in Territoriis Statuum, in ipsorum aut reliquorum subditorum præjudicium concedendi facultas per Capitulationes disertis verbis est interdicta. Pii vero Principis nativi Religionis & Ecclesiæ suæ Protectoris est, ad prævias Religiosi Fundatoris & Episcopi repræsentationes necessitatem aut saltem utilitatem insignem expendere, quæ ex nova Ecclesia, Collegio vel Domo religiosa, Beneficio, aut fundatione pia in Religionem, indeque in Regionem (utriusque enim utilitas pari inter se passu ambulare & arcto inter se fœdere conjuncta esse solet) redundat ; & ubi eadem decedens sibi suisque quantulumcunque lucrum, aut accedens qualecunque dispendium compensari, imo &



*b*) Confer. §. XXV. Diss. præf. lit. c.

& sæpissime superari judicaverit, media ingenioso ejus zelo haud deesse comperiet, quibus pro sua prudentia utrique possit congrue providere. a)

## §. XXXIII.

Eadem est ratio, cur singulis Territoriorum Dominis cura & prudens moderatio haud sit adempta, ne ab antiquis etiam Ecclesiis antiquissimis jam privilegiis tutis nova bona hactenus in manibus laicorum oneribus ejusmodi publicis obnoxia per transitum ad easdem hoc ipso subtrahi iis invitis attententur. Antiquos enim Imperatores in Ecclesiam licet munificentissimos ac in Deum prodigos certos suæ liberalitati modos finesque pro earum necessitate vel utilitate ampliores, vel arctiores posuisse constat, ut acquisitionum demum esset finis, & nec Reipublicæ, nec Senioribus aut Magistratibus, sive Toparchis & pagorum Dominis, sub quibus constitutæ fuerant Ecclesiæ, grave nimis detrimentum fieret. a) Quam porro cautelam, minori existente Ecclesiarum numero,

a) Hisce cum cautelis non spernendum est sagacissimi quondam Politici Richelii consilium, quo damnum ex nimia fundationum multiplicatione in Rempublicam redundans Regi suo P. I. testimon. politic. Sect. VIII. C. 2. ita repræsentavit. „Comme il est de la pieté de V. M. de travailler du reglement „des anciennes religions; il est de sa prudence d'arreter le trop grand nom„bre de nouveaux monasteres, qui s'etablissent tous le jours; it faut en ce „faisant mepriser l'opinion de certains esprits, aussi foibles que devots & plus „zelés, que prudens, qui estiment souvent, que le salut des ames, & celui „de l'etat dependent de ce, qui est præjudicable a tous les deux - - - Le „qui se fait pour l'Etat, se faisant pour Dieu, qui en est la base, & le fon„dement; reformer les maisons deja etablies & arreter l'excés de nouveaux „etablissemens, sont deux Oeuvres agreables a Dieu, qui veut la regle en „toutes choses.

a) Ecclesiis enim Parochialibus mansus tantum unus cum cæmeterio & curte, ubi Ecclesia & domus Presbyteri consisteret, atque mancipiis quatuor erat destinatus, ab omnibus exactionibus seniorum immunis, quod supererat, peculiaribus Dominis vicorum eorumque juribus haud subtrahebatur. Prout Capit. Caroli M. Lib. I. Capit. 91. innuit. Et eundem etiam modum Ludovicus Pius professus est Lib. 5. Capit. 45.

Episcopalibus econtra Ecclesiis & Collegiatis cumulatior indulta fuerat dos ac libertas. Inter ipsa tamen dotalia in limine fundationis iis attributa, & alia communia, quæ posthac accesserunt, discrimen observandum præcipiebatur, ut, si hæc oneribus publicis obnoxia antea fuissent, iisdem subjicerentur semper, nisi peculiari Regum concessione eximerentur.

Allegat hanc in rem Thomassinus. *veter. & nov. discipl. P. 3. Lib. 1. C. 36. n. 6.* Capitularia Caroli M. diserte idipsum statuentia in verbis: „Ut de rebus, unde census ad partem Regis exire solebant, si ad aliquam Eccle-

mero, prudentem existimarunt antiqui Imperantes amplissimorum & opulentissimorum Regnorum Domini, in minoribus hodie territoriis ingenti sæpe piorum Corporum multitudine abundantibus impietatis quis arguere ausit? Liberior tum fuerat bonorum in Ecclesias semel collatorum in manus laicas reditus, largiorque ipsis Regibus ac Imperantibus de iis pro necessitate & indigentia Status sui disponendi facultas, quæ hodie nec ipsis etiam Episcopis lege alienationis prohibitiva obstrictis superest.

Ex his rationibus libertati Ecclesiæ non repugnat novorum bonorum immobilium in eas translationem & acquisitionem sine speciali venia Principis desuper impetranda, quæ amortizatio dicitur, prohibere; cum & necessitas ac utilitas aut Cultus divini decor aliique usus de se piissimi suos habeant limites; abundantiam vero superfluam spiritus Ecclesiæ abhorreat; Reipublicæ econtra plurimum intersit venas suas, dum ad corpus Ecclesiasticum solum deferrentur, non exhauriri, nec opibus temporalibus, tanquam spiritu suo vitali, ut vocat LIPSIUS, *b*) destitui, sine quibus nec subsistere Principem, nec onera publica & securitatem ac felicitatem civium sustentare erit possibile. Acquisitionem igitur totius dum Princeps saltem in certis circumstantiis ac sine venia sua prohibere potest; quis eam, qua alias Reipublicæ obligata fuerant, onerum publicorum partem sibi præservandi aut retinendi Jus eidem denegabit? *c*)

## §. XXXIV.

Denique libertates istæ regulam tantum constituunt, quæ tamen suas etiam quandoque patiuntur exceptiones. Eas quidem, quæ Jurisdictionem Ecclesiasticam, sive personas spectemus, sive causas, limitant, recensere prolixum nimis foret; controversias vero, quæ hinc inde de certis quibusdam exceptionibus eo pertinentibus etiamnum moventur, definire a præsenti instituto prorsus alienum. Eas duntaxat strictim percensere animus est, quæ quoad onera realia Superioritati Territoriali in casibus extraordinariis salvæ relinquuntur. Sunt autem illæ, quas Ecclesia ipsamet in utroque Concilio Lateranensi



Ecclesiam traditæ sunt, aut reddantur propriis hæredibus, aut qui eas retinuerit, illum censum persolvat. Item: quicunque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is, qui eam susceperit, tributum, quod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat; nisi forte talem firmitatem de parte Dominica habeat, per quam tributum ipsum sibi, perdonatum possit ostendere."

*b*) In Doctr. Civ. Lib. 5. C. 6.

*c*) Conf. qui de justitia legis amortizationis prolixius scripserunt. Præsertim GLETTLE Anatomia Juridica Quæst. 2. & 3. Neuberger Abhandlung von Einkünften der Klöster und dem Amortizations-Gesätze.

ranensi non minori prudentia, ac æquitate & justitia constituit, & quas passim omnes Canones, multo magis igitur privilegia quæcunque, tanquam tacite subintellectas, admittunt. Urgens videlicet Reipublicæ necessitas, aut evidens major utilitas. Ita ipsæmet antiquæ etiam Synodi gratitudinem suam erga munificos privilegiorum suorum concessores contestandam fore spoponderunt, prout Antecessorum Præsulum exemplo edocti fuerant. Perpetuam proinde & ipsi privilegiorum ejusmodi origini coævam hanc exceptionem agnovit Synodus apud Theodonis villam anno DCCCXLIV. celebrata, suamque profitetur obligationem, pro viribus suis, salva Ecclesiarum necessitate, ipsimet quoque Reipublicæ necessitati succurrendi. *a*)

Quod igitur Imperatores respectu sui exceptum voluerunt, idipsum mutato nunc Imperii Systemate & oneribus publicis una cum Superioritate Territoriali in Principes devolutis iisdem prodesse debebit.

## §. XXXV.

Solam tantum conditionum illarum, quas Jura requirunt, justitiam a nonnullis Doctoribus invidiose impugnatam paucis vindicatum eo. Primo enim communem Clericis æque ac Laicis necessitatem aut utilitatem requiri, nihil est, quod iniquitatis arguatur. Sicut enim Clericis speciales sunt suæ exactiones, ad quas Laici nihil conferunt, sic siquæ sint Laicis ad particularem eorum usum, prout distinctum prorsus Statum constituunt, speciales, ab iis Clericos absolvi, æquitati maxime est consentaneum. Vix autem ulla excogitabilis est vel rarissime & vix unquam contingit utilitas aut necessitas publica, quæ non Clericis simul communis asseri possit, qui cives & membra ejusdem Status Politici existunt, eademque protectione & tutela gaudere volunt. Communi quippe Reipublicæ salute aut necessitate salutem quoque vel necessitatem Ecclesiæ, quæ in Republica est, contineri necesse est. Singulis vero annis aut respective sæpius recurrunt Episcopalium Jurium sive Synodatici, sive Census, sive procurationum, sive subsidii charitativi, imo & Archi-Diaconalium in multis Ecclesiis præstationes Laicos nullatenus constringentes. Quid? quod siquis *communes* necessitates vel utilitates in Canone requisitas non *ad utrumque Statum pertinentes*, sed *publicas*, sive communes tanquam *privatis & personalibus* ipsorummet Rectorum, Consulum &c. *oppositas* interpretatus fuerit, haud repugnantem me habebit, utpote qui salva reverentia Canonibus & authoritati legislativæ Eccle-

*a*) Can. 4. cujus verba hæc sunt: Unusquisque vir Ecclesiasticus & intercessionis adjutorium & solatii, quo Respublica indiget, subsidium, juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure, quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, prompte & ex animo parate & impigre, sicut tempore Antecessorum vestrorum consueverat, studebit afferre.

Ecclesiæ intra sphæram suam debita in aliorum Doctorum privatorum aut Interpretum, Decretalistarum præcipue & Glossatorum de trivio verba jurare haud consuevi, veritatem vero justitiam, æquitatem & gratitudinem in omnibus anteferendam censeo; dummodo præter congruæ salvandæ intuitum etiam particularium Cleri onerum mox recensitorum & usuum ad decorem cultus divini propriorum ratio habeatur.

## §. XXXVI.

Altera conditio, ut Laicorum solorum facultates non sufficiant, necessaria est sequela ex eo profluens, quod Clerici & Ecclesiæ ejusdem quidem Reipublicæ membra & ejusdem Corporis Politici partes, sive Collegia eadem etiam protectione & commodis gaudentia, sed insuper tamen privilegiata sint, adeoque ordinario cum reliquis communibus Reipublicæ Civibus ac subditis Jure censeri non debeant; nec proportio arithmetica & omnimoda, sed geometrica tantum desideretur. Indoles & natura bonorum Ecclesiasticorum iisdem tam ex pia fundatorum offerentium, quam ex legibus tum Canonicis tum profanis indita exigit, ut tanquam Deo dedicata piisque usibus destinata in hos primario & regulariter expendatur, ad profanos vero nonnisi in subsidium demum teneantur. Beneficium propterea ordinis hoc est, ita tamen moderandum, ut non jam actu ad incitas redactus esse debeat Status Politicus quasi excutiendus, sed ut præsenti necessitate eidem soli injuncta alias grave ejus detrimentum, ordinariis posthac consuetis collationibus non reparabile deinceps modo nasciturum pertimesci valeat.

## §. XXXVII.

Quod porro 3tio non violente nimis & importune extorqueri, sed modeste ac humane peti debeant, ad illam pertinet amicam mutuamque utriusque Status inter se concordiam, quæ utrique æque proficua nunquam non extitit, atque ad convenientem illam Episcopis, utpote quibuscum Clerum & Ecclesias repræsentantibus res potissimum agitur, reverentiam, quam ipsis tanquam Christi Vicariis æque Religiosi Principes quoad temporalia habere solent, sicut vicissim Ecclesia & Episcopi æqualem reverentiam Principibus temporalibus, ob eundem, quem gerunt, characterem, in Ecclesiasticis exhibere non recusant. Unde tam Canones, a) quam leges Imperiales exactionem ipsam aut executionem non Laicis personis demandari, sed Episcopis aut personis Ecclesiasticis relictam voluerunt. Exemplum præbent Recessus omnes Imperii superius

 alle-

a) Concil. Constantiense sess. 43. Nec specialiter in aliquo regno vel provincia, inconsultis Prælatis ipsius Regni vel provinciæ & ipsis non consentientibus vel eorum majori parte & eo casu per personas Ecclesiasticas & authoritate Apostolica duntaxat leventur.

allegati, quibus subsidium aliquod adversus Turcas conferendum Clero fuit indictum. *b)* Nec enim æquitas patitur duplici simul jactura Clerum gravari, & cum bonorum detrimento ipsam etiam sacram Prælatorum authoritatem interverti.

## §. XXXVIII.

Præterea nec 4to minorem postulatorum suorum effectum, aut aliquam suæ authoritatis diminutionem cur pertimescant, habent Principes Politici ex eo, quod Episcopo & Clero necessitatem & utilitatem inspicere prius injungatur, antequam sua subsidia existimet conferenda. Quod enim litera Canonum Conciliarium adversus subalternos quoscunque, uti Consules Civitatum & ministeriales Rectores & alios, qui potestatem habere videntur, non autem habent, homines plerumque aut irrationabili odio, aut cæco complacendi aliis æstui, aut dilatandi sui timoris, aut perpetuandi sui nominis, postquam temporariam suam administrationem deponere debuerint, aut hujus recuperandæ desiderio deditos authoritatem quandam Episcopis & Clero asserat, male veri certe non poterit.

Nec ipsi tamen Principes immediati, etiam jure proprio suas ditiones habentes, ac integris formatis Dicasteriis instructi dedignabuntur Prælatos Ecclesiarum suarum & Episcopos audire, si non ut Judices authoritative super necessitate & statu Reipublicæ decidentes, ut informatores tamen de necessitatibus vicissim Ecclesiarum ac populi spiritualibus magis gnaros ac modeste remonstrantes; eo videlicet fine, ut pleniori ac maturiori discussione præmissa, secundum prudentiam & æquitatem dijudicari possit, qualis reapse sit facultatum Ecclesiasticarum ad Cultus Divini & personarum vel utilium vel necessariarum sustentationem, cæterasque necessitates proportio, & spectatis quoque oneribus Clero propriis ad Laicorum facultates habitudo. An non ipse etiam Clerus jam premens publicæ calamitatis onus sentiat, subditis ita publicis tributis oppressis, ut nec Beneficiarii suos reditus ad congruam adeo necessarios amplius extundere possint, sæpiusque retardatis solutionibus, intolerandum proinde onus fore, si inferre deberent, quod non colligunt. Verbo: Quid possint humeri, quid ferre recusent? Ita Religiosissimi quondam Imperatores ipsimet libertatum ejusmodi autores ac fontes non dedignati sunt, Episcoporum Regni modestis repræsentationibus promptas præbere aures. Et praxis adeo Galliæ hac in re aliquanto largior easdem non prætermittere solet; non aliter quippe subsidia vel dona, ut vocari soleut, gratuita, nisi in conventu Cleri hunc in finem convocato, a Rege indicuntur, a Clero vero prævia consultatione ad dimidium non raro, imo ad tertiam fere moderantur, & sic demum exsolvuntur.

Quid?

*b)* Vid. §. XXXIX. Lit. f.

Quid? quod alia quæcunque Collegia profana ad usus alios Reipublicæ roficuos instituta, ideoque certis privilegiis donata, sicut in casibus ejusmodi ttraordinariis a Principe ejus institutore ad communem Reipublicæ necessita:m subveniendi obligatione nunquam eliberari voluerunt, ita tamen vicissim )rum quoque modestas remonstrationes & facultatum suarum expositiones adiittere non dedignantur, ne his penitus destructis majus inde Reipublicæ ipsiet detrimentum idque perpetuum redundet; ita multo magis Ecclesia, si in isce temporalibus, prout reapse est, tanquam nudum Collegium considerari elit, tanquam Collegium tamen superioris omnino institutionis atque prorsus ecessarium, quo Respublica carere neutiquam potest, superioribus etiam prilegiis munitum æqualem attentionem a pio quocunque Principe sibi promittit.

Neque enim arbitraria videri debet Episcopis Ecclesiarum Præsulibus in is consensio, utpote quibus ex officio incumbit, una ex parte Ecclesiarum sibi )mmissarum Jura, bona Deo & ad usus pios oblata defendere, eas Principum eligiosissimorum concessiones pro viribus tueri, quas longa plurimorum sæcurum possessio firmas & inconcussas præstitit; altera ex parte Principum ipsommet invigilare saluti, quibus grave piaculum coram Deo imputaretur, si de:s & prærogativas Ecclesiæ & Christi Sacerdotum extra casus exceptos aut ipsi fringere tentarent, aut a suis temere violari & conculcari paterentur. a)

## §. XXXIX.

Unde 5to Consensus tantum Pontificis superest, de cujus autem necessite dispositionem disertam, quæ in Corpore Juris clausa extet, non invenio. Hoc

a) Ita S. THOMAE Cantuariensis Episcopi & Martyris constantiam justificat ac dilaudat PETRUS Cellensis in Epistola ad eundem: Iis enim, qui Archi-Episcopum carpebant, quod Regis pacem recusasset, nimio, ut causabantur, defendendi aut repetendi patrimonii Ecclesiastici ardore, respondet PETRUS a materna pietate & charitate procul fore Ecclesiam, si a filiis suis æquo animo pateretur vexationes, quas olim lubentissime a persecutoribus patiebatur. Jubet sapientia, jubet & charitas, & infracto pectore hostiles impetus pati, & austera simul & suavi authoritate filios castigare. Dicunt enim, non debet Archi-Episcopus tam instanter sua repetere a Rege Angliæ, ut dimittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia. Falluntur spe veri, & adulatione falsi, pensanda sunt tempora, & diversi status temporum, secundum quos mutantur merita causarum.

Nam in primitiva Ecclesia sola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam, dimitteret & pallium. Extra Ecclesiam enim erat, qui persequebatur, intra Ecclesiam, qui patiebatur; Modo autem jam adulta Ecclesia, non licet filiis Ecclesiæ, quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, sicut decuit pupillam tolerare adversarium.

Hoc ipso enim, quod allegatus Concilii Lateranensis Canon adversus inferiores tantum conceptus sit, ad ipsosmet Reges ac Principes speciali prorsus mentione dignos eum extendi non debere probe concluditur. a) Ita extensum fuisse a BONIFACIO VIII. in Constitutione sua: *Clericis laicos De Immun. Eccl in 6.* non inficior; sed erumpente in apertas flammas ipsum inter & PHILIPPUM Pulchrum Galliæ Regem fatali dissidio eandem non tantum mitigavit, sed eo etiam declaravit, voluntatis suæ haud fuisse, nec Constitutionem suam eo trahi posse, ut Clerus Gallicanus prohiberetur mutua, dona, munera Regi conferre, & Regno laboranti, dummodo procul sit exactio & Vis, & Clerus ipsemet consentiret, atque insuper, ubi gravius & repentinum ingrueret discrimen, assensum Sedis Apostolicæ haud exspectandum esse, sed necessitatis ejusmodi judicium timoratæ Regis & Successorum conscientiæ relinqui voluit. b)

Atque multo posthac apertius eandem CLEMENS V. in Constitutione sua Extravag. *Meruit, De Privileg. inter Comm.* ad terminos Conciliorum Lateranensium reduxit. Extra Corpus Juris facta quædam Pontificum & fulminatæ in Reges ipsos censuræ, ob omissum Sedis Apostolicæ beneplacitum, deprehenduntur. c)

Et negari equidem nequit, Concilium Constantiense ex particularibus ejusdem temporis circumstantiis ob iteratum sæpius vanum sacrarum expeditio-

a) Equidem Reges etiam ac Principes Conciliorum Lateranensium constitutione comprehendi existimat, sed etiam eidem statim utrinque, nec Clero nimirum Pontificis, nec Pontifice Cleri consensum expectante, derogatum fuisse asserit THOMAS *V. & N. Eccles. Discipl. P. III. Lib. I. Cap. XLII. num. 8. v. nec secus.*

b) Verba referuntur in Histoire du differend P. 39. & 40.

Declaramus, quod constitutio ipsa vel prohibitio ad donaria, vel mutua seu quævis alia voluntaria Prælatorum & personarum Ecclesiasticarum ejusdem Regni, omni prorsus coactione & exactione cessante se aliquatenus non extendat, licet forsitan ad id Regis vel Officialium requisitio curialis & amica præcedat. Item: Adjicimus insuper, quodsi Regi & Successoribus suis pro universali vel particulari ejusdem Regni defensione, periculosa necessitas immineret, ad hujusmodi necessitatis casum se nequaquam extenderet constitutio memorata; quin potius Rex ac Successores ipsius possint a Prælatis Regni petere ac recipere pro hujusmodi defensione subsidium, vel contributionem, atque ad illam Prælati Regi suisque Successoribus inconsulto etiam Romano Pontifice teneantur, & valeant sub quotæ nomine aut alias etiam imperari.

c) Ita MCCCCLII. NICOLAUS V. a Censuris antea inflictis absolvit ALFONSUM Lusitaniæ Regem, qui exegerat, & Lusitanos ipsos, qui solverant decimas Clero inflictas inconsulta Apostolica Sede.

tionum prætextum, ſuppoſito utrinque Epiſcoporum & Prælatorum Nationalium Cleri diſſenſu, eidem conditioni etiam quoad Imperatores & Reges firmius inſtitiſſe, ut altera ex parte Nationes ad excludendos ſimiles Pontificum conatus efficacius obniti poſſent. *d*) Bulla quoque Cœnæ eundem conſenſum Pontificium inſolito rigore urget, ſed ejus fata extra Germaniam hodierna quis ignorat? Germanos in pecuniariis ejusmodi exactionibus delicatiores ſemper fuiſſe expertus & teſtatus eſt PIUS II., ut videlicet eas e proprio Nationis conſenſu dependere vellet. *e*) Unde in Imperio ejusque Comitiis de novis ejusmodi impoſitionibus deliberatum, & absque ulteriori recurſu concluſum ſæpiſſime fuit. *f*)

Imperio quippe ipſo conceſſionibus ſuis ac munificentiis, ubi id neceſſitates publicæ & temporum calamitates exigunt, modum ponente, non eſt, quod Clerus renitatur, aut invidioſam æmulationem ſuſpicetur, ipſismet etiam Epiſcopis, tanquam ſimul Principibus, ſuo quoque ſuffragio cauſas neceſſitatis & utilitatis communis poſt communem conſultationem approbantibus. Nulla proinde ulterioris recurſus cauſa ſupereſt. Quantum vero ad ipſos ſingulos Status attinet: ſi Epiſcopi cum Clero juſtas diſſentiendi cauſas habere ſe exiſtiment; Quis enim experientia temporum edoctus ignoret, præclariſſima ſæpe in ſpeciem conſilia in ventos tamen non raro diſſipata abiiſſe, expreſſam autem ſemel pecuniam rediiſſe nunquam; Principes etiam adulatoribus circumdatos eſſe poſſe, qui gratiam alienis aucupentur exuviis, permultos hominum rem privatam fere publicæ anteferre, & ex ſuo vitio de aliis male ſuſpicari. Eccur ulteriori recurſui ad diſcutiendas aut inſpiciendas neceſſitates aut utilitates communes aditus non pateat? ſive ad Imperatorem, & Imperium, cui utrique ſuorum privilegiorum haud dubie tutela competit, ſive ad ſummum Pontificem, tanquam legitimum Eccleſiarum & Jurium iis acquiſitorum defenſorem. Si porro

*d*) Ad conſenſum Epiſcopi & Cleri Concilium Conſtantienſe ultimato provocat, ut nec exigere quidquam Papa deberet, niſi aſſenſum præſtarent ſuum Epiſcopus & Clerus.

*e*) Non ſumus neſcii viæ, quam teneri cum Germanis oporteat; Venienti ad Legationem Nicæno colligendæ decimæ literas dedimus, hoc tamen adjecimus, ut nummum ſine conſenſu Nationis non peteret, illa volente faceret, quod eſſet injunctum. Mandata ſervavit, de colligenda vero tractavit, non tamen ad executionem ullam proceſſit. Epiſt. 28. quæ inter alias JACOBI Card. Papienſ. refertur.

*f*) Confer. Receſ. I. MCCCCLXXI. MD. MDXII. MDXLII. MDXLIII. MDXLIV. quos inter ſolus ille de An. MDXLII. §. 64. ad facilitandam executionem petendi conſenſus Pontificii propoſitum refert.

ro Episcopus cum Clero ipsemet, utpote cui chara esse debet Patria, charus Princeps, nullam renitendi causam inveniat; sed sponte vel necessitatem, quæ in Ecclesias ipsas redundat, communem agnoscat, vel partim gratitudinis ac pietatis ergo, partim ne graviori damno aliunde atterantur Ecclesiæ, ad obtinendam promptiorem in casibus ordinariis suarum libertatum executionem, mutuis atque reciprocis veluti donis Principes suos devincire, aliorumque concivium benevolentiam ac largitatem, ne extinguatur, magis magisque inflammare contendat; Consensus Pontificii ratio omnis cessare videtur ad renuntiandum communi totius Diœceseos nomine favori pro se introducto, ubi tot causæ in Canonibus generalibus approbatæ suffragantur. *g*)

Principes videlicet Germaniæ nostræ ob Superioritatem ita dictam Majestatis æmulam atque analogam, tum ob integra etiam formata Dicasteria atque Collegia, quæ viris compluribus explorata dudum morum probitate, singulari in Deum & Religionem pietate, probata rerum agendarum experientia atque prudentia conspicuis ornare solent, Regibus quam proxime accedunt, & æquiparari merentur; imo & reapse tam a legibus publicis *h*) quam a Concilio

*g*) Causas has recenset tanquam Canonicas WILHELMUS *Paris.* Episc. Lib. de morib. C. 3. De his, quæ Regibus & Principibus dantur, Patronis Ecclesiarum & fundatoribus, & donatoribus, & ditatoribus, dicimus, quia licet. Dummodo ex ejusmodi donationibus non lædantur enormiter Ecclesiæ. Hi sunt usus pietatis, quoniam ex virtute gratitudinis etiam Jure Naturali debentur hujusmodi hominibus. Alias etiam impii sunt, quia gratia eorum, qui ex pietate talia donaverunt, quodammodo conservatur in eis, & devotio nutritur, quæ per contrarium extingueretur. Donationes vero, quæ fiunt aliis personis a Monasteriis, si ea intentione fiant, quia præsumuntur utiles Ecclesiis, vel Monasteriis, magis seminationes sunt, quam donationes, sicut & quidam de Ordine Cisterciensi nobis quandoque respondit.

Consentit GERSONIUS in Sermone ad Conc. Provinc. Remens. Anno MCCCCVIII. Fiat ulterior provisio, ne pauperibus sua bona auferantur, vel detineantur. Hæc sunt ea bona, quæ viris Ecclesiasticis supersunt, ultra simplicem victum & vestitum juxta decentiam sui status in Ecclesiæ Republica. Notissima est hoc loco, sed durissima BERNARDI atque HIERONYMI sententia, qui retentionem hujusmodi, vel luxuriosam profusionem, non dubitaverunt sacrilegium, imo omni sacrilegio & deprædatione damnabiliorem appellare. Videant Ecclesiastici, ne forte ab hoc justo Dei judicio proveniant rapinæ ejus & conculcationes indignæ, & jurisdictionum suarum usurpationes. Quia quandoque, quod non habet Christus, tollit fiscus.

*h*) In Reformatione SIGISMUNDI Imperatoris apud GOLDASTUM Reichs-Satzungen P. II. P. 132. Cap. 9. Es ist zu wissen, daß hohen Fürsten die grosse Land haben, auch fast Kayserl. Recht zu ihren Theil halten, id est participant de Jure Cæsareo.

cilio Tridentino i) iisdem proximi habentur. Unde ſicut propter prædictam ſublimem ſtatus ſui dignitatem reverentiam ei, quam Canones Regibus habent, proximam ſibi vendicant, ita propter plenam, qua negotia ipſorum diſcuti prius ſolent, conſiliorum maturitatem eorundem conſcientiæ tot præſidiis vallatæ conſentiente ipſis cum Prælatis Eccleſiarum Epiſcopo eadem, quæ Regiæ, fiducia a Sede Apoſtolica haud immerito defertur. Eos econtra cum Conſulibus & Rectoribus Civitatum, de quibus Canon Lateranenſis eloquitur, in comparationem adducere velle indignum foret, ignominioſum & a mente Sanctæ Matris Eccleſiæ quam longiſſime alienum.

## §. XL.

His igitur principiis genuina Libertatum Eccleſiaſticarum Germaniæ veritas vindicatur, & ſolida inſuper Eccleſiarum utilitas conſervatur, ut ab injuriis inferiorum Magiſtratuum atque Judicum, quorum eſt ſecundum leges & obſervantias laudabiles perpetuis moribus receptas, non de ipſis judicare, & ſuum cuique tribuere, defenditur; imo nec Superiorum etiam, qui tamen & ipſi legibus etiamnum ſubordinati ſunt, nudo vagoque arbitrio commiſſa oſtenditur, ita quidem, ut, licet, ſepoſita intrinſeca earum congruentia, exemplis & Gentium & ſacræ Scripturæ firmata ipſam earum originem immediate ex Jure divino præceptivo deducere non audeamus, non minus tamen Dei offenſam & injuſtitiæ, quæ ad ſacrilegii rationem prope accedit, reatum involvat earum violatio, aut derogatio, quam exceptiones iisdemmet legibus & ſacris Canonibus approbatæ non excuſant atque juſtificant. Ita porro earundem ratio ac indoles Imperii Romano Germanici ſyſtemati tam antiquo, quam hodierno attemperatur, ut, quæ Dei ſunt, Deo, & quæ Cæſaris & Imperii ſunt, Cæſari & Imperio tribuantur. Ita denique ſua Imperatori tanquam ſupremo Eccleſiarum Germaniæ protectori atque Advocato Majeſtas, & eminens legum vindicandarum & exequendarum cura, ſed & ſua Principibus etiam ipſis Eccleſiarum ſuarum Tutoribus authoritas ac reverentia aſſeritur, ut nec Religio Regionem, nec Regio Religionem deſtruat; multo potius ubi utrinque non privata, ſed publica utriusque ſalus ac utilitas pro vera ratione atque cynoſura reſpicitur, mutuis hisce vinculis colligata perpetuo utriusque inconcuſſa ſervetur Pax & Concordia.

i) Conc Trid. Seſſ. 25. de Reform. C. 9. exceptis patronatibus, quæ ad Imperatorem & Reges ſeu Regna poſſidentes *aliosque ſublimes & ſupremos Principes, Jura Imperii in Dominiis ſuis habentes* pertinent.

TANTUM.

# Animadversiones Editoris.

Ad §. *VII.* Recte hic Auctor ejusmodi Statum in Statu rejicit, qualem tamen passim a Catholicis propugnari complures sibi Protestantes persuadent; aliquorum enim Catholicorum opinionem omnibus affingere tam parum licet, quam parum id inter suos patientur. Addi hic merentur, quae inquit LACKIES *Juris publici Ecclesiastici Parte general. Viennae 1774. p. 149.* Sed ita „Status tamen in Statum inducetur, quod imperio civili, majestatique summo„rum imperantium vehementer adversum est. Ego vero adversi video pror„sus nihil. Scio, qui isthoc Catholicis objiciunt, quid sibi velint? Statum vi„delicet Ecclesiasticum, in quo Sacrorum Antistites praeter Religionem ani„marumque salutem rerum temporalium et negotiorum partem maximam suae „jurisdictioni subjiciunt; personas, res, bona ecclesiastica omnia imperio civili „penitus subducunt; se suosque divino jure exemptos contendunt: jurium bo„norumque civilium communione excludi se non sinunt, respuunt autem one„rum tributorumque omne genus: postremo Reges etiam summos ac regna suae „potestati directe vel indirecte obnoxia esse volunt; Reges deponunt; regna di„vidunt: hunc inquam Statum cum civili Statu componi nullo modo posse con„tendunt, quod quidem faciunt aequo Jove, consentientibus e communione do„ctissimis tam Theologis, quam Jure consultis, sed hic Status nec a Christo „est institutus, nec a sanctis Patribus traditus, neque talem unquam Ecclesia „sibi Catholica vindicavit. Hunc temporum barbaries et ignavia peperit, „aluit ignorantia et Scholasticorum otiosa sedulitas ornavit renitentibus nullo „non tempore doctissimis juxta ac sanctissimis hominibus. Status sacri, qua„lem Servator esse voluit, Lex haec est fundamentalis: Date Caesari, quae „sunt Caesaris, et quae sunt Dei, Deo, secundum quam relicta summis Principibus „integra rerum profanarum cura et administratione, religionis tantum et salu„tis internae negotia ad suum principatum revocat: imperium Regibus a Deo „commissum ipsi etiam Religionis Antistites tanquam subditi colunt, Leges eo„rum venerantur, tributum pensitant, ceteraque faciunt omnia boni civis of„ficia, a quibus nullam clementia Principis immunitatem est impertita. Ta„lis autem cum sit Ecclesiae Christianae Status, quum non irrumpat in alienum „officium, non transferat regna mundi, non abroget Leges Magistratuum, non „tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinatio„nibus aut contractibus, non praescribat Leges Magistratibus de forma Rei„publicae, sicut dicit Christus; Regnum meum non est de hoc mundo; item: „quis me constituit judicem aut divisorem super vos? et Paulus Phil. 3. nostra

„poli-

„politia in coelis eſt; 2. Cor. 10. arma militiae noſtrae non ſunt carnalia, ſed „Deo ad deſtruendas cogitationes, cetera, ad hunc modum quum Eccleſia no„ſtra utriusque poteſtatis officia diſcernit, utramque honore adficit, utramque „Dei donum et beneficium eſſe agnoſcit, poſſuntne eum Proteſtantes repudiare, „niſi Majorum una ſuorum Confeſſionem de poteſtate Eccleſiae Auguſtae Vin„delicorum editam repudiare volent, aut opinationes hominum, vitiaque Ec„cleſiae ipſi Catholicae per ſummam injuriam imputare? ita ille, cui hac in parte omnino adſtipulandum erit: id tamen virum iſtum adhuc monitum velim, utne ſtatim praejudiciis tribuat, quodſi alias eidem non ſatis aſſentiam, uti *p. 234.* me necdum praejudiciis Scholaſticorum omnino vacuum dicit: ſoline enim Scholaſtici praejudiciis indulgent, ſoli autem liberi ſunt eorum Antagoniſtae? ſed ita nimirum jam mos fert, ut, ſi eruditus videri velis, nonniſi praejudicia Scholaſticorum in ore habeas, iisque te ſuperiorem eſſe oſtendas. Collegae Viri hujus RIEGGERO Viennenſi id quoque hic in aurem dictum velim, viri integri et praejudiciis vacui non eſſe alterius Scriptoris nonniſi opera nominare, niſi ubi maculam te videre putes, alias vero de eo tacere; quemadmodum is *Parte IV. Inſtitutionum ſuarum* aliquoties facit, dum meas nominat. Equidem judicium viri hujus non admodum curo; quodſi vero ex Inſtitutionibus meis plus multo ex literatura Germanica in ſuas transferre ipſi placuiſſet, vel ſic devitare potuiſſet judicium eruditorum de ejus *Inſtitutionibus*, Parte earundem IV. denuo confirmatum, praeter ſententias Gallicanas ubique jam obvias, ubique tritas vel maxime apud eundem deſiderari, quod orbis ab eo eruditus exſpectare jure merito poterat, nimirum a Viro, qui fontibus in Bibliotheca Caeſarea, in Scriniis Senatus Imperialis Aulici, alibique Viennae obviis aſſidet, res Germanicas potiſſimum illuſtrandas fuiſſe, atque ita ſubſidia afferenda iis, quibus ad hos fontes aditus non patet.

*Ad §. XIII.* Eoquod jam antiquiſſimis temporibus Epiſcopi et Abbates in conventibus publicis praeſentes jure ſuffragii gaviſi fuerint, ea res occaſionem dedit Academiae Regiae Göttingenſi pro uberiori elucidatione proponendi quaeſtionem, *de origine ſuffragii Epiſcoporum et Abbatum in Comitiis Imperii.* Singulare plane eſt ſyſtema, quod recenſetur in den Göttinger Anzeigen 142. Stück 1774. Ita nimirum ejus Auctor ſtatuit: Celebrata olim fuiſſe apud Nationes plerasque Teutonicae etiam originis ſuis temporibus Concilia Nationalia: in iis quoque paulatim ipſos Reges comparuiſſe, negotia quoque ſaecularia ibidem pertractata: ne ea res proceribus Laicis diſpliceret, hos etiam dein ad conſultationes fuiſſe admiſſos, atque ita paulatim enatos conventus mixtos, ita ut ab Epiſcopis aliisque Eccleſiaſticis tractarentur eccleſiaſtica, ab utriusque vero ordinis Proceribus conjunctim ſecularia; igitur potius quaeſtionem ea ratione movendam eſſe, qua ratione ſeculares hoc jus ſuffragii nacti

 fue-

fuerint, cum Ecclesiastici jam ante illos eodem gavisi fuerint? Quanquam non omnia systematis hujus capita a recensentibus probentur, lucubratio tamen isthaec praemio digna visa fuit.

*Ad* § *XV. not. g. Castitia* ex *Sirmondo* apud DU FRESNE ad hanc vocem, significat aedificia universim, a *Casa* aedicula; inde apud *Bignonium* ibidem: *hoc est in ipsa portione mansis ad commanendum cum castitiis suprapositis, terris arabilibus etc.* item *Castiçiare* idem quod *aedificare*, *castitiator* architectus; de quibus vide eundem l. cit.

*Ad §. XX.* Quam falso LOCHSTEINIUS et alii originem immunitatis Ecclesiasticae nonnisi in Decretales *Pseudo-Isidorianas* referant praeter ea, quae habet Auctor, exempla quoque Diplomatum ante illas Decretales hanc immunitatem jam continentium vel ex sola SCHOEPFFLINI *Alsatia diplomatica* Tom. 1. Instit. mearum Part. II. §. CCCV. a me allata in editione nova luce *clarius* demonstrant.

*Ad §. XXV.* Ecclesiasticos ob Feloniam administratione feudorum suorum ab Imperatore et Imperio dependentium privatos fuisse non solum exempla recentiora, uti Electoris Coloniensis sub *Iosepho I.* proscripti, sed et antiquiora docent, uti dum in expeditione Romana, Römerzug ea aetate consueta *Fridericus I.* recensione ex more in campis *Roncalicis* peracta officio suo defuisse deprehenderet *Hartwicum Archi-Episcopum Bremensem* et *Ulricum Episcopum Halberstadiensem* utrumque ea poena mulctavit, quod narrant AA. ab HAEBERLINIO relati *Histor. Tom. 2. p. 366.* Celeberrima eo tempore fuit *poena portandorum canum*, κυνοφορίας, die Strafe des Hundetragens, ad quam praecipue rei fractae pacis publicae altioris conditionis damnari solebant, nobilibus inferioris ordinis et ministerialibus ad portandam sellam aut ephippium, rusticis ad aratrum portandum damnari solitis: cum hac ratione sub eodem *Friderico I.* damnarentur *Arnoldus Archi-Episcopus Moguntinus* et *Hermannus Comes Palatinus*, id discrimen ob diversum utriusque Statum observatum fuit, ut *Hermannus* quidem cum adjutoribus quoad suam quoque personam ab ea poena non eximeretur; in personam tamen Arnoldi id executioni non daretur, sed ab aliquibus Comitibus, qui ejus partes secuti fuerunt, nonnisi poenae initium fieret. DODECHINUS *ad ann. 1155.* OTTO FRISING. *de gestis Friderici I. L. 2. c. 29.* GÜNTHERUS LIGURIN. *L. 5. vers. 201. seqq.* HAEBERLIN *Histor. Tom. 2. p. 401.*

XII. JO-

# XII.

## JOANNIS GEORGII ENGELHART

in Univ. Bamberg. Jurium Profefforis extraordinarii

DISSERTATIO CANONICO-PUBLICA

DE

# BONORUM ECCLESIASTICO - DOTALIUM COLLECTIBILITATE.

*Bambergae* 1771.

§. I.

Ecclefiam Chrifti nulla primitus bona immobilia poffediffe, fed univerfam ejus fupelle&ilem ex folis eleemofinis piisque fidelium oblationibus ab initio conftitiffe, notorium eft.

Continuae quippe eaeque immanes, quibus Ecclefia inde a prima origine fua impugnabatur, perfecutiones eam ab omni praedii ullius adquifitione praepediebant.

Ipfe Servator Sanctiffimus, quamdiu adhuc in terris degebat, una cum Apoftolis ac Difcipulis fuis, teftante Evangelio, non aliunde vixit, nifi ex donis, quae fideles ejus fponte obtulerunt, quaeque ipfe in communem quandam maffam conjici juffit, ut inde tanquam ex communi aerario omnium neceffitatibus fatisfieret, conftituto eum in finem communi illius adminiftratore ac diftributore Juda, cui & pauperibus inde fuccurrere praecepit. *a*)

*a*) Van Efpen Jur. Ecclef. part. 2. tit. 32. c. 6. n. 1. & feqq.

§. II.

Augebatur poft Chrifti e terris difceffum ifta fidelium Charitas per adventum Spiritus Sancti: Ex quo enim hic animos fidelium in fide confortaverat, cos-

eosque mutui ſimul adjutorii amore accenderat, hi, quidquid in bonis ſive mobilibus ſive immobilibus habuere, vendiderunt, eorumque pretia ad pedes Apoſtolorum, quo iſti inde, prout cuivis opus erat, omnibus & Laicis & Clericis diſtribuerent, detulerunt.

Communis iſtius aerarii curam ipſimet primum Apoſtoli geſſerunt, poſtquam vero, aucto indies & fidelium & oblationum numero, a cura animarum ceu vocatione ſua non parum inde impediri ſe viderant, totam peculii eccleſiaſtici oeconomiam initio certis quibusdam viduis *a*), tandem vero earum loco ſeptem Diaconis ad id munus ſpeciatim electis commiſerunt. *b*)

*a*) Quae Diaconiſſae dicebantur, conf. Joſ. Paul. de Rieger Inſtit. Jurispr. Eccleſ. part. I. Sect. I. §. 100.

*b*) Thomaſs. de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 3. lib. I. c. I. Add. Franc. Flor. in ſuo Tr. ad Jus Canon. Tom. I. p. 368. & Tom. 2. p. 246.

## §. III.

Mos iſte ex piis atque ſpontaneis fidelium oblationibus in communi vivendi diu adhuc poſt Apoſtolos a Laicis tam quam Clericis fuit retentus. *a*) Etenim dirae illae fidelium perſecutiones ſubinde ad tempus equidem ceſſaverant, hocque induciarum tempore coeperat Eccleſia hinc inde templa erigere, praedia ſibi adquirere, horumque reditus, in quantum ſufficiebant, in communem Eccleſiae uſum vertere; *b*) poſtquam vero, recrudeſcente ſpiritu perſecutionis, templa iterum abraſa, fundique & agri erepti fuerant, *c*) non poterant non Miniſtri Eccleſiae ad ſolam rurſus fidelium charitatem confugere, inque ultroneis eorum oblationibus opem quaerere. *d*) Fiebant eo tempore oblationes nunc ad altaria, quae in aedibus privatis habebant exſtructa, nunc ad aedes Epiſcopi, earumque & adminiſtrandarum & diſtribuendarum eadem, quae ſub Apoſtolis fuerat, ratio ſervabatur, namque ipſimet eas Epiſcopi velut legitimi Apoſtolorum Succeſſores adminiſtrabant, perque ſuos Diaconos, prout cuivis opus erat, Clericos inter & Laicos diſpenſabant. *e*)

*a*) Franc. Flor. l. c. Tom. I. p. 368. addatur C. 2. 9. & 15. Cauſſ. 12. q. I.

*b*) Euſebius in vita Conſtantini Magni lib. 4. C. 23. lib. 7. c. 30. lib. 8. c. I. & 2. lib. 9. c. 10. & lib. 10. c. 2.

*c*) Idem Euſebius loc. cit.

*d*) Thomaſs. l. c. part. 3. lib. I. c. 3.

*e*) Idem Thomaſs. ibidem.

## §. IV.

Ex quo vero Conſtantinus Magnus nomen Chriſto dederat, aliam omnino faciem

faciem Status Ecclesiae induit. Etenim cum pacatis hisce temporibus Ecclesia in loco stabili fixoque poterat considere, & templa undique & aras erigere, Supremumque DEUM non jam clancule amplius, sed palam adorare coepit, atque tum non illae tantum, quae Ecclesiae antehac ereptae fuerant, possessiones, edicente Imperatore, eidem sunt restitutae, a) sed & ingentes aliae omnis generis bonorum donationes atque accessiones a fidelibus factae sunt, b) ut taceam famosam illam, quae vulgo circumfertur, donationem Constantini Magni c), in cujus veritatem nunc non inquiro.

a) Euseb. l. c. lib. 2. c. 39. refert Edictum Constantini Magni restitutorium.

b) Testatum id facit Urbanus in C. videntes causs. 12. q. 1. Confer. Franc. Flor. Tom. 1. p. 410.

c) De qua ex professo agit Aeneas Parisiens. Episc. in suo Spicilegio Tom. 2. p. 111.

## §. V.

Hac ratione cum Ministri Ecclesiarum ex ipsis praediorum Ecclesiasticorum reditibus sufficientem sui sustentationem decerpere possent, veteres illae, e quibus Clerici hactenus vixere, oblationes cessaverunt; etenim fideles praedia sua aliave bona non amplius vendere, eorumque pretia ad aerarium commune conferre, sed eadem sibi imposterum retinere coeperunt, quo factum, ut a primaeva illa, in qua una cum Clericis & pauperibus hucusque vixerunt, bonorum omnium communione recesserint, solis Clericis & pauperibus in eadem relictis. a)

a) Confer. Franc. Flor. l. c. Tom. 1. p. 368.

## §. VI.

Etsi vero hac ratione ipsa, e quibus Clerici cum pauperibus antehac vixerunt, bona Ecclesiarum fuerint permutata, ipsisque fidelium oblationibus bona immobilia substituta, verus tamen haec perinde ac illas & administrandi & distribuendi ratio duravit, penesque unum Episcopum remansit. a) Cum vero is reditus Ecclesiasticos pro singulorum indigentia aut numero meritove non rite semper dispensabat, crebrisque propterea & Clericorum & pauperum querelis ansam dabat; ad evitandas quascunque lites futuras saeculo tandem, uti probabilius est, b) sexto per universam Ecclesiam facta est prima bonorum omnium Ecclesiasticorum divisio, per quam in singula quavis dioecesi bona ecclesiastica in quatuor partes eatenus sunt divisa, ut equidem pars una esset Episcopi ejusque Capituli, altera Cleri ruralis, tertia pauperum, & quarta fabri-

fabricae templorum, singularum tamen partium istarum administratio aeque ac distributio penes Episcopum remaneret. c)

a) Confer. Franc. Flor. ibid. Tom. 1. p. 368.

b) Van Espen in jur. Eccles. part. 2. tit. 16. c. 5. n. 2. Item part. 2. tit. 32. c. 6. n. 6. & seq.

c) Idem ibidem part. 2. tit. 18. c. 1. n. 4.

## §. VII.

Sed vero redibant priora gravamina, querebatur rursum Clerus ruralis de inaequali atque injusta portionis suae distributione, proque medela desuper ferenda instabat, sed nullam inveniebat. a) Inceperunt hinc primum singuli Presbyteri oblationes in propria cujusvis Paroecia fieri solitas privatim sibi retinere, neque eas amplius, ut ante, ad Episcopum, quo aequaliter ab eo inter omnes dividerentur, conferre, in quo cum conniventes reperissent Episcopos, tandem ad ipsius edeo portionis suae divisionem sunt progressi, fundosque ecclesiasticos in sua cujusvis Paroecia sitos singuli sibi privatim retinere & administrare, iisque separatim uti frui coeperunt, b) ipsa tandem Ecclesia assentiente volenteque, ut bona singulis ita Parochis assignata non eorum personis, sed ipsis eorundem, quibus praeerant, officiis sacris imposterum maneant annexa, juraque iis utendi fruendi his ipsis sacris officiis veluti titulis sub nomine Beneficiorum Ecclesiasticorum, ad morem beneficiorum militarium, debeant inhaerere. c)

a) Van Espen ibid. par. 2. tit. 32. c. 6. n. 11.

b) Idem ibidem part. 2. tit. 18. c. 1. n. 8.

c) Idem ibidem part. 2. tit. 18. c. 1. n. 11. & 12. & part. 2. tit. 32. c. 6. n. 18. Confer Franc. Flor. Tom. 2. p. 247. Addatur c. 9. & 19. X. de Praebend. & Dignit. & cap. 15. X. de Rescript. in 6.

## §. VIII.

Exemplum Cleri & ipsi quoque Episcopi cum suis Capitulis sunt secuti: Arctiori hi, ac reliqui Clerici, vinculo inter se mutuo sociabantur; non enim in vulgari tantum illa bonorum omnium communione versabantur, sed insuper etiam vitam quandam communem secundum certos Canones seu regulas iisdem praescriptas inter se invicem transigebant, dum simul habitabant, simul edebant, simulque officiis sacris vacabant: Incipiebat tandem displicere vita ista canonica & regularis; secesserunt hinc primum Episcopi a suis Capitulis, separatimque ab his & habitare & comedere coeperunt. Hanc vitae separationem secuta est ipsa tandem bonorum quoque partitio, per quam portio illa Episcopo ejusque Capitulo indivisim antiquitus assignata inter utrumque ita fuit divisa, ut bona mensa-

mensalia alia Episcopi & alia Capituli inde emerserint, separatisque a se invicem rationibus administrari coeperint. a)

a) Van Espen ibidem part. 2. tit. 32. c. 6. n. 19.

## §. IX.

Tandem & ipsi quoque Canonici Ecclesiarum tam Cathedralium quam plurimarum etiam Collegialium ad Episcoporum imitationem a vita illa communi, utut Viri sanctissimi Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magnus, Chrodogangus & alii in eadem eos retinere voluerint, a) recesserunt, bonaque Capituli mensalia viritim inter se invicem ita subdiviserunt, ut administratio eorundem penes Capitulum quidem remanserit, sua autem inde singulis portio & rata annuatim praeberi, indeque praebenda dici coeperit. b)

a) C. 8. & seqq. caus. 12. q. 1. Confer Franc. Flor. tom. 2. p. 246. & seq.

b) Idem ibidem tom. 2. p. 244. & seqq.

## §. X.

Demum vero, cum neque bona Episcopi mensalia tot, tam variis, tamque sumptuosis impensis ad obeundum munus Episcopale omnino necessariis suffecissent, neque ipsa etiam bona mensalia Capituli singulis Canonicis cum ampliori saepe familia sustentandis paria fuissent, & ipsae reliquae duae, pauperum scilicet & fabricae, portiones in plurimis Ecclesiis mensae Episcopi & Capituli accreverunt: Neque immerito id quidem; potior enim habenda est ratio sustentationis Ministrorum Ecclesiae, quam pauperum & fabricae, eoquod deficientibus illis, & cultum Divinum intermitti, & salutem animarum negligi necesse foret. Interim vero Ecclesia in singulorum Canonicorum pietatem confidit, eos e fructibus residuis & fabricae templorum, & pauperum miseriae pro viribus suis esse subventuros. a)

a) Van Espen part. 2. tit. 32. c. 6. n. 23. & seqq.

## §. XI.

Quanquam hac ratione Ecclesiae a prima jamdum fundatione sua mediis bonisque sufficientibus tum pro Ministrorum suorum sustentatione, tum pro aliis expensis in Ministerium Sacrum faciendis instructae fuerant, non defierunt tamen fideles novis eas indies accessionibus locupletare, veteribusque earum possessionibus novas quotidie devoto animo adjicere; atque inde nata est insignis & celebris illa inter bona Ecclesiastica diversitas, de qua pauca quaepiam, quantum pro instituti ratione satis erit, delibare juvat.

## §. XII.

*Bona Ecclesiastica* in sensu strictiore & specifico *a)* accepta sunt illa, quae sustentationi Ministrorum Ecclesiae aliisque impensis in Ministerium sacrum faciendis inserviunt, atque in praediis, decimis, censibus, juribus, & aliis similibus consistunt.

Bifariam potissimum considerari possunt, scilicet vel ratione *tituli*, quo ad Ecclesiam pervenerunt, vel ratione *finis*, cui destinantur.

*a)* In sensu enim latiore res Ecclesiae etiam spirituales, sacras, & religiosas comprehendunt. Georg. Ludov. Boehmer in Princip. Jur. Eccles. §. 481.

## §. XIII.

Possunt quippe temporalia ad Ecclesiam pervenire, vel speciali titulo *fundationis* aut dotis, vel aliquo alio praeter eam titulo *adquisitionis*.

Illa non inepte possent dici bona Ecclesiarum fundamentalia seu principalia, haec vero adjectitia sive accessoria, eoquod de moribus hodiernis, postquam oblationes fidelium, unde Ministri Ecclesiarum ab initio vixerunt, cessavere, sine illis Ecclesiae subsistere non possunt, bene vero sine his; in stilo tamen semel recepto illa dicuntur bona Ecclesiarum *dotalia*, eoquod in prima statim earum fundatione vel saltem expost per modum dotis ad sustinenda onera matrimonii spiritualis, quod Ecclesiam inter ejusque ministrum intercedit, tradantur; haec vero *adventitia* sive noviter adquisita vocantur, eoquod Ecclesiae jam dotatae super adjiciuntur *a)*

*a)* Idem ibidem §. 648.

## §. XIV.

Bona Ecclesiarum dotalia antiquitus in primaeva bonorum Ecclesiasticorum divisione erant, uti supra audivimus, quadripartita; ex quo vero reliquae duae portiones, pauperum scilicet & fabricae, portioni Episcopi hujusque Capituli adcreverunt, inde ab eo tempore bona Ecclesiarum dotalia non sunt alia, nisi bona ministrorum mensalia *a)*, quae secuta expost mensae Episcopalis & Capitularis separatione evaserunt mensalia vel Episcopi vel Capituli.

*a)* Idem ibidem §. 648.

## §. XV.

Ratione finis, cui bona ecclesiastica destinantur, alia sunt *particularia*, quae in certos & peculiares usus destinantur, alia vero sunt *communia*, quae certo fini atque usui dicata non sunt, sed communibus Ecclesiae usibus inserviunt.

viunt. Atque inde patet, bona Ecclesiarum particularia non esse alia nisi ipsa bona dotalia, eoquod haec in certos & definitos usus sint divisa & destinata; bona vero Ecclesiarum communia esse eadem, quae sunt adventitia, eoquod haec usui Ecclesiarum communi tantum & subsidiario, in casum dotis ecclesiasticae huic illive erogationi & impensae non sufficientis, soleant adhiberi *a*).

*a*) Idem ibidem §. 481.

## §. XVI.

Solent quidam Canonistae ad bona ecclesiastica etiam referre bona Clericorum patrimonialia; sed vero cum haec non sint in ipsarum Ecclesiarum patrimonio, sed singulis quibusvis Clericis propria, a quibus non qua Clericis, sed qua civibus possidentur, eoquod haec illis propter sacrum officium seu ministerium non obveniant, sequitur, inconcinne bona Clericorum patrimonialia referri ad bona ecclesiastica.

## §. XVII.

His de bonorum ecclesiasticorum origine ac natura varietateque breviter praemissis, ad scopum meum nunc propius accedo, prius tamen quaedam adhuc circa notionem collectarum, ipsarumque immunitatum ecclesiasticarum fata ac vicissitudines breviter mihi praenotanda esse videbantur.

## §. XVIII.

*Collectae* seu contributiones territoriales, Landsteuern, (imperiales huc non pertinent) sunt certae ac definitae quaedam praestationes pecuniariae Principi a subditis in subjectionis recognitionem onerumque publicorum sustentationem persolvendae.

Alia earum olim in Germania, ac hodie est, ratio fuit: Sua quippe olim principibus erant Domania, eorum sustentationi aulaeque honori pro modicis parcisque illis temporibus plusquam sufficientia, integerque adhuc florebat miles vasalliticus belli tempore hosti propulsando adhibitus, nulla ergo tum temporis adhuc exigebantur tributa, nullae pensitationes. At vero cum Domania invecto expost luxui principum immodico non amplius suffecerant, flagitari primum a subditis coeperunt tributa, quin tamen statis ea temporibus aut semper fuerint postulata, sed tantum ubi id honor principis aulaeque splendor, uti in torneamentorum celebratione, solennibus nuptiis, aliisque festis aulicis, exigebat, indicebantur. Tandem vero cum militi vasallitico militem mercenarium substitui, eumque perpetuo sustentari necessitas suaserat, non amplius flagitari tributa moris erat, sed ea tum imperari statisque temporibus colligi coeperunt.

## §. XIX.

Collectae territoriales sunt triplicis generis, scilicet *personales*, quae per sonis earumque actionibus imponuntur, uti Kopf-Steuer, Weeg-Zoll rc. rc. aliae *reales*, quae ipsis rebus sive bonis absque habito possessorum respectu injunguntur, uti die Grund-Steuer, aliae denique sunt *mixtae*, quae de utrisque simul exiguntur, uti vectigalia, portoria, telonia, & similia *a*)

*a*) Van Espen part. 2. tit. 35. c. 2. n. 19. & seqq.

## §. XX.

*Immunitas* a collectis est libertas ab obligatione solvendi tributa, proque horum diversitate vel personalis est, vel realis, vel mixta, prout nimirum quis a tributis vel personalibus vel realibus vel mixtis liber est.

## §. XXI.

Cum invecto semel statu imperioque civili obligatio contribuendi ipso jamjam facto & jure omnibus & singulis personis ac rebus in territorio reip. existentibus imposita esse intelligatur, (obligationi enim ad finem, puta salutis publicae conservationem, per se jam inest obligatio ad media, consequenter ad contributiones) consequens est, immunitatem a tributis in statu hoc adventitio exulare, omniaque & singula bona in territorio reip. sita eidem esse collectabilia.

Atque ex hoc principio bona adeo Ecclesiarum, si praedia illa allodialia *a*) ab ingenuis germanicis quondam possessa abque his in Ecclesias Germanicas transmissa excipias, iisdem omnino, quibus bona laicorum, Reipublicae juribus atque oneribus quondam atque ab initio subfuisse, certum est; Etenim cum bona temporalia nullam omnino ex sua natura cum adquirente ac possessore connexionem habeant, eandem semper conditionem retinent, ad quemcunque possessorem perveniant: cum igitur bona ecclesiastica, dum adhuc in manibus Laicorum extiterant, collectis publicis radicaliter saltem & praesumptive obnoxia fuerunt, sequitur, eadem cum hoc ipso etiam onere ad Ecclesias transiisse.

*a*) Erant quippe haec originetenus ex avitae ac nativae libertatis Germanicae reliquiis & moribus sub ipsis adeo Regibus atque Imperatoribus ab omni tributorum genere libera & exemta; cum itaque jura rebus inhaerentia etiam cum ipsis rebus ad quoscunque earum possessores transeant, allodia ista cum hac ipsa etiam immunitate ad Ecclesias Germanicas pervenisse extra dubium est. Confer. Autor celeberrimus Dissertationis de allodio stante superioritate statuum imperii territoriali quoad praesumptionem hodie imaginario. §. 2. 3. & 4.

§. XXII.

## §. XXII.

Tantum etiam abest, ut Ecclesia vel ullam unquam antiquitus immunitatem a tributis sibi asseruerit, ut ipsa potius suam ad eadem exsolvenda obligationem sponte fuerit confessa. Insigne hujus rei testimonium perhibet sanctus Ambrosius. qui, cum Imperator Valentinianus junior Basilicam Arianae suae Uxori Justinae tradi exposceret, respondit *a*). *Si tributum petit Caesar, non negamus, agri Ecclesiae solvunt tributum, solvimus, quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei, Deo. Tributum Caesaris est, non negatur, Ecclesia Dei est, Caesari ergo non debet addici:* atque his magni istius Doctoris verbis correspondet etiam expressum illud Ecclesiae praeceptum: *b*) *Ut nimirum quod constitutum est antiquitus pro pace & quiete, qua nos tueri & defensare debent, Imperatoribus sit solvendum.*

*a*) c. 27. caus. 11. q. 1. item c. 21. caus. 23. q. 8.

*b*) c. 22. caus. 23. q. 8. Confer. Franc. Flor. Tom. 2. p. 34.

## §. XXIII.

Interim vero cum viderent optimi Principes, Congruam ministrorum per exactiones publicas non parum imminui, ipsique tandem cultui ac ministerio divino non exiguum consecutive damnum atque impedimentum inde inferri, varias easque insignes bonis ecclesiasticis immunitates indulserunt.

Primus isque liberalissimus omnium erat Constantinus magnus: nullos hic suae erga Ecclesiam munificentiae terminos posuit, sed, uti eam bonis amplissimis jam ante donaverat, ita & haec pro complemento bonitatis ab omnibus tandem tributis exemit. *a*)

Cum vero illius in Imperio Romano successores tantam bonorum ecclesiasticorum immunitatem Fisco atque aerario publico praegravem nimis atque nocivam esse sibi persuasissent, eam ad sola onera Reipublicae extraordinaria *b*) restrinxerunt, bonaque ecclesiastica ab his equidem, non autem ab ordinariis *c*) immunia esse declaraverunt.

*a*) l. 1. C. Theod. de annon. & trib. praeter privatas res nostras & *Ecclesias Catholicas* nemo ex nostra jussione praecipuis emolumentis familiaris juvetur substantiae, omnes pensitare debebunt.

*b*) Onera extraordinaria dicebantur etiam sordida, erantque munire vias & pontes, aut ad ista opera publica suppeditare calcem, currus, carbones, ligna, animalia, farinas, panes, furnos, praestare operas angarias & parangarias aliasque, quas describunt Van Espen part. 2. tit. 35. c. 1. n. 11. & seqq. item Thomass. part. 3. lib. 1. c. 33. n. 5.

Atque ab his bona Ecclesiarum eximuntur in Nov. 131. c. 5. in verbis: ad

ad hæc ſancimus, omnium ſanctarum Eccleſiarum & omnium venerabilium domorum poſſeſſiones neque ſordidas functiones, neque extraordinarias deſcriptiones ſuſtinere, ſi tamen itineris ſternendi aut pontium aedificii vel reparationis opus fuerit, adinſtar aliorum poſſeſſorum hujusmodi opus & ſanctas Eccleſias & venerabiles domos complere, dum ſub illa poſſident civitate, ſub qua tale ſit opus.

c) Dum enim Juſtinianus in Nov. 43. c. 1. Eccleſiae Conſtantinopolitanae immunitatem 1100. officinarum donavit, addidit: caeterae vero omnes hujus almae urbis officinae, ſive ſacroſanctæ alicujus ſint Eccleſiae, ſive hoſpitalium, ſive monaſteriorum, ſive orphanotrophiorum, ſive ptochiorum . . . hae, inquam, omnes publica illis impoſita praeſtent vectigalia.

## §. XXIV.

Felicior ſub regno Francorum, ac ſub illo Romanorum, fuerat rerum eccleſiaſticarum ſtatus, optatiorque conditio: ut enim ipſas illas immenſas, queis Reges aemulo quaſi ſtudio Eccleſias proſecuti ſunt, bonorum donationes ſileam, pene infinitae ſunt, quas veteres rerum Francicarum ſcriptores Marculphus, Gregorius Turonenſis aliique exhibent, immunitates bonis eccleſiaſticis a Regibus conceſſae, quasque ſine numero ſiſtunt Capitularia Regum Françorum, ut praeter rationem inſtituti longior forem, ſi ſingula vellem recenſére.

## §. XXV.

Utut vero inſignia fuerint haec privilegia, conſtat tamen, ſolas initio Eccleſias paroeciales ſeu rurales, eoquod non multum in bonis habuerint, atque ſuſtentando parocho vix ſuffecerint, ab onere tributorum fuiſſe exemtas, reliquas vero omnes iisdem ſubjectas. Inprimis enim in praefatis Capitularibus ſolius *manſi* fit mentio, isque ſolus ab onere tributorum eximitur, cum autem is, uti ex legibus Longobardorum *a*) liquet, in exigua quapiam terrae arabilis portione, & aliquot mancipiis ad eam colendam neceſſariis conſtiterit, rurique ſitus fuerit, ſicque nonniſi uni alterive perſonae ſuſtentandae ſuffecerit, conſequens eſt, tales immunitates initio non profuiſſe, niſi ſolis Eccleſiis paroecialibus ſeu ruralibus. *b*) Dein conſtat ex hiſtoria Imperii, Epiſcopos, Abbates, aliasque Eccleſias jam inde ab antiquiſſimis temporibus perinde ac reliquos Laicos tributa annua Regibus perſolviſſe; ita jamdum Pipinus in Concilio Vernenſi anno 755. habito Can. 6. vetuit, *ne Abbatiſſae aliaeve moniales ſub praetextu deferendorum ad Regem munerum e monaſteriis ſuis egrederentur.* Similiter id teſtatur Chronicon S. Arnulphi ad annum 833. in verbis: *Condictum publicum Lotharius Calendas Octobris in Compendio habuit, ibique univerſi Epiſcopi, Abbates, Comites & univerſus populus convenientes dona annualia ei praeſentaverunt, fidelitatemque promiſerunt. c*)

a) Lib.

a) Lib. 3. tit. 1. c. 46. „Quodsi forte in aliquo loco Ecclesia sit constructa, quae tamen necessaria sit, & nihil *dotis* habuerit, volumus, ut secundum jussionem Domini & Genitoris nostri unus *mansus* cum 12. bunnariis de terra arabili ibi detur, & mancipia duo a liberis hominibus, qui in eadem Ecclesia officium audire debent, ut Sacerdotes ibi possint esse, & divinos cultus facere, quod si populus noluerit, destruatur.

b) Huic opinioni etiam assentiuntur Franc. Flor. Tom. 2. p. 34. & Van Espen part. 2. tit. 35. c. 1. n. 25.

c) Vid. Thomass. part. 3. lib. 1. c. 38. n. 1. & 6.

## §. XXVI.

Quoniam vero plures hac ratione Abbatiae pluraque Monasteria fere ad egestatem redacta fuerunt, expost tandem Ludovicus Pius in Comitiis anno 817. Aquisgrani habitis definivit a), quid, quale, quantumve singula monasteria per Regnum dispersa dare annuatim Regi debeant, atque aliquibus solas orationes & preces pro Rege & Regno fundendas, aliis sola dona absque militia, aliis denique & dona & militiam pro singulorum quorumvis statu & conditione imposuit, sicque aliquibus aliis equidem praeter paroecias Ecclesiis immunitates a tributis annuis concessit, reliquas vero omnes iisdem subesse declaravit.

a) Eginard. in annal. Reg. Franc. ad dictum annum ita scribit: Constitutum scribere fecit, quae Monasteria in Regno vel Imperio suo dona & militiam facere debent, quae sola dona sine militia, quae vero nec dona, nec militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris vel filiorum ejus & stabilitate Imperii; his praedictis Monasteriis Imperator statutum scribi fecit, atque manu sua firmavit, & annulo suo imperiali sigillare fecit. Confer Hertius in Notit. Regn. Franc. c. 4. §. 54. p. 210.

## §. XXVII.

Hisce temporibus nullum adhucdum Ordines Imperii jus collectandi subditos sibi arrogaverunt; solus quippe per Imperium Dominus Steuralis Rex ipse erat; ex quo vero extincta Regum Carolingicorum Stirpe, & in progressu aevi medii autoritas & potestas Regum posteriorum decrescere, illa vero Procerum crescere coepit, varia hi sibi pedetentim regalia adquisivere, atque adeo collectare ad morem veterum Regum Francorum subditos suos coeperunt, donec & ipsis tandem Ecclesiis tributa indicere praesumpserint. Contigere haec potissimum sub Regibus Salicis & Suevis. Occasionem exactionibus hisce omnino favorabilem suppeditabant frequentia Sedem Pontificiam inter & Imperium dissidia, quibus durantibus ne Proceres a Caesare deflecterent, (amabant quippe aliqui Pontifices excommunicare subin Imperatores sibi infensos, decla-

declarare eos Regno indignos & exortes, absolvere ab homagio Proceres aliosque Imperii subditos, unde non potuerunt non frequentes turbae & seditiones oriri) facile is eo induci poterat, ut iniquis hujuscemodi exactionibus indulgeret. Ne autem Proceres absque ullo jure indicere Ecclesiis tributa viderentur, titulum Advocatiae, quacum plurimis Germaniae Ecclesiis praefuerant, praetexuerunt. Gravissimas desuper querelas moverunt Praesules Ecclesiarum, atque pro medela iniquis hisce usurpationibus ferenda apud Caesarem instituerunt, tandemque obtinuerunt, dum Fridericus II. Imperator publica constitutione Imperii & omnes ulteriores ejusmodi exactiones sub gravissimis poenis inhibuit, & anteactas omnes ceu irritas nullasque declaravit.

a) Quam exhibet Perillustris L. B. de Senckenberg in Corp. Jur. feud. Germ. p. 453. in verbis:

, FRIDERICUS Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus Marchionibus, Comitibus, cunctisque populis, quos Clementiae nostrae regit Imperium, salutem & gratiam.

In die, qua de manu SACRATISSIMI PATRIS NOSTRI SUMMI PONTIFICIS recepimus Imperii diadema, curavimus ad DEI & Ecclesiae suae honorem edere quasdam leges, quas in praesenti pagina jussimus annotari, per totum Imperium nostrum publicandas. Per Imperialia Vobis scripta praecipiendo mandamus, quatenus eas quippe litteras in suo districtu irrefragabiliter & inconcusse servet. Et sunt hae Leges:

Ad decus & honorem Imperii & laudem Romani Principis nihil omnino magis videtur accedere, quam ut expurgatis quibusdam erroribus, & iniquis quorundam Statutis penitus destitutis, de coetero Ecclesia DEI plena quiete vigeat, & secura gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorundam & injustorum iniquitas abundavit, ut non dubitent contra Apostolicam disciplinam & sacros Canones Statuta sua confingere, contra Ecclesiasticas Personas, & Ecclesiae libertatem. Cum ergo Divina Dispositione favente nihil velit Ecclesia (quae nihil debet praeter bonum appetere), quod nobis eodem concursu & eadem non placeat voluntate.

Nos FRIDERICUS Romanorum Imperator semper Augustus hac edictali Lege irritamus, & irrita nunciamus omnia statuta & consuetudines, quae civitates vel loca, Potestates, Consules, vel quaecunque aliae personae contra libertatem Ecclesiae, vel Ecclesiasticas Personas edere vel servare adversus Canonicas & Imperiales Sanctiones praesumpserint, & ea de Capitularibus suis mandamus intra duos menses post hujus publicationem Edicti penitus aboleri, et si de caetero similia attentaverint, ipso jure decernimus esse nulla, & eos sua Jurisdictione privatos, superiori protinus applicanda, nec non locum, ubi deinceps talia praesumpta fuerint, banno mille marcarum praecipimus subjacere. Potestates vero, Consules, Rectores, Statutarii & Scriptores dictorum Statutorum, nec non Consiliarii locorum ipsorum, qui secundum Statuta vel consuetudines memoratas judicaverint, sint ex tunc ipso jure infames, quorum sententias & alios actus illegitimos prae-

praecipimus aliquatenus non tenere. Quodsi per annum hujus nostrae Constitutionis inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum Imperium mandamus impune ab omnibus occupari, salvis nihilominus aliis poenis contra tales in generali Concilio promulgatis.

Item nulla Potestas vel Persona publica vel privata collectas sive exactiones angarias vel parangarias Ecclesiis vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis Personis imponere, aut invadere bona ecclesiastica praesumant, quod si fecerint, & requisiti ab Ecclesia vel ab Imperio emendare contempserint, triplum refundant, & nihilominus banno Imperiali subjaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur &c. &c.

## §. XXVIII.

Sed vero recruduit pristinum vulnus, revixerunt pristinae usurpationes, rursumque exigere ab Ecclesiis tributa coeperunt Proceres Imperii saeculares aliique Domini potentiores. Regeneraverunt invasiones istas partitae, extincta stirpe Caesareo-Hohenstauffensi, Caesarum Electiones, nutriverunt vero eas effraenes eorum temporum diffidationes, quibus Leges etiam sanctissimae susque deque habebantur, omneque jus in manibus & armis quaerebatur. Tristissimis hisce temporibus ejuscemodi tributorum exactiones in minimis adhuc malis erant, quae Ecclesiis a Statibus Imperii Laicis inferebantur.

Graviter more suo adversus has similesque invasiones institerunt sacri Praesules, sed nihil effecerunt; omnia quippe froena fregerat jus manuarium, neque diuturno tempore sopiri poterat, usque dum demum Carolus IV. Imperator occasione gravissimarum querelarum ab Ecclesia Mindensi ad se delatarum novum Ecclesiis Germanicis Palladium dedit, atque ad imitationem sui Praedecessoris Friderici II. Constitutione Imperii publica a) omnes ejus generis exactiones anteriores irritavit, omnesque futuras gravibus sub poenis mulctisque interdixit.

a) Quam exhibet Lünig in seinem teutschen Reichs-Archiv in Continuat. part. gener. part 1. p. 8. in verbis:

In Nomine Sanctae & Individuae TRINITATIS feliciter Amen.

Carolus IV. Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiae Rex ad perpetuam rei memoriam.

Etsi Imperialis Benignitatis Clementia quorumlibet devotorum fidelium, quos Sacrum Romanum ambit Imperium, ex officio debito teneatur, necessitatibus & injustis oppressionibus consulere, & de opportunis remediis providere; ad illos tamen permaxime dirigitur nostrae mentis affectio, quos indebite pati cognoscimus, quorumque oppressionibus Status ecclesiasticae libertatis, quem semper nostris temporibus augeri volumus, enormiter

 ener-

enervatur, & quasi ad nihilum redigitur. Minus juste sane ad nostrae Serenitatis audientiam pro parte honorabilium Praelatorum, Canonicorum, & Clericorum Mindensis Civitatis & Dioecesis insinuatione querulosa suppliciter est deductum, quod Saeculares quidam in Potestatibus & Officiis publicis constituti, videlicet Duces, Comites, Barones, Milites, & Sculteti, & alii Domini temporales, nec non Consules Civitatum, Oppidorum, Villarum, & locorum Rectores Dioecesis praedictae, DEI timore postposito, statuta singularia, iniquas ordinationes motu proprio ac temeritate praesumptuosa de facto contra personas ecclesiasticas, Ecclesiarum & locorum religiosorum libertates & privilegia condiderunt, & condunt, eisdemque publice & de facto insistere praesumpserunt ausu temerario & nefando, quotidie contra legitimas civiles & canonicas Sanctiones, ut puta, quod multa bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferantur, neve Clerici in sacris constituti ad agendum sive testificandum in civilibus & maxime in piis causis aliquatenus admittantur, quodque excommunicati laici & publici denuntiati in civili foro minime repellantur, nec in eorum Consulatus officio & aliis actibus saecularibus evitentur. Item praedicti Domini temporales, Consules, Rectores, per saecularem potestatem Ecclesias & personas ecclesiasticas capiunt, & capi procurant, res & bona Clericorum occupant & arrestant, oblationes fidelium diminuunt & restringunt, exactiones & tallias indebitas de bonis & reditibus Ecclesiarum exigunt & extorquent, stationes immoderatas cum multitudine nobilium in bonis Ecclesiarum & piorum locorum faciunt, vecturas curruum & vectiones multiplices bonis ipsis imponunt contra ecclesiasticam libertatem, possessiones Ecclesiarum & Personarum Ecclesiasticarum devastant incendiis & rapinis, contractus inter Clericos & Laicos legitime factos ad libros civitatum, villarum, & locorum recusant inscribere ac sigillare, donata & legata ad fabricas Ecclesiarum & structuras contra voluntatem Praelatorum & aliorum, quorum interest, praesumunt usurpare contra justitiam, in fraudem & odium Clericorum confugientes ad Ecclesias, Coemeteria, & ad loca libertatis Ecclesiarum inde extrahere contra Sanctiones Imperiales praesumunt.

Cum igitur haec omnia & singula & quaevis alia similia, nec non quaecunque secuta sunt, & sequi possunt, ex iisdem sint & fuerint solum de facto ac temere attentata ac per sacras civiles, ac Canonicas Sanctiones reprobata expresse. Nos ea omnia & singula de Principum, Dominorum, Comitum, Baronum, fideliumque nostrorum Consilio ex certa scientia tenore praesentium & Authoritate Imperiali cassamus, irritamus, annullamus, cassaque, irrita, & nullius esse momenti penitus declaramus, dicimus & nunciamus, expresse praesenti Edicto perpetuo valituro, seriosius inhibentes, ne hujusmodi aut eorum similia de coetero dicti Domini temporales attentare praesumant, praecipientes nihilominus sub indignatione Imperialis Banni universis & singulis Dominis & Militibus, Consulibus, Potestatibus, Officiatis, & in officiis publicis constitutis, quatenus mox visis aut intellectis praesentibus dicta eorum statuta & ordinationes sicut in praejudicium ecclesiasticae libertatis edita sunt, omnino revocent, & de luce tollant, quodque secundum ea non judicent amplius, nec sententias dictent, aut eisdem in judicio vel extra quomodolibet per se & contra ecclesiasticam libertatem potiantur.

Item

Item pronuntiamus & declaramus imperiali authoritate, quod, quicunque, cujuscunque ſtatus vel conditionis extiterit, auſu ſacrilego & propriae temeritatis audacia Sacerdotem vel Clericum ſaecularem vel religioſum diffidaverit, proſcripſerit, captivaverit, ſpoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere detinuerit, aut hujusmodi malitiam perpetrantes ſcienter receptaverit, ſive conſilium, auxilium, vel favorem in his eis praeſtiterit, vel pro cauſa criminali vel civili quaeſtionem in judicium ſaeculare & ſpecialiter in judicium, quod dicitur Freyding, quod nulla temporis praeſcriptione, vel regali ſeu imperiali Edicto, ſeu judicii confirmatione, contra perſonas eccleſiaſticas ſeu Clericos per quamcunque conſuetudinem introduci volumus, trahere praeſumpſerit, vel ratione dictae conſuetudinis aut potius corruptelae extra praefatum judicium contra Clericos in praejudicium eccleſiaſticae libertatis aliquid attentaverit, praeter poenas a ſacris imperialibus & canonicis ſanctionibus eis inflictas decernimus hos imperiali Edicto ipſo facto infames & omni honore privatos, nec ad placita vel conſilia nobilium aliquatenus admittendos, & actorem vel actores tales a jure ſuo cadere, ac judicatum non tenere, judicemque judicandi poteſtate privatum, & in bannum imperiale incidiſſe pronuntiamus.

Verum quia parum eſſet, jura condere, niſi eſſent, qui tuerentur; eadem auctoritate imperiali praedicta univerſis Principibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & ſpecialiter Colonienſi, Moguntino, Magdeburgenſi, & Bremenſi Archiepiſcopis; Monaſterienſi, Osnabruggenſi, Hildenſemenſi, Paderbornenſi, Mindenſi, Lubicenſi, Verdenſi, & Suerinenſi Epiſcopis, nec non omnibus Saxoniae, Luneburgi, & Brunſvici Ducibus, Landgravio Haſſiae, nec non de Marka, de Monte, de Hoja, de Tekelnburg, de Schobenburg, de Wernengerode, de Holzatie, & de Regenſtein Comitibus, quibus & eorum cuilibet vices noſtras committimus in praemiſſis per praeſentes, & eis ſub obtentu imperialis gratiae praecipimus & mandamus, quatenus toties, quoties pro parte dictorum Praelatorum, Canonicorum, & Clericorum, vel alicujus ipſorum fuerint requiſiti, eisdem pro toto ſuo poſſe aſſiſtant & faciant, quod praemiſſa committentes, quicunque fuerint, poenis praedictis puniantur, realiter & cum effectu, quatenus caeteri eorum exemplo perterriti ſimilia de facili non attentent. Praeterea omnes & ſingulos Eccleſiarum ſive eccleſiaſticarum perſonarum praedictarum Vaſallos & feudatarios, cujuscunque ordinis gradus vel conditionis exiſtant, qui contra Eccleſiam vel perſonas eccleſiaſticas ipſius Mindenſis Eccleſiae Civitatis & Dioeceſis, a quibus feuda eorum tenent, aliquid fecerint de praemiſſis ſive ea facientibus, ſi propter hoc excommunicati denuntiantur, vel alias adſtiterint quovis modo, dummodo de hoc ſervato juris ordine convicti fuerint, denunciamus & decernimus, eo ipſo ſuis feudis ſive beneficiis eſſe privatos, eosque praeſentis conſtitutionis Edicto privamus perpetuo, dantes Eccleſiae ſive eccleſiaſticis perſonis antedictis dicta feuda concedendi aliis perſonis Laicis fidelibus & utilibus liberam facultatem. Volumus etiam, hortamur, & requirimus Epiſcopos & Praelatos eccleſiaſticos, ut hanc noſtram Legem & Conſtitutionem in Synodis & Eccleſiis publicari procurent, ne in praemiſſis per ſimulatam ignorantiam ſuas malitias valeant excuſare. Nulli ergo omnino hominum liceat,

hanc nostram cassationis, irritationis, annullationis, inhibitionis, nec non pronuntiationis, & declarationis paginam infringere, aut ei ausu temerario quomodolibet contravenire, sub poena imperialis nostrae indignationis gravissima, nec non quinquaginta marcarum auri purissimi, quas ab eo, qui contra fecerit, toties, quoties fuerit contra factum, irremissibiliter exigi, & earum medietatem imperialis nostri aerarii sive Fisci, residuam vero partem injuriam passorum usibus volumus applicari.

Signum Serenissimi Principis & Domini Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris invictissimi & gloriosissimi Bohemiae Regis.

Testes hujus rei sunt venerabiles Episcopi Gerhardus Hildensemensis, & Henricus Paderbornensis, Illustres Duces Albertus Saxoniae & Luneburgi, & Wenceslaus Oppaviae, spectabiles Comites Burkardus de Hardek, Gerhardus de Hoja, Boszo & Henricus de Schrapelow, nobiles Otto advocatus de Monte, Petrus de Wartenberg dictus de Chost imperialis Curiae nostrae Magister, Thumo de Cholditz Camerae nostrae Magister, Hinzo de Lipa, Albertus de Sternberg, Simon de Lywen, Busko de Pritzan, Buffetto de Pristriz, Alhardus de Pusche dapifer in Ravensperg, Henricus de Ezigelhem, & alii quam plures nostri & Imperii Sacri Principes, Comites, nobiles, & fideles praesentium sub imperialis Majestatis nostrae sigillo testimonio Litterarum. Datum Mindae anno Domini MCCCLXXVII. indictione XV. Calend. Decembr. Regnorum nostrorum anno XXXII. Imperii vero XXIII.

De Mandato Domini Imperatoris

Nicolaus Cameracensis Praepositus.

## §. XXIX.

His certe Imperatorum Edictis nervosius nihil ad tuendas bonorum ecclesiasticorum immunitates potuit excogitari. Taceo hic infinitas pene illas Conciliorum & Pontificum constitutiones, quibus haec Principum circa praedictas immunitates decreta acceptantur approbanturque, quibusque poenae temporales, per haec Imperatorum edicta in transgressores statutae, adjectis insuper censuris poenisque spiritualibus magis exasperantur.

Sed vero cum nihil tam sanctum sit tamque munitum, ut non saepius violari idipsum contingat, mirum certe non est, immunitates hasce ecclesiasticas sanctionibus ut ut gravissimis firmatas hoc rursus saeculo impugnari.

Objicitur quippe & exprobratur Ecclesiis, eas non tantum immunitatibus suis mera Principum benevolentia indultis abuti, illasque in summum Reipublicae detrimentum ad omnia sua cujuscunque generis bona contra mentem & intentionem principum largitorum extendere, sed & hasce insuper immunitates jam ex se ipsis, eoquod populo & aerario publico sint noxiae, injustas esse jactitatur. Praetenditur hinc, adesse justam revocationis & cassationis omnimodae causam.

Negu-

Negantur haec ab Ecclesiis, quae, ut majorem suis immunitatibus inviolabilitatem concilient, ad jus tam divinum quam ecclesiasticum provocant, inque utroque temporalium suorum immunitates fundatas esse contendunt.

## §. XXX.

Acriter hac super re utrimque jamjam certatum est, atque etiamnum certatur, ut difficile omnino sit, circa rem adeo momentosam delicato praeprimis hocce saeculo quid definire; longe etiam absum inter tantas Partes tantosque utriusque partis Caussidicos quidpiam decidere; interim vero quoniam libertas sentiendi jus quoddam omnibus connatum est, quid hac de controversia sentiam, salvo cujuscunque meliori, paucis explanabo: Cum tamen multum intersit praescire, ex quo jure, an divino an humano, haec Ecclesiarum in temporalibus immunitas fluxerit, (firmius quippe est jus, quod in lege divina, quam quod in mere humana nititur), haec prius definienda est quaestio, antequam ad ipsam Litem principalem deveniam.

## §. XXXI.

Solent Canonistae plerique uti universam immunitatem ecclesiasticam, ita & maxime illam bonorum ecclesiasticorum a tributis, ex jure tam divino quam ecclesiastico derivare, eumque in finem ingentes ex utroque jure textuum cumulos afferre; sed vero cum Canonistae recentiores iique ab omni partium studio remotiores vanitatem ejusmodi argumentorum satis jamdum exploserunt a), refutationi quoque eorum non immorabor, sed paucis, quantum satis erit, ostendam, immunitates Ecclesiarum temporales ex jure neque divino neque ecclesiastico, sed ex solo jure civili esse derivandas.

a) Unum, qui loco omnium est, testem appello eminentissimum Cardinalem Bellarminum, qui acerrimus utut sit immunitatum ecclesiasticarum defensor, tamen in lib. I. de Cleric. c. 28. tom. I. controv. 5. fatetur, Clericos, praeterquam quod Clerici sint, esse etiam cives & partes quasdam Reip. politicae, hinc non exemtos esse Clericos ullo modo ab obligatione legum civilium, exemtionem Clericorum in rebus politicis, tam quoad personas quam quoad bona, jure humano introductam esse, & nullum proferri posse Dei verbum, quo ista exemtio confirmetur.

## §. XXXII.

Et quidem quod jus divinum attinet, ad quod tanta confidentia provocant, istud nequaquam patrocinatur eorum intentioni; quoscunque enim textus ex utraque scriptura sive veteri sive nova adferunt, ii omnes plus nihil probant, quam Clericos ratione sacri officii sui seu ministerii divini ab omni potestate saecu-

faeculari esse immunes, nullatenus vero ostendunt, ipsos etiam ratione temporalium suorum tali immunitate ab ipso Deo fuisse instructos, imo potius ipsos adeo sacerdotes V. T. a Regibus dependisse, abque his ipsis modo institutos, modo depositos ab officio suo fuisse, ex multis veteris scripturae sacrae locis *a*) ostendi potest, ex quo sequitur, multo magis temporalia veteris Ecclesiae judaicae potestati regiae per omnia subfuisse. Sic pariter Christus in nova lege expresse Apostolos suos jubet reddere tributum Caesari *b*), quod & ipsemet solvit *c*); ex quibus itaque omnibus illucescit, nullum pro immunitate Ecclesiarum temporali praesidium in jure divino reperiri.

Neque obstat *c. 4. de immunit. Eccles. in 6.* neque *c. 43. Concilii Lateran. sub Innoc. III. habiti*, neque *Sessio 9. Concil. Lateran. sub Leone X. celebrati*, neque *Concilium Tridentinum Sess. 25. c. 20. de reformat.* ubi immunitas ecclesiastica juris divini esse asseritur. Inprimis enim si loci citati inspiciuntur, isti de nulla alia nisi de mere spirituali immunitate, in quantum haec ipsum ministerium divinum Clericorum concernit, intelligendi sunt, aut quodsi etiam de immunitate Ecclesiarum temporali loquuntur, tunc alterutrum est verum, scilicet ea vel eandem habere authoritatem, quam habent Decretales Isidorianae, *d*) quibus innituntur, vel siquam habent, ea non ita esse intelligenda, quasi immunitatem Ecclesiarum temporalem a Deo praeceptam & stabilitam fuisse crediderint aut definiverint, sed tantum quod aequum fuisse judicaverint, Ecclesiam Christi non deteriori conditione haberi, ac illam Moysis, cui adeo ab ethnicis regibus, uti Pharaone *Genes. c. 47.* & Artaxerxe 1. *Esdr. c. 7.* immunitas quoad bona ejus temporalia fuit concessa *e*), id quod nemo diffitebitur.

*a*) 1. Reg. 10. etiam Levitae Regi Saul subjiciuntur. Jos. 3. & 6. Josue etiam sacerdotibus praecepta dedit. 3. Reg. 2. v. 26. Salomon deposuit magnum sacerdotem Abjathar, inque ejus locum instituit Sadock. 2. Paralipom. 19. v. 8. Josaphat Rex instituit Levitas & Sacerdotes.

*b*) Matth. 22. v. 21. reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei, Deo. Item ad Roman. 13. v. 7. reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.

*c*) Matth. 17. ad quem locum S. Ambrosius c. 28. Causs. 11. q. 1. inquit: Si filius Dei censum solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum?

*d*) Primus omnium, qui immunitates Ecclesiarum temporales juri divino adscripsit, erat Isidorus, qui, cum ad tuendas magisque firmandas, uti agebat, immunitates Ecclesiarum temporales in jure divino *scripto* praesidium nullum adinvenisset, primis primorum jamjam quatuor saeculorum Pontificibus decretales adfinxit, supposuitque, ut ostenderet, ex verbo Dei saltem *tradito* immunitates istas esse derivandas. Diu ignorabatur falsitas istarum decretalium, diu illae pro basi & norma circa plura Ecclesiae negotia definienda a Conciliis & Pontificibus adhibebantur, quid ergo inde nisi errores?

*e*) Van Espen part. 2. tit. 35. c. 2. n. 26. & seqq.

§. XXXIII.

## §. XXXIII.

Neque in jure ecclesiastico patrocinium causae suae inveniunt Canonistae; cum enim duae hae potestates, sacra scilicet & civilis, tum ex natura sua, tum ex institutione divina, sint abs se invicem in sua sphaera realiter distinctae atque independentes, neutraque neutri subjecta, consequens est, nullum unquam Ecclesiae jus competiisse, aut adhucdum competere posse, bona sua temporalia in territorio Reipublicae sita eique collectabilia ab ejus potestate, propria authoritate, eximendi abque onere collectarum liberandi; atque inde patet, quanta sit juri canonico in rebus gentium civilibus ac temporalibus authoritas.

Frustra objicitur, jus Canonicum in temporalibus saltem obligare ut receptum, adeoque ex eo saltem qua tali immunitates Ecclesiarum temporales fluxisse. Sed vero, qui ita argumentantur, non vident, se proprio hoc argumento suo vapulare; quod si enim, ut ipsimet fatentur, authoritas juri canonico in rebus temporalibus & civilibus tributa est per ipsam demum gentium & Rerump. liberam receptionem, fateantur etiam oportet, Constitutiones hasce ecclesiasticas semel receptas, quia non nisi per & post receptionem in rebus civilibus obligare incipiunt, non amplius ut leges ecclesiasticas, sed ut civiles debere considerari; ex quo proinde sequitur, ipsas immunitates Ecclesiarum temporales huic Juris Canonici receptioni innixas non ex ipso Jure Canonico, sed vi talis receptionis ex Jure civili fuisse profectam.

a) Uti id solide more suo demonstrat Doctissimus Paul. Joseph. de Riegger jur. canon. in Univers. Vindobonensi P. P. O. in Instit. Jurisprud. Eccl. part. 1. Sect. 1. c. 4.

## §. XXXIV.

Quandoquidem igitur ex demonstratis immunitas a tributis neque a DEO neque ab Ecclesia bonis ecclesiasticis fuit concessa, neque etiam ab aliquo alio dari eisdem potuit, atque adhucdum potest, nisi a solo Imperante civili, (cui enim debentur Steurae, is solus eas potest remittere), manifesto consequitur, immunitates bonorum ecclesiasticorum a tributis non aliunde posse derivari, nisi e Jure civili, non communi quidem, sed singulari, i. e. Principum civilium Privilegiis, sunt enim leges privae, seu exemtiones a lege communi veluti regula.

Neque potest dici, ea, quae jamdum a Conciliis aut Summis Pontificibus circa immunitates Ecclesiarum temporales constituta fuerant, ab Imperatoribus coeterisque Principibus tantum fuisse magis confirmata, adeoque immunitatum istarum originem & causalem in ipso Jure Ecclesiastico aut potius Divino utpote a Principibus tantum agnito magisque explanato esse quaerendam,

Sed vero verba haec sunt, res ipsas desidero. Certe Imperatores aliique Principes in suis Constitutionibus ne uno quidem verbulo ajunt, immunitates temporales Ecclesiis ex ipso jamjam Jure Divino aut Ecclesiastico competere, seque eas magis tantum confirmare aut roborare, sed constanter privilegia se dare asseverant, a) cui expressioni Ecclesia certe contradixisset, atque etiam contradicere pacatis illis temporibus sine periculo potuisset, si ipsa tum temporis immunitates hasce temporales ex ipso jamjam Jure Divino aut Ecclesiastico sibi competere credidisset, quod autem factum esse nullibi legitur. Dein haec Caesarum privilegia, queis Ecclesiis immunitas temporalis conceditur, sunt antiquiora omnibus illis Conciliis ac Pontificibus, qui unquam circa immunitates Ecclesiarum quidpiam definierunt; etenim Constantinus Magnus aliique Principes varias jamdum Ecclesiis immunitates concesserant, antequam Concilia aut Pontifices vel cogitaverunt quidpiam circa eas definire, credidit quippe tum Ecclesia, ultra suam sphaeram esse, se immiscere in Jura Principum temporalia, eaque usurpare. Sine fundamento ergo & ratione dicitur hisce Principum Privilegiis temporalem Ecclesiis immunitatem non tribui, sed eam Jure Divino & Ecclesiastico jam ante concessam magis tantum confirmari.

a) L. 1. C. Theod. de Episc. & Cler. expresse dicit Constantinus Magnus: Haereticorum factione comperimus, Ecclesiae Catholicae Clericos ita vexari, ut nominationibus seu susceptionibus, quas publicus mos exigit, contra indulta sibi *Privilegia* praegraventur.

## §. XXXV.

Ex deductis itaque cum immunitas ecclesiastico-temporalis juri neque Divino, neque Ecclesiastico, sed soli civili & quidem singulari innitatur, facilis nunc erit resolutio quaestionis; an si qua Ecclesia fuerit in possessione immunitatis, inque possessorio Principem vicerit, dein in petitorio titulum suae possessionis edere teneatur?

Quilibet jam ex se ipso videt, quantum intersit, ad quaestionis istius decisionem ipsarum immunitatum fontem & causalem praedefiniisse. Quodsi enim illae in ipso jure Divino aut Ecclesiastico aut etiam civili communi essent constitutae, editio tituli sine jure peteretur, cum ea, quae juris communis, ne dicam, Divini, sunt, non probantur; sed vero cum ex demonstratis immunitates istae solis Principum privilegiis nitantur, haecque ceu jura singularia res facti sint, adeoque probari debeant, evidens consequentia est, Ecclesiam in petitorio ad titulum suae possessionis edendum sicque ad exhibendum Principis Privilegium, nisi, uti statim deducam, de praescriptione immemoriali docere possit, obligari.

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Frustra hic recurritur ad praesumptionem libertatis, quae pro illo, qui in ejus possessione est, militat, ipsique propterea adversario servitutem praetendenti probationem injungit: Etsi enim id in servitutibus privatis, quae facto constituuntur, verum sit, non tamen tenet in servitutibus publicis, id est, in subjectione civili; cum enim per notoria juris publici universalis omne id, quidquid finibus territorii circumscribitur, hoc ipso jam, quod in territorio existat, omnibus omnino ejus juribus ac legibus subsit, nulla omnino hic, ne partialis quidem libertas aut immunitas a subjectione praesumi potest, sed probanda est ab eo, qui eandem sibi asserit.

## §. XXXVII.

Quoniam autem plures Ecclesiae per Germaniam dispersae jam dudum ante enata tot particularia Statuum territoria extitere, aliae vero expost demum erectae sunt atque fundatae, illis Privilegia Caesarea, his vero sola territorialia prosunt. Cum enim illius solummodo sit, ab uno alterove jure territorii eximere, cujus est ipsum territorium, patet, Caesarem ante enatam hodiernam Superioritatem Statuum territorialem optimo jure dare Ecclesiis immunitates potuisse, eoquod solus tum ille per universum territorium Germaniae Dominus fuerit, quae proinde Privilegia hodie adhuc sancta esse debent atque inviolabilia; cum enim hodierni Domini territoriales Imperatoribus pro suo quisque territorio successerunt, etiam facta eorum praestare tenentur, eoquod successor, uti in jura, ita & in obligationes antecessoris sui succedat. Ex quo vero tempore singuli Status Imperii in sua quisque Regione Superioritatem territorialem consecuti sunt, nulla amplius ejusmodi Privilegia pro Statuum territoriis Caesar potest impertiri, sed ea a solo Domino territorii sunt obtinenda.

## §. XXXVIII.

Quandoquidem ergo ex ante dictis ab eo, qui immunem sese a tributis esse praetendit, in petitorio titulus est edendus, quaeritur, quid juris sit, ubi Ecclesia aliqua nullum equidem privilegium exhibere se posse ait, interim vero in praescriptione se fundat?

Praescriptionem ab ejus *objecto* vulgo distinquunt in *Extinctivam*, qua jus alterius extinquitur, & *Adquisitivam*, qua jus quoddam nobis adquiritur. Ab ejus *forma* vero eam distinquunt in *Ordinariam*, seu longi temporis, quod est in rebus mobilibus trium, in immobilibus 10. vel 20. annorum, & *Extraordinariam*, seu longissimi temporis, quod est 30. vel 40. annorum. Speciebus hisce addunt communiter *Praescriptionem immemorialem*, quam aliqui *Conservati-*

*vam* dicunt, ſed vero haec male inter ſpecies praeſcriptionis refertur, nullum enim per eam jus extinquitur, nullumque adquiritur, ſed jus proprium jamdiu ante quaeſitum per eam tantummodo continuatur conſervaturque; dein praeſcriptio, uti Jure Digeſtorum conſtat, nullum jus nullamque actionem ad rem praeſcriptam & expoſt iterum amiſſam repetendam tribuit, ſed exceptionem tantum adverſus priorem rei vel juris Dominum rem vel jus ſuum repetentem producit; praeſcriptio autem immemorialis utramque tribuit, quia non eſt nudus modus adquirendi, ſed ſimul titulus, ſaltem praeſumptus, eſt, vicemque tituli ſuſtinet *a*), eoquod vetuſtas temporis ac poſſeſſionis, cujus originis atque initii non extat memoria, praeſumptionem urgentiſſimam adquiſitionis olim legitime, i. e. juſto titulo & modo, factae producat, ſicque poſſeſſorem, ubi hanc temporis vetuſtatem probavit, ab omni tituli alterius probatione liberat. *b*)

His praenotatis ad quaeſtionem propoſitam redeo. Praeſcriptione longi temporis non poſſe adquiri immunitatem a tributis, expediti juris eſt; cum enim praeſcriptio ab Imperantibus civilibus introducta ſit in poenam negligentiae, imperantes autem legibus a ſemetipſis latis non teneantur, neque negligentiae puniri a quocunque poſſint, in aprico eſt, nullam praeſcriptionem ſteurarum longi temporis allegari contra Principes poſſe.

Atque ex eadem ratione ne ipſa quidem longiſſimi temporis praeſcriptione adquiri immunitatem a collectis poſſe, diſertis verbis edicitur *in l. 6. C. de praeſcr. 30. vel 40. ann.* Equidem Boehmerus in ſuo Jure Proteſtant. eccl. *c*) hanc legem ita interpretatur, diſtinquendum ſcil. eſſe, an immunitas a collectis allegetur contra ipſum Principem, an tantum contra ſtatus territoriales, die Landſtände? (dantur quippe territoria, in quibus Status per certos quosdam diſtrictus jus ſubcollectandi habent, ita, ut certam quot annis quantitatem per ejusmodi ſubcollectationes exactam Principi exſolvere teneantur) priori caſu non poſſe allegari immunitatem a collectis admittit, bene vero poſteriori, eoquod rationem, ob quam praeſcriptio contra Principem allegari nequit, in caſu poſteriori ceſſare putet: ſed vero diſtinctionem iſtam non eſſe admiſſibilem, ſequentes rationes evincent; imprimis enim citata diſtinctio ne verbulo quidem in lege citata indigitatur, neque etiam indigitari potuit, cum ſyſtema politicum Imperii Romani aliud plane fuerit, ac eſt illud Imperii noſtri Germanici, in illo enim Status territoriales ignorabantur, atque ideo cum lex allegata generaliter loquatur, nullamque diſtinctionem faciat, neque nos diſtinquere debemus. Dein ratio potiſſima, cur ſteuras vel longiſſimo etiam tempore praeſcribi interdictum fuit, erat, ne fiſcus publicus quidpiam inde detrimenti patiatur, ſicque ne extenuatis reditibus publicis ſumptus in communes & publicas neceſſitates faciendi deficiant; atqui haec ratio etiam quadrat

ad

ad casum posteriorem, collectae enim semper pertinent ad fiscum publicum, sive huic immediate, sive, quod perinde est, mediate solvantur; cum enim Status territoriales non sint proprietarii subcollectarum, sed tantummodo earum collectores, & veluti commissarii Principis perpetui ad eas colligendas fiscoque publico expost solvendas constituti, unum mihi idemque esse videtur, sive collectae praescribantur contra ipsum Principem, sive contra Status territorii, cum utrobique jus ipsius fisci publici excludatur & praescribatur.

Coeterum vero Praescriptione immemoriali aeque, ac Principum privilegiis, tum contra Status territoriales, tum contra ipsum Imperantem recte posse defendi immunitatem a tributis, statuo cum eodem Boehmero; d) rationes decidendi sunt hae: Imprimis praescriptio immemorialis, eoquod ex ante dictis praescriptio plane non sit, neque in citata l. 6. C. de Praescript. 30. vel 40. ann., neque in aliis legibus queiscunque omnem etiam praescriptionem excludentibus continetur, neque etiam contineri potest, etsi enim Princeps possit prohibere, ne jura sua regalia a quocunque alio extinquantur aut adquirantur, non tamen potest prohibere, ne jam diu ante legitime quaesita conserventur. Dein quaecunque jura possunt possideri e privilegio, etiam legitime possunt possideri e praescriptione immemoriali, cum per superius deducta haec vice tituli sit, & privilegio aequiparetur; cum ergo is optimo juris titulo possidet immunitatem a tributis, qui eam e privilegio Principis tenet; quare non eodem jure gaudeat is, qui per praescriptionem immemorialem a tributis immunis est? Sequitur itaque hinc, Ecclesiam, etsi nullum suae immunitatis privilegium possit exhibere, (facile quippe potest accidere, ut quis jus quoddam legitime adquisitum habeat, quin illud probare, illiusque titulum edere possit, eoquod edax rerum tempus memoriam rerum delere, documenta corrumpere, variisque injuriis subducere possit, ut probatio initii adquisitionis deficiat; nonne Status Imperii adeo potentissimi conqueruntur, belli Hussitici, Suecici, aliarumque diffidationum temporibus Archiva expilata, monumenta destructa?) praescriptione immemoriali legitime probata, aeque firmo jure immunem esse a tributis, ac si immunitatem istam per privilegii exhibitionem docuisset.

a) L. 1. §. 23. l. 2. pr. §. 5. & 7. item l. 26. ff. de aq. & aq. pluv. arc. l. 3. §. 4. ff. de aq. quotid. & aest.

b) Boehmer in Jur. Prot. eccl. Tom. 1. L. 2. tit. 26. de Praescr. §. 36. & seqq.

c) L. c. §. 31.

d) L. c. §. 45.

## §. XXXIX.

Satis nunc pro instituti ratione demonstravi, sola principum privilegia,

vel, quae iis aequipollet, praescriptionem immemorialem immunitatum ecclesiastico-temporalium fontem esse; quaeritur & nunc, cuinam bonorum ecclesiasticorum generi hae ipsae immunitates fuerint concessae?

Solent, quod omnium fere privilegiorum fatum est, Canonistae nimium haec principum privilegia extendere, eaque non ad omnia & singula tantummodo bona ipsarum Ecclesiarum propria, sed & ad ipsa adeo bona Clericorum patrimonialia pertrahere, indeque gravissimis integrarum gentium querimoniis ansam non levem dare, idque demum efficere, ut ipsi etiam tandem principes justo longius procedere, & quasi per retorsionem immunitates Ecclesiarum temporales fere ex asse impugnare incipiant; quare non operam me perditurum esse confido, si justos istarum immunitatum limites indicabo.

## §. XL.

De bonis Clericorum patrimonialibus nulla fere amplius hodie movetur quaestio, siquidem enim immunitates a tributis solis bonis ecclesiasticis concessae sunt, in horum autem censum bona Clericorum patrimonialia ex supra deductis *a*) venire nequeunt, ea etiam in praedictis immunitatibus nequaquam comprehensa fuisse Canonistae recentiores, saltem quos nullum partium studium obsidet, omnes unanimi ore & calamo fatentur; quare his etiam nihil nunc immoror, quaestio maxime praejudicialis movetur de bonis Ecclesiarum adventitiis tam quam dotalibus, an utraque sint immunia a collectis nec ne?

*a*) Vid. supra §. 24. addatur Van Espen part. 2. tit. 35. c. 1. n. 13. & seqq.

## §. XLI.

Quod bona Ecclesiarum dotalia antiquissimis jam dum temporibus ab omni genere tributorum fuerint immunia, inque hac immunitate nullo non tempore confirmata, non potest esse dubium ei, qui tot Principum privilegia perlegerit, statumque Ecclesiæ inde a suis primordiis attentius nonnihil consideraverit; ita enim jamdum Ludovicus Pius in Capitulari suo ad annum 816. c. 10. sanxit in verbis: *Sancitum est, ut unicuique Ecclesiae unus mansus a) integer absque ullo servitio attribuatur, & Presbyteri in eis constituti neque de decimis, neque de oblationibus fidelium, neque de domibus, neque de areis vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de praescripto manso aliquod servitium praeter Ecclesiasticum faciant.*

Confirmatur haec ipsa mansi immunitas etiam a Carolo Calvo in suo Capitulari ad annum 865. tit. 37. c. 11. in verbis: *Ut de uno Manso ad Ecclesiam dato nullus census nec cabelli pastus a senioribus b) exigatur, sed neque de terrulis aut vineolis pro loco sepulturae ad easdem Ecclesias datis, neque de decimis, sicut in canonibus & in praefatis Capitularibus continetur.* Taceo alia quam plurima, quae singula

ſingula recenſere nimis longum foret, immunitatis privilegia doti eccleſiaſticae variis temporibus & repetitis vicibus conceſſa.

a) Per manſum nihil aliud intelligi, niſi dotem Eccleſiae, communis eſt Canoniſtarum ſententia, uti oſtendit Franc. Flor. tom. 2. p. 34. & Van Eſpen part. 2. tit. 35. c. 1. n. 22. & ſeqq. clariusque adhuc liquet ex legibus Longobardorum lib. 3. tit. 1. c. 46. ubi dicitur: *Quodſi forte in aliquo loco Eccleſia ſit conſtructa, quae tamen neceſſaria ſit, & nihil dotis habuerit, volumus, ut ſecundum juſſionem Domini ac Genitoris noſtri unus manſus cum 12. bunnariis de terra arabili ibi detur, & mancipia duo a liberis hominibus, qui in eadem Eccleſia officium audire debent, ut Sacerdotes ibi poſſint eſſe, & divinos cultus facere.*

b) Per ſeniores hic intelligi Toparchas & Dominos pagorum, notat idem Van Eſpen l. c. n. 25. & Thomaſ. part. 3. Lib. 3. c. 5. cum enim veteres Germani ſolis ut plurimum moribus & conſuetudinibus, raro legibus ſcriptis uterentur, hinc ſeniores populi ceu optimos morum cuſtodes judicum munere & poteſtate inſtruebant, pagisque & vicis praeficiebant.

## §. XLII.

Per haecce Capitularia ſolas equidem Eccleſias paroeciales immunitate quoad dotem ſuam fuiſſe donatas, ſupra jam §. 25. notavimus; ſed vero cum pariter ſupra §. 26. viderimus, Eccleſias etiam Abbatiales, monaſteriales, & alias, quoniam per dona illa, quae Eae perinde ac reliqui Laici Regi primitus obtulerant, fere ad egeſtatem pervenere, hac eadem immunitate, ne congrua earundem ſuſtentatio imminueretur, a Regibus fuiſſe donatas, hoc ipſo ad oculum demonſtraſſe me puto, etiam reliquarum praeter paroecias Eccleſiarum dotem a tributis fuiſſe exemtam, unde enim hauritur congrua Clericorum ſuſtentatio, niſi e bonis Eccleſiae dotalibus? quare nunc nihil longius hiſce immoror, ſed ad alteram intricatiorem de bonis Eccleſiarum adventitiis quaeſtionem pergo.

## §. XLIII.

Ante ſaeculum 11mum Eccleſia needum cogitaverat, vel ullam bonis ſuis adventitiis immunitatem a tributis vindicare; ſaeculo 9no adhuc in Concilio Valent. III. de anno 855. c. 9. de ſolius dotis eccleſiaſticae immunitate ſermo fuit, neque ipſo adeo ſaeculo. 10mo aliter ſibi Eccleſia perſuaſerat, niſi ſolius dotis immunitatem ſibi competere; in omnibus quippe Conciliis eo ſaeculo habitis nil niſi illud Ludovici Pii Capitulare, ſupra §. 40. relatum, fuit repetitum ac renovatum, ipſique Epiſcopi nil aliud curarunt, niſi ut ſuus cuique Eccleſiae manſus integer, abque omni ſervitio ac penſitatione liber aſſignaretur, conſervareturque. Saeculo demum 11mo Eccleſia coepit ad omnia omnino bona eccleſiaſtica extendere immunitatem a collectis, eamque in pluribus Conciliis

ciliis successive habitis, nominatim in Melphitano sub Urbano II. C. 11. in duobus Lateranensibus sub Alexandro III. & Innocentio III. quorum decreta referuntur, *in cap. 4. & 7. Xe de immunit. Eccl.* in Coloniensi de anno 1266. c. 8. in Avenionensi de anno 1326. c. 32. & in aliis Conciliis sibi asserere; a) sed vero, quo jure Ecclesia haec fecerit, supra §. 33. vidimus; de coetero vero longe remoti principes saeculares, ut nimiis hisce immunitatum extensionibus adquieverint, ut omni potius tempore hisce usurpationibus fortiter restiterint, & nil quicquam deterriti bonis Ecclesiarum adventitiis collectas indixerint, uti id ex ipsis Conciliorum decretis, bullisque Pontificum intelligitur, in quibus graves adversus principes aliosve Laicos querelae desuper moventur, immunitas adventitiorum de novo asseritur, gravesque in ejus invasores & violatores censurae statuuntur, quod certe Ecclesia factura non fuisset, si principes tot Conciliorum & Pontificum circa adventitiorum immunitates decretis adquievissent.

a) Confer. Van Espen part. 2. tit. 35. c. 2. n. 7. & seqq.

## §. XLIV.

Quandoquidem itaque ex supra deductis vera immunitatum ecclesiastico-temporalium causalis in solis regulariter, nisi, uti supra annotavimus, praescriptio immemoralis doceatur, principum privilegiis quaerenda est, etiam ex his solis determinandum est, quibusnam Ecclesiae bonis immunitas a tributis conveniat, & quibus non conveniat: atqui vero in his sola bona Ecclesiarum dotalia a tributis eximuntur, quo ergo jure etiam adventitiis Ecclesiarum bonis immunitas asseri potest? certe nec ipsa privilegiorum verba, nec ratio aut mens eorum vel a longe adventitia Ecclesiarum bona attingit.

## §. XLV.

Tantum enim abest, ut bona haec adventitia vel verbulo in istis immunitatum privilegiis includantur, ut potius dissertis verbis excipiantur, collectisque publicis subesse affirmentur; ubi enim Ludovicus Pius in suo Capitulari supra §. 40. recitato mansum seu dotem Ecclesiarum a tributis eximit, expresse subjungit: *Et siquid amplius habuerint, inde senioribus debitum servitium impendant.* Quid hic aliud intellexit Imperator, nisi bona, quae ultra mansum seu dotem ab Ecclesia possidentur? & quid haec aliud sunt, nisi bona adventitia? confirmatur id magis adhuc ex lib. 3. Capit. c. 86. ubi sancitum legitur, *ut de rebus, unde census ad partem Regis exire solebat, si ad aliquam Ecclesiam traditae sunt, illum censum persolvat.* Quae verba, cum de manso non possunt intelligi, de solis certe adventitiis Ecclesiae bonis accipienda sunt. Ulterius haec omnia repetuntur, clariusque illustrantur ex lib. 4. Capitul. c. 37. ubi dicitur, *quicun-*

quo

*que terram tributariam, unde tributum ad partem nostram ex're solebat, vel ad Ecclesiam vel alicui alteri tradiderit, is, qui eam susceperit, tributum, quod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat, nisi firmitatem de parte dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi per donatum possit ostendere.* Cum enim immunitas mansi ex supra §. 40. deductis notoria fuerit, evidens est, sola hic bona doti ecclesiasticae seu bonis mensalibus supervenientia & adjectitia, id est, adventitia intelligi, horumque immunitatem, siqua praetenderetur, speciali firmitate dominica ostendi debere.

## §. XLVI.

Praetensae huic bonorum adventitiorum immunitati ipsa insuper mens & ratio omnium omnino immunitatis privilegiorum adversatur; ipsum enim motivum atque intentio principum, dum bonis Ecclesiarum immunitates a tributis concesserunt, non fuit alia, nisi ne congrua Clericorum sustentatio per tributorum exactiones minueretur, ipseque cultus divinus consecutive impediretur; cum itaque Clerici congruam sui sustentationem jamjam ex solo manso seu dote eum in finem Ecclesiis data habeant salvam, evidens inde fit, huic soli eas immunitates fuisse concessas. Clarior sententiae huic lux affunditur, si in ipsam talium immunitatum originem redeamus; quo enim tempore, quave occasione acceperunt Ecclesiae has immunitates? nunquid tempore fundationis suae? (semper enim eo respexerunt intentique fuerunt, hodieque adhuc eo respiciunt & intenti sunt Ecclesiarum fundatores, ut vel ante ipsam earum erectionem, vel durante illa, vel saltem non ita multo post immunitatem pro bonis earum obtineant a principibus) jam, qualia bona possederunt Ecclesiae tempore fundationis suae? nunquid sola primae fundationis bona? qualia jam sunt bona primae fundationis, nunquid bona Ecclesiarum dotalia? a) ergo his solis proficiunt immunitates a tributis.

a) Vid. supra §. 13.

## §. XLVII.

Denique ne ipsa quidem aequitas naturalis huic Ecclesiarum praetensioni suffragatur: cum enim nihil sit iniquius, quam afflicto afflictionem atque onerato onus addere, imo adeo cum illius damno locupletari, certe Ecclesiae per hancce praetensionem nihil aliud velle viderentur, nisi afflictae atque oneratae jam satis Reipublicae afflictionem & onus addere, cumque illius damno locupletari: satis quippe jam oneris in se suscepit Respublica, dum partem illam collectarum, quae bonis Ecclesiarum dotalibus prius incubuerant, devote in se suscepit, hasque illarum loco Fisco principis & aerario publico, quae indemnisari debuerunt, solvit, magis itaque oneraretur, quodsi bonorum adeo adven-

titiorum, quae tamen necessariae Clericorum sustentationi non inserviunt, sed inter residua numerantur, collectas in se suscipere, hasque illarum vice aerario publico & principis Fisco ad horum indemnisationem solvere deberet, quid enim inde viderentur aliud quaerere Ecclesiae, nisi sui locupletationem cum damno Reipublicae? taceo hic alias rationes aequitatis ex ipsa defensione publica, de qua etiam Ecclesiae participant, fluentes, quas ipsa jamdum Ecclesia agnovit, dum, ut supra §. 22. monui, in c. 22. caus. 23. q. 8. sanxit „ *ut, quod constitutum est antiquitus pro pace & quiete, qua nos tueri & defensare debent, Imperatoribus sit solvendum.*

## §. XLVIII.

Cum itaque ex omnibus hisce argumentis latius hactenus deductis pateat, nullam bonis Ecclesiarum adventitiis immunitatem a tributis convenire, nisi haec illis specifice & expresse fuerit concessa, sequitur hanc illis ne tunc quidem etiam vindicari posse, quando Ecclesia aliqua generatim temporalium suorum immunitate a Principe donata fuit; cum enim privilegia sint exceptiones a regula, sunt stricte interpretanda, atque in defectu claritatis verborum respiciendum est tum ad mentem & rationem illius, qui dat privilegium, tum ad id, quod in similibus privilegiis ut plurimum contineri solet; quandoquidem ergo ex ante deductis utrumque ad sola bona Ecclesiarum dotalia quadrat, sequitur, privilegium immunitatis, in quo adventitia non specifice & distincte expressa sunt, etsi verbis generalibus sit conceptum, ad bona Ecclesiarum adventitia pertrahi non posse.

## §. XLIX.

Quoniam igitur bona Ecclesiarum dotalia a tributis semper immunia, adventitia vero iisdem semper subjecta fuerunt, atque adhucdum sunt, quaeritur, quid juris in casu, ubi de praedii cujusdam ecclesiastici, de quo dubium est, dotale sit an adventitium, collectabilitate Ecclesiam inter & Rempublicam controvertitur, num praedium istud praesumendum sit dotale, consequenter a tributis immune, num vero adventitium, adeoque collectabile?

Quaestio haec toto coelo differt ab illa, quam supra §. 36. proposuimus, an praedium quoddam in dubio sit praesumendum, esse a tributis liberum, an iis subjectum? illa enim est quaestio meri juris, ubi praesumptioni locum dari, atque pro Principe pronuntiandum esse diximus; praesens autem quaestio, cum unice titulum possessionis, quo scilicet praedium quaestionis ad Ecclesiam pervenerit, an titulo fundationis sive dotis, an aliquo alio titulo, concernat, est quaestio facti, sive quaestio status, a quo deinde per accidens praedii hujusce vel immunitas vel collectabilitas dependet; siquidem vero facta non praesumuntur, sed probari debent, Ecclesiae incumbit probare qualitatem praedii, adeoque

que titulum possessionis edere: nisi Ecclesia se fundet in praescriptione immunitatis immemoriali, qua semel probata praedium quaestionis praesumitur esse dotale, ita ut fisco civili collectas praetendenti incumbat probatio, praedium istud Catastro publico esse incorporatum, proindeque adventitium; cum enim dotalia ex demonstratis semper sint a tributis immunia, adventitia vero his semper subdita, hinc probata praedii cujusdam ecclesiastici, de quo non constat, dotale sit an adventitium, immunitate, praesumitur illud esse dotale, sicut probata ejus incatastratione praesumitur esse adventitium, eoquod jura praesumant id, quod communiter fit.

## §. L.

Quandoquidem ergo ex praedeductis immunitas a tributis nonnisi bonis Ecclesiarum dotalibus competit, simulque vero ex solis Principum privilegiis descendit, quaeritur nunc, an privilegia immunitatum bonis Ecclesiarum dotalibus concessa a Principibus, invitis etiam Ecclesiis, revocari, bonaque ista continuis atque ordinariis steuris publicis subjici queant?

Ratio dubitandi est haec: Privilegia variis ex causis possunt valide & licite revocari; jam vero immunitates ecclesiasticae solis regulariter, uti ostendimus, nituntur privilegiis, posset hinc videri, eas ex justis causis & rationibus posse iterum a Principibus justo revocari atque cassari.

Ita, qui mihi hic loco omnium esto, argumentatur doctissimus Veremundus a Lochstein in pereruditio opere suo, cui titulus Gründe so wohl für als wider die geistliche Immunität in zeitlichen Dingen tot. cap. 13. ubi multo insuper apparatu ostendit, suppetere Principibus causas permultas easque gravissimas, haec immunitatum ecclesiasticarum privilegia revocandi.

## §. LI.

Qui cum Lochsteinio privilegia Principum pro solo quidem Immunitatum ecclesiasticarum principio & fonte admittunt, eas ipsas tamen hoc non obstante irrevocabiles esse contendunt Canonistae, vario se torquent modo, quo hanc Immunitatum irrevocabilitatem demonstrent: alii ad acceptationem ejusmodi privilegiorum a Summis Pontificibus, praecipue ab Honorio a) totius Ecclesiae nomine factam confugiunt, indeque, quod Ecclesia hasce Immunitates semel acceptaverit, earum irrevocabilitatem inferunt; alii vero in libera sacrorum Canonum haec Immunitatum privilegia confirmantium receptione praesidium quaerunt, eidemque si non vim legis, saltem vim pacti utramque inviolabilem inesse ajunt.

a) Quam refert Perillustris L. B. de Senckenberg in suo Corpore Jur. feud. p. 455. in verbis: Nos vero HONORIUS Episcopus, Servus Servorum Dei

 has

has leges a Friderico Romanorum Imperatore Filio nostro charissimo pro utilitate omnium Christianorum editas laudamus, approbamus, & confirmamus tanquam in aeternum valituras, & siquis ausu temerario, inimico humani generis suadente, quocunque modo has infringere tentaverit, indignationem DEI Omnipotentis & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum.

## §. LII.

Sed vero quantum mihi videtur, neutra ratio satisfacit argumento Lochsteinii; imprimis enim non video, quid ponderis aut obligationis plus talis acceptatio principibus imponere possit; nonne aliae etiam communitates in Republica existentes imo adeo privati privilegia a Principibus sibi concessa acceptant? (ad quid enim Privilegium non acceptatum prosit?) an inde sequitur, ea idcirco esse irrevocabilia? revocata saepissime sunt, atque etiamnum revocantur, neque injusto id fieri dicendum est, utut enim acceptata sint privilegia, manent privilegia, (quia manent exemptiones a lege) adeoque revocabilia, quia, qui aliquem potest a lege eximere, potest eum ipsum ex justis rationibus legi iterum subjicere, ergo ex hoc, quod privilegia immunitatum ab Ecclesia fuerint acceptata, non sequitur, ea revocari non posse.

Dein, ubi Princeps jus canonicum in rebus temporalibus pro suo territorio recipit, inde suos tantum subditos obligat, non autem se ipsum, atque hinc canones per talem receptionem sortiuntur equidem vim obligativam legum civilium & privatarum, uti supra ostendimus, non tamen naturam atque effectum legum publicarum aut pactorum ipsos Principes obligantium consequuntur, adeoque ex praetensa sacrorum Canonum receptione aeque minus ac ex privilegiorum acceptatione immunitatum ecclesiasticarum irrevocabilitas infertur.

## §. LIII.

Aliud hinc mihi, quo istam immunitatum ecclesiasticarum irrevocabilitatem tuear, principium est quaerendum, neque fortius invenio, nisi hoc juris gentium naturalis principium quam maxime fundamentale: Nimirum omnia & quaecunque jura genti a gente, etiam in mutuis territoriis, quocunque justo modo & titulo, quaesita sunt inviolabilia, ergo etiam immunitates a Collectis Ecclesiae a Principibus donatae, quia, quidquid juris Ecclesia a Principe adquirit, id gentem a gente adquisivisse censendum est; cum enim Princeps ex principiis juris publici universalis populum suum repraesentet, gentem repraesentat, & cum Ecclesiae perinde ac cuivis alteri populo conceptus gentis conveniat, eaque sive ad aliam Ecclesiam v. g. Catholica ad Lutheranam, sive ad Rempublicam referatur, semper sit libera quaepiam hominum sub libero aliquo atque independenti Imperio ob certum quendam finem communem unitorum

torum societas, ei certe gentis denominatio denegari justo non potest; in hac enim sola Imperii libertate atque independentia consistit quidditas gentis, non autem in jure belli vel pacis aliisve juribus majestaticis; haec enim etsi in complexu multis populis conveniant, non tamen gentium numero sunt, uti id in exemplo singulorum Imperii territoriorum patet.

Aequiparanda igitur sunt ejusmodi Immunitatum privilegia illis privilegiis, quibus Rex Galliae plurium gentium exterarum subditos in suis ditionibus degentes a jure Albinagii (Galli vocant le Droit d'Aubaine) exemit, quam minus ergo Rex Galliae haec immunitatis privilegia gentibus exteris data revocare potest, tam minus etiam Principes Privilegia Immunitatis Ecclesiae indulta possunt abolere.

§. LIV.

Quo vero Principibus saecularibus hanc Immunitatum Ecclesiasticarum revocationem eo facilius persuadeat Veremundus a Lochstein, argumentis utitur partim a somniata quapiam istarum Immunitatum invaliditate, partim ab earum injustitia petitis, easque inde & nullas & illicitas esse tuetur. Audiamus ejus argumenta saltem potiora.

§. LV.

Omnium primo objicit a) Author laudatus, nullam unquam Principibus potestatem competiisse, aut adhucdum competere, Ecclesias collectis publicis liberandi, siquidem istae non Principis, sed totius Reipublicae sint, a qua illae oneribus publicis inde sustentandis sunt destinatae, quas proinde Principem absque consensu populi nemini remittere posse arbitratur, cum itaque populus, uti pergit, in hasce Immunitatum Largitiones nunquam consensit, imo potius saepe de iis conquestus est, istas etiam subsistere nullo modo posse contendit.

Verum est equidem, collectas publicas totius esse civitatis atque reipublicae, sed valde injuriosum est, velle Principibus denegare jus & potestatem eximendi, quemcunque voluerint, ab onere collectarum; certum est enim ex principiis juris publici universalis maxime fundamentalibus, universam Civitatem atque Rempublicam repraesentari in suo Principe, inque hoc omnium & singulorum civium voluntates esse ita unitas & sociatas, ut voluntas Principis sit ipsa voluntas populi, atque quidquid Princeps voluerit, egeritque, id ipse etiam populus velle atque agere censeatur; cum ergo Principes saeculares sponte & nulla vi cogente bona Ecclesiarum dotalia a tributis publicis exemerunt, quis dubitet, populum consensisse? perinde enim est, sive quis quid per se-

metipſum ſive per alium agat, cum, quod quis per alium facit, per ſemetipſum facere cenſeatur.

Denique Imperantem Reip. & poſſe & debere pro inaequalibus civium erga Remp. officiis & meritis inaequales etiam pro iis favores & praerogativas introducere, nemo non ſe ipſo intelligit, quisquis adaequatam ſibi Imperii ac poteſtatis civilis ideam fecerit, graviſſimumque Principis circa juſtitiam diſtributivam officium animo perpenderit: Jam vero quis plura, quis graviora Reip. officia exhibet, quam Miniſtri Eccleſiarum? quis proinde melius de Rep. meretur, ac iſti? Student ii certe, uti conſtat, bonos quotidie eosque morigeros erga Imperantem & Remp. cives ſubditosque docendo reddere, ſicque nexum illum Caput inter & membra quam maxime fundamentalem conſtringere magis ac coarctare; ſolent illi continuis in promovenda ſalute civium ſpirituali curis deſudare, graviſſimis ſeſe vitae ac ſanitatis diſpendiis objicere, fundendis pro publico precibus, aliisque officiis divinis, quae ſingula enarrare longius foret, pro commodo animarum peragendis vacare. Cum igitur Imperans & poſſit & debeat inaequalia erga Remp. ſervitia & merita inaequalibus praemiis remunerari, quis tandem dicet, Principem invalide aut illicite egiſſe, dum Eccleſiis Immunitatem a tributis largiendo, hac ratione inaequalitatem bona Eccleſiarum inter & Laicorum invexit?

*a*) Part. 2. C. 12. §. 17. & C. 13. §. 11.

## §. LVI.

Contra haec principia inſtat *a*) Lochſteinius dicendo, reſignaſſe equidem populum univerſa jura ſua Majeſtatica in voluntatem Principis, non tamen ea intentione, ut Princeps iis abuteretur in praejudicium populi; cum igitur Princeps largiendo ejusmodi Immunitates reliquos cives gravat, Principem ſua poteſtate abuti, & conſequenter populi conſenſum non adeſſe infert.

Monſtroſum certe argumentum hoc civitatem efficit, dum praeter hoc, quod plurium pactorum inter gentes utut legitime initorum, quae alterutram forte gentem gravant, fidem & obligationem infringat, ſicque bellis & turbis portam aperiat, inſuper uni eidemque corpori politico vel duo imponit capita, vel illud capite ſuo legitimo truncat. Verum enim quidem eſt, hanc non fuiſſe populi intentionem, ut, dum omnia ſua jura omnemque poteſtatem civilem in principem ſuum reſignavit, hic abuti ſua poteſtate debeat, interim vero cum populus ſciverit, principem eſſe & manere hominem, conſequenter fragilem & labilem, hocque non obſtante ejus ſe voluntate teneri voluerit, conſenſit aeque in abuſum poteſtatis ac uſum illius; *b*) alias enim, ſi in uſu poteſtatis adeſſet populi conſenſus, in abuſu vero adeſſet ejus diſſenſus, tum in caſu abuſus

usus vel duo adesse deberent capita Reipublicae, Princeps scilicet simul & populus, vel princeps pro isto saltem casu desineret esse princeps, quod utrumque vel cogitare absurdum est.

a) Part. 2. c. 13. §. 12.

b) Conf. Car. Ant. de Martini Position. de Jur. Civit. §. 374.

## §. LVII.

Quodsi tandem etiam Lochsteinius potestatem a tributis eximendi principibus plenam atque illimitatem in Republica potestatem habentibus concedit, abnegat tamen eam principibus jure territorii limitato tantum gaudentibus, atque hic saltem consensum populi absolute necessarium esse tuetur, ex qua proinde ratione impugnat validitatem privilegiorum ab Imperatoribus Friderico II. & Carolo IV. Ecclesiis datorum, eoquod hae constitutiones, uti opinatur, non sint factae de libero statuum Imperii consensu, adeoque nullam habeant obligationem, aut siquam habent, pro solis terris Caesari propriis & haereditariis, non autem pro Imperio obligare potuerint; a)

Sed vero ex multo capite argumentum hoc refellitur; inprimis enim eo tempore, quo Ecclesia Germanica ab altefatis Imperatoribus privilegia immunitatis accepit, status Imperii necdum habuerunt jus voti decisivi in ferendis legibus Imperii, aliisve negotiis publicis, aut siquod sibi arrogaverunt, eidem semper ab Imperatoribus fuit contradictum, idquod ex ipsa pace Westphalica, ex qua demum jus firmum acceperunt, ejusque art. 8. §. gaudeant &c. &c. elucescit, ubi expresse additur: *sine contradictione*, quod vocabulum status Imperii certe sollicite adeo non adhibuissent, siquod jus firmum & radicatum antehac habuissent.

Dein istae praedictorum Imperatorum constitutiones non sunt leges Imperii, sed potius exemtiones a lege, i. e. privilegia, jus autem dandi privilegia, non tantum pro solis terris Caesari propriis sed pro toto etiam Imperio valitura, est jus Caesari reservatum, ergo posito etiam, consensum statuum tum temporis ad leges Imperii ferendas fuisse necessarium, & tamen neglectum, ejusmodi constitutiones, si non ut leges Imperii, saltem ut privilegia subsistunt.

Denique falsum est, has constitutiones emanasse inconsultis Imperii statibus, quisquis enim eas relegerit, videbit haec vel his similia verba inserta: *Nos ea omnia & singula de Principum, Dominorum, Comitum, Baronum, fideliumque nostrorum consilio irritamus, cassamus &c. &c.* testantur ergo ipsimet Imperatores, se haec privilegia de statuum consilio Ecclesiis dedisse.

a) Part. 2. c. 13. §. 13. & 14.

§. LVIII.

## §. LVIII.

Nunc etiam ad injuſtitiam effugium ſuum ſumit Lochſteinius, *a*) atque immunitates Bonorum eccleſiaſticorum ſi non invalidas aut nullas, ſaltem illicitas atque injuſtas eſſe ait, tum quod in ejus opinione onus, quod bonis eccleſiaſticis prius incubuerat, contra omnem aequitatem & juſtitiam ad Laicos eſſet devolutum, iſtique ad fiſcum principis publicumque aerarium indemniſandum collectas inde majores & graviores recipere in ſe debuiſſent, tum quod Eccleſiae participarent de omnibus & ſingulis Reipublicae commodis, praecipue defenſione & ſecuritate publica, nulla autem in ſe incommoda vellent ſuſcipere.

Non indignae profecto forent hujusce convitii Eccleſiae, ſi eae ſe ipſas authoritate propria eximere a collectis unquam attentaſſent, aut partem ſuam tributorum ad laicos devolvere ipſae praeſumſiſſent; ſed vero cum de ipſa libera gentium voluntate, uti ſupra §. 55. & 56. oſtendimus, ſuam libertatem ſunt conſecutae, non video, quo merito haec convitia in eas conjici queant; ſponte populus partem tributorum ab Eccleſiis alias ſolvendorum in ſe ſuſcepit, ſponte populus incommodis ab Eccleſia alias ferendis ſeſe ſubjecit, Eccleſiasque ab hiſce omnibus exemit, cum ergo volenti non fit injuria, nullam certe populus de hiſce immunitatibus conquerendi habet rationem; recogitent potius gentes, multis etiam oneribus & incommodis pro populo, tum circa officium divinum, tum circa animarum curam, aliaque negotia ſubeundis ſubeſſe Miniſtros Eccleſiarum; cum itaque nihil ſit aequius, quam incommoda cum incommodis, lucra cum lucris compenſari, aequiſſimum certe erat, partem tributorum ab Eccleſiis alias praeſtandorum a Laicis fuiſſe ſuſceptam, abque his illarum loco etiamnum penſitari. Aequitatem hanc ipſe jamdum Apoſtolus agnovit, dum 1. ad Corynth. 9. ait: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?*

*a*) Part. 2. c. 12. §. 16. & c. 13. §. 8.

## §. LIX.

Saltem pergit Lochſteinius: *a*) haec immunitatum privilegia non debent prodeſſe Eccleſiis, niſi in tantum, in quantum bona earum ad Evangelicam, uti ait, & congruam Miniſtrorum ſuſtentationem aliasque expenſas in Miniſterium ſacrum faciendas ſunt neceſſaria atque ſufficientia, ſic enim attingitur mens & intentio principum, qui, dum ejusmodi immunitates indulſerunt, reſpexerunt unice ad congruam miniſtrorum ſuſtentationem, ne ſcilicet hi curis in terrenam ſui ſuſtentationem adhibendis a vocatione ſua, id eſt, ab officio divino aut cura animarum diſtraherentur, ergo, inquit, bona Eccleſiarum quoad id, quod congruam iſtam excedit, collectis ſubeſſe debent.

Si

Si recte intelligo Lochsteinium, non videtur mihi esse contrarius; si enim hic bona Ecclesiarum adventitia, & multo magis bona Clericorum patrimonialia ab usu immunitatis excludit, omnino assentior, solis enim bonis Ecclesiarum dotalibus immunitates fuisse concessas supra notavimus, de bonis dotalibus non videtur hic loqui author doctissimus, quin potius pro illis esse videtur; cum enim haec unicae congruae ministrorum sustentationi aliisque impensis in Ministerium sacrum faciendis sint destinata, nulla hic exsuperantia excogitari potest, quoniam, siquid etiam deductis hisce expensis superest, id aliis Ecclesiarum necessitatibus saepe repentinis, uti incendiis, ruinis & aliis asservari debet.

*a*) Part. 2. c. 12. §. 7. & 12.

## §. LX.

Atque haec sunt potiora illa, quibus saepe laudatus Veremundus a Lochstein immunitates Ecclesiarum temporales impugnat, argumenta, quibus, ut mihi videtur, sufficienter refutatis, ultimo nunc tandem loco definienda est quaestio: anne saltem & in quantum in casu necessitatis publicae bona Ecclesiarum dotalia collectis subjici queant?

Cujus quaestionis resolutio mihi non videtur esse a longinquo petenda, siquidem enim ex supra deductis immunitates Ecclesiarum temporales solis regulariter principum saecularium privilegiis innituntur, in his vero per notoria juris casus necessitatis publicae semper si non expresse, saltem tacite, est exceptus, prono inde alveo fluit, bona Ecclesiarum dotalia in casu necessitatis optimo jure esse collectabilia.

## §. LXI.

Neque etiam unquam recusavit Ecclesia, contribuere ad aerarium publicum, ubi id necessitas exegerat, id quod omnium temporum historiae & acta publica luculenter testantur. Cum vero principes saeculares in conscribendis colligendisque hisce tributis nimium saepe Ecclesias presserunt, haec tandem, uti in cap. 7. adversus X. de immunit. legitur, a Concilio Lateranensi sub Alexandro III. emanavit constitutio in verbis: *Si quando forte Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem & utilitatem perspexerit, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint conferenda, praedicti Laici humiliter & devote recipiant cum gratiarum actione; propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest, communibus utilitatibus providere.*

## §. LXII.

Canonem hunc ita communiter interpretantur immunitatum ecclesiastica-

facius VIII. cum bullam suam *Clericis Laicos in 6. de Immunit.* qua Ecclesiarum Gallicarum collectationem etiam in casu necessitatis instituendam in odium Philippi Pulchri Galliarum Regis prohibuerat, revocasset, expressis verbis *a*) dedit Principibus potestatem, etiam absque Sedis Pontificiae Indulto in casu necessitatis Ecclesias collectandi, id quod & ipse Bonifacii Successor Clemens V. confirmavit *b*), dum is praeter reliquas Constitutiones Bonifacianas etiam illam *Clericis Laicos* denuo cassavit, eamque ceu scandalosam pro infecta haberi voluit. Denique cum quivis Episcopus tanquam legitimus Ecclesiae suae Rector liberam universorum bonorum ecclesiasticorum per Dioecesin suam existentium dispositionem habeat atque administrationem, certe non video, quo fundamento praeteriri ejus instantia possit, ipseque Summus Pontifex adiri immediate debeat.

*a*) Uti refert Van Espen par. 2. tit. 35. C. 3. n. 36. Add. Rainald. ad ann. 1297. n. 5. rub. pag. 152. & sqq.

*b*) Idem Van Espen l. c. n. 39.

## §. LXVII.

Quae tandem in saepe citato *C. 7. adversus X. de Immun.* circa finem praescribuntur, non parum injuriosa sunt summo honori Principibus debito; cum enim hi in casu necessitatis publicae jure perfecto, ut supra §. 59. ostendimus, ab Ecclesiis collectas exigunt, non habent profecto necesse, ut se coram Ecclesiis earumque Ministris adeo humilient aut submittant, uti etiam tantae submissionis exemplum allegari vix unquam poterit; sed Ministri Ecclesiarum demonstrata utprimum necessitate publica perinde ac Laici contribuere tenentur, quin aut gratiarum quandam actionem, aut dissipata necessitate steurarum restitutionem jure quopiam possint exigere.

## §. LXVIII.

Ex his ita deductis, cum elucescat, cerebrinam hanc, prouti vulgo circumfertur, saepe laudati Canonis interpretationem neque cum aequitate naturali, neque cum sana ratione, imo ne cum ipsis quidem summis Principum juribus & honoribus posse conciliari, non a vero aberrare me puto, si concludo, hanc proinde etiam nunquam fuisse, nec esse potuisse, prouti longa haec citati Canonis Interpretatio aut potius inversio edisserit, Concilii Lateranensis mentem aut intentionem, jus collectandi Principum adeo restringendi; sed esto etiam, fuerit, quid inde? Certe cum ex supra demonstratis nulla Ecclesiae in jura gentium temporalia authoritas nullaque potestas competit, ab hoc decreto

to conciliari, uti ab omnibus aliis constitutionibus ecclesiasticis circa negotia Principum temporalia latis valide & licite receditur. *a*)

*a*) Joseph. Paul. de Riegger in Instit. jur. eccles. part. 1. Sect. 1. C. 6. §. 393. & seqq.

## §. LXIX.

Coeterum vero, uti aequum est, Ecclesias, repraesentata iis necessitate publica qualicunque, una cum Laicis ad aerarium publicum contribuere, ita etiam justum est, in colligendis hisce contributionibus omnem ex parte Principis abesse vim & coactionem, atque hinc, quoniam facili modo posset evenire, ut per exactiones tributorum congrua ministrorum sustentatio, quae iis ex ipso jamjam Jure Divino salva esse debet, imminueretur, laedereturve, amica prius conventione cum Ecclesiis ipsis super quantitate & summa contribuendorum tractandum est atque paciscendum, qua semel conventa atque determinata, ipsa deinde steurarum collectio non est instituenda per Officiales Principis, sed quoniam Ecclesiae ab omni Jurisdictione saeculari exemtae sunt, curae atque sollicitudini Episcoporum committenda est. Cui alterutri siquis Princeps Imperii contraveniret, via facti absque omni jure procedere censendus esset, adeoque querelae mandatorum S. C. in alterutro supremo Imperii Judicio desuper instituendae locus daretur.

## §. LXX.

Atque hanc ipsam rationem antiquissimis jamdum temporibus circa bonorum ecclesiasticorum collectationem fuisse observatam, annales Imperii nostri testantur; cum enim Rex Francorum Carolus Martellus ad depellendos, quibus obsessus erat, hostes, bona Ecclesiarum invasisset, adeo ut earum Ministris ne sufficientia quidem inde alimenta remansissent, graves desuper querelae ab Ecclesiis sunt motae, neque prius sopitae, nisi mortuo Rege, ubi nimirum ejus Filii Pippinus & Carolomannus in Conciliis Liptinensi *a*) & Suessionensi *b*) cum universis Regni Ecclesiis ipsoque P. M. Zacharia super certa contributionum quantitate transegerunt, quam normam etiam Carolum Calvum reliquosque Reges Francorum in collectandis bonis ecclesiasticis nullo non tempore secutos esse testatur Thomass. de vet. & nov. Eccl. Discipl. part. 3. L. 2. C. 52. & seqq.

Quanquam quid necesse est, ad tempora remotiora redire, cum exempla recentiora suppetant? Consulat, cui volupe est, acta Comitiorum de annis 1471. 1500. 1512. 1542. 1544. & sic porro, videbit ibi, ad Saracenos, Turcas, aliosque & Ecclesiae & Imperii hostes profligendos Ecclesias earumque bona adeo dotalia ad collectas publicas, perinde ac Laicos, sed non alia etiam ratione, quam praedicta, fuisse pertracta.



*a*) C. 1.

*a*) C. 1. declarant praedicti Reges in verbis: **Statuimus quoque cum Confilio Servorum DEI & Populi Chriftiani propter imminentia bella & perfecutiones caeterarum gentium, quae in circuitu noftro funt, ut fub precario & cenfu aliquam partem ecclefiafticae pecuniae in adjutorium exercitus noftri cum indulgentia DEI aliquanto tempore retineamus, ea conditione, ut de unaquaque cafata folidus ad Ecclefiam & monafterium reddatur.**

*b*) C. 3. edicunt Epifcopi: **Et de rebus ecclefiafticis fubtractis & Monachis & ancillis DEI confolentur, ufque dum neceffitati illorum fatisfaciant, & quod fuperaverit, cenfus levetur.**

### §. LXXI.

Agnoverunt quippe aequiffimi juxta ac fapientiffimi rerum arbitri Reges & Imperatores, juftiffimum effe, cum Ecclefiis, quoniam illae ingentes femper & multo majores, ac Laici, fummas contribuere & folent & debent, amicabiliter prius convenire, neque certam iis conferendorum fummam praefinire, ne totum publicae neceffitatis onus in eas conjici velle videatur; quapropter cum rationi & aequitati ipfa infuper obfervantia ceu optima illius Interpres fuffragetur, bona Ecclefiarum dotalia, ficuti ex fupra demonftratis nonnifi in cafu publicae neceffitatis funt collectabilia, ita etiam in ifto cafu non aliter, nifi praevia Conventione amicabili fteuris publicis fubjici poffe concludo.

O. A. M. D. G.

## Animadverfiones Editoris.

A*d §. IV.* Nil eft, cur Auctor de falfitate *Donationis Conftantinianae* fubdubitare videatur, quippe quae tum ex ftyli ei aetati nulla ratione congruentis abfurditate, tum ex argumento ipfo omnibus hodie perfpecta eft, adeo ut ne in ipfa quidem Italia patronum amplius aut defenforem fit repertura.

*Ad §. XXI.* Utut aequum fit illud rem nonnifi cum onere jam legitime impofito ad alium tranfire poffe; in Germania tamen hac de re difficultates enatas fuiffe patet ex privilegiis Caefareis Urbibus praecipue Imperialibus quondam conceffis, quorum elenchum fiftit MOSER *Tract.* von der Reichsſtättiſchen Regiments-Verfaſſung 1772. *p. 241.* Anno 1306. Augufta Vindelicorum hujusmodi privilegium obtinuit, ut bona antea tributis obnoxia iisdem porro etfi ad Ecclefias pervenirent, fubjacerent; item, ut bona ab iis poffeffa, qui Ordinem Religiofum ingrederentur, intra anni fpatium aliis civibus divenderentur,

tur,

tur, quod propterea notandum est, quia speciem Legis ita dictae *Amortizationis* ea aetate jam continet. Anno 1377. Tremonia, Dortmund, a *Carolo IV.* privilegium obtinuit, ut Ecclesiastici aeque ac Laici ex bonis suis tributa solverent. Eslinga anno 1345. privilegium accepit, ut siquae bona tributis subjecta ad Ecclesiasticos pervenirent, eadem quoque porro exsolverent, nisi si bona civium venia iisdem eximerentur. Anno 1346. idem concessum fuit Civitati Friedbergensi. Heilbronna anno 1359. privilegio hujus tenoris donata fuit, ut si Ecclesiastici NB. lucri causa vinum frumentum aut simile quid emerent, idque in aedibus civium repositum haberent, eadem ac cives reliqui exinde onera ferre tenerentur. Alia vide loc. cit.

*Ad* §. *XLIII.* Quod hic inquit Auctor de *Manso* Ecclesiae tanquam unica ejus dote immunitate donato, id omnino temperandum est ex iis, quae habet ENDRES *in Diss. de genuino Libertatis Ecclesiarum fundamento, Wirceb. 1774.*, numero praecedenti relata in hoc Tomo Thesauri nostri, §. XV. ubi ostendit hanc immunitatem quoad Ecclesias Episcopales, Collegiatas, Monasteria ad unum ut aetas illa inquiebat, *Mansum* minime restrictam fuisse.

*Ad* §. *LIII.* Argumento generali, quod hic adducit Auctor contra arbitrariam revocationem privilegii immunitatis cujuscunque Ecclesiis concessi, addenda nunc sunt specialia pro Germania eaque propterea firmiora, quae in Diss. antea cit. Cl. ENDRES data opera demonstrantur, quare iisdem hic addendis supersedemus.

*Ad* §. *LXII. seqq.* De iis, quae hic habet Auctor, quid nimirum requiratur, si quaestio sit de exactione etiam nova bonis Ecclesiarum imperanda, nil est, quod dicam praeterea, quae denuo habentur in Diss jam aliquoties laudata: certe, quae ibi de conditionibus hoc in casu requisitis habet EEDRES, tam sunt aequitati conformia, ut neminem, n si qui omnem immunitatem Ecclesiasticam funditus evertere conatur, reluctaturum esse arbitrer: quae vero Canonistae quidam antiquiores ex principiis passim sua aetate adoptatis, atque ubi nullus ultra Antecessores suos sapere ausus fuit, de hac re inquiunt, hodie saltem omnibus tribuere plane iniquum est, atque ex telis ita retortis Ecclesiae ipsius universim jura appetere, et impugnare.

XIII. JO-

# XIII.

JOANNIS PHILIPPI HAHN U. J. D.
in Univ. Mog. Jurium Prof. Publ. et Ordin.

## DISSERTATIO
DE EO
# QUOD JUSTUM EST CIRCA BONORUM IMMOBILIUM AD MANUS MORTUAS TRANSLATIONE OCCASIONE
ORDINAT. MOGUNT. 1574. 1615. 1660. AB EMINENTISSIMO ELECTORE MOGUNTINO RENOVATAE.

*Mogunt.* 1746.

### §. I.
### De Objecto, & Ordine Dissertationis.

In diversis mundi partibus *a*) Consules Civitatum, & Rectores, nec non & alii, qui potestatem habent, tot onera frequenter imponunt Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, *b*) qui tamen legis Divinæ notitiam non habebat: Ille quidem omnibus aliis servituti subactis Secerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, isti vero onera sua fere universa imponunt Ecclesiis, & tot modis eas affligunt, ut eis, quod Jeremias *c*) deplorat, competere videatur: *Princeps Provinciarum facta est sub tributo.* Alii etenim eo temeritatis progrediuntur, ut Immunitatem Ecclesiasticam directo impugnent, alii denique, licet hanc in Divino & humano Jure fundatam deprehendant, aliam, quibus Ecclesias ex obli-

*a*) Concil. Lateran. 3. *sub Alexand. III. relat. in Cap.* 4. *X. de Immun. Eccles.*

*b*) Genes. 47.

*c*) Thren. 1.

obliquo possint affligere, viam excogitant, & Principes persuadere conantur, prohibendum esse, ne bona immobilia ad Ecclesiam noviter transferantur, quod sane nihil aliud est, quam Clericis facultatem emendi bona stabilia, ipso licet Jure Naturæ & Gentium competentem adimere, & saltem per indirectum Ecclesiasticæ libertati contra Reg. *cum quid &c. 84. de R. J. in 6.* præjudicare. Ita conqueruntur multi Theologi, & Canonistæ, qui (ut verbis Constitutionis Ludovicianæ in Comitiis Francofurtensibus An. 1338. factæ utar) *nullius scripturæ intelligentiam habentes, sed a tramite recti sensus, in quadam iniqua & prava commenta & assertiones detestabiles divertentes contra potestatem & Jura Principum prorumpunt*, qui illimitatam Ecclesiis libertatem vindicant, quorumque zelus rubricatam Ordinationem impugnare videtur.

Equidem, cum de principali Judicio disputare non oporteat, de Justitia hujus Clementissimæ Ordinationis tantum discurrere velle sacrilegum videtur. *per L. 3. C. de Crim. Sacril.*

Sed, cum, ut jam præmisi, nihilominus quidam sint, qui paternis hisce Principum, saluti subditorum circumspecte se impendentium, Dispositionibus, quamvis eas jam pridem Viri doctissimi egregie defenderint, nimia scrupulositate & parum modesta de factis Principum disserendi licentia, Divinas & humanas, Ecclesiasticas & politicas Constitutiones, imo & ipsum formidandæ Excommunicationis fulmen præcipitanter obmoveant, quin tamen solidis opinionem suam terribilem rationibus muniant, non abs re fore duxi, illorum, qui dictæ Ordinationi Clementissimæ notam Injustitiæ adsuere velle videntur, argumenta curiose percurrere, & pauculis de bonorum Ecclesiasticorum origine & qualitate subnexis, ipsam sic dictam *Legem Amortizationis* in genere perlustrare, prælaudatæ simul Ordinationis Clementissimæ evidentem Justitiam, argumentis Adversariorum se ipsa resolventibus, positive asserturus.

Priusquam tamen hæc Adversariorum argumenta recenseam, præmonendum esse arbitror, duplici dissentientes via suas in aciem phalanges educere, quarum una Ecclesiasticos ab omnibus tributis, vectigalibus, gabellis, jure detractus, & aliis contributionibus ad refectiones viarum, pontium, fontium, murorum aut operum ac necessitatum publicarum solvendis, excepto casu summæ necessitatis, in genere immunes esse asserunt, in altera vero via, ne scilicet *Manus* Ecclesiarum in acquirendo *viva*, in reddendo *mortua* ab ulteriori Immunitate circa res noviter acquirendas futuris temporibus exercenda impediantur, id evincere laborant, non posse Principes statuta condere, quibus Clerici a noviter acquirendis directe vel indirecte excludantur, utpote *quos Principes in hoc passu potius necessitas obsequendi, quam auctoritas imperandi maneret*, secundum *Cap. 10. X. de Constit.*

Præmitto Secundo, eos Immunitatem Personarum Ecclesiasticarum, & per consequens etiam rerum, cum juxta ipsos accessoria personæ semper sequantur conditionem personæ, in ipso Jure Divino fundare, & tandem, ut eo majorem dictorum suorum reverentiam nobis incutiant, Pontificem in turbatores Immunitatis Ecclesiasticæ dirissima comminantem fulmina proferre; ut itaque nihil aliud superesse videatur, quam quod Azorii vestigiis publice non insistant studio partium adeo addicti, ut Papæ temporalem etiam & laicam superioritatem in toto mundo, & quidem majorem, quam habet Imperator, etiam in ipsum Imperatorem, attribueret, quem tamen, cum in hunc finem ad Extravag. *Unam sanctam &c. de Majorit. & obed.* item ad Sæculum octavum, quo Imperium a Græcis ad Germanos, beneficio, ut inquit, Papæ translatum, item ad Acta inter Innocent. IV. & Fridericum II. provocet, nil moror, sed potius cum doctissimo *Molina* scriptore, Apostolicæ Sedis reverentissimo, hanc vere Catholicam sententiam intrepide tueor, summum Pontificem nunquam habuisse tantam in temporalibus Jurisdictionem, ut sit Dominus Orbis, a quo Principes potestatem suam derivare debeant, neque Pontificem dare vel adimere posse, quod ipse non habet.

Et quamvis secundum vulgarem doctrinam Theologorum & Canonistarum, ad munus summi Pontificis pertinere dicatur, exigente salutis æternæ causa, eaque admodum gravi *declarare*, quod subditi in passibus ad ruinam salutis animarum pertinentibus a vinculo obedientiæ Principum Laicorum, utpote quibus non magis, quam Deo obediendum, soluti sint, non tamen ista declaratio inducit potestatem Imperatores Reges & Principes proprie deponendi: tales enim, quantumvis in persona sua criminosi, aut hæretici, si subditos una simul non trahant in ruinam spiritualem, non possunt a summo Pontifice potestate in subditos obedientiali privari. S. Petro *in Epist. 1. Cap. 2. v. 18.* non frustra monente: Servi subditi estote Dominis non tantum *bonis* sed & *discolis.* Ipse Salvator dare Cæsari (gentili etiam) quæ sunt Cæsaris, præcepit. Profecto, cum Innocentius IV. Fridericum II. ab omni honore Imperii & Regni deponeret, id *quantumvis præhabita Fratrum & Concilii generalis deliberatione* factum esset. *C. 2. de sent. & re jud. in 6.* Principes Imperii ægerrime tulerunt, & turbulentis *Ludovici Bavari* temporibus hanc Pontifici potestatem expresse denegarunt. Herwart. *in Ludov. Bav. defenso* Adlzreiter. *Ann. Boj. p. 2. l. 3. n. 38.* eadem saltem modestia, qua erga Constantinum M. negotiis Ecclesiasticis se ingerentem Hosius Cordubensis quondam usus est, Principes Catholici Papæ reponere possunt: *Tibi Deus Ecclesiam commisit, nobis, quæ sunt Imperii temporalis concredidit, neque fas est nobis potestatem spiritualium habere, neque tu in terris Imperium tenes.*

Veniam dabis Lector benevole, quod a scopo dissertationi meæ præfixo pau-

paulisper discesserim, in saltem mea securitas postulavit, ne timidiori calamo robusta partis adversæ Argumenta cogar exponere, sit ergo

## §. II.

## De Argumentis Ecclesiasticas Personas ab Oneribus Publicis ratione bonorum stabilium jam acquisitorum prorsus liberantibus.

Certum est, inquiunt, quod in veteri Testamento a) Levitæ, ut Ministri Dei, in sortem ejus specialiter vocati & consecrati a profana & sæculari mundana Jurisdictione exempti fuerint, quæ statuta Testamenti veteris non præcise Judicialis, sed simul *moralis* & *universalis* Legis in ipso naturali dictamine fundatæ rationem habuerunt; b) quemadmodum etiam in Concilio Tridentino *Sess. 25. de reform. C. 20.* aperte dicitur *Immunitatem Ecclesiasticam Juris Divini esse.* c) Hoc, ut sibi blandiuntur, præstabilito, mox inferunt, ergo & bona

 Eccle-

a) Num. C. 3. & 18.
Exodi C. 30. v. 12.

b) hoc asserunt, sed non probant: profecto Numer. *C.* 18. *v.* 20. dicit Dominus: *in terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos.* Quare hoc? ideo, quia Sacrorum cura, quæ satis ampla, & plena sollicitudinis erat, unice iis incumbebat, a qua non avocandi erant per bonorum stabilium curas. Hanc Legem Divinam *moralem* vel *universalem* esse Adversarii ægre admittent, quamvis in novo Testamento sacrorum cura æque ampla sit, & plenioris sollicitudinis, quam olim, esse debeat, & primitivæ Ecclesiæ Sacerdotes magis hanc, quam exemptionis illius regulam imitati sint. Levitæ veteris Testamenti in compensationem jacturæ bonorum stabilium a populo per decimas alebantur, hodie, quamvis Ministrorum Ecclesiæ diversus status & conditio sit (prout recte docet Vitringa *de Synagog. vet. in proleg.*) neque decimas, neque bona stabilia respuunt, in passibus scilicet antiquæ Legis proficuis mox universalitatem constitutionum moralium deprehendentes.

c) quæ obiter a Concilio aliud deliberante occasione sermonis immiscentur, non sunt definitiones, nisi alibi conciliariter decidantur: Concilium Trident. *d. l.* non voluit quæstionem illam; *an Immunitas Ecclesiastica Juris Divini sit?* definire, sed tantum ea, quæ Juris Ecclesiastici sunt, *Principibus sæcularibus* commendare; quemadmodum neque Nicænum II. *quod Angeli sint materia Ætherea circumdati*, per similem expressionem definire intendit. Recentiores plenitudinem potestatis Pontificiæ cum plenitudine Justitiæ ad Juris Divini *connati* infractionem non audent combinare, & recte quidem, sed Jus Dei *positivum* non minus obligat, quomodo igitur contra *Divinam* Clericorum a mundana Jurisdictione exemptionem in causa ad curiam feudalem pertinente dispensari potuit? vid. *Cap. verum &c. 7. & Cap. ex transmissa 6. de for. compet.*

Ecclesiastica gaudent immunitate, nam, quæ Religiosis adhærent, religiosa sunt, *d*) magisque dignum trahit ad se minus dignum, *e*) & accessoria personæ semper sequuntur conditionem personæ, & participant de privilegio personæ; *f*)

ita, cum communi Theologorum & Canonistarum ratiocinatur P. Schmier *in Jurispr. consf. pract. L. 3. consf. 70. n. 1201.*

Ajunt porro, hanc suam illationem non tantum authoritate extrinseca *g*) sed etiam intrinseca confirmari: Sic *in Cap. quia nonnulli &c. 1. de Imm. Eccles. in 6.* Magistratus sæculares quascunque collectas vel contributiones imponere vel exigere ex bonis Ecclesiasticis absolute prohiberi.

Concilium Lateran. relatum *in Cap. 4. de Imm. Eccl.* ne talia fiant, *sub anathematis districtione* interdicere.

*Cap. cum Laicis &c. 12. de Reb. Eccl. alien.* nullam de rebus Ecclesiæ disponendi facultatem Laicis concedere.

Idque insuper ex *C. siquis Principum cauf. 16. q. 7. C. adversus 7. de Imm. Eccl. C. Clericis 3. eod. in 6. Clement. un. de Imm. Eccl. C. noverit. 49. de sent. excom. C. quanquam 4. de censf. in 6.* abunde constare, denique in *Bulla Cœnæ §. 17. imponentes & exigentes ab Ecclesiasticis* tributum, aut auxilium ad id præstantes, novo excommunicationis fulmine percelli.

Ex his demum paulo fusius relatis satis patere autumant, non tantum *personis* sed & *bonis quibuscunque* Ecclesiasticis tum a Pontificibus tum a Conciliis exemptionem fuisse concessam: neque privilegia Principum laicorum deesse per usum multorum sæculorum firmata vid. *Cap. in qualibet 23. C. 23. q. 8. h*) *Cap. secundum canonicam 24. ibid. Cap. sancitum est. 25. ibid.* in quibus Cap. a solutione census Clerici liberantur. Sic etiam *per Novell. 83. & 123.* Personæ Ecclesiasticæ in causis civilibus pro prima instantia per *L. Sancimus 22. C. de Ss. Eccles.* a tributis exemptionem impetrarunt. *i*) & licet aliqui Imperatores contra-

*d*) *L. 43. ff. de Rei Vind.*

*e*) *Cap. 3. de Consecrat. Eccles.*

*f*) nimium hæc argumentatio probat, ergo nihil.

*g*) Deo sint Laudes, quod Adversarii, quotquot sint, nihil unquam habuerint, quod Principibus imperarent.

*h*) In *citato Cap.* gaudere dicitur Imperator, quod *religionibus* magis, quam *officiis & labore corporis vel sudore* Respublica contineatur: sed eum nos omnes hodie Principes æquali gaudio forte imitantur.

*i*) Non bene hæc omnia, si Immunitas Ecclesiastica sit *Juris Divini*, a dissentien-

contrarias his immunitatibus leges ſanciverunt, has tamen ſuadente, approbante, & ſubſcribente Honorio, Fridericum II. per *Auth. caſſa. C. de Ss. Eccleſ.* & *Auth. item nulla C. de Ep. & Cler.* revocaſſe.

Neque (juxta Adverſarios) iniquum eſt, ut bonis Eccleſiaſticorum etiam patrimonialibus ab onere contributionum prorſus liberatis, hæ ſolos Laicorum humeros prægravent, licet enim Eccleſiaſtici ſint, & maneant Cives, atque a Principibus, ut reliqua Civitatis membra protegantur, ex hoc tamen commodo (juxta ipſos) non ſequitur, quod pariter ad incommoda ſubeunda ſint obligati, cum enim Eccleſiaſtici in Laicorum utilitatem tum ſpiritualem, tum etiam temporalem multum laborent, æquitatem exigere putant, ut etiam utilitatibus perfruantur: ſane, inquiunt, ſi non eſt contra æquitatem, ut Laici quidam ob inſignia in rempublicam merita a communibus oneribus præſtandis immunes reddantur, nec iniquum eſſe poterit, Eccleſiaſticos ob beneficia ſpiritualia, quæ diu noctuque prompti exhibent, eadem immunitate, caſu neceſſitatis utpote ſemper excepto, gaudere. k) Equidem, cum Diſſertationis meæ finis nunquam fuerit, Eccleſiaſticam circa res legitime jam acquiſitas Exemptionem principaliter impugnare, videri poſſet, me plus juſto hiſce argumentis immoratum fuiſſe; ſed, quia Adverſarii, qui Principibus politicis etiam circa bona ſtabilia, noviter ad Manus mortuas transferenda, poteſtatem ejusmodi translationes, quantumvis ex juſta cauſa prohibendi, denegant, ſua his argumentis fundamenta maximam partem ſuperſtruunt, parum me peccaſſe ſpero, quod illa præmiſerim, eo ſecurior telis obviaturus, quæ propius ad Electoralem Ordinationem, ab *erudito P. Söll. S. J.* pro aris focisque clericalibus contra



tientibus allegantur; ſi hoc non, Quæritur: *an illi Imperatores per ſuas conſtitutiones hodiernos Principes obligare potuerint, privilegiis hiſce forte ruinam Civitati minantibus?*

k) Sed quando adeſt ille caſus neceſſitatis? Nunquid tunc, ſi omnia bona ſtabilia, ſubditis laicalibus omnino evacuatis, ad Eccleſias, monaſteria, aliaque privilegiata corpora vel perſonas fuerint translata, profecto tunc adeſt neceſſitas!

Quidquid ſit ſecundum *Cap. 4. & 7. de Imm. Eccl.* quidem collectæ & tributa bonis Eccleſiaſticis nonniſi *conſulto prius ſummo Pontifice*, & ſi Epiſcopi & Clerus tantam neceſſitatem vel utilitatem aſpexerint, ut ad ſublevandas communes neceſſitates & utilitates, *ubi Laicorum facultates non ſuppetunt*, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda, bonis Eccleſiaſticis imponi poſſint, interim tamen ab hac ſummi Pontificis requiſitione & arbitramento Cleri, *ſubſidiarie* tantum deficientibus Laicorum facultatibus collectas præſtare volentis in multis etiam Catholicis Regnis Imperantes, bona Eccleſiaſtica cum bonis Laicorum *æqualiter* collectando, receſſerunt, Catholicos Germaniæ Principes timoratæ ſuæ conſcientiæ, non ſine interno gaudio, relinquentes.

tra doctrinam *Jos.-Bernardi Cletle* quoad Legem Amortizationis mordicus decertante, ex pharetra *P. Lessii* & aliorum deprompta sunt. Occurremus itaque

## §. III.

## Argumentis Principum ordinationes ulteriori bonorum stabilitum amortizationi inimicas impugnantibus.

*Arg. 1mum.* Clerici ab omni Jurisdictione sunt exempti, hæcque Exemptio, si non sit Juris Divini, saltem ab Imperatoribus Personis Ecclesiasticis donata, a Pontifice acceptata, consensu Principum & populorum per multa sæcula convalidata revocari non potest, qui autem ab omni laicali Jurisdictione exemptus est, illius pariter Jura de Jure Naturali vel Gentium, aut quovis modo competentia ab ejusdem potestate sunt exempta; ergo Clerici facultate emendi bona stabilia Jure Naturali & Gentium ipsis competente a potestate laicali per qualecunque statutum privari non possunt. *a*)

*Arg. 2dum. In Bulla Cœnæ. Can. 15.* non solum *directe* sed etiam *indirecte* gravantes Ecclesiasticos, & quocunque modo, excommunicentur, atqui &c. ergo *b*) jam vero ejusmodi Ordinationis quis finis est alius, quam Ecclesiasticos & monasteria a sua Exemptione propellere? his enim aufert Jus, quod Jure Naturæ & Gentium ipsis competit, ergo revera & in se, si non *directe*, saltem *indirecte*, tendit in ipsas Ecclesias & Personas Ecclesiasticas; paria autem sunt directum vel indirectum, quando æque Jus alterius tollitur. *Cap. quanto amplius 26. de privileg.*

*Arg. 3tium. In supra citato Cap. 1. de Imm. Eccles.* statuitur, tam de *acquirendis*, quam de acquisitis bonis, quod desit Laicis potestas & Jurisdictio in Ecclesiasticos.

*Arg. 4tum.* Princeps vi *Dominii Eminentis* habet solum Jurisdictionem territorialem, per quam tamen nequit auferre ea, quæ competunt personis Ecclesiasticis, ut *Jus emendi, donata acceptandi &c.* neque enim dici potest, quod Prin-

*a*) Eo me adigit egregius P. Söll, ut subito totus quantus pro Immunitate Ecclesiastica esse cogar. admitto igitur Exemptionem Ecclesiasticam circa res jam adquisitas esse summe fundatam; sed quid tum? sequiturne ex hoc, quod Principes dominio suo supremo in bonis saltem residuis subditorum laicalium radicato, priventur? Si non, ergo nec iniquum, si faciant, ne priventur, nemo enim invitus jure suo privandus, nisi Principem ipso subdito miseriorem velis facere.

*b*) Bullæ Pontificæ quid possint contra Principem ruinam a subditis temporalem avertere cupientem inferius dicam.

rinceps super bonis & personis subditorum suorum disponat, nam, dum suis rohibet, *ne vendant*, impedit Clericos, *ne emant*, quod Jus tamen, ut jam sæius dictum, a Jure Naturæ & Gentium habent, *c*) quo privari non possunt ab ), qui in Ecclesiam & Ecclesiasticas personas Jurisdictionem non habet.

Nec obstat. quod Pontifici liceat vetare, ne bona Ecclesiastica in Laicos ienentur sine suo vel alterius consensu, non enim ex hoc sequitur, ergo & rincipi licet prohibere, ne bona laicalia in Ecclesiasticos transferantur, dispatas enim consistit in hoc, quod Prælati non sint domini bonorum Ecclesiastiorum, dominium enim est penes Ecclesiam, monasterium, vel Christum, & onsequenter potest illis a supremo administratore, qui est Papa, prohiberi, bona Ecclesiastica sine suo, aut alterius superioris consensu alienentur, e cona; sicut Clerici res suas proprias in Laicos transferre non prohibentur, sic pari-

*c*) Si Jus Naturæ consuluisset P. Söll, facile deprehendisset, singula membra *Civitatis*, quæ nihil est aliud, quam magna quædam hominum societas ex multis minoribus, per pactum expressum vel tacitum, communis potissimum securitatis ac sufficientiæ gratia, arctissime conjuncta, salvo Civitatis nexu, nulla facultate in destructionem hujus Societatis universalem cedente, gaudere posse, cum ergo & Clerici Civitatis membra esse velint, hoc ipso facultatem emendi, si per hanc nervi ad conservandam Rempublicam necessarii succidantur, amiserunt; an autem facultas Clericalis, acquirendi de novo bona stabilia, Reipublicæ ruinam minetur, impartiali quivis oculo demonstratum reperiet in citata Ordinatione Clementissima ibi: Gleichwie nun daraus erfolgt, daß gemeldte unsere ohnehin bedürfftige arme Burger, Unterthanen und Eingesessene hierdurch ihrer besten und einträglichsten Gütheren, Nahrung, und *Alimenten* verlustiget werden, gleichwohl von ihren übrigen geringeren zu Bestreitung deren gemeinen *Onerum* nicht hinlänglichen Güthern und Habschafft die burgerliche gemeine und sonderbahre Beschwerden (wie sie von Alters, da die entzogene Güther in gleichem Anschlag und Diensten gewesen, schuldig) allein tragen, und für die jenige, so die beste Güther ohnzuläßig innhaben, und sich vermeinter Freyheit anmassen, Bezahlung auch Frohnd und Dienstleistung thun müssen, dadurch dann die Burger und Unterthanen sambt und sonders endlich völlig entkräfftet werden. Und mit ihren Nachkömmlingen in solchen Umstand nothfolglich gerathen, daß denenselben die Herrschaffliche sowohl, als gemeine Præstanda gebührend zu præstiren, auch die Uns und Unserem Ertzstifft schuldige Diensten zu verrichten, und fernerhin zu vollbringen allerdings ohnmöglich fallen will, also daß auch zu ihrer und deren Ihrigen Beybehalt- und Aufkommung dieselbe ihre nothgedrungene Beschwerd, Schaden und Nachtheil wiederhohlter zum hefftigsten eingeklagt, und daß dahero sothanen weither einreisenden äussersten Verderben aus Lands-Fürstlicher Macht und Gewalt nachdrücklich gesteuert, und fürs künfftig vorgebogen werden möge, unterthänigst supplicando nachgesucht; allermassen Uns dan als Lands-Fürsten aus getreuer Sorgfalt zu Aufrechthalt- und Errettung Unserer Unterthanen hierinfalls billiges Einsehen zu thun und solche Lands verderbliche Beschwerden abzuschaffen, und aus den Weeg zu raumen allerdings oblieget und gebühren will rc.

pariter neque Laici prohibendi ſunt, ne res ſuas, quarum dominium habent & non ſolum adminiſtrationem, in Clericos alienent, ſecus manifeſte libertatem Eccleſiaſticam violari.

*Arg. 5tum.* Si aliqua ratio eſt, quæ Principes ad inhibendas ejusmodi bonorum ſtabilium in pia corpora translationes animet, tum eſt iſta, quod timendum ſit, ne ſubditi bonis ſtabilibus ſucceſſive nimium privati tandem ferendis oneribus publicis impares fiant, hæc autem (ut putat ſæpe dictus Author) proventuum diminutio plurimis commodis non *ſpiritualibus* tantum, ſed & *temporalibus*, quæ Laici ab Eccleſiaſticis percipiunt, abunde compenſatur.

Quod enim *ſpiritualia* attinet: Principes efficiuntur Chriſtiani, accipiunt doctrinam ſalutis, remiſſionem peccatorum, animæ ſanctitatem, panem Cœleſtem, & vitam æternam: Sacerdotum orationibus & ſacrificiis fulcitur Regnum, avertuntur calamitates, conciliatur pax, tranquillitas et felix rerum ſtatus promovetur. *Ita in terminis argumentantem P. Leſſium imitatur citatus Author.* Non obſcura quoque Patri Söll videntur eſſe emolumenta in *temporalibus:* multa quippe ubique locorum ab Eccleſiaſticis ſuppeditantur quotidie Parentibus, cognatis, affinibus, ſororibus, fratribus, queis reſpective vel dote vel mediis ad ſtudia & artes addiſcendas provident: tot nobiles ac Illuſtres familiæ tantas divitias, ac ſplendida patrimonia non aliunde, niſi ab Eccleſiaſticis conſanguineis habent. Si multi viri ac fœminæ ſtatum religioſum non fuiſſent amplexi, ſi in ſæculo manſiſſent ac ſuum patrimonium retinuiſſent, multi ex Laicis tam ſplendide non poſſent vivere quam modo, multi tam ſplendida officia non retinerent, quam modo, quid quod liberalitas ac pietas Eccleſiaſticorum fundos ſuos non luxu dilapidantium, ſed vigili ac prudenti cura adminiſtrantium jam ſæpius laboranti magna rerum inopia Reipublicæ ſuccurrerit, a Monaſteriis denique, Parochis, cœterisque Eccleſiaſticis maxima pars pauperum paterne alatur *d*) vid. *cit. P. Söll. q. 1. n. 21.*

*Arg. 6ti. loco:* Conſtare dicit laudatus Author, nunquam Principem ullum factum eſſe pauperiorem, quod ipſe vel ſubditi ejus fuerint liberales in Eccleſiam, ut patet in Conſtantino & Carolo, utroque vere Magno, & aliis plurimis, Deus enim, cujus protectione & directione Regnorum adminiſtratio maxime nititur, infinitis modis illud detrimentum compenſare poteſt, vel calamitates & ſeditiones avertendo, vel proſperos ſucceſſus bellorum, nova Regna, ubertatem terræ, & alia hujusmodi largiendo. Sæpe fit, ut ob aliquam ſeditionem vel bellum, quod fortaſſe pietas iſta & religio Principis avertiſſet, uno anno

*d*) Fas non eſt Clerico pro officiis ſpiritualibus utilitates temporales mercari, reliqua per accidens, & quinam ſunt illi, qui tot Eccleſias fundarunt, & piis divitiis exornarunt? non igitur Laici ex mera liberalitate, ſed ex obligatione ſaltem antidorali quædam recipiunt.

anno plus ipse amittat, quam mille annis ex hujusmodi vectigalibus percipi posset, quid tunc prodest illi politicorum consilium? *e*)

Tandem, ab his omnibus præscindendo, concludit P. Söll, Principem circa novas Ecclesiasticorum acquisitiones non posse, sub prætextu utilitatis publicæ, libertatem Ecclesiasticam auferre, *hanc* enim *illi æquiparari f*) per *L. 10. C. de SS. Eccles.* Perspeximus hucusque Lector Benevole, si non omnia, potiora saltem argumenta, quibus Adversarii libertatem Ecclesiasticam partim circa *bona jam acquisita*, partim circa *noviter acquirenda*, contra ordinationes Principum huic adversantes, vindicant: sed, ut jam supra monui, Dissertationis meæ scopus non est, libertatem vel Immunitatem Ecclesiasticam *primi generis* impugnare, neque eo tendit Clementissimus Legislator Moguntinus, ut exemptionem bonorum *legitime*, id est sine violatione ordinationum Electoralium, acquisitorum Ordinatione sua affligat, id saltem principaliter egit, ne a subditis, qui forte auro argentoque, ut Ecclesiæ, monasteria, & alia *pia corpora*, non ita sunt instructi, omnia successive immobilia, cum summo publicæ Rei præjudicio, ad *manus mortuas* perveniant.

Cumque ex relatis Adversariorum argumentis, nec minima sententiæ, quæ hanc Ordinationem justissimam asserit, *improbabilitas positiva* elucescat, id unicum superest, ut, exemptionis bonorum Ecclesiasticorum origine & qualitate summarie descripta, per sic dictæ *Legis Amortizationis* famosam provinciam

*e*) Impii sunt, qui fideles a pietate, devotione, consiliis Evangelicis, operibus supererogatoriis, fundationibus, donationibus & aliis Christianæ liberalitatis exercitiis saluti Reipublicæ haud nocivis, avocant.

Sed, quid si omnes subditi sua vellent, vel respective cogerentur Ecclesiis donare vel vendere, & in statu paupertatis vivere, possetne dici, quod Princeps hæc impediendo liberalitatem Ecclesiasticam violet?

Deus libertatem prudentem semper in immensum compensavit, sed quod miraculis imprudentem etiam remuneretur, alius præter me credat.

Dein privilegia vel exemptiones non promiscue distribuendæ sunt, sed regula etiam prudentiæ, quæ vult, ut benefactores suis quoque commodis consulant, utque liberalitas iis, in quos exercetur, utilis esse possit, observanda est. Præclare Jac. Gabr Wolff. in Inst. Jurispr. naturalis *P.* 2. *f.* 1. *c.* 4. §. 14. & 15. item *c.* 10. §. 5. parum autem esset utilis sua Ecclesiis Immunitas, si caput Reipublicæ, cujus & ipsi membra sunt, non posset pericula interitum Civitati comminantia in tempore amovere. Quid de profusa liberalitate Constantini M. Caroli M. Ottonis I. Henrici II. aliorumque Principum catholice sentiendum sit, pios politicos consule.

*f*) Sed ex hoc non sequitur, quod illa per hanc destrui debeat.

ciam ad objectum meum principale, scilicet evidentem Ordinationis laudatæ justitiam, positiva eaque invicta ratione demonstrandam, mihi viam aperiam. Tractabit itaque summa brevitate

## §. IV.

## De Origine & Qualitate exemptionis bonorum Ecclesiasticorum.

In ipso hujus §phi limine mira se mihi difficultas opponit; cum enim nullo librorum ad passum præsentem necessariorum subsidio instructus, nihil nisi obvia exponere valeam, absurdum videri posset, quod eruditi Lectoris, nova forte desiderantis, expectationem per aliorum descriptionem nimium quantum deceperim: sed salva res est, primus non sum, qui descripsit, plures legi dissertationes sibimetipsis forte non multum dissimiles, neque profecto meum est docte scribere, sed tantum ex eruditis scriptis paucula ad finem dissertationis utilia referre, sique forsan hoc turpe sit, malo tamen hanc turpitudinem incurrere, quam partu eruditæ plenæque novitatibus dissertationis supposito gloriari.

Quid *Res* sit, & quod Deus omnes res hominis causa produxerit, nemo sana ratione præditus dubitabit, qui enim vult finem, ille quoque debet velle media ad finem necessaria; cum itaque Deus conservationem hominum, veramque eorum felicitatem intendat, atque hanc instar finis humano generi præscripserit, non potuit non simul Jus largiri, rebus creatis non tantum ad necessitatem, sed etiam commoditatem utendi. Puffendorff *de Jure N. ac G. l. 4. c. 3.* ut porro in illo statu homines Jure in res fruerentur, necesse fuit, ut modus, quo rem proxime suam redderent, præcedat, qui unice in *occupatione* consistebat, cumque ortis per hanc occupationem distinctis rerum dominiis plurimæ nihilominus res vel *nullius* manserint, vel in hanc primævam qualitatem iterum relapsæ sint; modus erat alius, quo homines *rem nullius* acquirebant, alius, quo *rem jam suam* unus in alterum transferebat, quorum prior *originarius*, posterior vero *derivativus* hodie vocatur, alia tamen rerum distinctio, quam quod sint vel *propria* vel *aliena* vel *nullius*, a simplicitate hujus status ignorabatur.

Homines (probi saltem) qui in hoc legis conatæ statu vivebant, cum tanta rerum, humanis commoditatibus inservientium, copia a Deo, non nisi confuse ab ipsis cognito, se liberaliter obrutos cernerent, varios modos, quibus huic benefactori, quisquis demum esset, grates rependere nitebantur, excogitabant, cumque passim in societates civiles coalescerent, congruens eis videbatur, ut circa hosce modos, quibus Ens entium se honorare putabant, aliquis potestatem directivam & administrativam haberet, quæ nulli aptius inhærere poterat, quam summæ cujuslibet societatis potestati, cui se in communem rei-

publi-

publicæ ſalutem voluntate libera ſubmittebant. Si nunc, Lector benevole! ſtatum hunc civilem perluſtremus, jam non pauca de rebus, ad ſolennes Deorum cultus (per quorum adorationes licet ſumme erroneas, ſaltem in hoc, quod Majeſtatem aliquam Divinam ſupra ſe agnoſcerent, non erraverant) deſtinatis, veſtigia deprehendes, & ſi forte, Lector Chriſtiane! res has vel *ſacras*, vel *ſanctas*, vel *religioſas* dicere verearis, ſaltem illos homines, licet in ſtatu tenebrarum degentes, *ſacros* & *religioſos* vocare non dubita, majori enim cum fervore (pro dolor) ignoto Deo ſerviebant, quam innumeri alii, ad quos tamen legis Divinæ *revelatæ* radius penetravit. Sed propius ad fontes accedamus, legis Moſaicæ tempora perſcrutando, ibi enim non tantum *poteſtas circa ſacra*, & *Judicium ſuper cauſis religionem concernentibus*, a poteſtate civili ſeparata eſt, ſed etiam res non paucæ *ad cultum Divinum immediate deſtinatæ* & ab omni Jure politico *exemptæ*, quarumque pertractatio vel cura unice ad Sacerdotes pertinebat (v. g. Sanctuarium, arca, vaſa ſacra &c.) deprehenduntur, ita quidem, ut in earum violatores ab ipſo Deo graviſſime animadverſum ſit.

Sic Oziam Regem incenſum adolere volentem cordate admonebant Sacerdotes, *non eſt tui officii, Ozia! ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſcemodi miniſterium, egredere de SANCTUARIO, nec contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam a Domino.* Iratus equidem Ozias contempſit ſalutare hoc monitum, minabaturque Sacerdotibus, ſed mox Deum vindicem ſatis graviter expertus, teſte *Paralipom. 2. c. 26. v. 18. Notandum tamen*: licet quondam *panes propoſitionis* unice *ad uſus Sacerdotales* pertinuerint, Regem Davidem eos in caſu neceſſitatis *impune* comediſſe, *1. Reg. cap. 21.*

In lege Evangelii, quod poteſtatis circa ſacra, & cauſas religionis internas a poteſtate civili ſeparationem manifeſte retinuit, res ſunt & ſemper fuerunt vel *ſpirituales*, vel *temporales*, ad *priores* ſuo modo res ſacræ indubie reducuntur, ad poſteriores vero pertinent, quæ Deo conſecratæ, uſibus Eccleſiaſticis deſtinantur, & *Eccleſiaſticæ* dicuntur.

*Rerum Sacrarum* qualitatem Sæculo IV. jam obſervatam eſſe colligit ex *Sozomeno* ipſe ill. Boëhmerus *in notis ad Inſt. Jur. Eccl. Claud. Fleuri p. 2. c. 7. §. 1. lit. L.* ubi refert, Athanaſium, cui Euſebiani imputarunt, quod ejus juſſu a Macario calix Myſticus fractus, menſa ſacra ſubverſa, & libri ſacri combuſti ſint, a P. P. Concilii Tyrenſis, qui hanc imputationem *Sacrilegio* adſcripſerunt, depoſitum eſſe.

*Res temporales* quod attinet, in primis Eccleſiæ naſcentis temporibus, cum nulla univerſitas ſine bonis communibus ſubſiſtere poſſit, & in ſingulos conventus vel ſtipendia miniſtrorum aliquid impendendum ſit, fideles propter

persecutiones atrocissimas noctu convenientes ipsi media contulerunt ad Episcopos, presbyteros, & diaconos, qui plerumque, ut *Ecclesiæ liberius servirent*, ad voluntariam paupertatem redacti erant, alendos: curanda erant funera, hospitalitas in viatores exercenda, viduæ, virgines, orphani, infirmi, pauperes, fideles vel in carcere squalentes, vel ad metalla damnati, suppetias exspectabant. cit. Claud. Fleuri. *Inst. Jur. Eccl. p. 2. c. 10.* §. *1.* Omnia erant communia, nullum lucrum, nullum habendi desiderium adfuit, habuere cor unum, & animam unam, quotquot possessores agrorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant. *Act. Apost. 2. v. 44. 45. - - - - 4. v. 32. 34.*

Cessantibus persecutionibus, & Imperatoribus ad sacra Christiana conversis, rerum immobilium ad Ecclesias pertinentium numerus admodum crevit, ita tamen, ut *crescente fundorum numero oblationes quotidianæ decrescere inciperent.* Diminutis itaque magnam partem oblationibus, reditus illi ex fundis provenientes in quatuor partes distribuebantur, quarum una *Episcopo*, altera *Clero*, tertia *pauperibus*, quarta *Ecclesiis reparandis* cedebat.

Adhucdum tamen fuere Episcopi, qui bona sua omnia in pauperes erogabant, bona etiam immobilia promiscue alienabant, & pretium in pauperes dividebant.

Quin imo, neglecta etiam vita communi, non defuere Clerici, qui stipendia vel *hebdomadalia vel menstrua*, ut populo exemplum perfectionis Christianæ ostenderent (Jure suo sæpe neglecto) pauperibus admetiebantur, labore, exemplo Pauli, se ipsos sustentantes.

Sed, quo major Clericorum liberalitas fuit, eo majori munificentia Deus hanc personarum Ecclesiasticarum erga pauperes benignitatem compensavit; quo major apud Clericos erat temporalium contemptus, eo minus ab ipsis temporalibus contemnebantur, mactabantur ab Imperatoribus & Regibus præcipuis honoribus, reditibus, EXEMPTIONIBUS, IMMUNITATIBUS PERSONALIBUS, vocabantur ab omnibus, *amabiles Patres*, neque modus continuis bonorum immobilium in Ecclesias per varios titulos translationibus ponebatur. *Exemptionibus personalibus* addebantur *censuales*, *reales*, donec successive fervor ille utraque ex parte elanguerit, quo fato id factum sit, alii per me licet, exponant.

Mihi sufficiat rivulum, ex quo Exemptio illa Ecclesiastica (ni me omnia fallant) promanavit, ejusque qualitatem deprehendisse, ut enim exemptionem Ecclesiasticam sive personalem sive realem Juri Divino novi testamenti adscribam, a me ipso impetrare non possum, unice persuasus, ex illo Jure potius omnem animam sublimioribus (Principum etiam sæcularium) potestatibus subditam esse, & Clericos in republica degentes, præscindendo ab exemptione

ptione sibi a piis Imperantibus voluntarie concessa, non minus esse subditos Principis, quam membra Ecclesiæ. Immoderatas vero multorum Protestantium conjecturas, qui cum Rævardo *conject. l. 2. c. 17.* Zieglero *ad Lancellot. l. 1. t. 18. §. 12.* Stryckio *ad Brunnemanni Jus Eccl. l. 2. c. 2. §. 3.* Thomasio. ill. Boehmero & aliis passim divisionem rerum *in sacras &c. &c.* superstitioni Ethnicæ adscribunt, qui ritus Catholicos circa templorum exstructionem & formam cum Ziglero *d. l. §. 9.* nimium increpant, qui finem dotis Ecclesiasticæ non in cultu divino & levamine pauperum, sed in prætenso Clericorum, ut *narrant*, otiose torpentium luxu, vel omnia insatiabili rapacitate corradentium avaritia collocant, qui fraudibus & violentiis (ut calumniantur) Pontificum & Clericorum, caput contra suos Principes in opportunis circumstantiis postea extollentium, & subditorum onera reipubl. suis tantummodo humeris imponentium stultæ (juxta ipsos) pietati nec non improvidæ noxiæque Imperantium conniventiæ exemptionem Ecclesiasticam unice adscribunt, suis Authoribus, ut sibimet ipsis in his omnibus complaceant, veritatis contra ipsos pugnantis certissimus relinquo, tantum nunc sollicitus.

## §. V.
## De Lege Amortizationis in genere.

Ut finis civitatis in communi securitate & sufficientia consistens obtineatur, consociatio plurium familiarum unum corpus morale constituentium indubie requiritur, sicut autem membra humani corporis, licet sint multa, unum tamen corpus sint (qua similitudine utitur Sanctus Paulus *1. Cor. 12. v. 12*) & ad sustentationem totius corporis juxta proportionem physicam concurrere debeant, ita & in societate civili distributio quædem proportionata inter membra hujus corporis mystici ad conservationem communem *junctis viribus* concurrentia absolute requiritur, *junctis viribus* inquam, si enim manu sinistra dextram in auxilium vocante, hæc non velit, illamque deserat, tandem & ipsa deseretur, hostile vinculum portatura; & licet inæqualitas in republ. non tantum non noceat, sed etiam utilis, imo etiam necessaria sit, *a*) si tamen id ipsum ad impositionem onerum plus justo inæqualium extendatur, nihil aliud sequitur, quam quod membris, quæ nimium prægravantur, omnino tandem defatigatis, totum repente corpus corruere debeat. Jam vero, ut ad exemptionem nostram Ecclesiasticam, originem suam sanctitati personarum Ecclesiasticarum, & piæ Imperatorum, Regum & Principum liberalitati unice in acceptis referentem, revertamur, ex historia compertum est, immutata rerum Ecclesiasticarum facie, maxi-



*a*) Pulcherrime erudit. Gribner *in Jurispr. priv. illustr. l. 1. c. 2. §. 2.* Es ist einer Republique am zuträglichsten, wann sie ex inæqualitate bestehet, und ist sonderlich die subordination die Seel der Republique.

maxima ſemper ſollicitudine bona Eccleſiaſtica conſervata, eaque indies variis modis adeo aucta fuiſſe, ut pene timendum eſſet, ne Eccleſia ſemper acquirens, nunquam alienans, omnium immobilium domina fieret, cumque hæc immobilia ſemper ab oneribus publicis per ſtabilitam ſemel immunitatem Eccleſiaſticam, ſanctionibus etiam Canonicis armari cœptam, eximerentur, in rempublicam, cujus intereſt multos fundos tributarios, cenſuales, & commercio humano expoſitos habere, ingens non raro detrimentum redundavit, ita quidem, ut quædam Regna, adhucdum antiquæ Catholicæ Religioni adhærentia, ab uſu harum exemptionum, præcipue circa acquirenda, multum receſſerint, & non pauci credant, finem ſpiritualem beatitudinis æternæ peræque haberi poſſe, licet bona Eccleſiaſtica cum bonis laicalibus æqualiter collectentur; hanc ſaltem cauſam impulſivam *legis Amortizationis* fuiſſe arbitror, de cujus omnimoda Juſtitia tamen, ut Regna illa in multos Theologos vel Canoniſtas Germaniæ compromittant, non ſperandum.

Definitionem *legis Amortizationis* quod attinet, *noli ex me quærere*, erudite Lector! *quid ego exiſtimen, ſcias enim, ſolitum me eſſe, pro diſciplina ſecta, quam colo, inquirere potius, quam decernere.* b) ſed, quia labor non omnino caſſus eſt, qui in definitionibus ponitur, tentabo, an ſic dictam legem Amortizationis definire, vel potius, ne *Duarenum*, in definitione *Judicii* integrum annum conſumentem, ſequi cogar, deſcribere queam.

Eſt itaque *lex Amortizationis*, prout hic conſideratur, nihil aliud, quam *diſpoſitio Majeſtatis vel quaſi, vi cujus, ſi Eccleſia vel Clerici reſpectu bonorum immobilium quocunque demum titulo noviter acquiſitorum obligationi, ſibi qua ſimul civibus reipublicæ incumbenti, ſatisfacere nolint, ad æqualitatem inter cives omni meliori modo conſervandam novis immobilium ad Manus mortuas translationibus ſalutare obſtaculum non niſi ſpeciali Principis diſpenſatione juſtis ex cauſis removendum ponitur.*

Juſtitiam hujus *legis Amortizationis* eruditiſſimus Gletle *in ſua Anatomia Juridica* multis fundamentis propugnavit, cui magnum argumentorum, exorbitantibus tamen principiis inſiſtentium, apparatum minus ſolide oppoſuit laudatus P. Söll, id unum agens, ut omnem Principi politico poteſtatem erga cives reipubl. Eccleſiaſticos exercendam adimeret, neque opus fuiſſet citato Gletle tam fuſe veritatem luce meridiana clariorem defendere, ſi originem & qualitatem exemptionis Eccleſiaſticæ tantum obiter erudito ſuo tractatui præmittere voluiſſet; nec etiam diſſimulandum, quod *quæſt. 3 n. 7. p. 79.* ſe ipſum difficultatibus nimium exponat, admittendo, Principem *ideo* non poſſe tributis perſonalibus & mixtis perſonas ac res Eccleſiaſticas obnoxias reddere, quia tributa perſonalia & mixta ſupponunt ex parte imponentis jurisdictionem in perſonas, qui

b) Ita reſpondit Phavorinus *apud Gellium noct. att. l. 20. c. 1.*

qua Principem *carere* simpliciter admittere videtur, egregie propterea pressus a P. Söll, confessionem sibi adeo proficuam utiliter acceptante.

Implicat profecto Clericos ab omni *omnino* potestate vel Majestate reipublicæ circa *personas*, *res*, & *actiones* civium in salutem publicam eminenter disponente, exemptos, & tamen vera civitatis membra esse; sane, si extrema necessitas Clericos ad arma pro patria suscipienda invitaret, non crederem, Belliduces consensum Pontificis prærequisituros, sed potius absque omni mora vel nolentium Clericorum humeris bombardam imposituros fore, & recte quidem, sunt enim membra civitatis. Nihil dicam de moribus Regnorum quorundam etiam Catholicorum v. g. Gallia, Bohemia, ubi Clerici non tantum quoad actiones *reales*, sed etiam *personales ex contractu* ad forum laicale actualiter trahuntur. Unica igitur ratione totum negotium expediri posse crederem:

Salus publica lex est suprema societatis civilis.

Dei & Salvatoris Christi Gloria, & beatitudo animarum æterna, lex est suprema Ecclesiæ.

Ad utrumque finem Deus hominem dirigi voluit per diversam potestatem *civilem* & *spiritualem*, ita quidem, ut una potestas in materiam alterius involare non possit, & quamvis libenter admittam, finem spiritualem esse infinite digniorem temporali, & hunc illi esse per indirectum subordinatum, id tamen procedit unice in casu, quo necessitas finis spiritualis hanc subordinationem necessario requirit, ita ut, nisi potestas Ecclesiastica aliquid circa temporalia statueret, *grave* præjudicium salutis æternæ consequendæ subverteretur. Præscindendo ab hoc casu, firmiter statuo: Principes politicos, constitutiones canonicas, materiam præcise temporalem ingredientes, licet in illis decentia aliqua subesse videatur, non tantum non recipere teneri, sed etiam receptas moderari ac tollere posse, si ejusmodi leges Ecclesiasticas hactenus receptas fini temporali graviter præjudicare per experientiam deprehendatur; paucis multa: omnis in Principe sæculari, *qua tali*, potestas agnoscenda est, quæ ad conservationem reipubl. requiritur; consequenter, si exemptio Clericalis a tributis realibus, respectu immobilium noviter saltem acquisitorum, subditos laicales nimium prægravet, & sic translatio bonorum stabilium in *Manus mortuas* pro conservanda republica inhibitionem sui prudentem desideret, potest suprema potestas absque scrupulo & remorsu conscientiæ illam decernere, licet per indirectum Ecclesiæ, aliaque pia Corpora facultate talia acquirendi priventur.

Hypothesin si neges, spondeo me facilius probare posse, quam tu negare, nisi suppositum præstruere velis, æternam scilicet beatitudinem sine exemptione & libertate Clericorum saltem respectu fundorum noviter acquisitorum vel acquirendorum obtineri non posse.

Ad

Ad finem propero dissertationis meæ, L. B. de evidenti Justitia Ordinationis Electoralis sat certus, unicum saltem adhuc argumentum proferre liceat, quod huic ordinationi obstare dissentientes existimant: ajunt, subditum laicum amplectentem statum Sacerdotalem a potestate laicali eximi, domino quantumvis reclamante; inferunt (sed mira illatio) ergo & fundi noviter adquisiti vel acquirendi eximentur, Principe licet reclamante; irritum profecto conatum! nam secundum varios textus Juris Canonici X. *de serv. non ord.* item *Dist. 54. per tot.* expresse prohibetur, servum *ob præjudicium domini* ordinari, statuitur insuper servum ad minores ordines ordinatum *ignorante domino* in servitutem *revocandum* esse, servo ad majores ordines ab Episcopo, sciente servum esse, ordinato, hunc ipsum Episcopum domino ad duplicem satisfactionem teneri. *C. 19. dist. 54. &c. &c.* Si ergo Ecclesia dominum etiam *privatum* jure suo privare non voluit propter finem adeo excellentem, ergo (quod tamen absque hoc non potuit) nec voluit Principem sæcularem dominio suo eminenti respectu immobilium privare, vel, ne priventur, quidquam statuentes impedire, propter finem multo inferiorem, qualis est forte illa decentia & congruentia Clericalis respectu bonorum immobilium cum exemptione ab omni onere noviter adquirendorum: neque enim tanti interest reipublicæ, dominum privatum servo unico ad sacros ordines elevato privari, quanti interest Principis bona immobilia, ceu instrumenta ad sustinendas necessitates publicas perquam necessaria, in *Manus mortuas* transferri. Hæc itaque sunt, L. B. quæ pro tenuitate virium mearum loco Dissertationis inauguralis de eo, quod circa bonorum stabilium ad *Manus mortuas* translationes justum videtur, summa brevitate scribere destinabam, repentino censoriæ virgulæ rigore, adversoque Præceptoris mei ad rogum usque colendi de levidensi opella mea judicio adeo perterritus, ut me conaminis mei jam millies pœnituerit. Interim tamen res ipsa legenti commonstrabit, neque ex adulatione hoc, aut partium studio, neque animo aliorum bene fundatis juribus præjudicandi scriptum esse; minime omnium vero doctrinam hanc, quæ Principi, quæ sunt Principis tribuit, libertati immunitative Ecclesiasticæ præjudiciosam posse compellari. A te denique L. B. quod patientia oculisque tuis per paucas hasce paginas abusus sim, veniam rogo; equidem magis piperata Disputatiuncula eruditum tuum saporem vellicare in animo proponebam, sed nunc rubore admodum suffusus experior, sæpe de facultatibus suis plus sperare homines, quam in his est, si igitur hanc, quam tibi post expilata aliorum repotia offulam propono, gustare fugias, saltem *concha salis puri* Horat *1. Satyr. 3.* tibi non displiceat; Zoilis vero illud Ciceronis *2. de natur. Deor.* dictum esto: *Salem istum, quo vestra caret natio, in irridendis nobis nolitote consumere, & me hercle, si me audiatis, ne experiamini quidem, non decet, non datum est, non potestis.* Ipsa vero Electoralis Ordinatio Clementissima Coronidis loco esto:

Wir

Wir Johann Friederich Carl von GOttes Gnaden, des Heil. Stuhls zu Maynz Ertz-Bischoff, des Heil. Röm. Reichs durch Germanien Ertz-Cantzlar und Churfürst 2c. Fügen hiemit zu wissen, was massen wir von Zeit Unserer Regierung sehr mißliebig erfahren, in der That auch mit Schwächung unserer Intraden und Benachtheiligung Unserer Bürgeren und Unterthanen wahrgenommen, welchergestalten derenselben unbeweglich und liegende Güthere an Häuser, Höffe, Mühlen, Aeckern, Wiesen, Weinberg, Clauer, Waldungen, Zehenden, Gült, Zinßen, und sonstige Habschafften, so Uns und Unserm Ertz-Stifft mit Beth, Geschoß, Schatzung, Frohn-Diensten, auch Land- und Türcken-Steuer und anderen Gifften und Præstationen behafft, und von Alters darinn gehörig gewesen, und als prædia Fisco obligata noch dahin ohnabänderlich gehörig seynd, gegen die von Unseren Herren Vorfahrer Lobwürdigster Gedächtnuß so heilsam wiederhohlte Verordnungen an Fürsten, Grafen, Herren und von Adel, dann an geistliche Stiffter und Clöster, Collegia, Hospitäler und andere Corpora oder gefreyte Personen zu verkauffen, oder zu vertauschen, und also zu Entkräfftigung Unserer Unterthanen ad manus mortuas oder in gefreyte Händ zu bringen, sofort, was also durch Kauff, Vertausch oder andere Contracten, auch testamentarische Disposition an sich (wiewohl Verbotts-wiedrig) geäussert worden, davon gleichwohlen der hergebracht- und gebührliche Dienstbarkeiten nicht leisten, vielweniger die auf dergleichen Häuseren, Gütheren und Habschafften radicirte Bürgerliche Beschwerden tragen, noch einige Schatzung, Steuer, Beth oder Geschoß und übrige sowohl real- als Personal-Præstationen abführen, sondern zu vermeyntlicher Unterbrechung Lands-Fürstlicher Verordnung selbiges vor frey, Adeliches, Ritter- oder geistliches und exemptes Guth halten und angeben, und in solcher vermeyntlichen Qualität einbehalten und geniessen wollen.

Gleich wie nun daraus erfolget, daß gemeldte Unsere ohnehin bedürfftige arme Burger, Unterthanen und Eingesessene hierdurch ihrer besten und einträglichsten Gütheren, Nahrung und Alimenten verlustiget worden, gleichwohlen von ihren übrigen geringern zu Bestreitung deren gemeinen Onerum nicht hinlänglichen Gütheren und Habschafft die Bürgerliche gemeine- und sonderbahre Beschwerden (wie sie von Alters, da die entzogene Güther in gleichem Anschlag und Diensten gewesen, schuldig) allein tragen, und für diejenige, so die beste Güther ohnzuläßig inn haben, und sich vermeynter Freyheit anmassen, Bezahlung, auch Frohnd und Dienstleistung thun müssen, dadurch dann die Burger und Unterthanen sambt und sonders endlich völlig entkräfftiget werden, und mit ihren Nachkömmlingen in solchen Umstand nothfolglich gerathen, daß denenselben die herrschafftliche- sowohl als gemeine

Præstanda gebührend zu præstiren, auch die Uns und Unserm Ertz-Stifft schuldige Diensten zu verrichten und fernerhin zu vollbringen allerdings ohnmöglich fallen will, also daß auch zu ihrer und deren Ihrigen Beybehalt- und Auffkommung dieselbe ihre nothgedrungene Beschwerde, Schaden und Nachtheil wiederholter zum hefftigsten eingeklagt, und daß dahero sothanem weiter einreissenden äussersten Verderben aus Lands-Fürstlicher Macht und Gewalt nachdrücklich gesteuert und fürs künfftige vorgebogen werden möge, unterthänigst supplicando nachgesuchet; Allermassen Uns dann als Lands-Fürsten aus getreuer Sorgfalt zu Aufrechthalt- und Errettung Unserer Unterthanen hierinnfalls billiges Einsehen zu thun, und solche Land-verderbliche Beschwerden abzuschaffen und aus dem Weeg zu raumen allerdings oblieget und gebühren will. Wir Uns auch darneben erinnert, und in wohl bedächtliche Consideration gezogen, daß, wann diesem Unweesen also längerhin nachgesehen und die zur unterthänigsten Gelebung nach und nach ergangene Lands-herrliche in ihrem vigore ohne einige modification biß anhin auffrecht gebliebene Verordnungen (als welche Wir alles ihres Innhalts hierdurch erneuert und nochmahlen wiederhohlet haben wollen) nicht zu vollständigem Vollzug gebracht, sondern in einem oder andern nachgesehen werden sollten, daß dergleichen Anmassungen Unserm Ertz-Stifft an dessen Ober- und Gerechtigkeit, Handthierung, Commercien auch Mannschafft, Frohn, Dienst, Beth, Schatzung, Geschoß, Abzüge, Huth, Wacht, Erbesserung deren Städte, Flecken, gemeiner Strassen, Heeg, Schläg, Folge, Reiß, Steuer und Ausschuß, Abgang und empfindliche Schmählerung gebähren würde, wie dann Unsere Vorfahrere Weyland Churfürsten DANIEL unterm dato den 2. Jan. 1574. dann Churfürst Johann Schweickard unterm 19. Junii 1615. nicht minder Churfürst Johann Philipp den 3. Julii 1660. sodann Churfürst Lotharius Frantz auch andere Unsere Vorfahrere Lob seeliger Gedächtnuß allschon vor vielen Jahren durch dergleichen Beschwerden gleichmäßig bewegen worden, solchem Lands verderblichen Ubel seine behörige Schrancken zu setzen, und diesertwegen die dißfalls nach und nach ergangene Verordnung zu erneuren und zu bestättigen, auch zu extendiren; und aber Uns von Unseren Unterthanen, daß die über solche Unserer Vorfahrer ausgegangene Mandaten bißhero in etlichen Unsers Ertz-Stiffts Landen der Gebühr nicht gehalten, und wie es die Zuständigkeit erfordert, zur werckthätigen genauen Execution der Gebühr nach nicht gebracht worden, fast täglich vielfältige Beschwerden sich geäussert; So haben Wir zu Erneuerung dessen, auch Fürkommung mehrern Schadens, und auf daß ein jeder, was Stands er seye, bey dem Seinen, darmit ihn der Allmächtige begabet, in Frieden und hergebrachter Ordnung bleiben möge, daß denen vorgedachten Corporibus und freyen Personen, sie seyen Geist- oder Weltliche, nun hinführo burgerliche- schoßbahr- und

und dienstbahre Güther zu kauffen, zu tauschen, oder durch andere Mittel, wie es nur Nahmen haben, oder ein Vorwand ausgesonnen werden mag, an sich zu bringen, mit nichten zugelassen werden sollen, eine ohnvermeydliche Nothdurfft befunden, solche Unsere Lob-seeligen Herren Vorfahrern deswegen publicirte Mandaten männiglichen zur Wissenschafft und ohnabbrüchigen gehorsamster Gelebung von neuem publiciren zu lassen; Und dahero ordnen, setzen und declariren Wir aus Lands-Fürstlicher Macht und Gewalt, und gebiethen Unseren Regierungen und Dicasterien, auch Vicedom, Ambtleuthen, Stadt-Schultheissen, Kelleren, Centhgraffen, Schultheissen, Richteren, Gerichten, geistlich und weltlichen Gemeinden auch Unterthanen und Zugewandten, wo und an welchem Orth die in Unserm Ertz-Stifft gesessen und darinn begüthert, bey ihren Pflichten und Eyd, damit sie Uns und Unserm Ertz-Stifft zugethan seynd oder künfftig werden, sambt und sonders hiemit gnädigst und ernstlich, und wollen, daß dieselbe und deren Nachkommen hinführo kein burgerliches Schatz- und Beth- noch dienstbahres Guth in Unserm Ertz-Stifft, dessen Obrigkeit, Landen, Immunitäten und Gebiethen gelegen, oder darinn gehörig, in einiger gefreyten Persohnen Händen, es seye Fürst, Graff, Herr, Stifft, Prælatur, Closter, Universität, Collegium, Hospital, Ritter, Edelmann, Knecht, oder was geistlich- oder weltlichen Stands der seyn möchte, sie seyen gleich in Unserem Ertz-Stifft gesessen oder nicht, ohne Unsern Wissen, Willen, und sonderlich schrifftlich besiegelten Consens verkauffen, veräussern, vertauschen oder in andere Weiß, wie man die erdencken mag, verwenden, noch einige Auffgifft, Band-Brieffe, Einwehrung, von Obrigkeit, Gelegenheit, Ambt oder sonsten thun oder fürgehen lassen sollen, desgleichen denen Notarien, Schreibern, oder anderen zu demselben jetzt wiederhohlt verbottenen Contracten, Kauff, Verkauffen, Verwechsel- und Veräusserung zu gehen, darbey zu seyn, ihr Ambt zu üben, darüber zu verkünden, zu instrumentiren oder zu bezeugen, keineswegs gestatten, sondern diesem unsern offenen Mandat und Gebott gehorsamblich geleben, und gegen männiglich Unsern gnädigsten Will zu vollstrecken: Wo aber durch einen oder den andern, niemand ausgeschieden, dieser Unserer Lands-Fürstlichen Verordnung und Mandat zuwider etwas fürgenommen, contrahiret und verhandlet würden, so wollen Wir, daß selbiges an sich gantz ungültig und krafftloß seyn, und auch von männiglich für null und nichtig geachtet werden solle, sofort sothane Güter, umb welche vermeyntlich und also ordinationwidrig contrahiret worden, so wollen Wir, daß selbiges lediglich verhalten seyn, und von Unsertwegen eingezogen, anmithin darzu die Ubertrettere als Käuffer und Verkäuffer des Kauffs-Pretii verlustiget seyn, auch die Schultheissen Gericht, und all diejenige, so hierinn einigen Vorschub oder Beförderung geleistet, oder culpam Commissionis vel Omissionis auf sich laden,

laden, nicht minder die Notarii und andere, so sich darzu statt der Abwartung gebrauchen lassen, mit Ungnaden angesehen und unnachläßig gestrafft werden sollen, gestalten Wir dann auch all dasjenige, so wider obberührter Unserer Lob-seel. Herren Vorfahrere emanirte Mandata an einem und dem anderen Orth Unsers Ertz-Stiffts Bottmäßigkeit dißfalls bißhero vorgangen, aus Churfürstl. Lands-herrlicher Macht und Vollkommenheit wissentlich und wohl bedächtlich hiemit vor null und nichtig declariren.

Wie Wir dann auch zuvor gemeldten Innhaberen solcher ungefreyten, weltlichen und burgerlichen Häuseren und Güthceren, so einige speciale Bewilligung von Uns und Unseren Vorfahrer nicht erlangt haben, hiemit gebiethen, und bey Vermeydung Unserer schweren Ungnad und Straff, auch bey Verliehrung derselben wissen wollen, daß dieselbe dergleichen weltliche Häuser, Güther auch Gefälle sich in einem Jahr a dato dieser publicirten reiterirten Verordnung zu entmüßigen, und solche in ungefreyte burgerliche Hände durch rechtmäßig erlaubte Weeg verkäufflich oder in andere Weiß zu übergeben, oder sich mittler Zeit mit Uns darumb zu vertragen, und alle darauf hafftende Real- und Personal-Beschwehrung nicht ausgenommen, sambt allen Hinterstand zu entrichten; Nebst obigen wollen und befehlen, ordnen und setzen vor das künfftige zugleich hiermit, daß dergleichen burgerlich unfreye und lastbahre Häuser, Güther oder Grund-Stücker, es seye in denen Städten, oder auf dem Land durch Testamenten und letzte Willens-Verordnungen eben so wenig, als durch Schanckung mortis causa vel inter vivos, auch durch Kauff, Tausch, gerichtlichen Zuschlag, oder sonst auf einigerley Weiß, wie es Nahmen haben mag, an Stiffter, Clöster, Hospitäler, Collegia, oder andere freye Personen geist- oder weltlichen Stands übertragen werden sollen, dahingegen, wann etwa ein Hauß oder Grund-Stück einem Stifft oder Closter geschenckt, oder per Testamentum vermacht werde, oder in jegliche andere Weiß zukommen würde, ein solches Stifft, Closter, Pfarr oder Hospital in alleweeg schuldig seyn solle, sothanes unfreye Guth, Hauß, oder Grund-Stück und dessen Eigenthum längstens innerhalb einer Jahrs-Frist entweder durch offentliche Feilbiet- und Aussteigung, oder sonsten hinwieder in burgerliche Hände zu bringen, in Entstehung dessen aber und nach Abfluß dieser pro omni termino gesetzten Jahrs-Frist das Guth oder Grund-Stück sofort dem Fisco verfallen, und vor die Churfürstliche Hoff-Cammer ohne einige längere Nachsicht auch ohne einige vorhero beschehene Warnung eingezogen werden solle.

Wird nun jemand auch in einen geistlichen Orden tretten, und einige unbewegliche Güther dem Closter mit einbringen oder überlassen, es damit auf eben solche Weiß wie nächst vorhero gemeldet worden, gehalten werden solle,

olle, dergestalten jedoch, daß die hieroben gesetzte Jahrs-Frist von dem Tag er gethanen Profession allererst den Anfang nehmen solle. Damit dann auch n Anleyhung deren Gelderen dergleichen an sich bringenden Last-bahren Güheren die Vorsehung beschehe, so wollen Wir gnädigst wissen, daß dergleihen Verlegung nach dem bißherigen Herkommen in dreyfachen Werth bechehe, und dasjenige Gericht, wo solche gerichtliche Verpfänd- und Verchreibungen aufgericht, vor den Belauff des Capitalis und deren Interesse davor hafften, auch wo Schulden halben dergleichen ungefreyte Güther an den Meistbiethenden verkaufft zu werden eine Nothdurfft zu seyn befunden wurde, eine gefreyte Person, Stifft oder Closter zum Mitsteigen zugelassen, sonern wo es heimlich, also ungültig durch Bestellung eines dritten Manns bechehen würde, alsdann derjenige, der sich hierzu gebrauchen lassen, mit beöriger Straff beleget, und das Guth alsogleich dem Fisco zugefallen, eingeogen, und hinwieder aufgesteckt, sofort an die Unterthanen versilbert werden olle; Thäte sich aber begeben, daß eine gefreyte Person, Stifft oder Closter ohne gerichtliche Verlegung mehreres Geld auf ein ungefreytes Guth schiesen, oder die Interesse über des Guths Werth, einschließlich des Capitals aufchwellen lassen würde, alsdann demselben keineswegs die verschriebene Güher oder Häuser in Zahlungsstatt heimgeschlagen, sondern bey Abgang der Bezahlung Capital und Interesse dem Meistbiethenden an unfreye und einheinische weltliche Persohnen, als Burger und Unterthanen gewöhnlicher masen zugeschlagen, und der Gläubiger sich mit demjenigen, was solchergestalten daraus gelöset wird, eintzig und allein begnügen lassen, und sich zuschreiben olle, daß er sich nicht besser vorgesehen habe. Wegen allen genauen schuligsten Vollzugs Wir Uns Gnädigst versehen, und männiglich vor Schaen und Bestraffung hierdurch ein- vor allemahl gewarnet wissen wollen. In Urkund Unserer eigenhändigen Unterschrifft, und vorgedruckten Unsers Churfürstlichen Geheimen Cantzeley-Insiegels, gegeben Mayntz den 18ten Tag Monaths April, Jahrs 1746.

Johann Friedrich Carl
Churfürst mpp.

## Animadversio Editoris.

Dissertationem mox exhibitam data opera videtur examinare atque hinc inde etiam confutare *Auctor Dissertationis* mox sequentis, quid universim de ejus

 crisi

crisi et systemate sentiendum esse existimem, patebit ex principiis hac in materia meis in animadversionibus ibidem a me subjiciendis. Legem *Amortizationis* Moguntina ab Auctore lucubrationi suae subjunctam quod concernit, passim notum est eandem sub *Electore* proxime defuncto, non solum renovatam fuisse, sed et quoad ejus modum in pluribus etiam capitibus latius extensam, uti dum ne mobilium quidem amplius acquisitio Corporibus Religiosis permittitur. Discernendus nempe est modus, qui circa hanc Legem determinatur ab ejusdem substantia; quoad modum ejusque extensionem varie in variis territoriis obtinet: caeterum etiam quoad ejus modum principia eadem, quae universim circa substantiam, obtinent; uti si novae circumstantiae ad salutem Reipublicae Legem istam magis ac antea extendi exigant, ex iisdem principiis id quoque juste fieri poterit a Principe, ex quibus universim haec Lex propugnatur. Quoad horum tamen principiorum applicationem quivis facile perspiciet, rationem diversam ineundam esse, quoad substantiam Legis hujus, et quoad ejus extensionem; quid enim? an si etiam bonum publicum exigat, immobilium acquisitioni limites poni, id quoque illico verum erit etiam quoad mobilia, quae etiam ex manibus mortuis plerumque in commercium commune facile iterum perveniunt? Absit tamen, ut privatus ausit Legem hujusmodi a Principe latam etiam quoad modum injustam dicere: principiorum nimirum legitimorum ad circumstantias Reipublicae applicatio Principum pietati, prudentiae, conscientiae relinquenda est, quemadmodum ad Dissertationem sequentem uberius animadvertemus.

# XIV.

## PHILIPPI FRIDERICH S. J.

SS. Can. Doctoris, eorumque quondam in Univ. Heidelb. Prof. Publ. et Ordin.

## DISSERTATIO

DE EO

# QUOD JUSTUM EST CIRCA AMORTIZATIONEM,

AC

## DE ORTHODOXA ET INCONCUSSA EJUSDEM PROPUGNANDAE METHODO.

*Heidelb.* 1747.

### §. I.

### Etymon ac Natales Amortizationis.

Vereor Lector Erudite! ne visa dissertationis nostræ epigraphe subrideas, ac tacitus ipse tecum, seros esse conatus istos, cogites: rem decisam esse Cæsarum, Regum, Principum illustrissimis præjudiciis: Adversariorum sententiam inter tubas ac tympana in aularum luce ac splendore publice propugnari; nostram in Scholarum angulis ac pulvere obsolescere. Ante duo sæcula debuisse in lucem evolare scripta ista, cum etiamnum versaremur in statu rei integræ, & Lex amortizationis necdum pedem fixisset. Jam Canonistas actum agere, & capta jam Troja suppetias ferre Priamo; in Adversariorum castris jam pridem cani triumphum: rectius facturos Canonistas, si gladium excommunicationis, quem in sententiam oppositam stringunt, mittant in vaginam.

Verissime & eadem omnino nobiscum sentis, quisquis ita sentis. Sed noli existimare, nos Legem amortizationis ullo modo hic oppugnare. Quid igitur? In

In methodo propugnandi statutum amortizationis nonnihil desideramus; & si liceat modeste conqueri de iis, qui se victores ferunt in hac causa, immerito aspergi labem irreverentiæ in Principes Theologis & Canonistis quibusdam, qui hoc argumentum excoluere; quasdam etiam ab Adversariis affingi nobis hypotheses asserimus, ut habeant, opinor, in quo se disertos ostendant, sed extra crinomenon; Argumenta nostra tantisper oblique eludere, ac satis habere, ut videantur, si non vincere, saltem triumphare. Legem amortizationis adeo non anathematizamus, ut illam canonizare potius, si æquis conditionibus pacisci velint Adversarii, conemur.

Etymon ipsum seu nominis derivatio a voce *Amortir* docet Legem amortizationis in Gallia, si non natam, certe renatam ac baptizatam esse; in quam sententiam Illust. Bœhmerus in notis ad Instit. Juris Eccl. Claudii Fleury c. 12. §. 5. concedit.

Quo vero primum tempore emerserit Lex amortizationis, non satis est exploratum. Forte res est antiquior nomine suo, cum inter primos amortizationis assertores censeatur Nicephorus Phocas, de quo Zonaras Tom. 2. annal. Imo ejusdem vestigia, licet subobscura extare dicuntur l. 20. & 27. Cod. Theod. de Episcopis, & Cler. Natales suos in Belgio debet Guidoni Comiti Flandriæ 1293. Consonant tabulæ Joannis Ducis Brabantini 1312. teste Antonio Anselmo in Triboniano Belgico c. 50. §. 6. & 7. Horum vestigia pressere Philippus Pulcher Franciæ Rex ac demum Carolus V. cujus constitutio prodiit in forma Pragmaticæ perpetuæ 1520. extatque in l. 2. Vol. 1. Edict. Brabant. Reges itaque & Imperatores sibi faventes nacta lex amortizationis brevi latius manavit, omnibusque fere in regnis, instar Palladii ad rempublicam tuendam cœlo delapsi, recepta est.

Quia tamen Autores præstantes literis consignarunt, legem istam a Principibus sancitam, ab iisdem revocatam non semel ac refixam (vide La Croix. Theol. Moral. l. 4. n. 1390.) non abs re suspicari licet, momenta & rationes Ecclesiasticorum contra dictam legem non usque adeo aut leves fuisse aut languidas, quæ primos Nomothetas hujus statuti tam diu utramque in partem fluctuantes ac suspensos tenuere. Non agemus hic jure summo: non perstringemus cujusquam sententiam acerbius, neque ad obterendam eorum, qui dissentiunt, opinionem evocabimus fulmina excommunicationum e cœlo Tarpejo, aut Jovem Vaticanum, ut contemptim vocant curiam & Pontificem Romanum, in Adversarios armabimus. Scimus eos sub corona ac purpura summorum Imperantium, in foro saltem externo tutos, vim censurarum eludere. Hinc momenta causæ placide utramque in partem executiemus; in eo præsertim operam collocaturi, ut nativam thematis controversi faciem exhibeamus: difficultates & statum

ſtatum quæſtionis in modum problematis illuſtremus, an & quatenus opinionis utriusque fundamenta vel aſſerenda videantur vel reſpuenda.

## §. II.

## Definitiones, axiomata, hypotheſes, quas ſyſtemati amortizationis ſubſternimus.

Ut autem, qua de re ſuſcepta ſit iſta controverſia, conſtet legentibus, præfigimus Theorematí noſtro principia quædam ab Orthodoxis recepta & hypotheſes, quæ lucem affundere poſſint quæſtioni, & moderationem quandam ac temperiem concilient ſententiæ noſtræ, ut palam fiat, ſyſtema amortizationis, quale a nobis aſſeritur, prodeſſe Eccleſiæ, Reip. non obeſſe.

Def. I. *Manus mortua* dicitur *Corpus ſeu Collegium ſive ſacrum ſive profanum, quod bonorum eſt capax.* Fluxit ex eo modus iſte loquendi, quod, cum Corpora iſta fundos ſemel partos & acquiſitos nonniſi ægre & cum ſolennitate denuo alienent & in commercium civile remittant, imitentur manus *mortuas*, quæ accipiunt quidvis, reddunt nihil.

Def. II. Amortizatio eſt *facultas acquirendi bona immobilia corpori ejusmodi a Principe conceſſa.* Facultatem iſtam Illuſtriſſ. Caramuel, Glettle &c. omnino requiri volunt ad validam alienationem bonorum ſtabilium in Eccleſias &c. ubi probe notandum Legi amortizationis amphibologiam quandam aſpergi ex diverſo uſu hujus vocis. Si enim *lex amortizationis* idem ſonet, quod privilegium Eccleſiis a Principe conceſſum, ut acquirere valeant fundos & immobilia venditione, teſtamento, legato &c. non eſt, cur ſe opponant Canoniſtæ cum Theologis, qui omni conatu hanc legem tuentur, & una cum jure civitatis hoc privilegium in Eccleſias transfuſum volunt, ut adeo novo conſenſu, nova facultate Principis ad id genus venditionum &c. opus non ſit. Sin autem *lex amortizationis* definiatur: Statutum, vi cujus ſubditi Magiſtratus Politici prohibentur ſine conſenſu Principis alienare in Eccleſias bona ſtabilia, patet hac *lege* amortizationis *privilegium* amortizationis vel tolli vel ejusdem uſum reſtringi ac reddi difficilem. Certe enim privilegium deterit ac minuit, qui, ne illo poſſis uti ſine novo privilegio, vetat & impedit. Atteximus hypotheſes quasdam, ſupra quas exſtruere ſolent Eccleſiaſtici defenſionem cauſæ ſuæ, ubi de hoc argumento amortizationis agitur.

Hypotheſis I. *Eccleſiæ & corpora ſacra facultatem acquirendi bona ſtabilia habuere olim, quocunque demum titulo.* Ipſi Adverſarii egregie confirmant hanc hypotheſin; quippe Eccleſiæ non aliter ad eum ſplendorem, potentiam ac divitias fuerunt evectæ, niſi acquirendo; ac profecto fidem omnem ſuperat, Im-

 peras

peratores piissimos, qui tam profuse liberales extitere in donandis Ecclesiæ prædiis, ne ista emere cogeretur, hos inquam Impp. unquam Ecclesias voluisse excludere ab emendis ære proprio prædiis, aut prohibuisse subditis, nequid bonorum stabilium transferrent in Ecclesias donationibus, quarum exemplo ipsis prælucebant. Itaque non est, cur importune velint sibi edi instrumenta, diplomata, diem & Consulem, quo privilegia ista sint tabulis publicis consignata. Sufficit nobis, privilegia ista esse longe antiquiora lege amortizationis, quæ una cum jure *morticinii* primis & aureis Impp. Christianorum sæculis incognita, sæpe lata, sæpe suppressa iterum & *amortizata*, si loqui ita fas est, sub ultima hæc tempora demum revixit.

Hypothesis II. *Privilegium exempto concessum aut aliunde competens per viam jurisdictionis adimi non potest.* Chimæram enim involvit jurisdictio sine subjectione; estque omnium Legum, statutorum &c. basis ac fundamentum Judicis *competentia.* Hinc scitum illud: in eo, qui jus alteri dicere conatur, non id solum requiritur, ut justa, sed & ut juste, id est: cum authoritate ac potestate publica in litigantes decernat. Primum præstare potest quilibet e cathedra JCtus: alterum non nisi Judex e tribunali aut e solio Princeps. Adde, quod indignum sit majestate Imperantium, Deo & Ecclesiis sive a se sive a majoribus altera manu donata, altera repetere & extorquere. Neque hic audiendus est Monzambanus, qui Satyrica prorsus impudentia in donationes & concessiones Ecclesiis factas invehitur, Augustissimos Fundatores ac Proceres Germaniæ tanquam bibulos perstringit, his verbis innuens eos ad Fundationes istas ex ea caussa permotos, quod *quantovis pretio redimendas judicarent purgatorii ustulationes, quas sitis alioquin & æstus impatiens natio miris modis formidabat Ita ille c. 3. §. 7.* Quanto melius ista & verius scripsisset de certo quodam Germanorum genere (non de piissimis Ecclesiarum Fundatoribus) qui calices ex Ecclesiis raptos in tabernas vinarias intulerunt, & certatim exhauserunt sitis & æstus impatientes: aut de iis Germanis, qui cum Hussitis conjurati calices in vexillis ædibusque depictos habebant, bella cruenta pro usu calicis in Cæna molientes, adeo ut tum volitaret versiculus ille in nationem sitis & æstus impatientem: *Prælia Germanos ducere pro calice.*

Hypothesis III. *Inter plures privilegiatos, ubi agitur de moderandis aut restringendis privilegiis, ordo servandus est, Deoque & Ecclesiis oblata non sunt involanda, nisi ultimo loco.* Sic vasa sacra & calices non conflamus, aut in usus profanos vertimus, nisi dura necessitate, quæ alia ratione nequit excuti, premente. Hic ordo si servaretur, Ecclesia clypeo septemplice obarmata foret contra omnes impetus ac tela, quæ a Salute reip. accersunt DD. Politici ut plurimum privilegiati. Nec enim paterentur facile per latus suum peti Ecclesiam, forte

forte tunc nacturam tot Patronos *immunitatis* suæ *realis*, quot nunc habet Adversarios. Sed de hoc uberius infra.

Hypothesis IV. *Necessitas reip. vera Clericos & jure naturæ & divino ad præstanda reip. subsidia astringit & obligat.* Salus enim reip. & Ecclesiæ ita est innexa & implicata, ut altera non consistat sine altera. Atque in hoc necessitatis aut discriminis præsentissimi casu revolvimur ad primævum naturæ statum, in quo æquales omnes, nihil meum aut tuum, nulla privilegia, exemptiones &c. Neque Principes hic agunt jure magistratus aut imperii in Clericos, sed utuntur facultate a natura concessa, qua perniciem reip. amoliuntur. Insurgit hic Recentior quidam novissime in hoc argumento versatus: *Sed quando adest ille casus necessitatis? nunquid tunc, cum omnia bona stabilia, subditis Laicalibus omnino evacuatis, ad corpora privilegiata fuerint translata?* ℟. Petimus ab Adversariis, ne crude adeo crassoque sensu hypotheses nostras accipiant; versamur in Themate morali. Temporum crisis, ut diversa, ita delicata est, nec patitur semper in periculis reip. exspectare momentum fatale & peremptorium. Neque hoc a nobis asseritur, sed Adversarii ideas in cerebro suo natas sibi effingunt, nobis affingunt. Quæ quantaque ad hoc necessitas requiratur, rei, loci, temporis, personarum ratio, periculi gravitas, difficultas recursus ad Pontificem melius decidet, quam ulla lex, regula aut canon, præsertim cum necessitas leges ferat & abroget; ipsa legem non habeat. Itaque gradum hujus necessitatis non expendimus ad stateram aurificis, sed populari trutina, sapientibus usitata, metimur.

Hypothesis V. *Bona stabilia, quæ devolvuntur ad Ecclesias, tributis atque oneribus antiquis, certa ac perpetua lege determinatis, manent subjecta.* Annectimus hanc cæteris hypothesin: non quod certa sit & inconcussa, cum a plurimis gravissimisque viris in dubium vocetur, sed quod eam hic tuto possimus supponere contra eos, qui bona Ecclesiarum novis etiam oneribus substernunt & immunitatem circa bona e Scholis & rep. penitus relegatam volunt. Cur autem hypothesin præmissam tueamur, atque ad systema amortizationis firmandum adoptemus, fuse non persequar. Præclare Wagnerek ex Innoc. in c. *non minus*: glossa in cap. *præsens*; & ibidem Joannes Andrea, Panorm. in c. 1. de censib. n 6. & 7. Sylvest. v. immunitas 1. q. 5. Angel. eodem verb n. 36. qui duo per onera realia diserte intelligunt tributa quævis a Principe sive Magistratu imposita & lege perpetua & invariabili determinata; recte, inquam, observat eos, qui bona recens parta ab Ecclesiis omnino eximunt ab iis, quæ realia dicuntur ac fundo affixa, oneribus, causam ipsius Ecclesiæ vulnerare, nec aliud præstare Clericis, e quibus corpus privilegiatum aut sacrum conflatur, nisi ut eorum privilegia Adversariorum dentibus misere discerpta invidia publica conflagrent. Hinc enim splendida illa Politicorum dicteria & aphorismi:

 Penes

Penes Clericos esse opes & nervum reip. onera penes Laicos. *Manus* Ecclesiarum in retinendo *mortuas*, in acquirendo *vivas &c.* Quidquid sit de opinione contraria, quæ gravibus omnino nititur fundamentis, certe Principes absterret a fundationibus piis aut faciendis aut approbandis, si videant sibi antiqua emolumenta, quibus ad tuendam remp. & majestatem indigent, per translationem bonorum ad Ecclesias præcerpi & fisco subduci. Itaque Ecclesia D. Ambrosii temporibus modeste suis usa privilegiis ultro solvebat illa tributa, quæ titulo protectionis ac defensionis Principes exigebant. Sic epistola inter Ambrosianas 32. de Valentiniano juniore ait: *Si tributum petit, non negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum. . . Solvimus, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

His sive postulatis sive hypothesibus præmissis restat, ut eorum, qui de justitia Legis amortizandi confligunt, argumenta delibemus; Utramque aciem tantisper intueamur cum erudito Lectore, sed extra teli jactum. Ac demum, quid ipsi hac de controversia sentiamus, paucis subnectamus.

Primas argumentandi partes deferimus D. D. Politicis Orthodoxis, quibuscum nobis hic res est. Hi jura Principum suorum contra hæc privilegia, ut ajunt, prætensa erudite, nec sine felle hinc inde propugnant, quorum rationes, sed in succinctam collectas epitomen, dabimus. Præ cæteris in hoc argumento insignis est Erudit. D. Glettle, qui Patri Cardenas Theologo Hispano opposuit Legis amortizationis anatomiam *Juridicam*, eique *ictus*, ut loquitur, incussurum se minatur. Pace Viri Clarissimi excipiam ictus quosdam pro sene optimo ac Theologo præstantissimo, ita tamen, ut nobis amicus sit Glettle, amicus Cardenas, magis amica veritas.

## §. III.

## Systema & argumenta faventium Legi amortizationis.

I. Illust. Claudius Fleyry in *Instit. Juris Eccles.* p. 2. c. 12. §. 5. in hunc sensum disserit: Bona Ecclesiastica maxima semper sollicitudine conservata, eaque adeo aucta sunt, ut pœne timendum esset, ne Ecclesia semper acquirens, nunquam alienans, omnium immobilium domina fieret. Respondent Canonistæ: Commendamus ipsi Zelum Adversariorum pro Principe & rep. modo caveant illud Poëtæ: *Fertilior seges est alienis semper in arvis.* Sed pertexamus telam: ergo Princeps juste inhibet translationem bonorum immobilium in Ecclesias. R. Omnino juste, *quoad rem*, non semper *quoad modum*. Principis sunt partes, ut, nequid detrimenti capiat resp. prospiciat. Sed expectamus vicissim ab humanitate Adversariorum (agimus cum Orthodoxis) ut fateantur, e Pontificis etiam officio esse, ne privilegia Ecclesiarum, quæ ipsius subsunt jurisdi-

risdictioni, resolvantur ac pereant. Sane Vir eruditissimus & scriptis Historicis Clariss. dum nobis fata immunitatis Ecclesiasticæ & vicissitudines in historia sua recenset, ipse nobis arma suggerit, quæ retorqueamus in hunc modum: Potestas politica ex stylo ævi recentioris semper Ecclesiis aliquid decerpens, nunquam novas fundans, omnium sensim Ecclesiarum domina fieret. Quid ad hoc Adversarii? Paciscamur. *Lex amortizationis justa est:* Addant: *cum Pontificis consensu;* Non erimus inviti. Quot familiæ tum illustres, tum privatæ acquirunt libere; acquisita nexu fideicommissi gentilitii, ut vocant, illigant; ne extra familiam alienari possint, sollicite cavent, non magnopere reluctantibus Adversariis? cur non & hic metuunt continuo, ne omnium immobilium fiant dominæ? Cur prima semper fulmina e cœlo Politico excutiuntur in Ecclesiam? Scilicet si pernicies reip. timetur, illius causa protinus *in Ecclesiam* refunditur. *Ecclesiæ* rationes domesticæ, fundi, census, redditus in catastra rediguntur, specificantur sigillatim, & ad apices dispunguntur. Cur eodem rigore mathematico, quo in Ecclesias, non utimur in familias etiam privatas?

II. Interest reip. multos fundos tributarios, censuales, & commercio humano expositos habere. Sed cum prædia sunt ad Ecclesias translata, fontes isti pecuniæ publicæ exarescunt. Addunt alii: Cavendum omnino Principi est: ne cum Chilperico Franciæ, Rege dicere necesse sit: *Ecce pauper remansit fiscus noster. Ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ: Soli Episcopi regnant.* Greg. Turon. l. 6. c. 46. R. Quam vera est major, tam falsa est minor ex Hypothesi VI. paulo ante deducta. *Agri Ecclesiæ solvunt tributum*: verissime diceret, si revivisceret Ambrosius; nihil itaque per facultatem emendi prædia decerpitur fisco. Chilperico opponimus Carolum M. Ludovicum Pium, ipsumque adeo Clodovæum, qui, dum novas quot annis exstruerent Ecclesias easque eximia liberalitate dotarent, quo plura erogarunt, eo plura in ærarium publicum affluere sensere, & Chilpericum, ut pietate ac liberalitate in Deum, ita opibus, victoriis, felicitate superarunt.

III. Potestas Ecclesiastica in materiam potestatis civilis involare non potest; ergo Principes Politici constitutiones canonicas, si quæ adversantur legi amortizationis, moderari ac tollere possunt, cum inde in remp. grave redundare incommodum per experientiam deprehendatur. Ita Recentior quidam, qui sub initium dissertationis, quam fatetur invito Clariss. Præside suo, summæ eruditionis & paris humanitatis Viro, publicæ luci datam, graphice causæ justitiam depicturus ait: *Principes eadem modestia, qua Hosius Cordubensis erga Constantinum M. negotiis Ecclesiasticis se ingerentem usus est, possunt reponere Pontifici: Tibi Deus Ecclesiam commisit, nobis, quæ sunt imperii temporalis, concredidit; neque fas est nobis potestatem Spiritualium habere; neque tu in terris imperium tenes.* R. Quia Vir Eruditus fatetur §. 4. Differt. se non esse primum, qui sua

sua ex aliis descripserit non ipsi, sed huic, quisquis est, Autori, e quo ista deprompsit, pauca regerimus. Juris Consulti Orthodoxi idea de iis, quæ Ecclesiam & Ecclesiasticos tangunt, hæc est: Inter supremam jurisdictionem Ecclesiasticam & Politicam hoc temperamentum esse adhibendum, ut Pontifex tueatur jura ac privilegia Ecclesiæ, ne obsint reip. Princeps vicissim ita studeat commodis reip., ne involet jura Ecclesiæ. Versamur in argumento, ubi concurrunt utilitas reip. & exemptio Ecclesiæ. Uter nostrum, Vir Erudite! melius philosophatur? tu: qui tanto strepitu soli Principi, inconsulto Pontifice, statutum amortizationis condendi facultatem asseris, an vero Theologi illi & Canonistæ, quorum si argumenta & sensum excutias, reipsa aliam non tuentur thesin, nisi hanc: *Statutum amortizationis valet, sed non sine consensu Pontificis saltem præsumpto*; cum lex ista involvat jurisdictionis tum sacræ, tum profanæ objectum, salutem scilicet reip. & immunitatem Ecclesiæ. Ecquid absurdi asserimus, si utriusque Judicis Politici & Ecclesiastici consensum requiramus, ne alteruter evagetur extra sphæram jurisdictionis suæ? Nec assequimur: cur Adversarius malit *stipitibus duris* agere nobiscum *sudibusque præustis*, quam rationibus, cum ait. *Deogratias, quod Adversarii nihil habeant, quod imperent Principibus.* Quid hoc ad Thema præsens? Viri Doctissimi, quos hic lacessis a nemine lacessitus, non imperant Principibus, sed nec blandiuntur. Serviunt veritati, non scenæ. Conantur utramque potestatem politicam & sacram conciliare, atque ad harmoniam reducere; quod longe felicius assequuntur, cum tribuunt Cæsari, quæ sunt, Cæsaris; quæ Pontificis Pontifici, quæ utriusque, utrique. Nihil hic attexo, nisi hoc unum: Adversarium cui Deus *nec imperium commisit, nec Ecclesiam*, rectius facturum fuisse, si modeste tacuisset, cumque, dum docet Impp. loqui, & insultat Lessio, Azorio, Scell, ipsisque adeo Pontificibus, & Clarissimum Glettle carpit, quod admittat immunitatem personalem Clericorum, ne statum quidem thematis assequi, dum sic arguit: *Si extrema necessitas foret, Belliduces vel nolentium Clericorum humeris bombardam imponerent.* Ex hoc conatur demonstrare Clericos jurisdictioni Principis subjectos. Egregia prorsus argumentandi methodus! Extrema necessitas omnia facit communia, omnes æquales: ipsis subditis jus tribuit Principem cogendi ad arma, eique bombardam imponendi: nunquid illatio: Ergo subditi in Principem habent jurisdictionem, est inconcinna? Non vidit Vir Eruditus eodem argumento, quo Principem supra Ecclesiasticos conatur evehere, se illum detrudere infra Laicos, imo subditos suos.

IV. Ecclesia neminem, ne privatum quidem dominum, voluit exuere jure suo in servum, ignorante domino minores Ordines suscipientem; *toto tit. de Servis ordinand.* Item *dist. 54. per totum*, ergo nec Principem voluit privare domino alto respectu bonorum immobilium. ℞. Admittimus totum. Non

Eccle-

Ecclesia dominio suo politico privat Principem. Sed eatenus privilegia sua tuetur, quatenus facultas emendi immobilia non resolvit nexum, symmetriam ac felicitatem reip. Adde, quod ipse Princeps ultro dominio suo eminenti in jura & bona Ecclesiarum se abdicarit, concedendo privilegium immunitatis realis; si tamen verum est, hoc privilegium unice a voluntate Principum fluxisse, & non altiori e fonte deduci. Si Adversarius nosset vibrare telum, sic dissereret: Servus privilegium libertatis nactus a Domino, non potest ab isto *sub prætextu utilitatis suæ* retrudi in servitutem; ergo nec Princeps Clericis donatam, ac toties ratam sancitamque immunitatem *sub specie utilitatis publicæ* retractare; neque enim servus manumissus sub Domini, nec Ecclesia sub Principis potestate porro existit.

V. Pontifex juste vetat, ne bona Ecclesiastica alienentur in Laicos, ergo ex æquo Princeps sæcularis, ne bona Laicorum in Ecclesias; neque enim minor est potestas Principis Politici circa bona sæcularia, quam Pontificis circa Ecclesiastica; adeoque quemadmodum requiritur consensus Pontificis, ut fundus desinat esse Ecclesiasticus, ita consensus Principis, ut fundus desinat esse Laicus. ℟. Si ad leges Dialecticæ formetur argumentum, longe aliud probat, quam velit Adversarius. Pontifex bona addicta Ecclesiis aliisque Corporibus piis vetat alienari in Laicos, ergo etiam Princeps bona addicta certo Corpori sæculari VG. Universitati, curiæ, mensæ Principis, coronæ &c. recte vetat alienari in Clericos & alios quoscunque. At vero Pontifex nullo modo vetat, ne singuli Clerici bona sua propria transferant in Laicos aut corpora profana. Ergo nec Princeps recte vetat, ne Laici bona propria transferant in Ecclesias aut Clericos. Et quemadmodum non requiritur consensus Pontificis, ut fundus Clerici desinat esse Ecclesiasticus; ita &c.

VI. Non patitur sibi arma extorqueri Adversarius: Princeps, inquit, Laicis duntaxat prohibet, nevendant Ecclesiis bona Laicalia; itaque *modo legitimo* fertur Lex amortizationis tum circa *personas*, tum circa *bona* Principi Politico subdita. Deinde fertur ex *causa legitima*, quia salus reip. hanc legem Principibus pæne invitis extorsit. ℟. Videntur hæc stylo jocante concepta ad faciendas Lectori delicias. Quo via obliqua & per anfractus istos tendatur, Judices volo Adversarios. Est, qui in domo tua jus habitationis ab antecessoribus tuis est nactus. Tu e re tua oeconomica & *salute domestica* existimas esse, ut illum bello, quod ajunt, modo e possessione juris sui excutias. Itaque servis tuis imperas, ne fores amplius homini aperiant ingressuro ædes, solennissima protestatione annexa, nequaquam te Sempronium turbare in usu juris sui, sed soli familiæ tuæ legem dicere; neque id agere, ut noceas Sempronio, sed ut consulas tibi tuisque. Quid reperias in hoc argumento præter Atticismum, splen-

ſplendida verba & abſtractiones ſeu formalitates metaphyſicas, quas foro politico exeſſe jubent, ac toties ſcholaſticis exprobrant Adverſarii?

VII. Princeps jure majeſtatis habet dominium eminens in fundos ſubditorum, ergo juſta ex cauſa prohibere poteſt, ne ad corpora privilegiata devolvantur. ℞. Diſt. conſq. Si juſto etiam modo id præſtet C. Si illegitime N. Adde ſolum conſenſum Pontificis ob privilegia Eccleſiarum, quæ ſemel conceſſa non ſubdito abrogari nequeunt. Sed merito deſideramus in Adverſariorum principiis nexum, quem vocant, ſyſtematicum. Vide, quo ſenſim nos provehant hypotheſes iſtæ, Lector Erudite! Pariter enim dicam: Dominium iſtud altum adeo tenacis eſt indolis perque omnes ſundi glebas ita ſe diffundit, ut juxta Adverſarios pleroſque bona ſtabilia non tranſeant ad Eccleſias, niſi cum hoc onere; fere ad eum modum, quo res quælibet tranſit cum onere hypothecæ, cenſus, feudi &c ergo Princeps juſta de cauſa etiam bona jam ante legem amortizationis parta poteſt eripere Eccleſiis. Dominium altum etiam in perſonas ſubditorum certis caſibus ſe extendit: itaque Princeps juſta de cauſa VG. ne deſint qui caſtra ſequantur &c. vetare poterit, ne quis ingrediatur religionem: atque adeo juſta de cauſa extrahere e clauſtris & addicere militiæ. Porro utrum *juſta* ſit *cauſa*, iterum ſolius Principis eſt cognoſcere; quid jam erit uſpiam vel in Eccleſiis vel in Eccleſiaſticis exemptum a jurisdictione ſæculari? Hoc argumentum in Syſtemate D. Glettle non facile ſolvitur, licet ipſe reponat: Diſcrimen eſſe in ipſa rei indole. Irreverentiam fore, ſi Laici judicent de Clericorum perſonis, non autem, ſi de eorum rebus. Hinc immunitatem *perſonalem* Clericorum concedit eſſe juris divini; non *realem*. Sed ſi Clericus intuitu bonorum rapi poteſt ad Judicem ſæcularem, vexari citatione, actione, executione, quid reſtat niſi ut, quo fruatur immunitate perſonali, abdicet ſe iis omnibus rebus, ſine quibus vita hæc miſerrime trahitur? Et ſic denique cum Diogene in domo verſatili de utraque fortuna triumphabit. Fatendum eſt, ſi uſquam, hic maxime a Canoniſtis diſſidere DD. Politicos: Illi enim bona Eccleſiarum eximunt a judiciis ſæcularibus ob prærogativam perſonæ, cujus ſunt acceſſoria; hi ipſas perſonas Eccleſiaſticas ſubſternunt poteſtati politicæ ob indolem bonorum, eo quod hæc ſint temporalia.

VIII. Quilibet vel privatus poteſt prohibere per diſpoſitionem fideicommiſſariam, ne bona alienentur extra familiam, etiam in Eccleſias; cur non Princeps, niſi cum miſeriorem faciamus ipſis privatis? Pluſne valet teſtamentum privati, quam lex Principis? Mirum in modum hic triumphat D. Glettle, ac ſi clava Herculis Patrem Cardenas obtriviſſet. Sed ℞. ſi argumentum penitius excutias, nihil eſt, quod terrearis. Peccat in methodum ſyllogiſticam, qui arguit a parte ad totum. Reſpublica vaſtum eſt corpus, in quo, ſi certa particularium perſonarum bona innectas vinculo fideicommiſſi, majoratus, Primogeni-

geniturae &c. salvum manet Ecclesiis jus ad caetera bona acquirenda, in quorum comparatione praedia fideicommissaria exigua ac poene nulla sunt; sed in nostro casu Princeps absolute & ad omnia bona emenda Ecclesiam reddit inhabilem. Itaque discrimen inter utrumque est tantum, quantum in eo, si quis te privatus excluderet a navigatione in sua piscina, Princeps vero a toto Oceano. Certe si omnes & singulae familiae privatae conspirarent in fideicommissa facienda, nec Princeps dissimularet forte, nec cives reliqui, neque cum his Ecclesiae. ℞. 2. Fideicommissa Jura tum civili tum canonico approbata scimus, adeoque adest consensus & Principum & Pontificum. Hunc si adversarii authentice exhibeant pro lege amortizationis, salva res est: canimus receptui. ℞. 3. Si ad subtiliorem anatomen revocemus argumentum, falsum est ipsum enthymematis antecedens. Autor fideicommissi non Titio, sed toti familiae donavit rem fideicommisso innexam. Quaero ex ipsis Adversariis, si tota familia omnesque ac singuli Agnati consentirent, utrum fideicommissum istud possit extra familiam alienari, donari &c. Annuent toto vertice: ob textum clarissimum L. 11 C. de fideicom. & autoritatem Doctorum omnium, quorum vix quisquam est, qui dissentiat. Infero: ergo etiam hoc casu poterit alienari in Ecclesiam ab eo, cui relicta est res fideicommissi nexu illigata; scilicet a tota familia. Itaque Autor fideicommissi nec vetat, nec forte vetare potest, ne is, cui donat vel transcribit fideicommissum, illud Deo vel causis piis consecratum velit: Haec enim conditio manifestam involveret impietatem, vi cujus Testator Christum in & cum Ecclesia sua scriberet exhaeredem.

IX. Ut fundus transferatur ad Ecclesiam, requiritur consensus ejus, ad quem pertinet jure proprietatis, ergo etiam consensus ejus, ad quem pertinet jure *Dominii alti*. Addit: virtute huius *Dominii alti* fiscus occupat bona civium; ex eodem fonte fluere jura praescripsionum, pignus legale, gabellas, collectas &c. ℞. Non est necesse, panegyrin texere huic dominio eminenti, cui ultro assurgimus tanquam juri e Majestate dimananti, neque hanc margaritam tam nobilem excutimus e coronis Principum. Quia tamen hypothesis nostra bona ad Ecclesias dovoluta non eximit a tributis antiquitus pendi solitis, adeoque ex iis praestatur Principi, quod vi *Dominii alti* solent exigere Principes, respondemus forte non inconcinne: Ut fundus transferatur in civem etiam infimae plebis non requiritur consensus Principum, ergo multo minus, ut transferatur in Ecclesiam quae gaudet jure civitatis. Adde quod consensus iste pridem sit concessus cum ipso jure civitatis; id quod eo magis fluit ex hypothesi Adversariorum illorum, qui Clericos ab oneribus publicis exemptos nolunt, & ad praestanda tributa obligant, *quia sunt membra reip.* Jam ubi agitur de favoribus annexis juri civitatis, de facultate emendi bona stabilia, cur non valet argumentum: *Sunt Membra reip.* ergo possunt acquirere & emere ut caeteri cives?

cives? At quoniam dominium altum dominio privatorum toties ab Adversariis confertur, imo splendidis verbis præfertur, utriusque indolem consideremus & analogiam. Dominus rei vendit, donat, pignori rem suam innectit. Rationem reddere jussus respondet: *quia sic placet*. Quis eandem in bona subditorum tribuit Principi potestatem e dominio alto derivatam nisi post Machiavellum Hobbesius? Quid? quod dominium altum ideo in Principem a civibus translatum est, ut conservetur suum privatis dominium, nisi aliud suaserit reip. necessitas. Verum est, Principem posse restringere dominium privati ex justa causa: sed ideo, quia est Principis *subditus*, quæ ratio non cadit in Ecclesiam, neque vim habet contra Ecclesiam, quominus ista facultatem emendi, qua tot sæculis ante legem amortizationis usa est, rite possessam præscriptamque libere queat exerere. Itaque ad argumentum ℞. Transmittimus totum. Hoc ipso enim quod Ecclesia consuetndine legitime præscripta tueatur jus acquirendi immobilia, adest consensus Principis *legalis* ac *juridicus*, ut loquimur, concessus longe ante, quam emergeret Statutum amortizationis, inter alias merces raras elegantes ac novas e Gallia ad vicinos transmissum.

X. Sic ergo quilibet subditus Principem posset exuere supremo suo dominio & potentia regia, quæ sine bonis stabilibus non consistit. Attexit & illud. Princeps habet jus conservandi supremum suum dominium & eminentiam regiam. ℞. Mirum hæc Patri Cardenas obiici a D. Glettle; perinde acsi P. Cardenas vel alius quisquam doceat, necessitatem publicam (veram intelligimus, non fucatam) posthabendam opibus & splendori Ecclesiarum; Privilegia Ecclesiæ vel cum pernicie reip. esse tuenda. Utitur scilicet Adversarius stratagemate Politico ad salvandam hypothesin suam & invidiam conflandam sententiæ nostræ, quæ duntaxat hoc negat: *e solo Principis nutu* pendere revocationem privilegiorum istorum: sed cum utriusque intersit, Principis & Pontificis, utriusque requirit consensum. Non abludit ab hoc aliud argumentum D. Glettle, quo Patrem Cardenas aggreditur: *Salus Eccelsiæ non exigit translationem bonorum stabilium.* Probat in hunc modum: *Saluti Ecclesiæ satis consulitur per hoc, quod Princeps teneatur dare licentiam*, si *advertit translationem bonorum stabilium in Ecclesiam esse necessariam.* Quid si P. Cardenas regerat: Saluti reip. satis consultum est per hoc, qood Pontifex teneatur dare consensum ad legem amortizationis, si advertat, translationem immobilium esse reip. noxiam, Ecclesiæ non necessariam? An vero potiori jure Magistratui politico jus convenit cognoscendi, quid necessarium Ecclesiæ, quid non; quam Pontifici, quid noxium reip. quid non?

XI. Sic arguit idem Clar. D. Glettle. Translatio bonorum stabilium in Ecclesiam est noxia reip. & non est necessaria Ecclesiæ, ergo lex statuens ne transferantur, evidenter non est iniqua. Hoc argumentum *magni se* ait *æstimare*,

*mare*, *nec videre*, *quid opponi possit.* ℞. hoc opponi posse: An sit noxia reip. cognoscere est Principis: an necessaria Ecclesiæ, Pontificis; ergo lex ista utriusque consensu ferenda est. Imo transmisso Antecedente fallit consequentia. Jus seu privilegium sive servitus rite concessa vel præscripta a Mævio tibi potest esse noxia & ipsi non necessaria, nec tamen sequitur: ergo actio violenta, qua turbas Mævium in juris sui usu, evidenter non est iniqua. Nec abs re Pontifici reservamus hujus necessitatis cognitionem, cum hodie, Ecclesias & Ecclesiasticos nimium esse divites, sit præsumptio *juris & de jure*, quæ non eliditur nisi per concursum creditorum.

XII. Versamur hic in materia privilegiorum. Jam vero certum est, privilegia Ecclesiis concessa ab Impp. nonnisi cum temperamento, *quamdiu & quatenus* non nocent reip Imo privilegium, ut fere omne pactum solenne ac publicum, non valet nisi *rebus sic stantibus*; mutata facie reip. per se ipsa resolvuntur ac cessant. Accedit, quod privilegium declarare ejusque sensum & amplitudinem evolvere sit ejusdem, cujus concedere. Itaque privilegia ista non tuentur Ecclesias contra privilegiantem; neque Pontificis fundant forum in causa temporali reip. contra Ecclesiam. ℟ Si licet Adversariis privilegia Ecclesiarum tot conditionibus innectere, quid obstat, quo minus dominium altum, quod nobis toties obtrudunt, dicamus non alio sensu accipiendum, *nisi quatenus non nocet Ecclesiæ?* Fatemur tamen Argumento inesse vim contra eos, quibus immunitas Ecclesiastica & jura inde fluentia non alium habent fontem, nisi liberalitatem Principum. Facilius evolvunt se hac difficultate, qui eam ex jure divino repetunt. Sed tamen in gratiam eorum, qui divinitatem hujus privilegii non adeo magni faciunt, ut illud e cœlo accersendum putent, respondemus (dato non concesso, immunitatem Ecclesiasticam unice deberi beneficio Principum politicorum) privilegia non subdito concessa indolem habere contractus, quem, si Princeps ineat, pro nutu suo & arbitrio resolvere nequit; sic videmus ipsos Adversarios esse plane Tullios in causa Principum suorum, cum agitur de eorum privilegiis labefactandis aut moderandis, quæ mordicus negant, Majestati Imperatoriæ ullo modo subesse aut revocari omnino posse. Citius Imperium Rom. sede sua dimoveris, quam hæc privilegia concusseris. Argumenta, quæ in materia substrata solent afferri v g. *Privilegia ista non potuisse concedi ab Imperatoribus in præjudicium Successorum & ipsius Imperii: non esse intelligenda, nisi salvo reip. nexu & systemate; ejusdem esse concedere & restringere privilegia: Status potentiores omnia ad se trahere, onera derivari in imbecilliores.* &c. &c. Hæc inquam & alia ludente calamo dissipant atque evertunt: *Ordines Imperii in iis, quæ privilegia tangunt, non venire nomine subditorum, sed paciscentium cum Imperatore; præscriptum esse, nec locum revocationi relinqui; nonnisi consensu Statuum & Imperii retractari hæc privilegia posse*, &c. Status Eccle-

 siasti-

siasticus, inquis, non est Status Imperii ℞. Veritas & justitia causæ non respicit Personas sed Jura personarum; nisi forte species facti mutetur, eo quod vacca Prætoris pauperiem fecerit.

XIII. Plane abhorret ab immunitatis nativa & primæva indole, ut cum tanta reip. jactura & Civium oppressorum damno sit redimenda. Nec apex ullus in sacris extat litteris: Ecclesiæ salutem exigere, ut Clerici pinguissima ad se trahant prædia: Nimiis enim opibus flos disciplinæ Ecclesiasticæ potius enervatur, & materies luxui subministratur. Et Monzamban. c. 3 § 7. *Nimia opulentia suffocat studium excolendæ pietatis potius, quam alit.* Et Burgold. in notit. Imper. p. 1. dis. 20. *Mater religio peperit divitias, sed filia devoravit matrem.* Alludit eodem Pfaffius in nöthigem unterricht von denen Religions-Strittigkeiten der Römischen und Protestantischen Kirchen. Ubi ait: Monstri simile esse: *Statum in Statu:* Ecclesiasticos quartam regni partem possidere, & opes in pompam ac *scelerum materiem* convertere; quos reditus, si penes Principem essent, suffecturos, ut *altero tanto majores copias* in aciem educere posset. Adde Conringium supra cæteros in hoc themate disertum in exercitationibus suis politicis de Majestatis civilis officio circa Sacra. Adde Stryckium Tom. 9. disp. 2. c. 5. ubi recenset immensas opes in Clerum congestas. Jacobus Angliæ Rex olim asseruit in Apologia, tertiam partem populi terræque regum esse Ecclesiæ. Venetiis Clerici annuorum redituum loco numerant ultra 150. myriades. In Galliis ad 82. milliones scutatorum Cleri reditus assurgunt. Quid in Germania? Præcinuit his omnibus Hussus, qui jam olim scripsit *timendum esse, ne, cum possessiones quotidie accrescant Clero, tota possessio regni Bohemici ad Clericos devolvatur, ut in Rheno contigit.* ℞. Nobis hic rem esse cum Adversariis Orthodoxis, quia tamen obstrepunt & ultro se huic certamini obtrudunt Puffendorffii, Conringii, Pfaffii & id genus alii Politici, qui Ecclesiam ad collegium quoddam seu tribum opificum pœne detrudunt; reponimus, non esse cur operam ludant in Principibus ad involanda bona Ecclesiæ accendendis; multo minus, cur Ecclesias & manus *mortuas* reip. oppressæ reas agant. Felix Ecclesia, si sub ultima hæc tempora tot inter strages bonorum sacrorum non magis infestas habuisset manus *vivas*, quam resp. *mortuas*. Fatetur Stryckius, Ecclesias Heterodoxorum eo versari in statu, ut jam sæcularisatio locum non habeat. Principes Orthodoxi longo usu & vicinorum exemplo didicere, causas reip. eversæ non residere in opibus Ecclesiæ: Post tot enim sæcularisationes fundorum ac redituum sacrorum salus reip. easdem, quas olim, adhuc hodiedum præstationes exigit ac tributa a subditis: illustri documento, divitias Ecclesiarum non refundere onera publica in cives. Advertunt ipsi, fuisse aliquando aurea illa tempora, quibus floreret resp. opibus afflueret ærarium, gererentur bella &c. & tamen eodem tempore Majores suos excitasse templa, novis Ecclesias

fias privilegiis ornaſſe, non de moderandis antiquis cogitaſſe. Suſpectas eſſe querelas illas, quibus ſi reſp. exhauſta eſt, fiſcus laborat, cives non ſufficiunt ad ſalutem reip. ſuſtentandam, cauſa continuo quæritur in Eccleſia, cum alibi & inveſtigari melius & reperiri certius poſſit. Addimus & illud in gratiam Conringii. Ipſi iſti Politici, qui ſalutem reip. in ore & calamo habent, cum ex eadem cauſa de ipſorum privilegiis temperandis agitur, chordam iſtam *ſcite* & ingenioſe jam intendere norunt pro re nata, jam remittere. Tum enim vero ſexcentæ ſuppetunt cauſæ, quibus retundant querelas iſtas: *per ipſorum privilegia premi remp. ac cæteros onerari.* Scilicet, inquiunt, *hanc eſſe naturam privilegii, ut alios aliis reddat inæquales, ſed hanc ipſam inæqualitatem eſſe reip. conſervatricem: male refundi in privilegia ſua cauſam ærarii exhauſti, alias eſſe rimas, quibus effluant opes publicæ.* &c. Hæc illi ſub roſa, qui tamen, cum aliter ſcribant, aliter loquantur, parum candidos in tuenda ſalute reip. ſe præſtant. Accedit, ſi ſalus reip. exigat, ut privilegia abrogentur, inter ipſos privilegiatos ordinem quendam eſſe, adeo, ut in illorum concurſu Eccleſia poſt cæteros omnes ultimo loco ſit oneranda, vel privilegiis exuenda. Hic ordo ſi ſervaretur, & Conringius cum ſuis cedere tantiſper cogeretur privilegio ſuo, forte nulla eſſet vel neceſſitas tanta, vel Salus reip. quæ Eccleſiæ privilegia vel delibaret ſaltem, nedum perfringeret. Haberet enim Eccleſiæ murum aheneum in cæteris minus privilegiatis, ad quem perrumpendum alio foret opus ariete, quam jactato illo: *Salus reip.*

Itaque ut preſſe ad ſingula reſpondeamus. Ad I. Negatur ſuppoſitum, quod canones ſacri luxum in Clero nutriant, aut Laicos exhauriant facultatibus; ſed ſi moderatio neceſſaria ſit & reſp. agit contra Clericos opum appetentiores, quam oporteat, adeat Pontificem, cum inter Orthodoxos inſtar axiomatis ſit: Judicem Laici eſſe Laicum; Clerici Clericum, utriuſque Deum. Monzamb. Burgold. & Pfaffius non ægre ferent, ſi eos remittamus ad apologum Aeſopi de vulpe, quæ amiſſo ſyrmate ſuam cæteris appendicem invidebat: Eccleſias enim Orthodoxas cuperent omnino ad eandem cum ſuis conditionem redigi: Certe Stryckius diſp. cit. candide ſcribit Eccleſiis ſuis novo Conſtantino opus eſſe, cujus auſpicio redditus illarum nova ſumant incrementa. Sed quia ex locis communibus Rhetorum contra nos argumentantur; *ex divitiis naſci luxum, everti religionem; opes idem eſſe Eccleſiis, quod ſponte naſcentia pelliceis* &c. *reponimus:* ſi ſerio ſcribant iſta, cur hæc ſponte naſcentia tam ſollicite transferre conantur in purpuram Principum ſuorum? Nonne ex omnibus omnium temporum hiſtoriis relucet, opes evertiſſe non ſolum monaſteria, ſed familias illuſtres, regna & Imperia ob luxum divitiarum comitem: an ideo Regibus & Impp. extorquendæ opes, materia luxus? Dices: *abuſus eſt moderandus, non uſus tollendus.* Facis nobiſcum. *At cur in foro Eccleſiaſtico non refrana-*

 *tur.*

*tur iste abusus & vitia ex opibus erumpentia?* ℞. Eandem ipsissimam esse rationem, quæ obstat, quominus Magistratus Politicus, licet ferro & igne armatus, in foro Politico omnes possit abusus succidere, sed quosdam tolerare tristi cogatur necessitate. Ad Stryckii & Hussi antithesin ℞. Ex immensa ista opum donatarum vi primo metimur pietatem Majorum nostrorum, quos tamen non legimus, ob id pauperiores decessisse. Deinde miramur, opes Ecclesiarum sub avita Religione tam divitum adeo repente diffluxisse post earum secessum a Pontifice & fide Romana, ut *novo* sit opus *Constantino*: adeoque falsum esse scomma illud: *Ecclesiarum & Clericorum saccos & loculos carere fundo*, quippe quem citius forte, quam vellent, inventum esse passim conqueruntur etiam dissidentes a Sacris nostris; ut patet ex ipsomet illo Stryckii loco cit. n. 21. *Et quamvis hodie pro dolor.* &c Et quorsum denique odiosa ista enumeratio bonorum ac redituum Ecclesiasticorum? ut doceant Principes Orthodoxos, Cleri opes esse ingentes, id quod isti non nesciunt. Hauriunt nec parce, nec raro ex his fontibus, sed cum consensu Pontificum, id consecuti, ut Gazophylacia Ecclesiarum pæne dixeris deposita reip.

Pfaffius, qui cum supercilio asserit opes sacras a Clericis in *scelerum materiam* converti, rem prorsus indignam facit ingenio & eruditione sua. Petimus a Viro Clar. ne mores Clericorum & Religiosorum metiatur ex vita illorum, qui excusso cucullo cum appendice secundi generis ad castra Heterodoxorum interdum transvolant, ne unquam ipsis desit & impunitas & *materies scelerum*. Siqui ex Clericis abutuntur opibus sacris ad *materiam scelerum*, an ideo innocentes involvendi cum improbis & omnibus extorquendæ opes in fundationibus assignatæ? Longe moderatius hanc in rem scribit D. Fröhreisen in Oratione *de misero Ecclesiæ suæ statu*. Putat omnino monasteria tempore reformationis fuisse retinenda, & vertenda in Prytanæa Ministrorum emeritorum, ut haberent receptum ac perfugium senectutis. Sed Pfaffius, Ss. Theologiæ Doctor, nil nisi Martem & milites spirat, & Imperatori repente sistit in campo *exercitum altero tanto* majorem e cerebro suo eductum, ex opibus Cleri & Ecclesiarum alendum. Huic Lector Erudite! si addas illas copias, quas teste Stryckio vol 9. Disp. 2 c. 5. n. 28. Simon Wolderus Ferdinando. I. Imp. in comitiis Augustanis e solis Ordinibus Mendicantibus ac Monachis conflavit, & ad *vicies centena millia* assurgere opinatus est, quid Germania desiderare posset ad terrorem Turcis & exteris omnibus incutiendum? præsertim si illum ipsum, qui præclaro invento ex bonis Ecclesiæ alimenta tanto exercitui providit, & inter alios titulos se scribit *Abbatem Laureacensem*, Clar. inquam *Pfaffium Monachis* daremus Ducem & Archistrategum? Non succensebit vir Clar. si allegoriam, cujus ipse prima suggessit, stamina, conemur pertexere. Deinde non advertit vir Eruditissimus, dum reditus Ecclesiarum fisco addicit, eodem se fulmine obterere

terere tot Ecclesias Cathedrales Heterodoxas, tot Episcopos in scamno transverso, tot Canonicos sine stola & Breviario. An hi minus sunt otiosi, quam nostros esse criminantur? Quo titulo illos eximet a fato communi cæterorum Clericorum, nisi forte dicat eos constituere *Congregationem de propaganda* & conservanda in posteris suis rep.?

XIV. Denique Adversarii eruditionis causa se in monumenta historica effundunt Statutum amortizationis viget in Hispania, Lusitania, Gallia, Italia & compluribus Germaniæ locis. Ipsi Principes Ecclesiastici & infulati vertices huic Legi & sententiæ subscribunt, ineluctabili justitiæ argumento aut certe præsumptione. Adeo vulnerata est ac prope deposita Canonistarum causa, ut in solius Theoriæ subtilitate consistat, a foro & praxi fere ubique recesserit. Aug. Imp. Leopoldus 1679. die 17. Nov. per Comitatum Tyrolensem publicari jussit Legem amortizationis. Carolus V. in Constit. Brabant., seu edicto perpetuo 19. Octobr. 1520. rationem affert Legis suæ: *Tantam bonorum tam feudalium, quam allodialium copiam ad Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, Conventus jam devolutam, ut subditi sui & Vasalli mulium graventur.* Affert etiam Clariss. Bœhm, ex Choppino diploma amortizationis a Ludovico Rege Galliæ datum Parisiis 1261. Thomassinus p. 3. l. 1. c. 35. ad epist. 39. Viti Viennensis Archiepiscopi ex Sirmundo scribit: Principibus accepta feruntur dona Ecclesiæ, quæ vel donarunt ipsi, vel ut *donare liceret, concesserunt.* Attexit ibidem formulam Regii privilegii, quibus Franciæ Monarchæ olim concedebant Ecclesiis donationes fieri. Refert hanc Marculph. l. 1. c. 12. & Greg. Turon. hist. l. 9. c. 42. Radegundis Regina, eodem teste affirmat se ex permissu Clotarii Monasterio donasse, & confirmatas donationes *per autoritates Domnorum Regum Chariberti, Guntrami, Chilperici & Sigeberti.* Nicephorus Phocas Orientis Imperator Legem amortizationis, ut jam advertimus, condidit. Sic etiam Emmanuel Comnenus statuit immobilia a se donata deinceps donari non posse nisi Senatoribus vel militiæ ducibus. Itaque ex consensu ipsius antiquitatis ac piissimorum Principum clare relucet justitia Legis amortizandi. ℟. paucis ad omnia: Scimus utique Adversarios, si exempla congesta rem decidunt, superiore loco pugnare, & rationibus nostris argumentisque coronas ac Tiaras opponere, ut *stateram veritatis* (loquor cum Domino Glettle) in partes suas inflectant. Norunt scilicet argumenta, quæ a factis Principum petuntur, solvi non posse, nisi detecto vertice. Sed ne sic quidem enervant eam, quam asserimus, Thesin. Principum ac Cæsarum facta, qua par est reverentia, prosequimur. Pro illis stat præsumptio justitiæ, ut ajunt Adversarii; addimus, præsumendum etiam de eorum pietate & observantia in sedem Romanam, quod Leges has tulerint eo, quo oportet modo. Non involamus in arcana status: neque negamus posse emergere casum necessitatis publicæ, ut Principes, dum systema

ſyſtema & nexum reip. ſibi commiſſæ cominus intuentur, clare ac liquido videant, ſaluti reip. neceſſarias eſſe id genus leges; neque ſane voluit unquam aut valuit Eccleſia ſibi aſſerere vel uſurpare privilegia, quæ reip. cladem accerſunt. Abſit ut Principes hic agere præter conſcientiam arbitremur; Eccleſiaſticos præſertim, quos Eccleſiam ejusque jura opprimere, atrox eſſet & nefaria calumnia. Nihil itaque exſculpunt ex his factis Adverſarii contra nos, qui non tam Legem amortizationis, quam ejus propugnandæ methodum excutimus. Thomaſſinum fruſtra rapiunt in partes ſuas; hic enim loco citato ex Legibus Bavaricis & Alemannicis, quæ c. 1. permittunt, ut quicunque volet, quæcunque volet, det Eccleſiæ: *Si quis dederit res ſuas ad Eccleſiam pro redemptione animæ ſuæ, . . . licentiam habeat: nullus eum prohibeat, non lex, non Dux, nec ulla perſona.* Præterea Reges iidem confirmant dona a ſe ipſis conceſſa; ſed ecqua permiſſione opus ad ipſa dona regia? Fuit ergo confirmatio iſta non neceſſitatis, ſed majoris autoritatis cauſa, ſive nova tutelæ regiæ promiſſio ad terrendos Adverſarios Cœnobiorum, qui jam tum *jus morticinii*, ut vocant, affectabant, undecunque pecunias ab Eccleſiis emungere ſoliti. Nicephori Legem revocavit Baſilius Porphyrogenneta; in eam refundens calamitates Imperii Græci his verbis: *Ex quo hæc lex obſervata, nullum penitus genus calamitatis defuit.* Ipſe Manuel Comnenus in aurea Bulla retractavit, quæ contra Eccleſias decreverat, ne fundos comparare poſſent. Baron. annal. ad 1148. Comneni tamen Lex omnino abluſit ac toto cœlo diverſa fuit a Lege amortizationis, quia ſolum reſpiciebat fundos ab Imperatore donatos, non autem omnia Laicorum prædia; quanquam Alexius Comnenus ejusdem Filius hanc ipſam Legem reſciderit. Denique, ut, quod res eſt, dicamus: Multi Principes tulerunt legem amortizationis: multi abrogarunt (ut docet ex Delbene Lacroix ſupra citatus) adeoque exempla exemplis e parallelo comparata ſe mutuo elidunt. Sed relinquamus iſta in medio, qui hic non diſceptamus, qua eatur, ſed qua eundum ſit, nec numeramus ſententias ac ſuffragia, ſed ponderamus.

## §. IV.

### Vindiciæ ſuccinctæ ac modeſtæ, quibus Theologi nonnulli & Canoniſtæ ſuam tuentur ſententiam.

Potiora hic delibavimus argumenta Politicorum, non omnia, cum nova quotidie tela procudantur. Videamus, quid hoc in argumento ſentiant Theologi, & quo pacto tela eorum retundant Adverſarii.

I. Exemptio Eccleſiarum licet non eſſet juris divini, tamen ab Impp. conceſſa, a Pontifice acceptata, conſenſu Principum & populorum corroborata revocari non poteſt. Ita P. Sœll. Reſpondet Recentior nonnemo: Quid tum? Admit-

*Admitto exemptionem Ecclesiasticam circa res jam acquisitas summe fundatam: An etiam Principes supremo suo dominio in reliquis Laicorum bonis radicato privabis?* Antilogiam involvit hoc assertum Adversarii. Ecclesia res jam acquisitas optimo jure retinet, ut fatetur, non obstante dominio alto Principis, cur non acquirit novas? Et si propter salutem reip. potest Princeps suo nutu impedire Ecclesiam, ne acquirat, cur non ob eandem repetere parta jam & acquisita? præsertim si bona Ecclesiastica ex indole sua & origine imbuta sunt *qualitate* illa pertinacissime inhærere solita dominii politici. Respondent alii: Facultatem emendi bona, esse quidem a Principibus concessam Ecclesiæ, sed reservato semper casu reip. periclitantis & nimio civium cæterorum præjudicio. Privilegium hoc, quod opprimit cives reliquos, esse *privilegium*, ne Ecclesiæ quidem utile, quæ soluto reip. nexu nec ipsa consistit, aut privilegiis suis fruitur; sed profecto qui ita disserunt, luctantur cum spectris & phantasmatis suis, non nobiscum, qui casum reip. periclitantis, oppressionem civium &c. nunquam invehere per privilegia Ecclesiarum conati sumus. Fatetur ipse Bœhmerus ad Claud. Fleury p. 2. c. 12. *Non invidenda esse bona Ecclesiis piisque corporibus, si modo limites modestiæ & pudoris observent.* Hoc ipsum est quod tuemur, privilegia sua Ecclesiæ modeste illis utenti non extorquenda. Si secus fiat, tribunal Pontificis omnibus patere.

II. Bulla cœnæ can. 15. excommunicationis fulmen vibrat in omnes, qui Ecclesiam sive directe sive indirecte gravant, & c. 1. de immunit. Eccles. diserte statuit: Laicos non habere potestatem *tam de acquirendis, quam de acquisitis* bonis Ecclesiarum. Respondent Adversarii Orthodoxi Politiores: se sacros venerari canones: Cæterum fidem omnem superare, quod Ecclesia immunitates suas aut velit extendere aut possit ad Politiam dissolvendam ac destruendam. Bullam cœnæ & c. cit. agere de casibus, quibus immunitas Ecclesiarum *positive* & data opera violatur, vexando Clericos, rapiendo ad tribunalia profana &c. non autem ideo fulminare anathemate Laicos, quod Clericos non patiantur esse omnipotentes, & opes reip. ad se rapere. Ecclesiarum esse, ut cives tenuiores erigat, non opprimat; opes congerant non sibi, sed pauperibus &c. Sed quis Canonistarum cogitat de Politia dissolvenda? aut quis sinistram in partem accipiat, si vicissim illos, qui nobis hæc objiciunt, nolint esse omnipotentes in juribus Ecclesiæ infringendis? Certe Clar. Glettle vel aliud egit, vel nihil, dum scribit: Pontificem illud: *de acquirendis bonis;* intellexisse, *de acquirendis legitimo modo*, id est: *cum consensu Principis Laici.* An hoc est assequi mentem Pontificis, qui profecto abs re bona acquirenda eximit a jurisdictione Laicorum si Laicis interim reliquit integrum, utrum velint Ecclesias admittere ad bona acquirenda nec ne? Hac enim ratione Laicis, quæ dextera extorsit, sinistra suggereret arma in Ecclesiam.

III. Princeps vetando, ne Ecclesia acquirat, extorquet illi privilegium a jure naturæ & gentium concessum, vi cujus acquirere concessum est civium infimo Rdet Doct. Glettle: Nihil per statutum amortizationis detrahi Ecclesiæ, quod ipsi est proprium sed tantum non communicari id, quod est alienum, idque intuitu salutis publicæ. At si Adversario in ea civitate, ubi civis esset & quidem eximius cum prærogativa, repente facultas adimeretur emendi immobilia, ut reliqui cives; aut ex testamento prædium opimum capiendi, an nihil sibi decerpi quereretur? Forsan & vela & verba verteret. Exsculperet undecunque demum subtilem quandam rationem, qua casum hunc inter exceptos a lege referret. Itaque plus habet hoc telum acuminis, quam soliditatis, & in se ipso infringitur. Ipse Peckius frigidam hanc solutionem respuit, quam fatetur *nec Felino, nec Friderico, neque Cassanæo, nec Bartolo &c. placuisse, nec sibi placere:* Addit: *quis Ecclesiæ nihil detrahi arbitretur, cui potestas acquirendi . . . & jus commune tot legibus quæsitum eripitur?* Indignum est, Viros doctissimos ludere in verbis ac distinctiunculis, quæ per scholas volitant, & ab ipsis fastidiuntur in foro Politico, hic tamen in materia gravissima arripiuntur instar clypei Hectorei contra Theologos.

IV. Concilium Trid. Sess. 25. de ref. c. 20. diserte asserit immunitatem Ecclesiasticam esse *juris divini.* Favent jura Canonica in c. *quia nonnulli* 1. c. *Clericis* 3. in 6. c *non minus* 4. & c. *adversus* 1. Clem. un. *de immunit.* c. *cum Laicis* 12. de rebus Eccl. alien. c. *noverit.* 49. de Sent. excom. c. *quanquam* 4. de censibus in 6. c. 1. X de censib. quod, ut notat Emmanuel Gonzalez, ex Conc. Guarmatiensi seu Wormatiensi desumptum est, & cujus, teste Baluzio autor est Carolus M. ex cujus capitularibus recensetur a Reginone l. 1. c. 24. c. 23. de jure Patron. ubi *Advocati & Vicedomini* prohibentur *ab Ecclesia Patronata exigere fodrum* (pabulum: Futter) *albergarias* (aller Herberg seu onus hospitii præbendi) & *regium*, quod Zypæus explicat de expensis militaribus ℞. Hic Adversarii scinduntur in diversa studia, aliis aliter sentientibus. Alii negant Ecclesiam quidquam statuere posse de bonis Laicorum; quibus opponimus: Cur ergo Princeps Politicus de privilegiis & juribus Ecclesiarum? Alii capitula citata ajunt non esse ad rem. Non enim per Legem amortizationis bona jam acquisita extorquentur Ecclesiis, de quo c. *quia Laicis* cit. nec imponuntur talliæ & collectæ. de quo c. *Clericis* c *non minus.* c. *quanquam.* c. *adversus*, nec immunitas Ecclesiastica in litem vocatur, de quo Clem. un. & c. *noverit* cit. Sed prohibetur, ne Ecclesia ditescat cum damno reip. Fatemur, non omnia, quæ a Canonistis hanc in rem citantur, capitula pari felicitate ad hanc hypothesin applicari posse. Sed Adversarii non declinant ex toto vim argumenti. Immunitas enim Ecclesiæ omnia jura, prærogativas & privilegia complectitur, & si Princeps solo suo nutu non potest res ab Ecclesiis jam partas revocare, cur possit

possit jura & privilegia, cum & hæc *in rebus nostris* esse censeantur? Ad authoritatem Tridentini reponit Recentior nonnemo: *nihil ibi definiri, sed solum Principibus commendari, quæ sunt juris Ecclesiastici.* At neque nos divinitatem immunitatis Ecclesiasticæ pro dogmate fidei venditamus; Sed clarissima Tridentini verba in rem nostram adducimus. Certe si Adversarius noster Vitringam ausus est contra Clerum orthodoxum citare, licebit nobis Patres Concilii Trid ex orbe Christiano universo confluentes, ut veritatis illustrissimæ testes, producere. Addit ibidem §. 2. l. b Clericos ex Testamento Veteri retinere sibi decimas Levitarum & exemptionem a jurisdictione profana: non autem illud Num. c. 18. v. 20. *In terra eorum nihil possidebitis.* Sed respondent Ecclesiastici. Ex quo Laici illam legem divinam pro *morali* & *universali* non agnoscunt, quæ extat Deut 12. v. 19. *Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore* & illam c. 14 n. 27. de *non epulando sine Levita*: non est mirum, si Clerici etiam putent expirasse illud præceptum Levitis datum *de nil possidendo* vel acquirendo. Et forte iidem Levitæ non habebant tot Condecimatores sæculares, necdum cognitis & per usum invectis sæcularisationibus, subdecimationibus, donis gratuitis & necessariis &c.

V. Clerici & Ecclesiæ per legem amortizationis detruduntur infra plebem ultimam; imo æquantur Mennonitis ac Judæis, quibus itidem interdictum est acquisitione immobilium. Quodsi præterea 2do cogitemus: Clericos ob forum exemptionis *cathedratica*, *Synodatica*, *charitativa* solvere Episcopo, & *tributa*, *tallias*, *vectigalia* Principi; non est cur Laici magnopere suam Ecclesiasticis immunitatem invideant, quæ insigni rerum conversione a Clericis ad Laicos sensim est devoluta. Rdent ad 1. Id omnino abhorrere a mente Principum, neque Clericos reddi æquales Judæis, sed Apostolis & nascentis Ecclesiæ Episcopis, qui re familiari tenues, virtutibus divites, animas Laicorum, non prædia quærebant; imitati Christum prædicantem non divitias sed paupertatem &c. Plus nervi haberet responsio ex Evangelio petita, nisi iidem Ecclesiastici, ad quos Politici concionem habent de Themate: *nequid nimis*: legissent non minus illud Apostoli: *Scio abundare*; quam id quod sequitur: *Scio & penuriam pati.* Lepidum est, quod iidem, qui Ecclesiasticis nihil deberi volunt, præter *competentiam* (beneficium decoctorum & miserabilium personarum, quæ facultatibus lapsæ *dimensum* quoddam, unde vivant, retinent) pro suis solliciti sint in tertiam & quartam generationem; Ecclesiarum vero Administratoribus, qui nihil sibi sed Deo acquirunt, pro regula œconomica obtrudant illud: *Nolite solliciti esse in crastinum.* Ad 2dum ajunt: non esse paradoxum, si is, qui plura diversi generis bona, feuda, beneficia &c. possidet, diversis dominis præstet pensiones ex beneficiis Episcopo, ex Patrimonialibus Principi. Hoc si Adversarii de antiquis duntaxat oneribus, Clericorum patrimonio jam olim impositis intelligant, non paucos erit, qui eorum subscribant sententiæ, reperire Canonistas.

 VI. Pos-

VI. Possum res meas vendere hæretico, Judæo, infami juxta illud D. Ambrosii l. 5. epist. 31. *Scribuntur testamenta templorum* (id est idolorum) *ministris: nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, soli ex omnibus Clerico jus commune clauditur.* Nec abludit S. Hieron. in ep. ad Nepotianum. *Pudet dicere; Sacerdotes idolorum & auriga & scorta hæreditates capiunt: Solis Clericis & Monachis hoc t moore prohibetur; non a persecutoribus, sed Principibus Christianis.* Rdent: tela ista ferri supra scopum. Statutum amortizationis non excludit Ecclesias a bonis omnibus ex hæreditate capiendis, sed a fundis solum ac stabilibus. 2do Forte aliam tum fuisse Ecclesiarum faciem, alios Clericos, alium usum bonorum Ecclesiasticorum. Hodie Ecclesias plerasque abundare opibus, adeo ut qui partes Clericorum hac in causa tuentur, non tam pro aris, quam focis decertare videantur Neque Principes solent negare diploma amortizationis, si constet monasteriis non esse provisum de *competentia.* Ita Anselmo in *Triboniano Belgico.* c. 87. §. 2. Addens, in expediendis literis amortizationum *jus morticinii* redimi solere *per censum perpetuum*, & bona amortizanda subiici *impositionibus, talliis, contributionibus, precariis; perinde acsi essent in potestate seculari.* Et tamen Adversarii contendunt Legem amortizationes nihil prorsus detrahere Ecclesiis? Itaque secunda responsione Lectoris arbitrio relicta contra primam Theologi hoc struunt argumentum.

VII. Ex Principiis iisdem fluit, & iisdem, quibus Lex amortizationis, nititur fundamentis Statutum aliud affine huic Legi, vi cujus Filii fam. religionem ingressuri prohibentur hæreditatem paternam (maxima saltem ex parte) inferre monasterio; hoc vero statutum ægre defendi potest, cum ab exhæredatione parum distet, atque in effectu perinde sit, an per Nov. 15. c. 3. §. 11. Filia, quæ meretrix est ac servit Veneri, exhæredetur, an vero quæ Vestalis est, & servit Deo. Rdent argumentum invidiosius proponi, quam par sit, ac sexcenties posse retorqueri: nam ab ipsis Canonistis approbantur statuta familiarum, quæ jubent filias illustres dote respective exigua (sive ad nuptias, sive ad religionem aspirent) contentas esse. Si valet statutum privati ob favorem familiæ privatæ, non valebit statutum Principis ob favorem reip.? ne scilicet opes familiarum ad Ecclesias confluant ac monasteria præsertim dotata. Dominium altum non ita affixum est fundis ac bonis stabilibus, quin penetret cistas ac mobilia potenti sua virtute afficiat. Interest reip. familias florere opibus; quod nonnullos jactura hæreditatis avocet ab ingressu religionis, id contingit per accidens. Et vero ipsa *legitima* inventum est ac partus Juris Civilis; cur igitur non queat a Principe Politico, quemadmodum concessa est, ita justa de causa restringi? Adverte Lector! seriem, nexum & catenam consequentiarum Interest reip. Laicos habere bona immobilia: interest reip. Laicos habere mobilia; Quid est hoc dicere, nisi: interest illos habere omnia? Interest

tereſt forte reip. ut etiam bona olim acquiſita revocentur ad Laicos, ut Clerici retrudantur ad ſtatum Laicalem aut militarem: nec tamen Adverſarii, Orthodoxi ſaltem, dogma hoc audent tueri: ergo Princeps ſine conſenſu Pontificis, vi dominii alti, poteſt Eccleſiaſtica bona ad fiſcum retrahere, perſonas Clericorum ad arma cogere extra caſum neceſſitatis extremæ. Certe ſi relegamus monumenta Eccleſiaſtica jam inde a temporibus Juliani Apoſtatæ, Mauritii &c. & in Gallia Chilperici, Philippi &c. in Anglia Wilhelmi Rufi, Henrici I. Eduardi I. & III Richardi II. ſub quo populus exemptus erat tributis, & ſoli Clerici molem onerum publicorum ſuſtinebant; Thomaſſin. p. 3. l. 1. c. 41. n. 15. invenimus Epiſcopos rapi ſolitos ad tribunalia profana, Religioſos a clauſtris ad militiam, acerbis exactionibus oppreſſas Eccleſias, ereptas ipſis per vim facultates & prædia &c. neque tamen colorem illum Politicum unquam defuiſſe, quem inducerent factis ſuis violatores Eccleſiarum: *Intereſt Reip.* Argumentum de filiarum illuſtrium legitima texturæ eſt ſubtilioris, quam ſolidioris. Revocemus illud ad formam. Si concipiatur his verbis: Statutum privati, quo Filiam ad nuptias convolantem jubet habere legitimam; eam vero, quæ ingreditur in religionem, excludit a legitima, non ſubſiſtit; ergo nec ſtatutum Magiſtratus &c. erit utrinque paritas, ſed quæ Adverſariis ad rem ſuam non facit. Legitimam quoad determinationem *quotæ* eſſe inventum juris Civilis, adeoque reſtringi illam poſſe juſta ex cauſa fatemur; ſed an juſta eſt cauſa; quia Filius aut Filia religionem ingreditur? Subſiſto.

## §. V.

## Theoria noſtra circa Problema hoc politico-Canonicum ſubnectitur.

Vidimus excuſſa utramque in partem argumenta, quæ ita retulimus, ut illa, præcipue politica, non obtundere, ſed etiam acuere conati ſimus. Ideam ſyſtematis noſtri paucis ſubteximus.

THEOREMA I. *Eccleſia gaudet jure civitatis.* Poteſtne modeſtior eſſe ac verecundior petitio, qua Eccleſia a Principibus Chriſtianis exſpectat, ne infra Anabaptiſtas & Synagogas deturbetur? Theorematis inſtar aſſumimus, quod Viri politiſſimi non negabunt, niſi cauſam communem cum Sarpiis, Paulis Venetis, &c. qui jura Principum tueri ſe non poſſe credebant, niſi ſententiam ſuam extruerent in ruinis immunitatis Eccleſiaſticæ, quam ad ipſa fundamenta conabantur demoliri. Poteſt itaque Eccleſia emere & acquirere, ut cives reliqui. At, inquis, Eccleſiaſtici rapiunt ad ſe omnia immobilia: abutuntur hoc jure civitatis: ſub prætextu ſplendido: augeri cultum divinum, & ſacra Chriſtiana ornari; ſubrepit *Auri ſacra fames.* R. Peſſime fieri. Sed an

 ideo

ideo Ecclesia jure civitatis cadit? Quam multa sub prætextu reip. conservandæ subrepunt? an idcirco jura & regalia Principum e rep. releganda? Administratores Ecclesiarum conantur pro viribus tueri, augere & ornare res Ecclesiæ sibi commissas. Præclarum hoc putant in privato etiam Patrefamilias, qui se suosque curat; in Ecclesiæ Curatore scelus est. In quo magis triumphat auri sacra fames? an in eo, qui videt & invidet suas Ecclesiis opes? an vero in illo, qui partes explet Oeconomi fidi ac Tutoris? At vero ista diligentia reip. ac Principi damnum affert? ℟. Coerceatur itaque. Sed a quo? Duobus modis id assequi se posse videbant DD. Politici. Primo *per viam jurisdictionis*, ut ipse Princeps legem ferret contra Ecclesias, qua *directe & positive* excluderentur ab emendis immobilibus. At vero vis aperta fuisset & usurpatio jurisdictionis sacræ, mille fulminibus anathematum pridem obtrita. *Secundo per viam actionis ac judicii*, ut sententia Pontificia restringeretur facultas emendi. Sed non videbatur consultum, rem istam statui Politico intime innexam Pontificis arbitrio committere, quippe Ecclesiis forte plus æquo faventis. Et præterea in causis adeo criticis plerumque difficilis est recursus Romam. Quid restabat? Rem ingeniose adorti sunt *per viam retentionis*, qua brevius ac felicius conservaret Princeps bona sub jurisdictione sua & Dominio alto; vetando per legem amortizationis, ne a Laicis alienentur immobilia extra remp. in Ecclesias. Atque ita bellissimo modo effectum est, ut non esset necesse, actione persequi ac repetere bona in Ecclesias jam translata & clypeum sumere post vulnera. Deinde incommoda & partes Actoris hoc artificio in Ecclesiarum Administratores exonerabant: ac denique tam scite ac dextere facultate acquirendi stabilia exuebatur Ecclesia, ut, tametsi fieret victima *salutis publicæ*, conqueri tamen non posset, se lædi, nisi *indirecte & per accidens*. Subtilis hæc est & elegans defendendæ legis amortizandi methodus, quæ, nisi aliud lateret strategema Politicum, prorsus nos raperet in sententiam Adversariorum. Utique enim *jus retentionis*, quod privato conceditur, Principi negare ineptum est atque exoticum. At quoniam privatus *jure retentionis* se diutius tueri nequit, quam usque ad *definitivam* Judicis, quo jubente rem jure retentionis sibi assertam restituere cogitur; Adversarii vero causæ hujus cognitionem ad Pontificem devolvi nolunt, cui in causis temporalibus exceptionem *incompetentiæ* contendunt obstare; ænigma non est adeo involutum, ut Oedipum desideret. Quippe jus agendi Ecclesiis præripitur, ac reipsa & in effectu Lex amortizationis non habet solam indolem justæ retentionis; sed nullo juris subsidio relicto Ecclesias privilegiis suis excussas Principis judicio substernit.

THEOREMA II. *Ipsi Adversarii cum D. Glettle bona Ecclesiis perfecte acquisita concedunt subesse jurisdictioni Pontificis.* Ita Autor iste pluribus in locis. Addimus etiam jura Ecclesiarum ad idem forum referenda cum nullum inter bona & jura Ecclesiarum discrimen quoad fori privilegium reluceat. *Quæ sunt*

illa

*illa jura? inquis. Ecclesia non habet jus ad reip. damna & perniciem.* ℟. Dumne Adversarii impetu prævertant rationem ac leges modestæ criseos, plus dabimus, quam ipsi petant. Immunitas *realis*, ajunt, & privilegia Ecclesiarum involvunt conditionem: *nisi redundent in perniciem reip.* Addimus: Etiam immunitas *personalis* in causis non civilibus solum, sed etiam criminalibus annexam habet conditionem, *nisi vergat in exitium reip.* Itaque si exigat reip. necessitas, non sola ista facultas acquirendi bona stabilia, sed cætera quoque privilegia restringantur, suspendantur, accommodentur locis, personis, temporibus, quando, quoties & quatenus reip. ruinam & interitum struunt. Non reluctamur; modo id fiat servato juris ordine & fori prærogativa, quam Clericis concedunt in *personalibus & criminalibus* · negant in *realibus* ob dominium scilicet altum; perinde ac si minus noceat reip. sacræ & politicæ, Clericum committere furta & rapinas; quam Ecclesiam emere fundum Tusculanum aut Cornelianum.

THEOREMA III. *Pontifex indirecte saltem judicare potest de causis temporalibus reip. dum id exigit gubernatio Ecclesiæ.* Hoc ipsum in crisi est; ais & quo demum argumento probatur? ℟. Vestro, Viri Clarissimi! qui Clericos obstringi vultis LL. civilibus, ubi versatur damnum reip. idque ideo *quia sunt membra reip.* cur non Laici obstringantur LL. Canonicis in causis tangentibus Ecclesiam, cum Laici sint membra Ecclesiæ? Clar. Glettle fuse contra P. Cardenas probat, *Pontificem in ferendis legibus ac decretis suis non esse infallibilem: Clementem V. de facto errasse, cum declaravit: Imperium Germanicum esse feudum Pontificis &c.* Anceps nobis thema obtrudit vir Eruditissimus, in quo nec loqui licet, quin offendas remp. nec silere, quin deseras causam Ecclesiæ. Lubrica res ac delicata, τὸ Κύριον seu summum in utroque foro imperium, jus Majestaticum ac supremæ jurisdictionis apex. Norunt viri Sapientiss. & in omni jure apprime versati, quibus, quamque subtilibus elateriis rotetur hinc inde vasta hæc machina politiæ tum sacræ tum profanæ. Nec Princeps in negotiis reip. Pontificem, nec iste in causis temporalibus Ecclesiæ illum recognoscit Superiorem. Sed salva res est. *Pontifex non est infallibilis in decisionibus suis.* Nec Princeps est nec ullum forte Dicasterium supremum, cui non interdum labes erroris vel etiam injustitiæ aspergatur. An ideo Princeps continuo excutiendus e clavo, aut illi jurisdictio neganda? Princeps indirecte multa potest in Ecclesiam, juxta Politicos; cur Pontifex nihil in remp.? Demus itaque Pontifici, quod Adversarii Principi: cujus errores tegunt & involvunt purpura; non autem ideo, quod non sit infallibilis aut lancem Themidis nonnihil in obliquum flecti contingat, potestate ferendi leges & judicandi excidisse dicunt. Si candide sunt orthodoxi, de quo nefas dubitare, statuent nobiscum tripartitum rerum ordinem & classes, in quarum prima Deus & Ecclesia; in secunda resp.

resp. in tertia jura privatorum. Sed Lector Erudite! quam belle ordo hic invertitur: cum Adversarii dicunt: Interest *reip.* (Ecce cui fastigium summum deferunt DD. Politici) ut floreant familiæ *privatæ*: en secundus locus: ergo *Ecclesia* non potest capere legitimas, bona stabilia. &c. Vides quo detrudunt Ecclesiam? De Clementis V. declaratione quid sentiendum, respondebit Defendens interrogatus, quin peccet in LL. & Constitutiones Imperiales.

Hic vero undique telis Adversariorum obrui me video. Sic, ajunt Pontifex indirecte de causis Principum ac reip. judicabit: usurpabit regalia politica cum præjudicio tum Principis, tum civium: asseret sibi jus quoddam theandricum, quo divina humanaque omnia absorbentur. ℞. Adversarii docent, Principem posse tueri jura reip. *licet indirecte aliquid patiatur Ecclesia*; id enim non intendere Principem; sed solam reip. salutem, adeoque non involare in jura Pontificis. Itaque ex Methodo & hypothesi Adversariorum fluit responsio nostra: Pontificem cum, tuetur jura Ecclesiæ, nil peccare in remp. *licet hæc per indirectum nonnihil gravetur.* Neque enim ea Pontificis mens est, ut gravet remp. sed ut defendat Ecclesiam: nec idcirco sese facit *Regem Regum*, aut *Dominum Dominantium.* Hoc genus argumenti si minus probetur Adversariis, ex ipsorum fontibus haustum esse sciant. Porro dum Adversarii triumphant in Dominio illo eminenti ac Politico (quod tamen ipsimet fatentur, nec *utile* esse nec *directum*) dum *Salus reip.* ubique in subsidium accersitur, dum ad omnem nubeculam timent, ne ruat cælum politicum, suis principiis viam sternunt planam ac facilem ad jurisdictionis sacræ & profanæ perturbationem. Si enim sufficit dicere. *Interest reip. Salus reip. exigit* &c. vereor, ne si intersit reip. nihil fere sit, quod Potestati politicæ non liceat in Ecclesiam & personas Ecclesiasticas; præsertim si valeat illud: Ecclesiam inde gravari nonnisi *indirecte*: *per accidens*: *præter mentem* Imperantium. Clericos onerari *non ut Clericos sed ut membra reip.* &c. Quantulum abest, ut dicant Clericos posse a Judice sæculari rapi ad triremes & furcas, non *ut Clericos*, sed ut *maleficos & fures?* Quo demum recidet immunitas Ecclesiastica, si Magistratus politicus *justa de causa, cujus cognitio ipsi soli relinquitur*, possit leges & statuta condere circa jura & Privilegia Ecclesiæ? Quid est tandem ipsa fundamenta quatere immunitatis Ecclesiasticæ, si hoc non est? Qui igitur sine fuco & assentatione rem pertractant in hanc sententiam scribunt. Dominium eminens, a quo colorem causæ quærunt Adversarii, nihil est nisi potestas Principis disponendi de personis ac juribus bonis civium exigente reip. necessitate, quam a populo in Principem circa prima rerumpubl. incunabula transfusam esse scimus. Sed populus potestatem circa personas, bona & jura Ecclesiarum nullam unquam habuit nullam transtulit in Principes, quos Ecclesia veneratur Advocatos ac Protectores, non Judices & Autocratores.

Non

Non ſine ſtomacho percontantur a nobis Adverſarii: cur ad Pontificem ſas Eccleſiæ etiam temporales deferendas putemus; ℞. Ex Stryckio ſupra ani- dverſum eſt, intereos, qui ſe jurisdictione Pontificis ſolutos contendunt, jam ubi cogitari cæptum de reſuſcitando a mortuis Conſtantino M. ad opes & ju- Eccleſiarum reparanda. Atqui norunt ipſi Adverſarii, non temere exſpe- ıda eſſe miracula, hoc præſertim ævo. Itaque non ferent ægre ſi deſpotis- m ſæcularem amoliri ab Eccleſiis pro viribus conemur; quemadmodum ipſi igne ferunt, ſi Eccleſiaſtici imperioſe ſeſe ingerant in res politicas. Ut vera am fiat, non eſſe cur merito Pontificis circa cauſas Eccleſiaſticas judicium de- :tent Adverſarii, pauca delibo ex Thomaſſino. S. Pius V. ad neceſſitatem ni Gallici conceſſit Carolo IX. alienare fundos Eccleſiaſticos ad 15000. libras itu annuo aſſurgentes. Gregorius XIII. conſenſit in diſtrahenda prædia Ec- iaſtica millionem librarum æquantia. Henrico III. Sixtus V. permiſit vendi- ıem fundorum Eccleſiaſticorum ad 100000. philippæos reditus annui, licet rus jam eo anno contuliſſet auri millionem & amplius. Quid Eccleſiæ & Ec- iaſtici ad utilitatem reip. præſtiterint ſubſidii his noſtris temporibus per dona tuita tum in Gallia & Hiſpania, tum in Auſtria & Italia, extant illuſtriora umenta, quam ut Adverſarii lamentari poſſint, onera reip. ſolis incumbere cis. Neque negabit Pontifex premente reip. neceſſitate ea præſidia e bonis :leſiæ inferioris, quæ contulit e gazophylacio Eccleſiæ Romanæ. Refert tor Theatri Europæi ad annum 1683. 7. Aug. Innocentium XI. Imperatori miſiſſe 300000. coronatos; addita ampliſſima facultate ex ipſis templis vaſa :a & cimelia ad uſum belli Turcici in monetas conflandi.

Atque hac in re nihil tuemur novum aut Imperio inuſitatum. Nam in ıitiis Auguſt. 1500. Wer die Steuer der Geiſtlichen einbringen ſolle & §. ß man mit dem Pabſt handlen ſolle. Item in Receſſu Spir. an. 1544. So llen wir bey der Päbſtlichen Heiligkeit ꝛc. Pontifex in conſortium negotii atus eſt, ubi de bonis aut juribus Eccleſiarum, collectis &c. agebatur. Vi- ıtur itaque Ordines Imperii ita ſenſiſſe, in cauſis Eccleſiarum & Clericorum ıtificis adhibendum conſenſum, iidemque dicuntur etiam alias in ejusmodi ;otiis Nuntios Apoſtolicos perſæpe adſciſcere comitiis.

Adverto denique in methodo, qua ex Adverſariis nonnulli ſuum dogma ntur, pro argumentis obtrudi paralogiſmos. Hoc robur, hic nervus eſt ſen- tiæ oppoſitæ: *Nocet reip. ſi paſſim devolvantur bona ſtabilia ad manus mortuas,* o Princeps poteſt *ſolus & unicus* pro nutu ſuo, ſi juſtam ſibi cauſam habere vi- ıtur, Eccleſiis adimere facultatem acquirendi ſtabilia. Claudicat conſequen- : Inferent enim qui nobiſcum ſentiunt: *Non expedit Eccleſiæ, ut poteſtas poli- ı ſibi vendicet imperium in jura Eccleſiæ:* ergo *non ſolus Princeps* &c. Candide o: cætera, quæ afferunt Adverſarii ad Thema ſuum confirmandum, colores

esse & parerga, ad ornandum illorum systema & expoliendum: non illustrandum aut corroborandum. Clarissim. Glettle, quo præstat, styli acumine & elegantia plus videtur efficere, quam rerum momentis & pondere argumentorum. Patrem Cardenas ejusque argumentum ex Trid. sess. 20. de refor. petitum pro immunitate Ecclesiastica tuenda, *sola indignatione*, ut ait, refutat. At nisi vehementer erro, hic modus refutandi est præter methodum. Magisne peccat, qui Ecclesiis bona extorquet, quam qui jura & privilegia deterit atque imminuit? Prius ipse D Glettle ultro fatetur. Jussus dare disparitatem inter hæc duo: Sola indignatione & supercilio vim argumenti dissolvit. Ipse D. Glettle concedit immunitatem *personalem* Clericorum esse juris divini; & attexit rationem: *Indecens foret, & contra eminentiam status, ad tribunalia trahi illos, a quibus Principes efficiuntur Christiani . . . quia reverentia divino cultui debita, decor Hierarchiæ Ecclesiasticæ exigebat, ut homines ad cultum divinum specialiter deputati jurisdictioni ordinis inferioris non subjacerent. Hæc ratio fundis Ecclesiasticis non suffragatur.* Sed an interest, utrum Clericus ratione *delicti*, an ratione *fundi* rapiatur ad tribunal ordinis inferioris? In quem utrobique citatio, sententia & molestia litis universæ redundat, nisi in personam? Sed Vir eruditissimus alibi quoque idem sibi permittit. Nam in *Anatomia juridica Amort.* q. 12. sub finem fesso jam, ut opinor, calamo sibimet objicit: *Clericus in criminalibus gaudet privilegio fori: ergo etiam, si delinquat in officio sæculari.* Concesso antecedente negat consequentiam. Subnectit rationem; *quia esset contra eminentiam Status Ecclesiastici, homines superioris ordinis puniri ab hominibus inferioris ordinis. Hæc ratio cessat in casu, quo Clericus delinquit in officio sæculari.* Sed obsecro Vir. Clar! cur cessat? respondet: *Tantum abest, ut Status Ecclesiasticus maculam contrahat per hoc, quod puniatur a Principe Sæculari, ut potius lucem ingentem inde accipiat.* Belle omnino ad genium Politices recentioris! Sed hanc responsionem, quæ nihil admodum habet in recessu, sicut D. Glettle Theologum tantum sola indignatione, sic Pater Cardenas solo risu merito refutaverit, qui a JCto tanto non argutias expectavit, sed argumenta. Quærimus ex Viro Doctissimo, qui solam exemptionem Clericorum *in criminalibus* juris divini esse asserit: Ubi vel apex in jure divino extat, qui exemptionem Clericorum restringat ad carceres & patibula?

Nec dubito, Lectorem Eruditum ex utriusque partis rationibus facili conjectura assequi, Adversarios æquo longius provehi; Ita ut, si vel unum passum promoveant, ruant in hypotheses parum orthodoxas, & concedere cogantur id, quod ipsi tanquam durum & asystaton seu inconnexum agnoscunt. Asserunt Magistratum politicum jure prohibere, ne immobilia acquirat Ecclesia; ne legitimam etiam in pecunia numerata consistentem inferant monasteriis filii aut filiæ &c Quidni Magistratus idem vetare queat, ne omnino quidquam sive mobilium sive immobilium donatione, legatis, testamento transcribi possit

Eccle-

Ecclesiis? atque ita sub eleganti prætextu: *nihil Ecclesiæ detrahi, sed tantum aliena non tribui*; Ecclesiam denique reddent intestabilem non minus, ac Synagogas olim & collegia Judæorum per L. 1. C. de Jud. & Cælicolis.

Quid vero si Ecclesia præstet se humaniorem & æquiorem reip. quam hæc illi? id vero ut pateat illustrius, subnecto casum: Mævius, Vir amplissimæ dignitatis, filiam habet aspirantem ad monasterium. Potestne Filia inferre secum legitimam saltem 1000. florenorum? Respondet Mævius prærupte: Non potest. Paulo post Mævius idem hæreditatem lautam & opimam cognati Ecclesiastici, assurgentem ad 10000. flor. ex testamento petit. An jure? quis dubitat? inquit cum stomacho. Sed an æquum est hæreditates posse efferri ex Ecclesia, non inferri? Fratres ditari, sorores dotari ex reditibus Ecclesiarum, non invito Magistratu Politico; contra vero legata pia, imo ipsas legitimas, cum ab Ecclesia petuntur, non concedi sine Falcidia, eaque nova prorsus ac singulari; cum quarta, quæ detrahitur, persæpe superet totum, quod præstatur? Nonne hoc casu habet Ecclesia, cur placide queratur, experiri se quoque *manus mortuas*, quæ accipiunt quidvis, reddunt nihil?

Vides, Lector Erudite! ex iis, quæ disseruimus, aliud nihil nos tueri, nisi I. Ecclesiam jus habere ad emenda immobilia, quale & quantum cæteri cives ac Viri honorati. II. Si Ecclesia fines privilegii hujus excedat, Principem jure agere apud Pontificem, ut usum privilegii hujus moderetur. III. Legem amortizationis, prout vim habet *justæ retentionis* ac *defensionis necessariæ*, ne resp. nimium enervetur, a nobis non carpi; dummodo IV. causæ totius (si non sit liquida) cognitio ac decisio ultimata reservetur Pontifici, ne nimium inde in Ecclesiam redundet præjudicium. Argumenta DD. Politicorum qua ratione in systemate nostro solvantur, alias videbimus. Quæ assertiones utrum satis modestæ sint ac veritati respondeant, audemus compromittere in ipsos Adversarios, præter eos, qui Ecclesiam faciunt rei politicæ, tanquam reginæ, ancillam seu pedissequam honorariam.

Triumphat igitur causa DD. Politicorum, inquis: quia Lex amortizationis pro solis subditis Laicis sancita est, adeoque justissima; nihilque involvit præter justam defensionem contra Ecclesiasticos possessionem immobilium passim involantes. ℟. Triumphat, sed parta necdum victoria. Quæritur: *an Lex Amortizationis sit justa* non solum *relate ad subditos* Principis, sed vel maxime *ad Ecclesiam*, quæ indirecte saltem se hoc fulmine politico queritur afflatam. At prorsus aliud est: subditos Laicos juste huic Legi parere; aliud Legem ipsam esse justam. Dictum est Theologicum: sæpe subditum bene obtemperare, licet Magistratus imperet male. Itaque an Lex amortizationis sit justa *absolute* & in *perpetuum*, tantisper in suspenso est, donec ex decisione Pontificis evadat liquida & Legis & causæ justitia.

 Syste

Systema hoc saltem, ais, Principis conditionem duram admodum reddit ac difficilem. Non est e majestate Principis, ad singula Romam recurrere, atque inde oracula expectare; cum agitur *de causis* executivis, semper brachium Judicis Ecclesiastici implorare &c. unde gubernatio rei politicæ tricis ac difficultatibus sexcentis implicatur atque involvitur. ℟. Ne hoc quidem a nobis asseritur, Principem qui nec a Ministris suis ad singulos apices negotiorum ad se recurri jubet, servilem in modum obstringi ad consulendum ubique Pontificem; quin pro re nata & in casibus subito emergentibus m[illegible]o *præsumat* consensum Ecclesiæ; quæ utique eadem, imo majori moderatione ac suavitate utitur in Principem, quam Princeps in privatos ac subditos. Addunt aliqui: Si causarum hujusmodi cognitio reservanda esset Pontifici, semper necesse erit Nuntios ac veredarios habere in procinctu, qui Romam advolent. ℟. Mira res: Mercurios ac Pegasos nunquam deesse, qui in favoribus Roma expetendis tanta celeritate Alpes transvolant, hic tamen in materia justitiæ illos claudicare repente ac lenta trahere vestigia. Objectiunculas alias id genus & scommata omitto; quod plerumque multum habeant fellis, salis parum, sapientiæ nihil. Leges civiles & Imperiales, præcipue Diploma Caroli IV. anno 1359. ubi diserte *impia* vocantur *ordinationes*, quibus vetatur, ne *bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur: Auth. C. Ingressi: de* §. *Ecclesiis L. 56.* §. *1. C. de Episc.* sciens ac volens prætereo. Quidquid enim facit pro Ecclesia, Adversariis vel subreptitium est vel suppostitium vel ad nutum versatile ac revocabile. Quod an verum sit, ubi privilegium concessum est non subdito, viderint Adversarii.

Atque in hac idea, quam de *Amortizatione* concepimus, evanescunt forsitan pleræque difficultates & vis argumentorum quorum ingenti mole obteri nos putant Adversarii, elanguescit & infringitur. Primum est: *Sine consensu Pontificis non possunt alienari bona Ecclesiæ in Laicos*: ergo *nec sine consensu Principis bona Laicorum in Ecclesias.* ℟. Demus totum. Nec asserimus nec negamus, Lege amortizationis obligari subditos, ut *sine consensu Principis* non possint bona stabilia vendere Ecclesiis; tum, quia subditi non est, irrumpere in adyta sacra Principis sui, arcana status Politici & Diphtheram Jovis, quod ajunt, excutere curiosius; tum quia Princeps, ut privatus quilibet, quod *actione petere*, id a fortiori *exceptionis ope retinere*, adeoque, ut privatus famulis suis, ita Princeps subditis præcipere potest, ne rem, in qua jus sibi vendicat, tradat ei qui eandem sibi conatur asserere; tum denique, quia id unice agimus: *an Lex amortizationis sit justa sine consensu Pontificis?* Id quod hoc argumento non extundunt Adversarii: Relucet istud in casu parallelo: Princeps decernit bellum contra vicinum *ex justa*, ut sibi videtur, *causa?* Cives ruunt ad arma. Præclare omnino & officio civis boni; neque enim ipsorum est, sub crisin vocare edi-

cti

&i regii justitiam, *nisi constet de contrario.* Transmittimus itaque enthymema istud: quatenus *respectu Laicorum* consensum Principis desiderat. Sed negamus, *respectu Ecclesiarum* eundem requiri, cum neque *dominium altum* nec *jurisdictio Principis* se usque ad Ecclesias & jura Ecclesiarum diffundat.

Alterum est: Privatus potest legem dicere bonis suis, ne extra familiam ad Ecclesias vendantur, ergo & Princeps, ne extra remp. ℞. Permittimus & istud. Quamdiu enim Princeps partium suarum putat esse, ut caveat, ne alienatione immobilium resp. exhauriatur, legem ferre potest, qua periculum hoc amoliatur. Sed quemadmodum Princeps legem hanc seu dispositionem privati rescindere potest, ubi illam credit obesse bono reip.: ita Pontifex Legem amortizationis, quando & quatenus nocet Ecclesiæ. Nec dispositio testamentaria privati semper ex capite *dominii absoluti* est justa, nec Lex Magistratus Politici ex capite *dominii alti.*

Tertium est: Fundamentum ac structura tota systematis hujus est male materiata & in ruinam prona. Nititur enim ea hypothesi immunitatem realem Ecclesiarum non esse *beneficium & creaturam juris Civilis*; cujus tamen antithesis DD. Politicis est principium metaphysicum & ex primis naturæ ideis notum. Nunquid enim Princeps, præsertim qui sceptrum suum Justiniano, Carolo M. Friderico &c. nec jure natalium nec successionis debet, potest Ecclesiis negare jus civitatis & privilegia, quæ, ut hi Principes libere concesserunt, ita alii libere negant? ℞. Adversarios, qui tam acute rimas nostri systematis atque hiatus pervident, necdum causæ suæ fulcra satis inconcussa quæsivisse. Admittunt enim fere omnes *immunitatem personalem* Clericorum, nec eam pro libitu a Principe revocabilem asserunt, nisi quod timide ac subobscure nonnulli hoc in argumento scribant, ne prodant, opinor, in quorum castris versentur. Cur non admittant *immunitatem realem*, necdum ex quoquam rationem nervosam rescire licuit. Clericum timent reddere *inferiorem Judice Laico in personalibus*; cum tamen Judex ipsam reip. majestatem ac potestatis apicem secum circumferat; Ecclesiam, quam objectio ista jure civitatis spoliari posse contendit, non metuunt deturbare infra civem fæcis plebejæ, cui emere licet & acquirere &c. Si tamen sensum nostrum exquirant Adversarii, fatemur candide, nos immunitatem Ecclesiarum altioribus e principiis derivare, quam a sola voluntate Magistratus Politici. Pontifici commissa est Ecclesia, ejus tuendæ ratio & media fini accommodata. Hoc si teretes ac delicatas nonnullorum aures offendat, cogitent, quam sæpe nobis ingerant: *Principi, cui concessus est finis seu salutis publicæ conservatio, eidem concessa esse media*, licet *indirecte & per accidens* gravetur Ecclesia. Cur nefas sit nobis idem regerere de Pontifice, mutatis solum *terminis* ac periodi textura?

Hæc de methodo ac ſyſtemate quorundam Legem amortizationis propugnantium: non enim omnes eadem utuntur acerbitate ſtyli, nec ad eadem in hac argumento extrema deſcendunt. Legem ipſam amortizationis reliquimus illibatam, qui novimus de conſiliis ac decretis Principum, *per ſe loquendo*, judicare neminem poſſe, niſi Principem ſupremum & poteſtatis utriusque, Sacræ ac politicæ, fontem DEUM.

## Animadverſiones Editoris.

*Ad* §. *I.* De Lege *amortizationis* in Germania ſilet Auctor, ſed nec hic etiam exempla antiquiora deeſſe extendit HELLFELD in *Repertorio* voce: *Amortizatien*, ubi adducit praeter ſtatuta Civitatum Diploma *Wenceslai* conceſſum *Friedbergenſibus* anno 1382. ne porro bona civium ad Eccleſiaſticos pervenire queant: item conceſſionem *Ludovici Epiſcopi Monaſterienſis* de anno 1320. vi cujus permittit Ciſtercienſibus acquiſitionem novorum bonorum non obſtante prohibitione ſua circa alios Religioſos facta, unde elucet quoad alios Religioſos jam tum ejusmodi prohibitionem editam fuiſſe.

*Ad* §. *III.* Eleganti ſtylo utriusque partis argumenta et reſponſiones proponit Auctor, ſed quod ipſius ſyſtema concernit, adſtipulandum ipſi non eſt; mea quidem hac in re ſenſa haec ſunt.

I. Eccleſiae nulla ratione competere poteſt jus acquiſitionis ejusmodi, quod in praejudicium et damnum Reipublicae cedat Hoc ſane uberiori demonſtrare non egere exiſtimo, cum certe Chriſtus Eccleſiam ſuam in praejudicium Reipublicae non fundarit.

II. Jus acquiſitionis ſine ullis limitibus atque, ut ita dicam, infinitum evidenti quadam ratione ſaluti Reipublicae eſt adverſum. Quid enim? ſi nulli unquam limites praeſcribi poſſunt, certe potiſſima bonorum pars ad manus mortuas demum perveniet manifeſto civium, commercii, propagationis et augmenti aut etiam juſti incolarum numeri conſervandi detrimento.

III. Ejusmodi jus acquiſitionis plane in circumſcriptum tum quoque, ubi de ſuperfluis etiam bonis jamdum proviſum eſt Eccleſiis, ſpiritui Chriſti, primitivae Eccleſiae, et SS. Canonum non eſt conforme, cum operarios tantum ſuos dignos congrua ſuſtentatione pronuntiarit Chriſtus, et Miniſtros Altaris de Altari vivere velint ſacrae literae; nil plus quidpiam primaeva Eccleſia expetierit; et SS. Canones Clericos a temporalibus abſtractos unice cultu divino et animarum ſalute occupari velint, mercede olim ſua in coelis exſpectata, non autem

ex

ex bonorum temporalium abundantia repetita; quare videant illi, qui acquisitioni ejusmodi limites praescribi dum experiuntur, continuo nescio quam injuriam inferri Christo et Ecclesiae clamitant, cujus spiritus demum sint haec illorum lamenta.

IV. Aliud tamen est, an universim limites acquisitioni isti praescribi juste possint, aliud an in quodam territorio ea jam sint bona Ecclesiarum, ut bonum publicum Legem *amortizationis* eo rerum situ statui exigat: quid enim si ne necessaria quidem satis Ecclesiis praesto sint? huc recidunt, quae magna ex parte inter sese disputarunt RR quidam uti NEUBERGERUS, ejusque Antagonistae GUFLIUS *Benedictinus, et Anonymus quidam in Suevia* in suo ad eundem responso.

V. An eae nunc sint circumstantiae, quae Legem istam merito exigant, Principi relinquendum est; cujus est Reipublicae vires nosse, adjuncta temporis, aliaque examinare, et demum quemadmodum de aliis Legibus ferendis, ita et de hac statuere; id equidem non negarim, quemadmodum aliis in casibus Principis pietati prudentiaeque subin a consiliariis, quos non tam bonum publicum quam alii affectus regunt, obrepi potest; ita et hic simile quicquam fieri posse: id tamen in quaestionem adducere, aut examinare atque in sacrarium Majestatis involare non est privati cujusquam, quare justitiam Legis hujus universim defendisse sufficiat.

VI. Quod autem consensum Pontificis attinet ab Auctore ad justitiam Legis *Amortizationis* requisitum, ex principiis hic stabilitis eundem necessarium non esse per sese consequitur. Sane ad id constituendum, quod salus Reipublicae requirit adeo nullius consensu opus est Principi, nisi aliunde potestas ferendi Leges penes eum solum fortasse non resideat, uti in Monarchiis restrictis, ut potius ad id Princeps vi officii teneatur, obligationi suae intuitu Reipublicae alias minime satis facturus. Aliud est, quod, si Ecclesia ob speciales circumstantias Lege ejusmodi, aut ejus extensione quoad modum nimia gravatam sese esse existimet, Principi querelas suas proponere queat, ab ipso omnino audienda.

VII. Quod demum Auctor de potestate indirecta Pontificis in temporalia inquit, pluribus necesse non est hic confutare, cum illud non solum abunde a Scriptoribus pluribus Gallis, sed et ex iis quos exscripserunt, nostris diebus a Canonistis recentioribus Germaniae uti *Zallweinio*, *Rieggero*, *Rautenstrauchio*, *Febronio*, *Lackics* abunde praestitum fuisse constet, quae toties dicta repetere hic scopi mei non est.

XV. JO-

# XV.

JOANNIS PHILIPPI STAINHAUSER U. J. D.
Celsissimi ac Reverendiss. Archi-Episcopi et Principis Salisburgens. Consil. Aulici. Juris Publici in Univers. Salisburg. Prof. Publ. et Ordin.

DISSERTATIO
DE
# FEUDIS ECCLESIASTICIS

*Salisburgi 1756.*

## CAPUT I.

### De Origine & Progressu Feudorum Ecclesiasticorum.

*SUMMARIA.*

1. *Commendatur generalis Feudorum cognitio.*
2. *Obscura est Ecclesiasticorum origo.*
3. *Sub Ethnicis Imperatoribus Ecclesia possedit immobilia*
4. *Aucta a Christianis,*
5. *Postquam Germanis, licet serius illuxit fides.*
6. *Reges Francorum Ecclesiam dilatarunt.*
7. *Feudorum semina spargebat larga Episcoporum partitio.*
8. *Multiplicabat primæ stirpis Regum licentia & invasio.*
9. *Saluberrimæ desuper Imperatorum constitutiones latæ,*
10. *Sed a Carolo Calvo neglecta sunt*
11. *Querelante Ecclesia.*

12. I

12. *Ipsi Imperatores attentata ejusmodi damnarunt*
13. *SS. Litteris & SS. Patribus eadem detestantibus;*
14. *Unde solis Episcopis competit Jus circa bona Ecclesiæ dispensandi.*
15. *Damna Ecclesiæ sat resarcivit Imperatorum munificentia.*
16. *Periclitantia Sæculo XVI. Ecclesiæ bona*
17. *Circumvallabantur Ecclesiastico reservato*
18. *Ab ipsis tandem protestantibus approbato.*
19. *Denique Principibus protestanticis alium modum invenientibus*
20. *Pax Westphalica omnem deinceps viam occlusit.*
21. *Ad Episcopatus possidendos ab ipsis protestantibus quandoque Summi Pontificis consensus requirebatur.*
22. *Post varias de investitura per annulum & baculum lites*
23. *Tandem Imperatores cesserunt.*
24. *Origo investituræ per baculum & annulum.*
25. *Refutatur Ludewigius putans per annulum & pedum collatam fuisse Potestatem sacram.*
26. *Continuatur refutatio.*
27. *Etsi illud olim vulgo ob formulas investituræ crederetur,*
28. *Quibus tamen solum adhortationes continebantur.*
29. *Transactione demum lis dirimebatur.*
30. *Magna Episcoporum adhuc viguit authoritas sub Conrado I.*
31. *Quo regnante feuda oblata fuisse multi contendunt,*
32. *Sed verius est ea fuisse data.*
33. *Successu temporis Principum quidam suas terras in feudum Imperatori obtulerunt.*
34. *Quos Episcopi sequebantur.*

## §. I.

De feudis Ecclesiæ disserturis non inutilis quidem labor visus est, si paucis de feudorum incunabulis in genere ageremus, antequam ad illa in specie devolvamur, cum tamen Viri clarissimi & famigeratissimi eam de beneficiis mate-

materiam exactissime, plenissimeque tractaverint, a) nolumus actum agere, aut aliena expilare scrinia, sed illuc potius Lectorem non sine fructu rediturum ablegamus, quia cognitione generaliorum specialiora plurimum illustrari indubitatum est. Nobis ea, quæ scopo accedunt propius, indagare, & primum de natalibus beneficiorum Ecclesiasticorum in specie tractare animus est.

a) Vid. STRUV. *Synt. Jur. feud.* SPENER *de primis vestig. feud.* GEBAUERUS *de orig feud. Germ.* & omnium loco legi merentur Perillustris L. B. de SENCKENBERG digniss. Concilii Imperialis Aulici Assessoris primæ lineæ *Jur. feud.*

## §. II.

Si sæcularium, profecto Ecclesiasticorum feudorum origo obscurissima est, ut hac in re vix certi quid definire audeamus, illud certissimum tenentes primis saltem temporibus nulla eorum reperiri vestigia, cum Ecclesia, ejusque Ministri, nullos fructus, nullos reditus, bona nulla habuerint, qui eleemosynis contenti erant, illas in quatuor distribuebant partes, Fabricæ unam, alteram Episcopo, tertiam Clero, quartam pauperibus. a)

a) *Cap. 23. 25. & seqq. caus. 12. quæst. 2.*

## §. III.

Quando Ecclesia cœperit bona immobilia possidere, non adeo expeditum est, multi id Constantini M. tempore primum contigisse autumant propter Leg. 1. Cod. de SS. Eccles. ibi: *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo Catholico, venerabilique Concilio decedens bonorum, quod optaverit relinquere, & non sint cassa judicia.* Verum, jam Alexander Severus Imperator, Christianis adjudicavit Ecclesiam, de qua controversiam movebant Caupones; *cum*, ut refert Lampridius, *Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit* (Alexander) *melius esse, ut quomodocunque illic DEUS colatur, quam popinariis dedatur.* Et Eusebius adducit legem Constantini, a) qua Ecclesiis jussit restitui bona injuste ablata. Præterea notum est, quod Ethnicorum Diocletianus Imperator primus fuerit, qui publico edicto Ecclesias conniventibus Antecessoribus exstructas demoliri mandavit, has vero a Constantino pristino nitori restitutas, magisque ditatas esse constat ex eodem Eusebio b) *Nobis*, inquit, *incredibilis erat lætitia, cum loca cuncta, quæ Tyrannorum impietas paulo ante subruerat, reviviscere videremus, templaque rursus a toto in immensam altitudinem erigi, & longe majore cultu ac splendore, quam illa, quæ prius expugnata fuissent, nitescere.*

a) *De vita Constant.* L. 2. c. 39.

b) L. 10. c. 2.

§. IV.

## §. IV.

Habuit itaque jam ſub Ethnicorum imperio Eccleſia ſuos reditus, fundos, & prædia, queis utique magis ab Imperatoribus Chriſtianis dotata, & locupletata fuit, non dicam de privilegiis, quæ contemplatione religionis indulta ſunt, a) ipſi enim adverſarii pientiſſimorum Imperatorum reverentiam, devotionem & conſtitutiones ſolum in favorem Chriſtianorum latas deprædicare coguntur. b)

a) *Tot. L. 1. Cod.*

b) *Privilegia, quæ contemplatione religionis indulta ſunt, Catholicæ tantum legis obſervatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos non ſolum ab his privilegiis alienos eſſe volumus, ſed etiam diverſis muneribus conſtringi, & ſubjici L. 1. C. de Hæret. & Manich.*

## §. V.

Serius ſancta fides illuxit Germanis, qui diutius in tenebris paganismi verſabantur, de quo Salvianus Maſſil. teſtis a) omni exceptione major „cum „omnes barbari aut pagani ſint, aut hæretici, ut de paganis, quia prior illo„rum error eſt, prius dicam, gens Saxonum fera eſt, Francorum infidelis, Ge„pidarum inhumana, Chunorum impudica; omnium denique Barbarorum vitæ „vitioſitas. Sed nunquid eundem reatum habent, illorum vitia, quem noſtra, „nunquid tam accuſabilis Francorum perfidia, quam noſtra, aut tam repre„henſibilis ebrietas Alani, quam ebrietas Chriſtiani? ſi fallat Chunus, vel Ge„pida, quid mirum eſt, qui culpam penitus falſitatis ignorat? ſi pejeret Fran„cus, quid novi faciet, qui perjurium ipſum ſermonis genus putat eſſe, non „criminis? Et quid mirum, ſi hoc barbari ita credunt, qui legem, & Deum „neſciunt, cum major fere Romani nominis portio ita exiſtimet, quæ peccare „ſe novit? Tradit hæc de Sæculo V. S. Presbyter author coævus.

a) L. 4. §. 13. de Gubernatione Dei.

## §. VI.

Sunt, qui SS. Eucharium, Valerium & Maternum D. Petri juſſu in Germania Evangelium prædicaſſe, innumerasque animas ad ovile Chriſti ex ſqualore Gentilitatis reduxiſſe, itaque jam Sæculo primo in Germania Eccleſiam Dei implantatam fuiſſe contendunt. Sed quidquid de rei illius fama ſit, ſolum inde probatur, quod in Germania ſaltem cis Rhenana religionis fundamenta jecerint, quæ irruptione Alemannorum, ſi non eliminata, ſaltem conſulſa fuerunt, atque poſtea primum ut in Græcia Imperatorum, ita Regum Francorum pietate reſtaurata, firmata, & dilatata ſunt. Eccleſia tunc temporis etiam Imperantium ac fidelium munificentia ampliſſimis reditibus & prædiis

diis firmata fuit, sed plerumque pleno jure concessis. Obscurum igitur manet, quando Ecclesia primum bona in feudum dederit vel acceperit.

## §. VII.

Antiquissimum, quod hac in re adduci potest exemplum, allegat Gregorius Turonensis *a*) quod Clodovæus villas (quas Godino postea bis turpis fugæ reo a Fisco in territorio Suessonico indulserat) contulerit Basilicæ beati Medardi, mihi tamen ex eo necdum facta fides, quod Ecclesiæ hæc bona eadem lege beneficii dederit, qua habuit illa Godinus. Nec plus probatur ex partitione fundorum regnante Familia Clodovæi factis, quidquid enim Episcopi vel Laicis vel Clericis aut Monasteriis ex prædiis Ecclesiæ concesserunt, non intuitu officii, ordinis aut certa lege, sed in compensationem virtutum, ad excitandam ignaviam, congruam sustentationem precario ab initio & posthac usufructuario jure largiebantur. *b*)

*a*) *Lib.* 5. *c.* 3.

*b*) THOMASSIN. *de veter. & nov. Eccles. discipl. Part.* 3. *l.* 2. *c.* 16.

## §. VIII.

Hoc ipso nihilominus rudimenta beneficiorum jacta fuisse non diffitemur, nam, cum Laici jure quasi bona occupare, data retinere cœperint, Ecclesia plane invita beneficii lege ipsis prædia relinquere coacta fuit, successuque temporis invaluere beneficia, & tunc haud exigua sumpsere incrementa, cum Imperantes authoritatis regiæ prætextu Ecclesiæ bona usurparent, & decimas ceterasve possessiones inter Laicos distribuerent, cujus originem ab ipsa Italia & querelis Symmachi Papæ deducunt *a*) sicque in universam fere Europam malum hoc diffusum esse, ac jam sub prima Regum stirpe Clodovæo I. Childeberto ejus Filio, & Clotario I. in Aulas Principum se insinuasse defendit eruditissimus Parisiensis Antecessor Franciscus Florens, *b*) cui adstipulamur. Ceteris tamen omnibus plus sibi hac in re arrogavit Carolus Martellus, hic enim sub mercedis, solatii, & fidelitatis colore nobilibus, qui contra paganorum irruptiones & infidelium invasiones pugnarunt, suasque facultates militando consumpserunt, bona causarum piarum ad irreparabile Ecclesiæ damnum non tam distribuit, quam profudit.

*a*) Can. 57. XVI. Quæst. 1.

*b*) In tractat. *ad L. III. decr. t.* 38. *de Jure Patron. ad cap. I. II.*

## §. IX.

Huic malo mederi studebant devotissimi Successores, notum enim est, quod ipse Pipinus agnoverit ejusmodi bona a Patre Carolo injuste avulsa omnino Ecclesiæ restituenda esse, & cum propter bella cum Gaifaro Aquitaniæ Rege omnia restitui non potuerint, illa Pipino intercedente ipsi Ecclesiarum Antistites militibus precarii nomine sub nonarum censusque onere concedebant. Quod ex ipsis constitutionibus Caroli M. confirmatur: *Præcipimus etiam comitibus, & omnibus fidelibus nostris, ut quicunque rebus Ecclesiasticis beneficia habent, pleniter nonas, & decimas donent absque diminutione, in quantum melius possunt, juxta possibilitatem eorum, & quando necessitas exegerit, dent operas ad ipsas Ecclesias restaurandas, & adjutorium faciant. a)* Item *qui beneficium Domini Imperatoris, & Ecclesiarum DEI habet, nihil exinde ducat in suam hæreditatem, ut ipsum beneficium destruatur. b)*

*a*) KAROL. M. *capit. ex leg. Long. de anno* 801. *p.* 355. §. 42.

*b*) KAROL. M. *capit. sept. de anno* 803. *p.* 403. *plura de his vid. cap.* 3. *de anno* 812. *c.* 7. *p.* 498. *cap.* 1. *de anno* 813. *p.* 504.

## §. X.

Quam longissime vero a Caroli M. vestigio recessisse Carolum Calvum docent querelæ ipsius contra Episcopum Senonensem in Concilio Tullensi ad Saponarias motæ, *cum*, inquit, *contra inimicos meos, & vastatores Ecclesiæ, & depopulatores Regni, cum fidelibus DEI & nostris perrexi, nec per ipsum, nec per debitum solatium, quod Antecessores mei Reges, & ego ipse ex Ecclesia illis commissa habere solitus eram, aliquid adjutorii præbuit; præsertim cum hoc devote petierim &c.* Sub hujus imperio ergo non modo nihil restitutum est, sed nova militiæ onera & subsidia postulata, atque vi & blanditiis extorta esse leguntur.

## §. XI.

Multis igitur Carolum Calvum Imperatorem interpellarunt, anxieque restitutionem ablatorum efflagitarunt Episcopi, sed cum redintegrationis spes affulgeret nulla, illud præcipue urgebant, ut saltem decimæ jam Prædecessorum constitutionibus determinatæ ex possessionibus, quæ Ecclesiasticis certis induciis comprobatæ habebantur, nec plene propter varias necessitates restitui poterant, imposterum exsolverentur, *a*) quæ preces in Concilio Tullensi *b*) & postea sæpius, incassum tamen repetitæ sunt, ut abunde colligitur ex Concilio Lateranensi III. quod inter duo minus elegit malum, Laicisque decimas ante Concilium possessas, cum frustra omnium restitutio exspectaretur, reliquit,

 neutri-

neutiquam vero, quæ multorum opinio est, earum possessionem approbare voluit.

a) Conc. Suesson. II. de anno 853. can. 9.

b) De anno 859. can. 18.

## §. XII.

Hoc modo multa Ecclesiæ bona beneficii lege ad Laicos devenerunt, an jure, an injuria, exinde dependet, num Imperatores sibi jus quoddam de bonis Ecclesiæ disponendi arrogare potuerint. Audiamus desuper ipsum Carolum M. Imperatorem: *Novimus*, inquit, *multa regna, & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, & pugnantibus dederunt: militesque his Ecclesiæ rebus ditatos armatosque, pondere magis criminum, quam robore hostium obtritos fuisse: excidisse ipsos regno cælesti, ruinaque sua terrenum regnum pessumdedisse. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt; sed tergo multi vulnerati & plures interfecti fuerunt, regnaque & regiones, & quod pejus est regna cælestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent.*

## §. XIII.

Et quantum sacræ paginæ ejusmodi usurpationem detestentur videre est apud Malachiam III. v. 8. *An spoliet homo DEUM, quemadmodum vos spoliatis me? & dicitis, qua in re spoliamus te? in decimis & oblationibus.* Joël. III. vers. 5. quare in Concilio Romano VI. anathemate perculsi sunt, qui oblationes & bona Ecclesiæ invadunt; *oblationes fidelium a nemine præsumantur absque consensu & voluntate Episcopi sub specie largitatis regiæ, vel cujuscunque potestatis.* Mascule etiam nullo non tempore se opposuerunt SS. Patres Imperatorum factis, exemplo sit Ambrosius, qui Valentiano, dum pro Arianis Ecclesiam deposcebat, hoc attentatum severissime exprobravit: *Nec mihi*, ait, *fas est tradere, nec tibi Imperator expedit accipere: domum privati nullo potes jure temerare, Domum autem DEI existimas auferendam? noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere; noli te extollere, sed si diutius vis imperare, esto DEO subditus: scriptum est; quæ DEI, DEO, quæ Cæsaris, Cæsari: ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. a)*

a) Epist. 33. ad Marcellin.

## §. XIV.

Ex his patet nemini nisi Episcopis dispensationem bonorum Ecclesiasticorum competere posse, & licet eorum curam œconomis olim commiserint, summa

ma tamen rerum ſemper apud Epiſcopos manſit, nec œconomi a ſacris Præſulibus aut eorum conſenſu a Clero electi plus juris uſurpare poterant, quam ipſis conceſſum erat, officium eorum optime exponit Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *a)* „*Ad œconomum pertinet ſeparatio Baſilicarum atque conſtructio, actiones* „*Eccleſiæ in judiciis vel in proferendo vel in reſpondendo. Tributi quoque acceptio,* „*& rationes eorum, quæ inferuntur, cura agrorum, & cultura vinearum, cauſæ* „*poſſeſſionum, & ſervitialium ſtipendia Clericorum, viduarum, & devotorum pau-* „*perum, diſpenſatio veſtimenti, & victus domeſticorum Clericorum, ſervitialium,* „*quoque & artificum, quæ omnia cum juſſu, & arbitrio ſui Epiſcopi ab eo implentur.* Erant autem œconomi ex Presbyterorum ordine, nullaque Laicorum aut regum circa adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum unquam ratio habebatur, quidquid igitur hoc in genere moliebantur Imperatores reclamante tum divino, tum humano jure & obſervantia fecerunt.

*a)* P. 693. THOMAS. de veter. & nov. Eccl. diſcipl. P. 3. L. 2. cap. 5. num. 11.

## §. XV.

Interim negari haud poteſt, Imperantes ſæpius jura & bona Eccleſiaſtica invaſiſſe, ac miſerandum in modum ejusmodi alienationibus & infeudationibus exſauciaſſe Eccleſiam ad priſtinum ſplendorem nullo tempore redituram, ni Caroli M. Ludovici Pii, Ottonis M. Henrici II. aliorumque Imperatorum, Principum, fundatorum, privatorumque benefactorum ope iterum refecta ac ſublimata fuiſſet. Erat autem tanta eorum munificentia, ut e pulcherrimis Germanici Imperii provinciis & terris (de reliquis hic nullus ſermo eſt) Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ, & Cœnobia tanquam fortiſſima religionis mœnia fundarentur *a)* ſed mox fatalis temporum cataſtrophe pejus quam olim minitabatur exitium.

*a)* Catalogum Archi- & Epiſcopatuum atque Abbatiarum exhibet LIMNÆUS in Jur. publ. L. 1. c. 8.

## §. XVI.

Notum enim eſt, quantæ Seculo XVI. de Feudis Eccleſiaſticis Catholicos inter & Proteſtantes controverſiæ fuerint exortæ ratione reſervati Eccleſiaſtici paci religioſæ inſerti *a)* quod Orthodoxi pro aris & focis tuebantur, Proteſtantes vero, haud minori conatu ex eo oppugnabant, quod 1*mo* nunquam conſenſerint, ſed illud reſervatum Ferdinandi conſilio tantum Paci inſertum fuerit. 2*do* hoc vergeret in opprobrium religionis Proteſtantium, ſi Archi-Epiſcopus, Epiſcopus aut Prælatus ad Lutheraniſmum ſe convertens ipſo jure & facto feudis privatus eſſet. 3*tio* Sacræ Scripturæ adverſaretur, ſic aliquem a

fide,

fide, quam fors veram agnosceret, repelli. 4to consentiendo huic articulo ipsi Protestantes Confessionem Augustanam damnarent. 5to consilium futurum hoc modo non foret liberum, cum, vix quis timore feudi amittendi sua sensa candide depropturus esset.

a) Vid. Reichs-Abschid zu Augspurg de Anno 1555. §. und nachdem bey Vergleichung 18.

## §. XVII.

His opposuerunt Catholici decem rationes, quas refert, & ad singulas respondet, nulli tamen ex asse satisfacit Limnæus a) & quæ pro stabilienda thesi adducit, falsissimo nituntur supposito; consenserunt enim Protestantes omnino in articulum reservati, quod testatur Ferdinandus I. pacificatorii negotii caput & summus Præses Ratisbonæ, in Comitiis Anno 1557. die 5. Febr. in responso ad scriptum Legatorum A. C. daß sie ihres Suchens und Bittens des mehrberührten Vorbehalts, oder Freystellung der Geistlichen, guttwillig abstehen, und die Sachen, so wohl solches Vorbehalts, als andern damaln Anno 1555. beschlossner und verabschidter Articul halben, bey dem Abschid einverleibter hochbeteurter Zusag, bleiben lassen wöllen. Et in duplica ejusdem anni 27. Februarii Daß Ihr Königliche Majestät damahls den Ständen der Augspurgischen Confession verwandt, viel stattliche, und erhebliche Ursachen außführen, und erzehlen habe lassen, welche Declaration sie die Stände der Augspurgischen Confession und ihre Räth und Bottschaffter auch, wie sie sich selbsten zu berichten wissen, damalen unwiderfochten angenommen, und zugelassen, auch darüber Ihr Majest. von wegen ihrer gehabten vätterlichen getreuen Bemühung und Arbeit unterthänigen hochfleissigen Danck gesagt, und folgends den darinn begriffenen Religions-Friden, mit und neben den Ständen der alten Christlichen Religion dermassen, und mit angeregtem darinn verleibtem der Geistlichen Vorbehalt, aufrichten, und besiglen helffen.

a) Jur. Publ. Lib. 1. cap. 13.

## §. XVIII.

Idem confirmatur ex historicis Thuan, a) Sleidan b) cujus verba in compendio refert Luc. Osiand c) „Vehementer orarunt (Protestantes) ut Ferdi„nandus illam particulam de deponendo, seu amittendo Episcopatu omitti pa„tiatur. Ferdinandus autem respondit, nihil amplius posse tribui: ea nunc „eis concedi, quæ tot annis nunquam impetrari potuerint; alioquin futurum, „ut nulla re perfecta discedatur. Largitur itaque Protestantibus decem dies, „ut interea domum hæc ad suos Principes enuncient, & simul clare sibi respon„deant;

„deant; ubi dies ille venit, Protestantes quod & diligentiæ nihil prætermise„rint, ut reliquis omnibus de religione consuleretur; & Cæsari vel Regi mo„dum aliquem in eo præscribere non ipsis liceret, assentiuntur; præsertim cum „Rex etiam nonnulla remitteret. add. acta publ. respons. Cathol. in Comitiis August. anno 1559. die 17. Jun. eorundem proposit. In Comitiis Ratisbon. anno 1594. & protocolla Comitiorum de anno 1555. Sed quod semel placuit, displicere amplius non potest.

*a*) Lib. 12. histor. p. 259.

*b*) Lib. 26.

*c*) Cent. 16. Lib. 3. cap. 17.

## §. XIX.

Vi itaque reservati ab utraque parte approbati omnis via Protestantibus ad ejusmodi possessiones obtinendas præclusa fuit, atque bona Ecclesiastica ab omni invasione munita & circumvallata videbantur, sed docuit eventus, quod hoc modo salvum, & ereptum censebatur, alio cum majori fructu eorum prædis|cessisse. Cum enim reservato a possessione redituum bonorumque Ecclesiasticorum se exclusos viderent, Electores, Principesque Protestantes mox de alio solliciti medio Capitulorum Cathedralium favorem sibi conciliabant, ut eorum suffragiis ad Præsulatus, Episcopatus & Præposituras pervenirent, nec infelici successu.

## §. XX.

Hac via florentissimæ Ecclesiæ Lebusensis anno 1555. Havelbergensis anno 1556. Caminensis eodem anno, Lubecensis anno 1561. Brandeburgensis anno 1563. Naumburgensis anno 1564. Merseburgensis anno 1565. Ratzeburgensis anno 1566. Magdeburgensis anno 1567. Verdenensis anno 1568. Meissensis anno 1581. Mindensis anno 1582. Bremensis anno 1585. Halberstadiensis anno 1586. avulsæ sunt & tanquam opulentissimæ prædæ illis cedebant, queis recuperandis omnem operam navabat Ferdinandus II. atque severissimum edictum an. 1629. edidit, quod omnia bona post transactionem Passaviensem Catholicis adempta restitui debeant; quem in finem ad instantiam Summi Pontificis, Episcoporum cæterorumque imperii Statuum non sine terrore & commotione Protestantium in Provincias commissarii non obstante vel præscriptionis aut ulla alia exceptione jussa Cæsaris executuri dimittebantur. Ast executionem tamdiu desideratam impediebant tumultus bellici, donec Pax Westphalica hanc controversiam ad normam anni decretorii cum irreparabili Ecclesiæ damno sustulit, *a*) ipsaque transactio Passaviensis & pax religiosa *b*)

cum reservato Ecclesiastico c) tot demum Dominatibus contra prædictas pacificationes ab Ecclesia avulsis confirmatæ sunt.

a) Vid. artic. V. §. 2. 15. 23. 25.

b) Artic. V. §. 15.

c) Artic. V. §. 1.

## §. XXI.

Illud notatu dignissimum est, quod Principes Protestantes ad beneficia aspirantes tonsuram & ordines saltem minores petierint a) alii Pontificis indultu & confirmatione opus esse ipsi tunc temporis judicaverint, ut de Augusto Saxoniæ Duce refert Adamus Fridericus Clasey: „primum quidem uti jam di„ctum est, tentabant, an a Capitulis secundum Canones rite electi Summi Pon„tificis consensum impetrare possent, qua in re Augustus Dux Saxoniæ postea „Elector, ipsis exemplo suo cum Episcopatu Martisburgensi, cujus administra„tionem ipsi Capitulum postulationis titulo detulerat, præivit, ita quidem ut „Kumerstadium Legatum ad Nuntium Apostolicum Coloniæ Aggrippinæ tunc „commorantem mitteret, qui summis precibus ab eo efflagitaret, ut literis „commendaditiis Domino suo consensum Summi Pontificis in promotionem ejus „ad Episcopatum Martisburgensem procuraret, sed Nuntio Apostolico hoc „austere denegante, Augustumque Romam remittente, hic deterritus de aliis „remediis cogitavit, suosque in religione socios secum traxit. Aliud præjudicium sistit Christianus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, qui metu amittendi Episcopatus Mindensis anno 1599. a Clemente VIII. humillime confirmationem petiit, atque in politica gubernatione præpositum Osnabruggensem Virum Catholicissimum totius Provinciæ Præsidem habiturum & priorem Cancellarium Calvinisticum dimissurum esse promisit.

a) In eleganti specimine dodecadem sigillorum complexo.

## §. XXII.

Satis dictum est de Feudorum ortu & fatis, lubet aliqua subjicere de controversiis, quæ ratione investituræ inter Regnum & Sacerdotium tantas excitarunt tempestates, ut summa tum Ecclesiæ, tum Imperii Capita convellerentur, thronoque dejicerentur, cum enim Henricus IV. quod multos Episcopatus & Abbatias pro pecunia vendiderit, turpique lucro alienaverit, simoniæ argueretur, prætereaque investituram per annulum & baculum dimittere nollet, a Gregorio VII. S. P. excommunicationis fulmine percussus fuerit, hoc ipso illum a communione fidelium exclusum Proceres tanquam caput venerari detrectarunt, ideoque elegerunt & excitarunt contra eum anti Reges Rudolphum

Sueviæ

Sueviæ Ducem, Hermannum Luzelburgensem, Egbertum Marchionem Thuringiæ & ipsum Henrici Imperatoris Filium Conradum, qui omnes rebellem contra Ecclesiam Imperatorem totis viribus debellare, regnoque exuere irrito tamen conatu laborabant, donec filii secundo geniti Henrici V. adhærentiumque armis imperio excidit.

## §. XXIII.

Verum mutato Imperii Successore non omnis sublata est controversia, quam circa jus investituræ per annulum & baculum ferventer æque, si non ferventius urgebat Henricus V. eoque res inter ipsum & Paschalem II. Papam devenit, quod Episcopi & Prælati ducatus comitatus & regalia dimittere deberent, tantum decimis & oblationibus contenti, proindeque Pontifex solus jus investiendi haberet *a)* sed facile est ad intelligendum, quantas tunc Clerus excitaverit turbas, ut hos inter motus Henricus Patris fatorum haud immemor consultius esse duxerit, jus investituræ per annulum & baculum Calixto II. Pontifici & Successoribus dimittere *b)*, sibique reservare de regalibus investituram per sceptrum *c)* quam se exauctorationis periculo exponere. Obtinuit itaque & conservavit jura Cæsaris, nec plus sibi arrogare poterat Henricus.

*a*) Vid. GOLDAST. t. 1. conat. Imp. p. 251. 258.

*b*) In Conventu Wormatiensi anno 1122.

*c*) Cujus usus jam Sæculo XV. exolevit, & hodie, Episcopi gladio quem Imperator manubrio tenens osculandum præbet, ut sæculares investiuntur, cætera, quæ in hoc negotio occurrunt solennia, & requisita late & optime exponit MOSERUS Einleitung zu dem Reichs Hof-Raths Process 4ter Theil 5 Capitel von der Belehnung.

## §. XXIV.

Ritum investiendi per baculum inde repetunt, quod olim investituræ variis symbolis, cespite, gramine, arboris ramo, aut festuca in manus vasalli data celebratæ fuerint, & cum Ecclesia a Regibus Pipino, Carolo M. & Successoribus multa acceperit bona sub nexu clientelari, Prælatique Regum vasalli evaserint, idem apud illos mos invaluerit, unde ipse doctissimus Ludewigius sibi parum constans cambucæ originem deducit *a*) „per annulum & baculum „inauguratos fuisse sacros Antistites notissimum est, causa rei paucissimis pro„be perspecta. Plerique putant *baculum pastoritium* hunc fuisse muneris pasto„ralis insigne. Ego quin illa sentiam mihi in memoriam revoco, clientes olim „vel cespite ex agro effosso, vel etiam quod plurimum contingit, fronde sive „virga de arbore decerpta a Domino feudi inaugurationem suscepisse. Quem „ritum adduxit etiam Marca *Lib. 8. c. 19. §. 7.* ut adeo ad fundos quoque feu-

## §. XXXI.

Ab hac ætate, ſtirpe ſcil. Carolidarum extincta, modernam Reipublicæ formam deducunt Doctores, quid quid enim de ſtatu regni Carolingici ac de beneficiis illius ævi tum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus dici queat, poſtea in longe aliud mutatum eſſe volunt, quod Ludovico Infante ultimo Gentis Carolingicæ mortuo Germania in plures ducatus, Bojaricum, Suevicum, Franconicum, Lotharingicum, & Saxonicum diviſa, ac unicuique Dux a populo conſtitutus fuerit, ut Duces a Populo, Imperatores vero a Principibus, cum Imperium e manu Procerum ſuſceperint, ſuam haberent poteſtatem, ideoque non plus exigere queant, quam iis datum ſit, atque inveſtitura regalis non tam nova collatio, quam oblatorum confirmatio, & inſtauratio eſſe videatur. a)

a) Vid. *perſonat.* MONZAMB. in Lib. *de Stat. Imp. Germ. cap.* 3. §. 4. de LUDWIG *Jur. feud. & ſing. Jur. publ.* item *German. Princ. cap.* 4. CLAFEY Kern der teutſchen Reichs-Hiſtori C. IV. Ther. 3. von CONRADO I.

## §. XXXII.

Sed feuda potius data, quam oblata eſſe hiſtoricorum a) fide innixus defendo, quæ enim in contrarium allegant, evincunt ſaltem, quod poſt mortem Ludovici Proceres abſolute loquendo caput eligere non debuerint, niſi quies publica exegiſſet. Aſt exegerunt quorundam æmulationes, præpotentia, Hungarorum irruptiones, diſſenſiones mutuæ, & tot demum pericula proximæ ruinæ nuncia, ut nolentes volentes in unione permanerent, validumque Protectorem ſibi quærerent.

a) OTTO FRISING. *Lib. IV. Chron. c.* 16. GUNDLING. *in Diſſert. de Stat. Reipubl. Germ. ſub Conrad. I.* §. 7. *p.* 35. & *in Henrico Aucupe* §. 10. p. 49. Reverendiſſ. Abbas Gotwicenſ. GODOFREDUS *in prodromi Chronici Gottwicenſ.* Lib. II. *paſſim.*

## §. XXXIII.

Fuſior hic eſſem, ſi inſtituti ratio pateretur, aliam itaque occaſionem nactus plura dicam, illud modo admonens, ampliſſimas etiam terras diu ab hac periodo tanquam allodia a Proceribus poſſeſſa & ſerius longe in feudum oblata fuiſſe, ſic „OTTO (verbis & teſtimonio utor Alberti Stadenſis ad annum „1235.) Dominus de Luneborch, Brunsſuich, & Luneburg, & omnem hæ„reditatem ſuam imperio reſignavit, & Imperator Brunsvicenſe dominium in „Ducatum mutavit, & Duci porrexit. Item, HEINRICUS infans Landgravius Thuringiæ arcem Boineburg & urbem Eſchewege ADOLPHO Naſſovico in feudum obtulit, ut dignitatem Principis Imperii conſequeretur. a) Fuere ergo dignitates, jura & regalia, quæ Dominos ſubinde alliciebant, ut mallent ditio-

ditiones suas clientelari nexu obstrictas ab Imperatore & imperio recipere, quam liberas ab omni servitio, & allodiales possidere, quod ex incongrua juris Longobardici de regalibus doctrina profluxisse censent, cum tamen hæc omnia jura ipsi territorio absque investitura cohæreant. *b*)

*a*) Vid. Diplom. in consultiss. Estoris Spec. I. I. P. Hass. *de statu & orig. Landgrav. Hass.* c. 3. §. 33. p. 31.

*b*) Cel. D. Bocrisius *de origine Jur. feud. Germ.* §. 18.

### §. XXXIV.

Ex his & similibus rationibus facillimum evenire poterat, ut Episcopi etiam ad aliorum exemplum bona fundationis in feuda ab Imperatore & imperio recipienda allicerentur, & se una cum Ecclesiis arctiori clientelæ nexu magis commendatos, protectos, atque ad sublimiora evectos crederent. Verum Doctissimo Bastinellero judice *a*) fefellit spes concepta, quod Principibus per vocabulum vasallorum multum decesserit, id tamen negat Monzambano *b*) cui & nostrum adjicimus calculum, cum multi Proceres olim terras possederint, quin habuerint regalia, quæ ab Imperatoribus successu temporis obtinuerunt, *c*) atque etiam ipsas terras Imperii successive in feudum datas, & subinde oblatas esse probavimus, ut frustra in uno temporis puncto feudorum stamina quærere videantur.

*a*) De præjudicio Principum ex abusu Juris Feud. Longob.

*b*) De Statu Imp. Germ. c. 3. §. 4.

*c*) Vid. omnino Illustr. Neureutteri eruditiss. & doctiss. dissertat. *de justo & injusto Regalium usu* cap. 2. §. 1.

# CAPUT II.

## De Natura et Divisione Feudorum Ecclesiasticorum.

### *SUMMARIA.*

35. *Diversæ de Feudis Ecclesiasticis sententiæ.*

36. *Ecclesiastica etiam a qualitate personæ, non semper ab objecto, minus a bonis fundationis præcise denominantur, nam*

37. *Bona titulo oneroso acquisita, ut fundationis bona ad ærarium Ecclesiasticum qua tale referuntur, ideoque*

38. *Bona quocunque modo parta Ecclesiastica dicuntur.*

39. *Resol-*

65. Fen-

## §. XXXV.

Feudum, sive beneficium Ecclesiasticum, a pedo, germanice: Krummstäbisch Lehn, a modo investiendi Zepter Lehn, ex *qualitate Personarum* a GRAGIO *a*) definitur; vel enim Prælatus tanquam Ecclesiæ administrator *nomine Ecclesiæ*, vel non qua administrator *nomine proprio* feudum *accipit*, aut Ecclesia alteri bona in feudum *concedit*, citato Authori semper *Ecclesiasticum* dicitur. HORNIUS *b*) contra *ab objecto* denominationem petit, juxta hunc itaque Feudum *Ecclesiasticum* ex re *Ecclesiastica* & quidem, ut Illustris BOEHMERUS *c*) sentit, aus denen Stiffts-Landen constitui debet.

*a*) *Jur. Feud.* Lib. 1. t. 10. §. 12. 13.

*b*) *Jurisprud. Feud.* c. 3. §. 13.

*c*) *De Feud. Ecclesiast.* cap. 2. §. 6.

## §. XXXVI.

Nos in hac opinionum differentia uti nulli ex asse adstipulamur, ita utramque pro casuum diversitate salvari posse existimamus. Nam feuda tam ea, quæ Prælatus *nomine Ecclesiæ* qua administrator *accipit*, quam illa, quæ nomine Ecclesiæ alteri concedit, Ecclesiastica omnino dici possunt; quod vero GRAGIUS secundam feudorum Ecclesiasticorum speciem constituat, si Prælatus sibi tanquam *privato nomine proprio* feudum acquirat nobis non probatur, nisi *dignitati* datum sit. HORNII sententiam eo libentius amplectimur, quo certius ab omnibus habetur, tunc vel maxime feudum censeri *Ecclesiasticum*, quando ex bonis Ecclesiæ constituitur: imo observamus subin necessario beneficia ab objecto specificanda esse, quin ad *qualitatem Personæ, vel concedentis, vel accipientis* respici queat, cum olim Reges ex bonis Ecclesiasticis feuda con-

cesserint, (VIII.) quæ nemine dissentiente fuerunt *Ecclesiastica*. In eo tamen displicet Bœhmeri sententia, quod feuda, ut *Ecclesiastica* vocari possint, præcise ex bonis fundationis Stiffts-Landen constitui velit, cum constet, non solum fundationis & dotationis bona, sed etiam quæ transactione, emptione, venditione, aut quocunque titulo oneroso ad Ecclesiam pervenerunt, Clericis *qua talibus* assignata, & ad ærarium *qua tale* relata fuisse.

## §. XXXVII.

Sic „Dominus & RUDPERTUS Episcopus Theodoni Duci dedit de „proprio conquestu suo, in auro, & argento solido mille, & comparavit ad „eum villam, quæ dicitur Pidinga, cum servis ibi manentibus in Comitiis suis „XXX. curtem & casam cum aliis ædificiis, & territorio ibidem pertinenti, „cum Pratis & Pascuis, sylvis, ac montibus, molendinariis, aquarumve de-„cursibus, cum omnibus confiniis ibidem pertinentibus, & ÆTERNALITER AD „IPSAM SEDEM deservire vulgariter ac publice confirmavit. a) Et infinitis propemodum chartis stabiliri posset, Ecclesias ex reditibus auctas, & bona a sacris Præsulibus empta semper ad SACRAM SEDEM relata esse.

a) CANISIUS in Thesaur. Monument. Eccles. t. 3. part. 8. Monument. Salisb.

## §. XXXVIII.

Si ergo bona oneroso titulo parta (quis de acquisitis titulo lucrativo aliter sentiet?) æque, ac illa fundationis in Ecclesiæ Patrimonium ÆTERNALITER veniant, Ministris Ecclesiæ *qua talibus* assignentur, & ad ærarium Ecclesiasticum *qua tale* referantur, Ecclesiasticum feudum non modo ex bonis fundationis Stiffts-Güthern, sed ex omnibus bonis Ecclesiæ constitui palam est. Hæc de feudis, quæ Ecclesia *concedit*, bona quæ in feudum *accipit*, licet *secularia* sint, etiam *Ecclesiastica* feuda dicimus.

## §. XXXIX.

In contrarium exempli loco adducunt Ducatum Westphaliæ & comitatum Arensbergensem, quod Archi-Episcopus Coloniensis has terras non ut Stiffts-Lande & terras *Ecclesiasticas*, sed ut *seculares* possideat, hinc etiam feuda *secularia* haberi debeant. Verum, an non prædictus ducatus cum comitatu est in patrimonio Ecclesiæ? si hoc, cur non referatur inter feuda Ecclesiastica? bona licet *secularia* in Ecclesiam *pleno jure* collata, fiunt *Ecclesiastica* ab omni *nexu libera*, similiter ergo bona licet *secularia* Ecclesiæ, vel Prælato *beneficii lege* data, fiunt *feudalia Ecclesiastica*. Quod ejusmodi feuda non Episcopis *qua Episcopis*, sed *qua Principibus* dentur, ficulneum est, quid si enim concedam hæc

hæc feuda illis *qua Principibus* data fuisse, certe vel ipsi Adversarii fateri cogentur, Episcopis non *qua Principibus sæcularibus*, sed qua *Principibus Ecclesiasticis*, vel cum Ecclesia Principes non habeat, saltem Episcopis, qui sunt *Ecclesiastici Principes*, & hoc ipso, quod Episcopi electi fuerint, feuda concedi.

## §. XL.

Firmatur hæc sententia ex eo, quod ratione etiam comitatuum, Principatuum & Ducatuum, quos Episcopi tanquam feuda sæcularia possidere dicuntur, in puncto alienationis, feloniæ &c. eadem, quæ quoad bona fundationis, jura observentur. Præterea tritissimum est, feuda Ecclesiæ olim non vexillo, sed annulo & baculo, & post transactionem inter Calixtum II. & Henricum V. initam sceptro collata fuisse, ac tunc temporis, quando Episcopi profecto, ut hodie Imperii Principes habebantur, an vero modo investiendi mutato *a*) ipsa hæc feuda tam diu & toties ritu conferendi, atque etiamnum in aliis distincta cum sæcularibus in unum coaluisse affirmabis? Ritus, inquis, idem nunc occurrit, qui in *sæcularium* investitura, occurrunt etiam iidem termini mit der Weltlichkeit rc. Sed quid inde? ritus, ut audisti longo tempore fuit distinctus, & si a ritu desumas argumentum, te ipsum ferit, cum omnia, etiam fundationis bona gladio conferantur, quæ tamen *Ecclesiastica* dicis. Minus turbat vox Weltlichkeit, nam Ecclesiam bonorum *sæcularium* capacem esse, eaque in Ecclesiam translata *Ecclesiastica* fieri patet ex ipsis fundationibus, ubi utique Laicorum bona *sæcularia*, collatione & fundatione transierunt in *Ecclesiastica*.

*a*) Ex hoc principio & feuda sæcularia Ecclesiastica dici deberent, cum Carolus IV. adhuc Duces Pomeraniæ sceptro investiverit & vice versa non desunt exempla, licet rariora, quod Principes Ecclesiastici vexillis investiti fuerint. Vid. MASCOV. *Jur. feud.* c. 7. §. 9. n. 4.

## §. XLI.

Sane ejusmodi Dominatus, quos Episcopi una cum regalibus possident ab ipsis Imperatoribus & in legibus Imperii fundamentalibus inter bona Ecclesiæ recensentur. Ita HENRICUS V. „POSSESSIONES & REGALIA BEATI PE„TRI, quæ a principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem, sive tem„pore Patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, EIDEM SANCTÆ „ROMANÆ ECCLESIÆ restituo. *a*) Item Possessiones etiam OMNIUM ALIARUM „ECCLESIARUM & PRINCIPUM *b*) & in I. P. artic. V. §. 14. „bona ECCLE„SIASTICA immediata quod attinet, sive sint Archi-Episcopatus, Episcopatus, „Prælaturæ, Abbatiæ, Præpositurae, Commendæ, sive liberæ Fundationes „SÆCULARES, aut alia una cum reditibus, pensionibus, aliisque, QUOCUNQUE

„NOMINE SIGNATIS ſeu in urbe, ſeu ruri ſitis. Hæc nec oſcitantia quadam irrepſiſſe, nec bona ſolum fundationis concernere, aut ibi a potiori fieri denominationem, vel invitus fatearis neceſſe eſt, cum de bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſione indiſtinctim agatur. *c*)

*a*) Vid. Henrici V. Imperat. & Calixti S. P. conventiones de inveſtituris Epiſcop. & Abbat. publicatæ in Comit. Wormat. §. 2. apud GOLDAST. Conſtit. Imp. t. 1. p. 258.

*b*) Cit. Convent. §. 3.

*c*) Si itaque ejusmodi Ducatus omnino inter Feuda Eccleſiaſtica numerari debeat, ſua ſponte ruit ſententia STURMII, * qui putat, quod Archi-Epiſcopus Coloniensis ex Ducatu Weſtphaliæ ſubinfeudans feudum *ſæculare* conſtituat, vid. HORNIUS *in Jurisprud. feud.* c. 3. §. 13.

* *Diſſert. de feud. orig.* §. 46. *n. p.*

## §. XLII.

Affinitatem quandam cum feudis Eccleſiaſticis habent *Præbendæ a)* ſive *Beneficia Eccleſiaſtica*, quæ pro officio *ſacro* Clericis conferuntur. His inveſtiuntur etiam, atque ut olim feuda ad dies vitæ tantum concedebantur, ita iſtæ hodiedum cum morte exſpirant, in eo tamen a feudis Eccleſiaſticis differunt, quod hæc propter ſervitia ſæcularia dentur.

*a*) *Præbendæ*, & *Beneficia* olim non tanquam ſynonima veniebant, quod patet ex Capitularibus Francorum, ibi * *ut Canonici, Clerici, ſive in Civitatibus, ſive Monaſteriis viventes, quibus beneficia data, unde ſe exhibere poſſent, his contenti ſint, ſecus facientes, carerent & BENEFICIO & PRÆBENDA. Præbendæ* igitur potius diſtributiones redituum in vita communi præberi ſolitas denotabant, & *Beneficia* fundos uſufructuario jure conceſſos, imo hodie adhuc diſtributiones in aliquibus locis præbendarum nomine deſignari ſcio, alibi tamen hæc vocabula: *Præbendæ* & *Beneficia* etiam confunduntur.

* Capit. Reg. Franc. addit. III. c. 112. apud BALUZ. t. 1. col. 1178. add. ejusd. Not. ad cit. cap. tom. II. col. 1247.

## §. XLIII.

Ad feuda quodammodo accedunt, *Precariæ* & *Preſtariæ*, illæ dicuntur *libellus quo quis res Eccleſiæ ſibi utendas dari curavit*; hæc vocantur, *Epiſtola, qua Epiſcopus vel Abbas alicui pro prædiis in Eccleſiam translatis in re Eccleſiaſtica vel duplo vel triplo majorum redituum uſumfructum concedit.* Patet ex eo precarias, non ut Beneficia vel Præbendæ propter officium ſacrum, aut, ut feuda lege fidelitatis data eſſe, ab utrisque igitur toto cœlo diſtant. *a*)

*a*) Originem, progreſſum, variaque illarum genera deſcribit THOMASSINUS in Nov. & veter. Eccleſ. diſcipl. P. 2. Lib. 3. c. 22. & P. 3. Lib. 1. cap. 8. a num. 7. ad 14.

## §. XLIV.

Differentia inter Feuda *ſæcularia* & *Eccleſiaſtica* elucet 1.) ex ipſa conſtitutione (LXXX.) 2.) objecto, Perſona acquirente vel dante (XXXVI.) 3.) puncto exſpectativæ (CXI) 4) quoad effectum feloniæ, licet enim vaſalli Eccleſiaſtici in Imperatorem & Imperium delinquentes etiam puniantur privatione feudorum, adhærentiumque dignitatum ſæcularium, ceſſant tamen effectus, quos banniti ſæculares intuitu Perſonæ ſentiunt, nec ſub Dio proſcribuntur, & bona ad legitimum Succeſſorem devolvuntur; econtra agnatis proſcripti Principis ſæcularis, primum a tempore JOSEPHI & CAROLI VI. *a*) in eo etiam pleniſſime proſpectum eſt. 5.) quod Eccleſiaſticum pacto alterari nequeat, niſi melior Eccleſiæ fiat conditio. Differentias plures indicant alii, nobis præcipuas annotaſſe ſufficit, quibus adhuc celebriores feudi Eccleſiaſtici diviſiones attingere conſtitutum eſt.

*a*) Art. XX. Was nun dem in die Acht erklärten alſo abgenommen wird, das ſollen und wollen wir uns und unſerem Hauſe nicht zueignen, ſondern es ſolle dem Reiche verbleiben. Vor allen Dingen aber dem beleydigten Theil daraus Satisfaction geſchehen, jedoch ſo vil die Particular-Lehen, ſo nicht immediate von uns und dem Reich, ſondern von andern herrühren, betrifft, dem Lehen-Herrn, auch ſonſten der Cammer-Gerichts Ordnung, und einem jeden an ſeinem Recht, und Gerechtigkeiten unbeſchadet: Geſtalten auch im heiligen Römiſchen Reich bey verwürckten Gütern des Aechters deſſelben Verbrechen denen Agnaten und allen andern, ſo Anwartung, und Recht daran haben, und ſich des Verbrechens in der That nicht theilhafftig gemacht, an ihrem Jure ſuccedendi in feudum und Stamm-Gütern nicht præjudiciren, ſondern das principium, als ob auch Agnati innocentes propter feloniam des Aechters, des dadurch verwürckten Lehens und anderen zu priviren, keines Weges ſtatt haben ſoll.

## §. XLV.

Dividitur autem feudum Eccleſiaſticum ratione *formæ* in PROPRIUM, & IMPROPRIUM, quam diſtinctionem quidam ex eo rejiciunt, quod teſtamentum male dividatur in juſtum & injuſtum, ergo etiam feudum in proprium & improprium. Sed utique teſtamentum injuſtum nullum eſt, feudum econtra improprium manet feudum, & malumus duo ſtatuere genera ſumma, ad quæ omnia reduci poſſunt, quam cum Doctoribus a Ludwello *a*) citatis 5. 8. 9. 10. 11. 12. 22. aut 110. diviſiones contexere. PROPRIA dicimus, ſi feudorum natura retineatur, ex quo fluit IMPROPRIA eſſe ea, ubi a feudorum natura receditur, ſi non exigitur juramentum fidelitatis, aut remittatur renovatio inveſtituræ, certa penſio imponatur, vel ratione ſucceſſionis certa pacta adjiciantur.

*a*) In Synopſi Jur. feud. cap. 3.

## §. XLVI.

Ratione *modi*, *quo conſtituuntur* feuda Eccleſiaſtica alia DATA ſunt, alia

OBLATA. Illa, quando Ecclesia Laico vel Clerico bona, aut vice-versa Laicus Ecclesiæ lege fidelitatis concedit, quorum originem ex iisdem causis derivat famigeratissimus MURATORIUS *a*) quibus Principes sæculares moti pro tuendis terris beneficia constituebant, his tamen & singulares accessisse rationes, quæ feuda Ecclesiastica promoverent, notum est. De illis distincte agit illustris Bœhmerus; *b*) *primam* desumit ex liberiori Regum dispositione circa bona Ecclesiastica. *Secundam*, ex Episcoporum facto, quo ipsimet potius, quam Reges ea in feudum concedere maluerunt. *Tertiam*, ex antiqua Episcoporum militia. *Quartam*, ex utilitate & necessitate Ecclesiæ, ut Ecclesia ære alieno liberetur. *Quintam*, ut a nexu advocatiæ solvatur, aut quocunque demum modo gravata alios beneficiis obstringat, sibique consulat.

*a*) De allodiis, vassis, vasall. benef. castellan.

*b*) Disput. de feud. Eccles. cap. 2.

## §. XLVII.

Circa *primam* superius dicta in memoriam revoces, quod utique Reges subin liberius circa bona Ecclesiastica disposuerint, (XV.) sed omni jure reclamante, quod, ut opinor, satis probatum dedi. Hic addo, ab ipso Carolo Martello, qui iniquissimus rerum Ecclesiasticarum dispensator dicitur, diris comminationibus & indignationibus jurium Ecclesiasticorum alienationem & distributionem prohibitam esse, quod videre est ex fundationis Charta Augiæ divitis „si quis Abbas vel Monachus vel Clericus seu Laicus præfata bona, vel „homines, vel præsentes, vel posteros, eorum in futuro succedentes a memo„rato Monasterio aufferre, vel alienare moliatur, ipse cœlestis gaudii extorris „existat, & nomen ejus de libro vitæ deleatur, fiant filii ejus orphani & uxor „ejus vidua. Et quo jure ipsis major facultas disponendi de his bonis Ecclesiæ pleno jure concessis, quam de aliis cuilibet Tertio donatis competiisset?

## §. XLVIII.

*Secunda causa* depromitur ex Episcoporum facto, ipsis enim incumbebat cognoscere, si quæ ratio infeudationem exigeret; fuere autem plurimæ & pro vicissitudine temporum diversissimæ, quas recensere omnes nimis longum, imo æque impossibile foret, ac casus pro varietate circumstantiarum distinctos designare. Sacri Præsules tamen, cum ipsis in Ecclesiasticis omnis cura sit commissa, Ecclesiis optime prospexisse videntur, licet hinc inde quidam in eo defecerint, & favore vel agnatorum, vel alio affectu ducti bona Ecclesiæ segnius administraverint, ac prodigalius dispensaverint, sed ubi in simili usus & non abusus?

## §. XLIX.

Ad *tertiam*. Nemini vel leviter in historiis versato dubium suboritur de antiqua Episcoporum militia, quam tot Historicorum Scripta testantur. GREGORIUS TURONENSIS de SALONIO & SAGITTARIO ait: *a*) „fuerunt in „hoc prælio SALONIUS & SAGITTARIUS fratres atque Episcopi, qui non cruce „cœlesti muniti, sed galea aut lorica sæculari armati multos manibus propriis, „quod pejus est, interfecisse referuntur. De GEROLDO Moguntinensi videatur OTHLONIUS in vita S. Bonifacii L. 1. c. 41. de HILDEGARIO Archi-Episcopo Coloniensi annales Fuldenses ad annum DCCLIII. De CHRISTIANO Archi Episcopo Moguntino Albertus Stadensis ad annum 1172. *Anno Domini*, inquit *1172. CHRISTIANUS Moguntinus Archi Episcopus Imperialis Aulæ Cancellarius, & Sedis Apostolicæ Legatus, cum Brabantinis per Lombardiam & Thusciam omnia depopulans Bononienses invasit, & in equo residens, indutus thorace, & desuper tunica hyacinthina, habens in capite galeam deauratam, & in manibus clavam trinadem, ipse in eodem prælio dicitur stravisse novem homines propria manu.* Et reges desuper conquestos fuisse, si ipsi Episcopi in militia non comparerent, patet ex §. (X.)

*a*) L. 4. cap. 37. & L. 5. cap. 21.

## §. L.

Hunc militandi Episcoporum morem hortatu Cleri Gallicani abolere studuit Carolus M. Episcopos & Clericos e castris dimittens paucioribus relictis, qui Sacramenta administrarent, Eleemosynas distribuerent, & sacris fungerentur officiis, cæterique pro salute Patriæ, pace & concordia, ac victoria obtinenda DEUM domi exorarent, nullam tamen bonorum jacturam inde timentes, cum saltem militem suum mittere tenerentur, quibus ipsis militare severius prohibitum esset, quod ille desinat esse miles sæculi, qui Christi miles factus est, ideoque militiam Cleri tot etiam concilia detestabantur Matisconense I. *a*) Liptinense *b*) Suessionense. *c*)

*a*) Cap. 5. *b*) Cap. 2. *c*) Cap. 3.

## §. LI.

Constitutiones hæ piæ, sanctæ, institutoque Cleri maxime [illegible] erant, iis tamen minus acceptæ, quos liberior aura, atque armorum [illegible] cupaverat, & jam Caroli Calvi tempore rursus ex variis [illegible] induere ac castra sequi cœperunt, neque seriori ævo sibi [illegible] Otthoni I. *Brisacum obsidenti multi Episcopi affuerunt.* [illegible] *Abbates etiam militarunt.* HAINRICO II. *imperante* [illegible]

*pus Argentoratensis collecto Allemannorum exercitu adversus Burgundiones pugnavit, & vicit.* Ita Joachimus Vadianus. *a*) Episcopos vero & Abbates ad arma excitatos fuisse putat cit. Author, ne illos, qui necessitudine aliqua sibi essent conjuncti deseruisse viderentur, quæ ratio SS. Præsulum conditioni nihil detrahit, quod vero uno alterove Clerici militis exemplo totam Ecclesiæ disciplinam omnino subversam fuisse, ac olim rariora armorum, gerendique belli exempla, frequentiora vero, cum avaritia & ambitio opes Ecclesiarum & Monasteriorum Germaniæ suæ libidini subjecerint, extitisse dicat, calumniæ sunt, & commenta contra historiam, quæ longe antiquiora & frequentiora militiæ clericalis præjudicia sistit. (XXXXIX.)

*a*) In Goldast. script. rer. Alaman. t. 3. p. 81. 82. edit. Senckenbergianæ.

## §. LII.

Improbat Ludewigius *a*) tum antiquam, tum modernam Ecclesiæ militiam utpote Christo & Apostolis invisam. Consentio, ubi inordinatus belligerandi fervor ex causis mere profanis Clericum ad arma provocat, sed contra Ethnicos, paganos, infensissimosque Ecclesiæ hostes pugnare nec iniquum, nec ab honestate alienum est. Plerumque etiam Episcopi castra secuti sunt, non ut sanguine aliorum se cruentarent ipsi, sed exercitium ducerent, votis, precibusque certarent, ac consilio, & hortationibus militem animarent. Serviebant tempori, necessitati, & consuetudini ipsis molestissimæ, ex qua tamen non parum utilitatis & præsidii in Ecclesiam redundavit. Cæterum nunquam Ecclesia eorum pruritum approbavit, qui armis alios prostraverunt, seque illorum sanguine maculaverunt, quod manifestum fit ex tot legibus, dehortationibus, & consiliis.

## §. LIII.

Militia tamen non adversatur sacræ Scripturæ, sed mansuetudini quam non merentur invasores, depopulatores, ac inimici Ecclesiæ. Habent etiam Clerici & Laici obligationem Rempublicam defendendi, & succurrendi bono communi, in quantum status Ecclesiastici conditioni non repugnat, quæ ad mansuetudinem Christi composita pacem diligit, & arma vetat, nisi justissimæ defensionis causæ aliud jubeant, ac necessitatem belli gerendi imponant, ut olim Clerici sæpius pro bono communi castra sequi coacti sunt. Hodie autem militiæ status bene comparatus est, suspicimus exercituum Duces ex Laicis adeo generosos, prudentia, & victoriis insignes, ut militia Clericorum, quorum prudentiæ gravissima Imperii negotia tum belli, tum pacis tempore committebantur, modo neutiquam indigeamus, id nihilominus æquum, imo justissimum est, ut ratione terrarum suppetias & militem mittant, & dubito, an ipse Ludewigius illos ab hoc onere immunes pronunciaturus sit.

§. LIV.

## §. LIV.

*Quarta* causa assignantur *utilitas* & *necessitas* Ecclesiæ, quæ maxime beneficia promoverunt, in eo enim Episcoporum cura consistit, ut bona Ecclesiæ, præcipue vero religionis emolumentum augeant & amplificent. Ad utrumque mirum conferebat Episcoporum beneficentia, cum non raro ipsa etiam alienatione Ecclesiæ alia accederent bona, sic „ULRICUS Episcopus Passaviensis pro eo, „quod conferret feuda vacantia per mortem Chelonis de Wessenberch Fratri „suo, PERCEPIT AB EODEM FRATRE CASTRUM GRIESPACH ET FORUM VEL„DEN, CENTUM HUOBAS, ET 46. HOMINES. *a*) Hac ratione alia accessere bona spe semper salva, quod fundi beneficiorum lege avulsi cum tempore reversuri sint ad Ecclesiam seu Dominam directam, quæ interim non modo habebat Fidelem, sed & bona reciproce data possidebat pleno & perpetuo jure, per consequens duplici gauderet commodo, qui modus acquirendi ab eo de Precariis (XLIII.) promanasse videtur, uterque tamen justus est, nec de læsione quæstio moveri potest, ubi spontanea & liberrima est gratificandi voluntas.

*a*) HUND. *Metropol. Salisburg. in Catalog. Episcop. Laureacens. & Passav. de Udalrico Episcop.* 45.

## §. LV.

Alio modo utilitas Ecclesiæ promoveri videbatur, si Episcopi Potentiores beneficiis devincirent, ut videre est ex iis, quæ de eodem UDALRICO commemorat Hundius *a*) *Consecutus est privilegium a Friderico II. sub aureo sigillo super Feudo vexilli, vulgo* Fahn-Lehn, *quod de concambio antiquitus inter Imperium & Cathedralem Ecclesiam Pataviensem de Regali nunc Cœnobio Sanctimonialium intemeratæ Virginis & DEI Genetricis MARIÆ facto, tunc cessit Imperio: quod feudum tunc vexilli nuncupatum vulgo* Fahn-Lehn *Illustris quidem Otto Dux Bavariæ ab Imperio dignoscitur assecutus. Hoc idem feudum dilectus consanguineus, & Fidelis noster Illustris Ludovicus Palatinus Comes Rheni & Dux Bavariæ, ad preces nostras in manus Regiæ Celsitudinis voluntarie resignavit, nosque illud in continenti præfato Ulrico Pataviensi Episcopo & suæ Ecclesiæ liberaliter dignati sumus conferre, & confirmare; ipse autem Episcopus* SOLLICITE *procurans* ECCLESIÆ SUÆ UTILITATEM *ipsum feudum statim titulo legalis successionis contulit præfato Duci Bavariæ, ab ipso Episcopo & suis Successoribus, non ab Imperio ratione Feudi de cætero recipiendum & possidendum.*

*a*) HUND. Metrop. l. c.

## §. LVI.

Non minor Salisburgensium Archi-Episcoporum in eo cura fuit, qui potentissimos Principes tanquam Ecclesiæ Advocatos elegerunt, amplissimisque

terris investiverunt, ut Ecclesiam contra invidiam, invasiones atque persecutiones quascunque tuerentur, quare in Carinthia LEONHARDO Goritiæ Comite ultimo Gentis mortuo jus vogteicum cum latissimis ditionibus MAXIMILIANUS I. ab Archi Episcopo Salisburgensi in feudum obtinuit, quod hodiedum Serenissima Domus Austriaca hac lege tenet. Similiter OTTO Dux Bavariæ jure Advocatiæ super Ecclesiam Chiemseensem ab EBERHARDO II. Archi-Episcopo anno 1244. investitus est, a)

a) LUNIG. *Spicil. Ecclesiast.* 1. Theils Fortsetzung p. 1069.

## §. LVII.

Insigniter autem utilitatem & incrementum Religionis, ac Ecclesiæ sacri Antistites promoverunt tot erigendo Cœnobia, Monasteria, Abbatias, Præposituras & Episcopatus. Solus EBERHARDUS a TRUCHSEN Archi-Episcopus Salisburgensis ad utilitatem Ecclesiæ & incrementum Religionis tria Episcopia, CHIEMSENSE, LAVANTINENSE & SECCOVIENSE. a) GURCENSE aliorum ad instar perpetua clientelæ lege Ecclesiæ Metropolitanæ obstrictum b) GEBEHARDUS pia intentione instituit, ut patet ex diplomate Henrici Imperatoris c) *Ergo Fidelis noster GEBHARDUS Juvaviensis Archi-Episcopus de commissarum sibi animarum periculis dolens conquestus est, quod Episcopatum suum in Montanis situm præ nimia Parochiæ amplitudine, & viarum difficultate per se solum regere non sufficeret, consultu fidelium nostrorum, pro necessitate Ecclesiæ decrevimus, & annuimus, ut infra Parochiam suam adjutorem sui operis Episcopum, & sedem Episcopalem constitueret. Igitur in loco, qui dicitur Gurca apud Ecclesiam sanctæ MARIÆ, ubi prius erat congregatio Sanctimonialium, placuit Nobis, ut Cathedram Episcopalem faceret, & eidem novæ Sedi, partem Parochiæ suæ, & de prædiis & decimis, quantum sibi conveniens videretur, attribueret, & ad eandem Sedem, Episcopum ex sua consideratione ordinaret, ea videlicet ratione, ut Episcopatus ille Ecclesiæ Juvaviensi, & prædicto Archi-Episcopo, suisque Successoribus nunquam subtrahatur.* d)

a) HUND. Metrop. Salisburg. cum not. Gewold. p. 8. lit. hh.

b) Quod indubium facit Rudolphi I. sententia desuper in Curia Imperiali causa cognita lata, cujus originale extat in Archivo Salisburg.

c) HUND. cit. p. 39. lit. z.

d) Quid hodie ratione hujus Episcopatus obtineat, docet transactio inter FERDINANDUM I. & MATHÆUM Archi-Episcopum Salisburgensem inita, cujus extractum exhibet LUNIG. Corp. I. F. German. t. 2. p. 442.

## §. LVIII.

De *necessitate* non est, quod verba faciam, cum legem non habeat, illud autem

autem probe inspiciendum, & examinandum est, utrum revera necessitas ea subsit aut fuerit, quæ alienationem bonorum tanquam remedium ultimatum exigeret, si enim alio quocunque demum modo res salvari queat, ad extraordinaria & magis damnosa nunquam procedendum est; hinc omnes circumstantiæ curatissime plenoque consilio ponderandæ sunt, sæpe enim utilitas & necessitas prætexuntur, atque his ipsis singulares propensiones & affectus palliantur, quare jura providentissime tantas in alienationis materia solennitates requirunt, ut nulla fraus tam facile intervenire possit, quæ tamen nunquam præsumitur; imo sæpissime Ecclesiam tot calamitatibus & miseriis pressam fuisse, ut ad evitanda majora mala opimos reditus distrahere coacta fuerit, nemo est, qui nesciat.

## §. LIX.

Ad casum necessitatis referimus æs alienum, *a*) si enim Ecclesia ita debitis gravata sit, ut alio modo exonerari nequeat, quam prædiorum alienatione, minimum infeudatione eveniet præjudicium, cum res in feudum data in vasallum pleno jure non transeat. Videndum tamen est, utrum debita legitime cum præscriptis solennitatibus & justa ratione contracta fuerint, alias Ecclesia nullatenus tenetur, & successor ad expungendas obligationes ab Antecessore contractas nullo modo adigi potest, Prælatus enim est tantum Ecclesiæ Administrator, non Dominus, hinc Ecclesiæ bona distrahere, aut sine gravi causa onerare non valet.

*a*) *Cap. ea 2. §. hoc jus* caus. 10. quæst. 2. Clement. 1. de reb. Eccles. alien.

## §. LX.

*Advocatia*, quæ *Vto & postremo* adducitur, certe una ex gravissimis caussis fuit, cur Ecclesia multos reditus in feudum dederit potentioribus, ut caussas Ecclesiarum apud Judices perorarent, vel illas authoritate sua, & armis protegerent, unde etiam protectores vocantur. Constituebantur vero vel ab ipsis fundatoribus, vel ab Ecclesiis, *quia Episcopi & universi Sacerdotes ad solam laudem DEI & bonorum operum actionem constituuntur. a*) Hinc jura Ecclesiæ Advocati exercere tenebantur. *Statuimus, ut ubicunque Episcopi substantiam habuerint, Advocatum habeant in ipso comitatu, qui absque tarditate justitiam faciat & suscipiat. b*) Ex quo colligitur magnam illorum fuisse authoritatem, quam demum in dominatum convertebant.

*a*) *Leg. Longob. Lib. 2. tit. 47. de Advocat. & Vicedom. Leg. 9.*

*b*) *Cit. loc. Leg. 3. quæ desumpta est ex Concil. Mogunt.* sub Leone III. & Carol. M. habito.

## §. LXI.

De eo satis docemur ex Epistola Gregorii III. ad Archi-Episcopum Coloniensem & ejus Suffraganeos: *a*) *Quum plerique Advocati Ecclesiarum Advocationis obsequium convertentes in dominationis abusum, Ecclesias ipsas opprimant, & affligant; Fraternitati vestræ mandamus, quatenus Ecclesias vestrarum Diœcesium, humano amore & mundano timore postpositis, ab Advocatorum vexationibus defendere studeatis &c. Illud districtius inhibentes, ne una Ecclesia plures Advocatos assumat; quum ministerium advocatorum hujusmodi, quod ad Ecclesiarum tranquillitatem noscitur fuisse provisum, ad vexationem ipsarum per eorum usurpationes constet esse conversum.*

*a*) Tom. 3. Concil. Galliæ *part. ult.* p. 699.

## §. LXII.

Nihil igitur Ecclesiæ imputandum est, quod omni demum modo ab Advocatiæ jugo se subtrahere studuerit. Hæc quidem multum olim desiderata fuit, & eo ferventius, quo magis indigeret Protectore tot, tantisque pressa calamitatibus; cum vero, qui initio fideles Patroni, mox iniqui vexatores bona Ecclesiastica, & subditos injuste invaserint, emunxerint, spoliaverint, privilegiis, & juribus Monasteriorum abusi fuerint, ut Patroni antea Schirm-Herrn dicti, mox Stutz-und Sturm-Herrn vocarentur, sacri Antistites optimo consilio pro redimenda vexa reditus quosdam malefactoribus *beneficii jure* contulerunt, ut omnibus juribus Protectionis colore usurpatis renunciarent, sicque cætera saltem bona a faucibus illorum eriperentur.

## §. LXIII.

Absit, hoc de omnibus Ecclesiarum Advocatis dictum esse existimes, cum quorundam officia adeo egregia experirentur Ecclesiæ aliæ, ut successoribus eundem honorem, atque emolumenta inde dependentia non inviderent, reliquarum tamen damno cautæ in literis Advocatiæ sibi expresse stipularentur, ne justos Advocatiæ limites egrederentur, ut videre est ex charta sequenti. *a*) *NOS FRATER HATMO ABBAS & CONVENTUS Monasterii Lucellensis, omnibus Christi fidelibus per præsentes notum esse cupimus, quod illustri Principi nostro Domino ALBERTO Duci Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Landgravio Alsatiæ ea feuda, quæ sui Prædecessores Landgravii Alsatiæ, a Monasterio nostro hucusque tenuerunt, unanimi consensu innovavimus, & denuo concessimus; ea interveniente conditione, quatenus nos & Monasterium nostrum in nostris juribus, & libertatibus, cum hominibus, bonis & rebus pro DEO, & Cæsare*, nomine Advocati, ubique & quoties opus erit, fideliter defendat, & præterea nihil aliud a nobis exigat, quemadmo-

admodum sui Prædecessores nos hactenus defenderunt. *Quod ego Albertus Dux Austriæ me fideliter præstiturum fide Salemannica * promitto, atque in hujus promissionis testimonium sigillum meum, sigillis D. Haymonis Abbatis & Conventus Lucellensis, præsenti chartæ appendi feci. Actum in municipio nostro apud Altkilcham 6. Kal Maji 1326.* Verum quocunque pacto, quacunque lege sibi consulerent Prælati, audiuntur tamen querelæ vix non quotidianæ, nec unquam defuturæ, quamdiu habendi cupido regnabit.

a) Quam exhibet SCHILTERI Thesaurus Antiq. Teuton. tom. 3. in Glossario voce: SALA.

* Non *Alemannica*, ut quidam legendum esse putavit, sed Salemannica a SALA, CURIA, SALMAN, SCABINUS, ADVOCATUS. Vid. SCHILT. *loc. cit.*

## §. LXIV.

Feudis OBLATIS superstitiones olim frequentiores occasionem dedisse docent Adversarii, ac si dotationes & fundationes inter pia hominum opera recenseri haud possent, neque DEO gratæ forent ejusmodi oblationes, queis honos Ecclesiæ promovetur. Obtulerunt fideles sua bona ex intentione pia, non superstitiosa, quod propter oblationem solam remissionem peccatorum & vitam æternam exspectarent, non ignorantes hanc minime suffecturam, multaque alia esse necessaria ad æternam beatitudinem consequendam. Hoc tamen DEO etiam acceptum, atque altissimum omnium bonorum Remuneratorem fore pie confidebant, qui sponte, libere, & ex motivo tantum supernaturali fundos obtulerunt Ecclesiæ. Alii vero alia ratione ducti fecere oblationes, ut ab Ecclesiæ Præsulibus protegantur potenter; sicut ergo Laici hoc titulo recte dominium directum acquisiverunt, ita illud optimo jure cessit Ecclesiæ.

## §. LXV.

Ex duplici igitur fine, pio, & laudabili bona Ecclesiis in feudum oblata sunt, omnia tamen Ecclesiastica beneficia ideo oblata esse non præsumimus, licet vix non communis feuda Ecclesiæ oblata esse censeat, donec probetur contrarium, idque propter textum I. f. 6 ibi: *Si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa vel Dominus plebis feudum dederit de rebus Ecclesiarum, quæ eis subjectæ sunt, & tituli vocantur, nullum habet vigorem, secundum hoc, quod constitutum est a Papa Urbano in sancta Synodo, hoc est illud, quod post ejus decretum fuerit datum, quod autem antea datum fuerit, firmiter permanebit. Item juris est, si sit Præpositus vel Abbatissa, vel alia Ecclesiastica persona, quæ antiquitus non sit solita in feudum dare scil. ut quod dederit, de jure non valeat.* Ex quo inferunt, si sacris Præsulibus non licuit amplius Laicis conferre feuda, necessario hæc post laudatum Urbani decretum non data, sed oblata censeri debent.

## §. LXVI.

Verum hanc Urbani constitutionem in Germania usu nunquam receptam fuisse multis evincit eruditissimus Spenerus. *a*) Et quis nescit, quod plurima feuda etiam diu post hoc decretum constituta fuerint? Nec moramur, quæ objiciunt, feuda antiquitus concessa dudum cum Dominio directo consolidata, & posthac alia ex devotione quadam oblata fuisse; est enim assertum, quod non simpliciter & nude adstruendum, sed probandum foret, cum II. F. 2. §. 2. fin. *si vasallus pactum speciale contra feudi consuetudinem allegat* (loquitur quidem textus de successione filiarum, idem tamen de feudi oblatione judicium ferendum est) *liceat ei tenorem, si potest, sicut investituram probare, quodsi in probatione defecerit, vel cessaverit, concedatur Domino hoc denegare juramento præstito.* Atqui feudorum natura est, illa *data* & *beneficiaria* esse, ergo non *oblata*, sed *data* præsumuntur, donec contrarium doceatur.

*a*) De *nævis, Feud. Jurispr.* §. 6. lit. g.

## §. LXVII.

Quid vero in effectu intersit, utrum *data*, an *oblata* feuda dicas, ex sola successionis materia elucescit, cum saltem secundum communissimam in oblatis etiam fœminæ ad successionem admittantur, unde enata sunt proverbia: mit St. Peter ist gut handlen. Unter Krumstab ist gut wohnen. Item Krumstab schleüst niemand aus. Cum tamen sententia, quæ feuda Ecclesiæ oblata præsumi contendit, infirmo subsistat talo, fluit, quid vel ex hoc capite de his adagionibus dijudicandum sit. Imo etiam feuda Ecclesiæ oblata probarentur, fœminas nihilominus a successione excludit Perillustris L. B. de SENCKENBERG *a*) qui data inter & oblata feuda, ut in aliis, ita & hic nihil statuit discriminis, quod plerumque vasallorum in casu oblationis æque intersit, Dominum habere directum & Protectorem, ac ipsius habere vasallum, ideoque nec plus huic, quam illi contra naturam feudi in successione, aut alio quocunque modo indulgendum esse; atque rationem habet, ut nihil unquam sine summa ratione statuit tanti Nominis Author. Accedit, quod in feudis Ecclesiasticis non ex ea causa fœminæ ad successionem vocentur, quia hæc Feuda habentur oblata, sed ex antiqua consuetudine, & observantia, *b*) quæ si non probatur, naturæ feudorum inhæremus.

*a*) Jur. Feud. prim. lin. §. 195. 226. 227.

*b*) Vid. Epistol. Reverendiss. Abbat. Fuld. apud Coccej. de Feud. Fuldens. cap. II. p. 8.

## §. LXVIII.

Ad hæc regerit BOEHMERUS, *a*) feuda utique propria præsumi, & inter-

interpretationem potius in favorem Ecclesiæ capiendam esse, sed hic præsumptionem elidi ex eo, quod apud Historicos post Urbani constitutionem sæpius feudorum oblatorum mentio fiat, denominatio autem a potiori desumenda sit. Ast, quod vir gravissimus in medium profert, quæstionis est. Quidquod constet bona a Prælatis sæpissime in feudum data, atque infeudationibus patrimonium Ecclesiæ adeo extenuatum esse, ut ipsi Præsules vix congruam sustentationem haberent. Sic HENRICO *Episcopo Spirensi, quod pleraque prædia militibus erogasset in beneficia vix ad dimidium anni reditus sufficisse* leguntur. *b*) Simile testantur literæ Capitularium ad Paschalem II. exaratæ de Abbatissa Gandersheimensi Sæculo XI. regnante: *quasi pusilla grex nec victum, nec vestimenta, nec tecta amplius haberet, & sub pluvia, omnibus quippe bonis militibus datis jaceret. c*)

*a*) *De Feud. Ecclesiast.* cap. 2. §. 14.

*b*) HOTTOMAN. *in comm.* ad I. f. 1.

*c*) Vid. LEUCKFELDUS p. 279. SPENNER *de nævis Feud. Jurispr. Histor.* §. *VI. lit. g.*

## §. LXIX.

Et quidsi transmittam frequenter æque oblata, quam data fuisse feuda, a regula tamen, quod pro propriis præsumendum sit, non recedendum videtur, neque in dubio contra Ecclesiam pronunciandum est, minus, si grave damnum subverseтur; de gravissimo autem Ecclesiæ præjudicio ageretur, si feuda præsumerentur oblata, cum juxta adversarios & fœminæ succedere deberent, & sic Ecclesia deterioris esset conditionis, quam Laicus, ubi feuda propria & data esse censentur, donec probetur contrarium. Quod quædam Ecclesiæ sint mitiores, atque ad beneficia propensiores, etiam fœminas ad successionem vocent, in aliarum odium nullatenus detorqueri debet, nec juris ratio patitur, liberalitate unius Tertio inferri præjudicium, aut consuetudinem particularem, & observantiam benigniorem alibi in consequentiam trahi. In nostra etiam Curia Salisburgensi praxi teste omnia feuda præsumuntur esse propria, usque dum contrarium ab allegante probetur.

## §. LXX.

Feuda Ecclesiæ ulterius dividuntur in REGALIA, & non REGALIA. REINKINGKIUS *a*) ad illorum naturam duo requirit, ut 1.) a Principe Romano, vel alio superiorem non recognoscente conferantur, 2.) ut quis regalibus, *b*) vel regali dignitate etiam summo Principi competente investiatur, illis tamen juribus exceptis, quæ insignum præeminentiæ illi reservantur; quo referunt Fahn- und Zepter-Lehn. Advertit tamen Ludewigius *c*) quod testatissimorum exemplorum fide vexilla olim notaverint subvasallorum cohortes, non

rega-

regalia; & ſceptrum communiter tanquam ſymbolum feudi Eccleſiaſtici adhibitum fuiſſe, haud difficulter evincet; nihil itaque certi ex ritu conferendi concludes. Quare alii *d*) illud feudum regale dicunt, quod a Rege datur, ſive dignitatem regalem annexam habeat, ſive non; & *Imperiale*, quod ab Imperatore & Imperio quis poſſidet. Probatur nobis hæc doctrina ex Lege Conradi, II. f. 34. quæ feuda a Rege data indiſtinctim REGALIA dicit. Accedit, feuda non dicta fuiſſe capitanea, quod dignitatem capitaneam annexam haberent, ſed quod a Capitaneis, non a Rege, vel Imperatore immediate obtinerentur; pari itaque ratione REGALIA dicimus, quæ a Rege, NON REGALIA, quæ non a Rege proficiſcuntur, & hoc modo diſtinctionem potius *a qualitate perſonæ*, quam ratione *adjunctæ qualitatis* denominationem petimus.

*a*) De *regim. ſæcul.* & *Eccleſiaſt.* I. 4. 16. *n.* 5. 6.

*b*) De Regalium ſignificatu, & diverſo reſpectu diſſerit Illuſtris NEUREUTTERUS in cit. Diſſertat. *de juſto & injuſto Regalium uſu.*

*c*) *Jur. feud.* cap. VIII. *quæſt.* 2. §. 8. p. 449.

*d*) BASTINELLER de *præjud. Princip. ex abuſ. Jur. feud. Longob.* §. 22.

## §. LXXI.

Ex *ſitu* alia ſunt in CURTE, *a*) alia extra CURTEM, ſive territorium, horumque originem ſicut aliorum Beneficiorum ad ſingularem erga ſacros Præſules reverentiam, & turbulenta tempora, ut vaſalli Eccleſiæ protectionem haberent, referimus. Quamdiu Dominis territorialibus hoc clientelari nexu ſubjectionis fides non diminuebatur, in ejusmodi feudorum oblationem libentiſſime conſenſerunt; hac vero vacillante mox ſibi proſpiciebant Principes, ne ſubditis ſine conſenſu eorum extraneis bona in feudum offerre liceret, quam in rem BERTHOLDUS Archi-Epiſcopus Moguntinus anno M. D. XCV. a MAXIMILIANO I. Diploma impetravit.

*a*) De voce *curtis* vel *cortis* multis diſputant HENRICUS GRIBNERUS * JOAN. GUILIELMUS de GOEBEL **

* De *dominio directo in alieno territor.* §. 2. *& ſeqq. tom. IV. opuſc. p.* 103. *ſeqq.*

** De *feud. extra curtem* C. I. §. 10. & C. II. §. 1. & ſeq.

## §. LXXII.

Cum vaſallus extra *curtem* alium agnoſcat *Territorii*, alium *feudi* Dominum, graviſſimæ pro cauſarum diverſitate ſæpius controverſiæ oriuntur, coram quo cauſa ventilari, & decidi debeat. Si cauſa ſit feudalis, haud dubie Dominus directus, & non territorialis judex eſt, & ejusmodi cauſæ nequidem ſub

sub ullo prætextu ad suprema Imperii Tribunalia trahi debent, ut in Capitulationibus novissimis CAROLI VII. & FRANCISCI I. gloriosissime regnantis cautum legitur: Churfürsten, Fürsten, und Stände des Reichs (die freye Reichs-Ritterschafft mitbegriffen) wegen ihrer angehörigen Lehen, sie seyen gelegen, wo sie wollen, bey ihren Lehensherrlichen Befugnussen, auch Gerichtsbarkeit in denen dahin nach den Lehen-Rechten gehörigen Fällen allerdings ohnbeeinträchtigt zu lassen, und ihnen darvon keinen Reichs-Gericht neque sub prætextu continentiæ causarum, neque judicii universalis ergreiffen zu lassen. a) Pluribus hæc illustrat BOEHMERUS in elegantissima Dissertatione *de Judice feudali extra curtem.*

a) Artic. XXI.

# CAPUT III.

## De Constitutione Feudorum Ecclesiasticorum.

### *SUMMARIA.*

73. *Feuda constituere potest, qui liberam rerum suarum administrationem habet. quam liberiorem circa bona Ecclesiæ antiquitus habebant Prælati, sed constitutionibus Leonis, Anastasii, Justiniani,*
74. *Caroli M. Capitularibus,*
75. *Conciliis, & Pontificum decretis sub variis pœnis restricta est.*
76. *Rerum Ecclesiasticarum alienatio repugnat fundationis, dotationisque causis,*
77. *Ac menti Fundatorum.*
78. *Constitutiones Pontificiæ a Germanis quoad punctum prohibitæ alienationis in totum non sunt receptæ.*
79. *Cur in totum non fuerint receptæ.*
80. *Ligantur Prælati indistinctim Canonum placitis, si de alienatione notabilis partis bonorum agatur.*
81. *De jure communi in materia alienationis Patroni consensus non requiritur.*
82. *Neque in Recessibus Imperii aliud, quam defensio Ecclesiæ supremo Advocato commendatur.*
83. *Requiritur tamen sæpe consensus Advocati, vi pacti vel consuetudinis.*

84. *Unde evenerit, quod Ecclesiæ Advocatis tantum tribuerint.*

85. *An consensu S. P. in alienatione opus sit,*

86. *An indistinctim.*

87. *In praxi S. P. consensus non requiritur, tenentur nihilominus Prælati solennia adhibere in alienatione rerum Ecclesiasticarum, & quando?*

88. *Excipiuntur res immobiles exigui valoris, & mobiles non pretiosa,*

89. *Res infeudari solitæ, quænam tales dicantur.*

90. *Continuatio.*

91. *An etiam Prælatus feuda oblata sine solennitatibus in feudum concedere possit.*

92. *De justis alienandi causis,*

93. *An res sacræ,*

94. *Ecclesiæ, & Monasteria in feudum dari possint,*

95. *Et quo sensu in investituræ chartis venerint.*

96. *Num Carolus M. Decimas suæ mensæ reservaverit,*

97. *Quod negatur,*

98. *Ipsi Episcopi Decimas Laicis in feudum dederunt, quarum alienatio postea in Concilio Lateranensi severissime probibita est.*

99. *An Decimæ ante dictum Consilium in feudum datæ, & reversæ, a Prælato iterum in feudum dari possint.*

100. *Alienatio decimarum ex justa & urgente causa in Concilio Lateranensi non videtur esse probibita.*

101. *Jus Patronatus tanquam accessorium fundi recte in feudum datur.*

102. *Bona mensalia ex Decreto Urbani II. alienari non possunt.*

103. *An* Tituli *significent bona mensalia,*

104. *Episcopi armis vindicabant bona mensalia ab Antecessoribus alienata,*

105. *Et jurant, quod mensalia alienare nolint.*

106. *Quid ratione mensalium olim legitime alienatorum & reversorum dicendum sit.*

107. *Judicium Imperatorum, & parium curiæ in puncto mensalium alienatorum.*

108. *Quan-*

## §. LXXIII.

Feuda nemo constituit, nisi liberam rerum suorum administrationem habeat, cum datio in feudum species sit alienationis. Sequitur nec a Prælato sine solennitatibus in jure præscriptis feuda constitui posse, quod tamen olim major illorum circa bona Ecclesiastica disponendi potestas fuerit, tralatitium est, & Leo Imperator primus fuisse videtur, qui alienationem bonorum majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ S. scil. Sophiæ vetuit, *a*) quam legem Anastasius confirmavit, atque sua constitutione omnes Ecclesias Patriarchatus Constantinopolitani comprehendit. *b*) Verum, cum hoc ipso reliquis Ecclesiis non satis consultum esset, abrogatis prioribus novam desuper sanctionem *c*) tulit Imperator Justinianus, eamque ad Xenodochia, Nosocomia, Monasteria, Ptochotrophia, Gerontocomia, ac omnes causas pias, & Res Ecclesiasticas extendit.

*a*) L. *Jubemus.* 14. C. de *SS. Eccl.*

*b*) Constitutionis hujus mentionem facit Justinianus *in Novella* 7.

*c*) *Nov.* 7.

## §. LXXIV.

Ad exemplum Imperatorum Orientalium etiam CAROLUS M. alienationem rerum Ecclesiasticarum severissime prohibuit, *nulla, inquit, sub Romana ditione constituta Ecclesia, vel Xenodochium, Ptochotrophium, vel Nosocomium, vel orphanotrophium, vel gerontocomium, vel brephotrophium vel Monasterium, tam Monachorum, quam Sanctimonialium, Archimandritam habens, vel Archimandritissam, contra hoc agere præsumat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, sive domum, sive agrum, sive hortum, sive rusticum mancipium, vel panes civiles, neque creditoribus specialis hypotheca titulo obligare. Alienationis autem verbum continet venditionem, donationem, permutationem, & Emphyteuseos perpetuam contractum. Sed omnes omnino Sacerdotes ab hujusmodi alienatione se abstineant,*

*neant, pœnas timentes, quas leonina minatur. a)* nec minorem rerum Ecclesiasticarum curam habuere successores. *b)*

*a)* Carol. M. & Lud. *Capit.* L. 1. t. 8. lib. 2. tit. 29.

*b) Decret. Comit. Aquisgran. sub Ludov. Pio tit.* 30. *ejusd. Imperatoris statutum in Comitiis Theodonis villanis anno* 821. *tit.* 29. *Conradi II. constitut. in Comitiis Spirens. anno* 1039. *Wilhelmi de anno* 1255. *apud* GOLDAST. *consl. Imper. t.* 3.

## §. LXXV.

Quanta SS. Patrum sollicitudo fuerit, ut saluberrimis constitutionibus bona Ecclesiæ conservent, colligere est ex Concilio Carthaginensi IV. *Can.* 32. ibi: *irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel communicatio rei Ecclesiasticæ absque conniventia, & subscriptione Clericorum*, & in Concilio Carthaginensi V. *Can.* 4. statutum est, ut nequidem alienatio cum consensu Cleri, & Episcopi, sed accedente primum Metropolitano subsistat. Summos Pontifices æque severissimis comminationibus distractiones rerum Ecclesiæ prohibuisse, notum est ex BONIFACII *Canone* 3. *Caus. XII. quæst.* 2. & *Can.* GREGORII 12. *cit. caus. & quæst.*

## §. LXXVI.

Ipsa adeo fundationum, dotationumque causæ omnem alienationis speciem abhorrent, cum ejusmodi bona vel ad resistendum paganis, vel expugnandam gentium ferociam, vel conciliandum Ecclesiis splendorem, & honorem, aut acquirendam protectionem, aut peccatorum remissionem, animarumque suarum salutem, *a)* piis Cleri precibus consequendam concessa fuerint, quæ latius persequitur, atque ex ipsis fundationum, dotationumque chartis eruditissime probat plurimum Reverendus & Clarissimus LUDOVICUS PHILIP. BEHLEN. *b)*

*a) Omnes quoque paludes, infra sive juxta Albiam positas, cultas, & incultas, infra terminos ejusdem Parochiæ ponimus*; ut transalbiani se & sua ab incursu paganorum, qui sæpe timendus est, securius in his locis occultare queant. *Et ut hæc nova constructio* periculosis in his locis cœpta subsistere valeat, *quandam cellam Turholt vocatam, tam huic novæ constructioni, quam Archi-Episcopi, Successorumque suorum in gentibus legationi perenniter servituram* ad nostram nostræque sobolis perpetuam mercedem Divinæ offerrimus Majestati. *Res itaque præfatæ sedis & jam dicti Monasterii* sub plenissima defensione, & immunitatis tuitione volumus, ut consistant, *ut liceat venerabili Archi-Episcopo prædicto, suisque Successoribus, ac omni Clero sub eorundem legitime constituto*, quiete in DEI servitio gerere, & pro nobis, proleque nostra, atque statu totius Imperii *Divinam Misericordiam exorare.* Ludovici Pii diploma de *fundat. Archi-Episcop. Hamburg. apud* PETRUM LAMBECIUM *in Collect.* LINDEBROG. Scriptor. Septentr.

*b)* In

b) In doctiss. Differtat. de *cauf. Secularifat. illegit. & legit.* §. 37.

## §. LXXVII.

Quid dicam de mente fundatorum, eorumque comminationibus, execrationibus, & diris imprecationibus, queis usurpatores bonorum Ecclesiasticorum persequuntur, omnemque alienationem sub temporalis salutis jactura, & æterna damnationis pœna prohibent? Horrendæ in eo sunt fundationum formulæ; sic passim legitur: *SI QUIS ABBAS, VEL MONACHUS, VEL CLERICUS, SEU LAICUS BONA VEL HOMINES A MONASTERIO AUFERRE VEL ALIENARE MOLIATUR, FIAT EXTORRIS. FIANT FILII EJUS ORPHANI. FIAT UXOR EJUS VIDUA. IPSE COELESTIS GAUDII EXTORRIS EXISTAT. NOMEN EJUS DE VITÆ LIBRO DELEATUR.* Cum itaque alienatio rerum Ecclesiasticarum tot sanctionibus, tot Imperatorum, Consiliorum, & SS. Pontificum decretis, atque fundatorum imprecationibus vetita sit, quæritur: qui ergo Prælati feuda contra has leges constituere potuerint?

## §. LXXVIII.

Non potuissent sane Ecclesiarum Administratores in partibus Orientalibus, & quocunque Imperatorum authoritas se extendebat, vel minimam terræ glebam alienare. In Germania vero hæc statuta nunquam recepta, aut usu comprobata fuisse, docent viri in Jure, & Praxi versatissimi a) & „Canonis „*nulli liceat* 3. nec non Can. *res in Episcopatu* 12. C. XII. quæst. 2. (quibus a „Bonifacio & Gregorio alienationes rerum Ecclesiæ prohibentur) apud bellicosum Germanorum populum exigua sæpe cura habita est, & frena leges re„mittebant: imo ipsi Præsules delectabantur HERESCHILDIS, sive suis mi„litibus beneficiariis ad pompam, & ostentationem, ut Chronicon Laurishei„mense probat. b)

a) Perillustris L. B. de CRAMER Wetzlarische Neben-Stunden 12. Theil. p. 39. ibique *citati.*

b) BROWERUS *Annal. Fuldens.* p. 270. 271.

## §. LXXIX.

Fuit igitur juxta Browerum ostentatio, quæ legum observantiam sustulit, aut Canonum rigorem nunquam admisit, quod pro uno alterove casu transmittimus. Verior autem rei causa in eo constitisse videtur, quod turbida tempora frequentes invasiones, & moræ pericula sæpius solennitatum ambages respuerent, sicque invaluerit demum, alienationes etiam rerum Ecclesiasticarum ratas haberi, licet aliqua solennitas de jure Canonico alias requisita deficeret,

 dummo-

dummodo nulla appareret læsio. *a*) Falleris nihilominus summopere, si omnes solennitates in nostris terris sublatas esse autumes. Hic tamen pauciores, alibi plures exiguntur, dependet itaque a consuetudine diversa.

*a*) Vid. VAN ESPEN Jur. Eccl. Univ. P. II. tit. 26. §. 40. ibique cit.

## §. LXXX.

Distinguunt etiam inter Prælatos im- & mediatos, illis plus, his minus tribuendo; sed in causis saltem gravioribus, ubi agitur de alienatione notabilis partis bonorum nullam inter eos statuimus differentiam, & in tantum canonum placita, *a*) quæ alienationes sine solennibus factas nullas, & irritas declarant, omnino vigere, per consequens sine consensu Capituli ejusmodi distractiones neutiquam valere indubitanter tenemus; atque in hoc sensu Conradi II. Imperatoris constitutio, *b*) quæ terminis quidem latioribus concepta est, accipienda esse videtur, ibi; *Si quis autem Præsul absque eorum consensu & collaudatione eadem bona abalienare, vel militibus suis in beneficium dare, vel in proprium usum transferre voluerit, ipsi Fratres ad nos, nostrosque successores refugium habeant.*

*a*) *Caus. XVII. quæst.* 4. *c.* 1. 2. 3. 4. 5. 12. 13. 15. 39. 40. & 41.

*b*) Apud GOLDAST. const. Imp. t. 3. p. 12.

## §. LXXXI.

Et Patroni consensum sæpius requisitum fuisse observamus. De Jure tamen Canonico circa administrationem bonorum Ecclesiæ ei nihil concessum legitur, imo hac in re Patronis Laicis ne quidquam competere potest, *a*) quibus solum injungitur, *ut, si Sacerdotem, seu Ministrum aliquid ex collatis rebus prævideriní defraudare, aut commonitionis honesta conventione compescant, aut Episcopo, vel Judici corrigenda denuncient. b*) Est itaque solum cura bonorum Patronis commendata, & nullibi in alienatione eorum partes esse, statuitur.

*a*) *Cap. nullus* 18. *cap. non placuit* 23. *cap. si quis* 25. *caus.* 16. *q.* 7.

*b*) *Cap. filiis cit. caus. & quæst.*

## §. LXXXII.

Neque in Recessibus Imperii plus tribuitur juri Advocatiæ, ubi soli defensionis ac Protectionis termini præfiguntur. vid. Recess. Trevir. & Colon. de anno 1512. t. 1. §. 4. ibi: Daß wir als rechter Vogt, und Schirm-Herr der Christlichen Kirchen ꝛc. Recess. Wormat. de anno 1518. §. Erstlich. der gantzen Christenheit Schutz- und Schirm-Herr. Recess. Spirens. de anno 1529. §. 1. item de anno 1541. §. 19. in omnibus Capitulationibus a Carolo V. et-

eadem repetuntur, & in Capitulatione perpetua artic. 1. Der erwählte Römische König und Kayser soll, und will die Christenheit, den Stuhl zu Rom Päbstliche Heiligkeit, und Christliche Kirch, als derselben Advocat in guten treulichen Schutz halten.

## §. LXXXIII.

Quod igitur circa administrationem, & consensum in oppignorando, alienando, &c. sibi quædam arrogent Patroni, non jure communi, sed pactis peculiaribus, aut consuetudine, & observantia innititur; cum vel in fundatione vel dotatione ejusmodi Prærogativas & jura sibi expresse reservaverint, quidquod majora illis non raro ab Ecclesiis ipsis transactione concessa fuerint, ut jus sequelæ, collectæ &c.

## §. LXXXIV.

Fuit sæpius Ecclesia vel motibus in- vel externis adeo convulsa, ut consultum duxerit implorare consensum Advocatorum, quorum potentia, & viribus, ea, quæ in Monasterii utilitatem constituta sunt, firma manerent; sicque successu temporis jure prætendebant Advocati, ut imposterum ejusmodi alienationes, vel alii actus, ad quos illorum consensus antea requirebatur, nulli essent, nisi cum illorum consilio, & approbatione fierent, ad antiquam provocantes observantiam, quæ in multis locis hodiedum adhuc durat, & ne a Prælatis quidem in controversiam deducitur; imo ab ipsis Successoribus alienationes sine consensu Advocati factas irritas & nullas proclamari compertum habemus. *a)*

*a)* Historischer Abriß in caus. des Closter Reichenau contra Seine Hochfürstliche Gnaden zu Constanz.

## §. LXXXV.

De consensu Summi Pontificis multis disputatur, utrum illo in alienationis materia opus sit, propter text. jur. can. *cap. fin. de reb. Eccles. non alien. in 6.* & cap. *ambitiosæ unic. Extravag. commun. eod.* ubi alienationes rerum Ecclesiasticarum sine consensu Summi Pontificis omnino nullæ declarantur: *alienanti vero bona Ecclesiarum Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali seu Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes, sub interdicto hujusmodi animo (quod absit) perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem a regimine & administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterii cui præsidet in spiritualibus & temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Prælati, Commendatarii & aliarum Ecclesiarum Rectores, beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus,*

*bus, Personatibus, administrationibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura & sine cura, cum sæcularibus, & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipso facto privati existant.*

## §. LXXXVI.

Hanc ipsam extravagantis sanctionem indistinctim loqui cum aliis contendunt JOAN. ANDR. *a*) ABBAS *b*) AZOR. *c*) Sed vereor, ne claro juris textui violentiam inferant; loquitur enim extravagans de bonis *immobilibus & mobilibus pretiosis, ex quibus Monasteria, & pia loca reguntur, illustranturque, & eorum Ministri sibi alimoniam vendicant*; ubi ergo de Mensalibus, aut fundationis, aut pretiosioribus rebus, quarum distractione magnum Ecclesiæ infertur præjudicium, nulla quæstio est, sufficient solennitates in prioribus constitutionibus requisitæ, & in tantum jus antiquius nullo modo correctum, sed renovatum & confirmatum est in ipsa extravag. *Prædecessorum nostrorum constitutionibus, probibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innovamus in suo robore permansuris.*

*a*) *C. ult. de rebus Eccl. alien. vel non.*

*b*) Ibidem num. 7.

*c*) *P. 2. lib. 9. cap. 1. q. 9.*

## §. LXXXVII.

Pro praxi idem notamus de extravag. quod de constitutionibus BONIFACII & GREGORII diximus (LXXVIII.) imo nullum, vel rarissimum extravagantis usum esse, ipsa testatur experientia, & BALD. REDOAN *a*) tunc tantum extravagantem *ambitiosæ* locum habere docet, si usu recepta esse probetur, ita, ut eam allegare non sufficiat; quare WESSENBECIUS, *b*) Ernest. COTHMANNUS, *c*) MOLINÆUS *d*) Petrus HEIGIUS *e*) Viri doctissimi statuunt, non obstante hac sanctione Prælatis, Ecclesiarumque Rectoribus Germaniæ liberiorem circa res Ecclesiasticas disponendi facultatem competere; quod verum puto, si de consensu Summi Pontificis quæstio sit, cæteras vero solennitates quoad res majoris momenti in regula, nisi de consuetudine contraria constet, observandas esse, atque pro receptione canonum in eo præsumi affirmo.

*a*) De *Simon. mental.* 12. *rubr.* 28. *cas.* 8. *num.* 20.

*b*) Conf. 56. num. 23. lib. 2.

*c*) Conf. 28. num. 111. lib. 1.

*d*) Conf. 44. num. 3. lib. 1.

*e*) Quæst. 34. num. 19. p. 1.

## §. LXXXVIII.

Sunt tamen casus, ubi Prælatus bona Ecclesiæ alienare potest, quin præscriptas solennitates adhibeat, *terrulas enim, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longe positas, & parvas Episcopus sine consilio Fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habet potestatem,* a) a potiori res mobiles non pretiosas b) & pretiosiores sive mobiles, aut immobiles, si periculum sit in mora; in similibus enim circumstantiis lex pro homine decretum interponit, atque requisita juris communis supplet. c) Ast de his latius & ex professo agunt Canonistæ ad Libr. III. *Decretal.* Tit. XIII. *de reb. Eccles. alien. vel non.*

a) *Can.* 53. *caus.* 12. *quæst.* 2.

b) *Cap. ambitiosæ unic. commun. de reb. Eccl. non alien.*

c) D. Correferens apud Gylmann Decis. 51. n. 47. l. 2.

## §. LXXXIX.

Res etiam infeudari solitas sine consensu Capituli reinfeudari posse, communis docet, atque ex ipsa extravag. firmatur. Quæ vero infeudari solita dicatur, in eo variant Doctores. Aliqui 1.) tempus immemoriale requirunt. Alii 2.) triginta annos. Nonnullis 3) decem anni sufficiunt *arg. l. ult. C. de emancip. liber.* Nobis harum nulla arridet sententia; nam ad 1.) immemoriale tempus in eo solum casu requirimus, ubi præscriptæ solennitates non intervenerunt. Ad 2.) notum est, res & bona Ecclesiastica tantum tempore 40. annorum præscribi, & ad 3.) liquet, quod lex citata de bonis Ecclesiæ non disponat, & tempus longævum non semper decem annis circumscribatur.

## §. XC.

Hinc non desunt, qui rem arbitrio judicis committunt, cum in jure nihil definitum sit. Sed vaga hominum arbitria sunt, nec unquam illuc recurrendum est, quoties quid regula certa constringi potest, quam in hoc assignamus: quod feudum olim ex Patrimonio Ecclesiæ solenniter constitutum sit res infeudari solita, licet ex accidenti contingere possit, ut lapsus annorum desideretur; si nempe in prima infeudatione defectus occurrit, qui lapsu 40. annorum tollitur, & Ecclesia a revocatione Feudi excluditur. Cæteroquin nulla temporis ratio habenda est, nec enim de præscriptione, aut consuetudine infeudandi quæstio hic movetur, sed de re solum infeudari solita, quæ sine solennitate a Prælato in feudum dari potest; a) imo in quibusdam locis Episcopi obligantur vi statuti, ut feuda ad Ecclesiam reversa iterum aliis concedant. b)

a) Boehm. Differt. de Feud. Eccles. cap. 2. §. 9.

b) Statut. Monaster. Und soll der keines behalten, sie wären durch ihre Mannschafft, und alsdann soll er die nicht bel Tag, und wofern inwendig die Zeit niemand von denen oder weiblicher Geburt erschinen, wie sie sollen, so sollen hen etwann einer tüchtigen Persohn, und die keiner Wei fel zu eignen.

## §. XCI.

Huc refert sæpe laudatus BOEHMERUS Feudi Laicorum originem trahunt, atque hæc, ut res infeuc tatibus a Prælato reinfeudari posse existimat, quod nihi oblata alienando decedere videatur; ideoque hæc alien nico nullatenus prohibita sit. Verum eodem fundame siæ donatam in feudum dare, vel hæreditatem aut legat posset, quod nec ipse celeb. Author admittet; latius e tio a Canonistis, in quantum etiam dimissiones juriu obstat, quod sine consensu Capituli e manu Laicorum nam differentiæ ratio satis patet, quod oblationem acc dat Ecclesiæ conditionem, & de jure quæsito nihil di quæstionis ultimo gentis mortuo consolidatur dominiun que res tota pleno jure ad Ecclesiam pervenit, de quo posuit. Et quæstio est, si absque conditione res ad E in feudum alteri etiam data fuisset, quæ offerenti conce lato alienationem in genere prohibitam esse, non potei nare, nisi in casibus Jure Canonico, aut consuetudin jus reinfeudandi feuda oblata nulla reperitur exceptio, la communi, quod ejusmodi alienatio nulla sit sine sole ctatu prævio & consensu Capituli consistunt. a)

a) C. sine exceptione 52. caus. 12. quæst. 2. c. 1. & 2.

## §. XCII.

Præterea notandum est, quod nudæ solennitates ra simul requirant, ut justa alienationis causa intercedi clesiæ, ut si res sit sterilior, atque pro distracta habe tione Patrocinium acquiratur, vel quocunque modo bo tur. a) Item 2.) propter æs alienum, si aliter Ecclesi ta exonerari nequeat. b) 3.) in redemptionem captivor mines auro, & argento pretiosiores, ut earum servan argenteave ornamenta alienari queant. c) Demum e

major utilitas alienatione, quam conservatione rerum, in Ecclesiam redundat, aut singularis pietas, vel necessitas distractionem exigat, justa est alienatio.

a) Can. sine except. 52. XII. quæst. 2. b) Can. ea enim §. hoc jus X. qu. 2. c) Can. sacrorum 15. & Can. aurum. 70. XII. qu. 2.

## §. XCIII.

Alienari, vel in feudum dari possunt res omnes, quæ sunt in commercio humano. Excipiuntur itaque res sacræ, quæ rite per Pontifices DEO sunt consecratæ, vel piis usibus destinatæ, veluti ædes sacræ, calices &c. hodie etiam, cum benedicantur, cœmeteria. Medio tamen ævo & serius non deerant exempla, quod ipsæ res sacræ in feudum datæ fuerint. Sic Carolus IV. Imperator profitetur apud BROWERUM a) *quod a BALDUINO Archi-Episcopo Turinensi præter alia in feudum recognoscat septuaginta duas* Ecclesias matrices *cum juribus Patronatus, decimis &c.* & Monasteria dono data esse colligitur ex Charta apud SCHANNAT b) *Nos simul trademus sicut supra dictum in Wagenheimere Marca*, i. e. *ILLAM ECCLESIAM ET MONASTERIUM CONSTRUCTUM CUM ILLIS SANCTORUM RELIQUIIS, & cum omni proprietate, i. e. tam terris, sylvis, campis, pratis, pascuis, qualiter & quomodo hæreditatum a parentibus, & a nobis elaboratum, aut acquisitum sit.*

a) *Annal. Trevir.* t. II. p. 218.

b) *Tradit. Fuldens.* p. 82.

## §. XCIV.

Atque frequentiores Ecclesiarum, Monasteriorumque infeudationes fuisse, patet, quod Prælati desuper Privilegia impetraverint, *ut nullus Rex habeat licentiam Monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare.* a) Ubi tamen res sacræ in feudum datæ fuerunt, innoxius semper usus, & fini conveniens servari debebat. Ratio autem, cur tunc temporis nequidem rebus sacris parceretur, e dura necessitate petenda est, quod Ecclesia potenti defensore indigeret, hancque justam, & in ipsis Canonibus approbatam alienationis causam esse (XCII.) diximus.

a) Vid. *Privilegium Innocentii III. Monasterio Gandersheimensi concessum apud* LEUCKFELD. p. 81.

## §. XCV.

Debebant itaque sacri Præsules in ejusmodi alienationes consentire, cum de salute, & bono Ecclesiæ ageretur, simulque alii ad fundationes allicerentur si ipsis jus quoddam ex his bonis alios beneficio devinciendi salvum maneret,

quæ altera horum feudorum ratio fuisse videtur. Præterea probe notandum esse volumus, ipsas has donationes, & infeudationes non tam crude, ut quidam faciunt, accipiendas esse, ac si ipsæ res sacræ qua tales in feudum collatæ fuissent, licet de his in donationum, fundationumque Chartis (XCIII) mentio fiat; nam illæ potius tanquam sub universitate bonorum comprehensæ, ut jus Patronatus fundo inhærens accessorie veniunt, quam quod principaliter aut donatæ, aut in feudum datæ sint. Quis enim earum *quæ sacrarum* usus fuerit, aut esse potuisset? nunquam igitur res sacræ, sed Ecclesiasticæ proprie in feudum datæ fuisse mihi videntur.

## §. XCVI.

DECIMAS a Carolo Martello querelante Ecclesia in feudum datas esse nemo est, qui nesciat. Eandem notam inurit Carolo M. GOBEL PERSONA apud Clariss. STRUVIUM *a*) dum dicit: *Et licet decimæ de Jure Divino spectare noscantur ad Sacerdotes, Carolus tamen Magnus decimas, in his partibus mensæ Regis reservavit. Et inde est, quod Laici in partibus istis decimas obtineant. Et quia nondum omnes fidem Christianam susceperant, non erat tutum adhuc, in locis prædicatis Episcopos ordinare.* Adhæret GOBELIO RHETIUS, *b*) qui ex eo in Saxonia decimas a Carolo M. neutiquam Clero concessas fuisse affirmat, quod Otto M. & Successores non paucas earum in Ecclesias transtulerint. Verum quot satis demum evenire poterat, ut & Laici, & Imperatores ipsi decimas ab ætate Caroli M. usurparent, quæ a pientissimo Imperatore Ottone I. tanto Ecclesiæ Protectore restituerentur?

*a*) *In not. Element. per feud.* §. *XC.*

*b*) *Instit. I. P. Lib.* 1. *tit.* 2. §. 85.

## §. XCVII.

Hinc vero simillima adhuc videntur, quæ LUPOLD a BABENBERG *de zelo veter. Germ. Princip.* scribit: *in tantum Carolus M. fidei Catholicæ dilatationem relatus extitit, ut omnes Saxones, qui multum idolorum cultui dediti erant, pro conservanda fide Catholica sub anno 803. ab omni tributo exemerit, eosque totius agriculturæ, & nutrituræ Decimas DEO, & ejus Sacerdotibus dare jussit.* & ex Capitularibus Caroli M. RHETII sententia oppido falsa apparet, ibi *a*) enim statuitur, ut *unusquisque suas decimas donet, & per jussionem Episcopi dispensentur.* quod in ipsa capitulatione de Partibus Saxoniæ confirmatur. *b*) *Et hoc Christo propitio placuit, ut undecunque census aliquid ad Fiscum pervenerit, sive in Frido, sive in qualicunque Banno, & in omni redibutione ad Regem pertinens, decima pars Ecclesiis, & Sacerdotibus reddatur.* Ipse ergo Carolus M. de decimis a quocunque,

que, & ex reditibus Fiſci ſolvendis, ac ablatas reſtituendis (IX.) tot ſanctiones fecit, ut nullatenus probabile ſit, in ſola Saxonia eas menſæ ſuæ reſervaſſe.

a) *Lib.* 5. *cap.* 123.

b) Tit. 16.

## §. XCVIII.

Acceperunt tamen Laici ante Conſilium Lateranenſe ſæpius ab ipſis Epiſcopis decimas, atque poterant illas vel ſub lege fidelitatis, vel meliorationis accipere, quia, ut ratiocinatur P. Engel, a) non jus directum, & ſpirituale, ſed utile & temporale acquirebant. Recte habet Clariſſimus Author, ſed ne hoc quidem, Dominium ſcil. utile vi Concilii cit. ab Eccleſia perpetuo licet avellere, quia in Concilio Lateranenſi b) illuc reſpiciebatur, ne profuſa decimarum alienatione Verbi Divini Miniſtris alimenta demum ſubtraherentur, atque ſuſtentatione congrua carere deberent.

a) *Colleg. univ. Jur. Can.* L. 3. tit. 30. num. 2. 3.

b) Cap. 19. & *ult.* de *decimis.*

## §. XCIX.

An non ſaltem Decimæ ante Concilium Lateranenſe in feudum datæ, ſi ad Eccleſiam revertantur, iterum in feudum concedi queant, multis diſputatur. Communior tamen eſt, has, etiam ſine ſol[illegible]bus in beneficium concedi poſſe, a) cum enim juxta mentem horum Authorum Concilium Lateranenſe alienationem in futurum prohibeat, antea alienatæ legitime poſſidentur, & tanquam res in feudum dari ſolitæ habentur. Deinde Concilium Lateranenſe eſt lex correctoria, quod ergo non prohibuit, licebit ſecundum antiquam conſuetudinem, & obſervantiam. Verum, ſi rem penitius conſiderem, vix eſt, ut procedat hæc opinio; fuerunt enim ſemper Pontifices, Imperatores, & Patres in Conciliis maxime ſolliciti, ut decimas ab Eccleſia avulſas recuperarent, ſacriſque locis reſtituerent, (IX.) (XI.) quod cum efficere non potuerint, ſaltem in futurum medelam adhibere, neutiquam alienationes antea factas approbare (XI.) vel utpote legitimas pronunciare voluerunt Patres Concilii, Manſit itaque obligatio Eccleſiis illas reſtituendi, & Prælatis eas redintegrand. cura incumbit. Hæc de rigore, & ſecundum illorum principia, qui ſine diſtinctione omnem decimarum alienationem in dicto Concilio prohibitam eſſe contendunt.

a) ROSENTHL *de Feud.* cap. IV. concluſ. 27.

## §. C.

Videtur tamen Conſilium Lateranenſe non omnem alienationem decimarum,

rum, si etiam ex necessitate, vel justa fiat causa, prohib
rariis & promiscuis quorundam Antistitum distractionib
obicem posuisse; & certe diu post Concilium Laterane
mas non una vice alienatas esse probatu haud difficile eri
fectu, utrum ante Concilium Lateranense decimas tibi
posthac datas, cum in priori casu Titulus præsumatu
omnis præsumptio contra Laicum militet.

§. CI.

Jus Patronatus, licet de jure communi Titulo *fu*
*& dotationis* acquiri, & possideri possit, tamen non est i
quam spirituale, seu spirituali annexum habeatur; ade
vendi, aut pro re aliqua temporali sub pœna excommu
facto amittendi, *a*) permutari nequit. *b)* Bene tamen c
hæret, tanquam accessorium *c*) transfertur, ubi nequid
requirimus.

*a*) Trid. Seff. 25. de Reformat. cap. 9.

*b*) Cap. de Jur. 16. De Jur. Patron.

*c*) Idem dicimus de Jure constituendi Sacerdotem ad alta
RAGIUM, Altar-Lehen.

§. CII.

BONA MENSALIA nullatenus alienari vel in f
rique tradunt, propter constitutionem Urbani: *Si E*
*Abbatissa, vel Dominus plebis feudum dederit, de rebus E*
*jecti sunt, & TITULI vocantur: nullum habent vigore*
*constitutum est a Papa Urbano in sancta Synodo, hoc est, il*
*tum fuerit datum. Quod autem ante decretum fuerit datum*
*bet. a)*

*a*) I. f. 6.

§. CIII.

Per TITULOS aliqui intelligunt Ecclesias Paro
sancti gerunt, ut hodienum Ecclesiæ ad S. Petrum, J
suoque sensu illas denotari posse, ipsi concedimus. I
TITULIS comprehendi probabile, imo verius videtur
salia, *talia bona, quæ ad fundationem Episcopatus, & ad*
*statusque ejus destinata sunt.* Hæc vero TITULIS be
manifestum facit usitatissimus loquendi modus; sic con

piet TITULUM Mensæ. MENSALIA itaque congruam sustentationem omnino significant, atque ex frequentissima vocis usurpatione.

## §. CIV.

Sicut igitur Parochialium Ecclesiarum, ita mensalium bonorum alienatio vi cit. constitutionis prohibita, & nulla est, ut successores non dubitaverint ejusmodi bona, utpote nulliter distracta, vi & armis vindicare, in cujus rei testimonium notabile mihi occurrit exemplum de RUDPERTO Coloniensi Archi Episcopo: „Is nimia paupertate, & inopia pressus, cum habere non posset, unde juxta decentiam status sui viveret, consilium, & auxilium Capituli „simul, & vasallorum invocavit Omnia enim castella, oppida, & thelonea, „cum reditibus, & proventibus eorum, unde Pontifices vivere solebant, & sta„tum manutenere dignitatis, per Antecessores ejus fuerant impignorata pro „summis pecuniarum maximis: & MENSA Episcopalis in ultimam pene re„dacta paupertatem -- rem armis aggredi statuit -- & plura Ecclesiæ bona, „quæ fuerant alienata, recuperavit.“ a)

a) Joan. TRITHEMII *Histor. belli Bavar. ad ann.* 1468.

## §. CV.

Jurant etiam Episcopi, quod possessiones ad mensam ipsorum pertinentes non vendere, nec donare, nec oppignorare, nec de NOVO INFEUDARE, vel ALIQUO MODO INFEUDARE velint, etiam CUM CONSENSU CAPITULI Ecclesiæ ipsius inconsulto Romano Pontifice; quodsi ad aliquam alienationem pervenerint, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere velint. Non destituitur itaque suis rationibus illorum sententia, qui indistinctim bonorum mensalium alienationem prohibitam, & nullam esse arbitrantur, & ex iis ipsa adeo Canonum observantia satis probari videtur.

## §. CVI.

His tamen non attentis quoad bona mensalia saltem olim legitime in feudum data, & reversa in contrarium abit Cel. BOEHMERUS „liquet, ait, „ex ejus circumstantiis (loquitur de decreto URBANI II.) ibi actum fuisse de „revocandis *Ecclesiis*, & *decimis*, quæ secundum morem illius temporis promiscue, & *sine urgente aliqua necessitate* a Laicis *jure beneficiario* possidebantur, adeo „ut ordinarii Ecclesiarum Pastores vix haberent, unde viverent, & hac de causa „inertes, famelici, & jejuni Pastores sæpe Ecclesiis essent præponendi. Mi„nime ergo hoc decretum adeo extendendum est, ut etiam illa bona mensalia „quæ olim legitime in feudum data, & sic *infeudari solita* facta sunt, QUIBUS

HODIE

HODIE ECCLESIA carere poteſt, complectatur. Grave eſt Cl. Authoris judicium, conjectura ejus ævi circumſtantiis multum accommodata, ſed Decretum URBANI loquitur indiſtinctim, & ipſa BOEHMERI ratio generalis eſt, quæ comprehendit æque bona de novo alienanda, ac bona menſæ olim alienata; poſſidet enim ſæpe Prælatus ampla adeo menſæ bona, ut uno alterove fundo carere poſſet, quos ergo, ut prædia reverſa, adhibitis cæteroquin ſolennitatibus ſine conſenſu Summi Pontificis non obſtante etiam juramento alienare poſſet; in quo Bœhmerus quidem haud difficulter etiam conſentiet, ſed durum eſt contra conſtitutionem Pontificiam, & juramentum ab Epiſcopis præſtari ſolitum tale quid aſſerere.

## §. CVII.

Hæc dum ſcribo, opportune mihi in mentem venit judicium puncto bonorum menſæ alienatorum a Conrado III. latum, & a Friderico in conceſſu Parium curiæ anno 1153. confirmatum. Chartam exhibet Perilluſtris L. B. de SENCKENBERG, *a*) quam licet prolixior ſit, integram apponere lubet, quia non ubivis obvia eſt, & ex illa quæſtio de alienatione menſalium plurimum illuſtratur, proindeque, ut eo firmius concludatur, pleniſſima inſpectione opus eſſe videtur.

*Friderici I. Regis præceptum ſolemne confirmatorium Arnoldo II. Archi-Epiſcopo Colonienſi conceſſum, pro recuperandis Prædiis ad Menſam Archi-Epiſcopalem ſpectantibus, perperam in feudum conceſſis. 1153.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente Clementia Romanorum Rex Auguſtus. Quoniam ordinatione Excellentiſſimæ Majeſtatis in Culmine Imperii conſtituti Summam rerum gerendam ſuſcepimus; dignum duximus ſingulis perſonis, & cunctis Eccleſiis in noſtro Imperio ſitis ſua Jura inviolabiliter conſervare, & Eccleſias DEI tam Opibus, quam Dignitatibus locupletare: eo nimirum æquitatis, & noſtræ Præceptionis favore Colonienſi Eccleſiæ clementer providentes, poſſeſſiones quæ quorundam Archi-Epiſcoporum negligentia a menſa ſeu Eleemoſyna Epiſcopali alienata fuere, ſicut in conſpectu Patrui noſtri Sereniſſimi Romanorum Regis Conradi III. chariſſimo noſtro ac prudentiſſimo noſtri ævi Principe Arnoldo II. Archi-Epiſcopo ab innumeris Principibus, & tota Curia Coloniæ judicatum eſt, decrevimus auctoritate noſtræ Majeſtatis confirmare, & rei geſtæ ſeriem præſenti pagina certiſſime annotare. Colonienſis ſiquidem Eccleſia, opibus & Dignitatibus olim frequentiſſima, nunc quorundam negligentia Archi-Epiſcoporum & præcipue Friderici, qui ob quoſdam bellorum tumultus gratiam Imperatoriæ Majeſtatis offendit, & in eadem bellorum tempeſtate, bona de menſa & eleemoſyna Epiſcopali inbeneficiavit, *graviter attrita eſt, & conquaſſata,* & quia Colonienſi Sede vacante, Divina favente Gratia electus eſt ibidem in Archi-Epiſcopum Arnoldus Major in Colonia Præpoſitus, & Domini Conradi III. Romano-

Romanorum Regis Cancellarius; Vir utique præclarus genere, expertissimus prudentia, spectabilis honestate; Hic cum a Clero & populo uniformiter ac regulariter in Archi-Episcopum electus ad Pontificalem Dignitatem traheretur, & a Gloriosissimo Domino Conrado III. Romanorum Rege Investituram Episcopatus, sub obtentu Regiæ gratiæ, Ecclesia humiliter & cum lacrymarum devotione ad pedes ejus prostrata, sæpius juberetur, modis omnibus renisus est, constantissime prætendens *Episcopatum usque adeo distractum, & laceratum esse*, ut suas pro eo divitias, suam pacem pro tanta inquietudine nullatenus velit commutare, humiliter etiam proponens, se ad Pontificale onus omnino esse insufficientem: Verum Serenissimus Augustus Dominus Conradus III. Romanorum Rex, prædicti Electi personam toti Regno, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ salutiferam agnoscens, motus etiam lacrymosis precibus devotissimi Cleri & populi, eidem Electo alienatorum restaurationem, & lapsorum reparationem clementer obtulit, & firmiter promisit: posthæc vero in eadem urbe memoratus Dominus Conradus III. Romanorum Rex in celebri Curia a multis & præcipuis Regni Principibus judicium requisivit super bonis a Mensa seu Eleemosyna Coloniensi Archi-Episcopi alienatis, & iidem Principes, & tota Regia Curia Judicium dedit, quod quotidiana servitia ad Episcopalem Mensam pertinentia nequaquam inbeneficiari vel invadiari jure possint, eo *quod Regno & Ecclesiæ debeantur:* quod si quis fecerit, successori suo nullam faciat Beneficii præjudicium, vel apud eum ratum Jure Beneficii teneatur: ex hoc sano judicio piissimus Romanorum Rex Conradus præfato Arnoldo, tunc Coloniensi Electo, in omnibus bonis, quæ ab Episcopatu alienata fuerant, Regia authoritate pacem indixit; primo vero nostri Principatus anno in Burgo Tremonia a multis Principibus in nostro conspectu antefato Arnoldo venerabili Coloniensi Archi-Episcopo judicatum est, quatenus omnia bona, quæ Fridericus quondam Coloniensis Archi-Episcopus in eo bellorum tumultu, quo gratiam Imperatoriæ Majestatis offendit, inbeneficiavit, ad potestatem Archi-Episcopi redire debere, nec tales donationes, quæ contra pacem Regni factæ dignoscuntur, aliquam vim Juris habere; Secundo vero nostri Principatus anno, in Festo Pentecostes in Urbe Wormatia curiam solemnem celebrantes rogati sumus per præfatum Arnoldum Venerabilem Coloniensem Archi-Episcopum testimonium veritatis audire; unde Judicio Curiæ idem Arnoldus Coloniensis Archi-Episcopus legitimo testimonio Nobilium Virorum, videlicet Comitis de Arnisbergh, & Marcuoardi de Grumbach in nostro conspectu, & Principum præsentia comprobavit, præfatum Judicium se coram Domino Conrado Romanorum Rege Tertio Coloniæ accepisse, scilicet, ut nulli Episcoporum licitum sit bona ad Mensam pertinentia inbeneficiare vel invadiare, quod si quis fecerit, successori suo nullum faciat Beneficii præjudicium, nec apud eum ratum Jure Beneficii sive Pignoris teneatur; Inde Illustris Dux Bavariæ Henricus Patruus noster a nobis commonitus judicavit, Coloniensem Archi-Episcopum ita legitime jam dictum produxisse testimonium, ut Jure nostra sit illi auctoritate confirmandum, consequenter Judicium, approbantibus multis Principibus, quorum Nomina in testimonium hujus paginæ subternotata sunt.

Ut igitur ea, quæ ad nostram cognitionem perveniunt, & judicialis sententiæ finem accipiunt perpetuo robore illibata & inconvulsa permaneant, præsentem Paginam omni ævo valituram conscribi, & nostræ imaginis caractere signari jussimus, firmissime statuentes, ut judicium quod coram Gloriosissimo Conrado Roma-

Romanorum Rege Patruo nostro, Coloniæ, sicut præscriptum est, de possessionibus Coloniensis Episcopatus a Principibus prolatum, & in nostra postmodum præsentia præfato modo apud Wormatiam legitimo testimonio comprobatum est, judicium quoque, quod bonis Coloniensis Archi-Episcopatus per Fridericum quemdam Archi-Episcopum alienatis in nostro conspectu apud Tremoniam, sicut præscripsimus, est promulgatum, nullus hominum audeat temerare, & omnia bona, quæ præfatus Arnoldus Venerabilis Coloniensis Archi-Episcopus his fretus judiciis recollegit, scilicet Thelonium Urbis Coloniæ, & multa Episcopalia servitia, nemo ab ipsius usu & potestate, suorumque Successorum avellere præsumat: Nihilominus etiam sanximus, & in perpetuum confirmamus, quatenus quascunque possessiones idem Coloniensis Archi-Episcopus, data pecunia, Ecclesiæ conquisivit vel requisivit, ipse suique Successores perpetua pace possideant, videlicet. Udenkirchen, cum Ministerialibus cum servis & ancillis, & omnibus appenditiis suis in Wisfalia Curiam nomine Homede, Curiam quoque Aneruft. Prumeam, Segerode, Wermunte, Wynusen; Bona quoque, quæ habent Ministeriales in Geversdorp, confirmamus eidem Arnoldo Archi-Episcopo, quicquid auxiliante divino favore Ecclesiæ suæ de cætero acquirere vel colligere jure poterit, quod si quæ Sæcularis vel Ecclesiastica persona hanc nostram violaverit Sanctionem, Regiæ Majestatis offensam se noverit incurrisse, quousque a sua præsumptione manum retrahat, & pro Mandati Regii transgressione XX. libras auri in Camera nostra persolvat.

Hujus rei testes sunt *Cunradus* Wormatiensis, *Guntherus* Spirensis, *Burckardus* Argentinensis, *Cunradus* Augustensis Episcopi. *Walcherus* Majoris Ecclesiæ in Colonia Præpositus, *Albertus* Decanus, *Depoldus* Xantensis Præpositus, *Nicolaus* Abbas de Sigeberg, *Arnoldus* Præpositus S. Andreæ, *Udalricus de Sasatz* Præpositus, *Henricus* Dux Bavariæ, *Henricus* Dux Saxoniæ, & multi Principes. *De Familia S Petri*, *Hermannus* Advocatus, *Henricus de Wolmundestein*, *Henricus de Alphein*, *Adolphus Dapifer*, *Randulphus* Pincerna, *Rapoto de Udenkirchen*, *Almericus de Wormisdorp*, & alii multi.

Signum Domini *FRIDERICI* Romanorum Invictissimi.

Ego *Arnoldus* Cancellarius recognovi.

Datum in Urbe Wormatia XVIII. Kal Jul. Anno Dominicæ Incarnationis MCLIII. Indict. I. Regnante Glorioso Rege *FRIDERICO*. Anno Regni sui, II. in Christo feliciter, Amen.

*a*) Corp. jur. feud. germ. pag. 520.

## §. CVIII.

En Imperatorum & Parium curiæ judicio alienatio bonorum mensalium nulla & irrita declaratur, *1mo QUOD EJUSMODI ALIENATIONE ECCLESIA GRAVITER ATTRITA SIT, ET CONQUASSATA*, *2do QUOD REGNO*

*REGNO ET ECCLESIÆ DEBEANTUR.* Quæ, si bene ponderentur, & Pontificum Decreta & celeber. Virorum BOEHMERI, STRUVII, aliorumque sententiæ in suo robore, & authoritate persistunt; atque res perplexa non minus, quam difficilis in planum redigitur. Si enim de salute Ecclesiæ agitur, haud dubie Summi Pontificis tanquam Vicarii Christi generalis est, ut invigilet, & cognoscat, an expediat fundationis bona dilacerare, aut alienare, sicut Imperatori tanquam supremo Capiti incumbit dijudicare, in quantum systemati, & saluti Imperii expediat, si causa vel in- vel directe bonum publicum concernat, & in tantum S. P. & Imperatoris consensum requirimus. Si vero de alienatione modicæ Partis quæstio, ubi nec Ecclesiæ, nec Imperio ullum infertur præjudicium, Episcopo etiam ejusmodi alienationem adhibitis solennitatibus consuetis permissam esse non dubitamus, atque pro hoc casu valere potest cit. DD. sententia, quod constitutio Urbani II. non sit recepta.

## §. CIX.

Non ignoro quidem de Bonis fundationis, & mensalibus sæpe quæstionem motam, & coram Augustissimo privative agitatam fuisse, quin in eo ullæ Pontificis Partes fuerint, nisi in quantum spiritualia, aut, quæ disciplinam concernebant, simul ventilata sint; sed non raro etiam ipsos Pontifices ratione terrarum, & bonorum judicium tulisse, ex ipsis rerum documentis edoctus sum. Præjudicia itaque non sunt uniformia, & cur tam diverse observatum fuerit, nostrum non est hic declarare.

## §. CX.

Causa igitur cognita cum consensu Summi Pontificis, & Imperatoris tutissime dispensantur, & alienantur bona mensalia indistinctim, & de modica saltem parte, ut dictum, disponunt Episcopi, quin pœnas in Jure Canonico statutas, aut crimen perjurii incurrant; præstantur enim juramenta sub modificatione, & limitatione, nisi quatenus hujus vel illius Regionis, vel Provinciæ jura, ac consuetudines aliud permittant. Hinc optandum esset, ut ob Religionem juramenti Articuli clarioribus terminis, & Provinciarum juribus, & consuetudini conformibus exprimerentur; atque ita omnis æquivocatio, & ambiguitas, quæ in juramentis sollicite vitanda est, evitaretur, cum nonnulli articuli juramenti ab Episcopis in ordinatione præstandi, ita expressi sint, ut attento expressionis tenore, & spectatis Provinciarum inveteratis moribus sat ambiguum sit, num Episcopi suo juramento quoad hos articulos satisfacere possint. *a*)

VAN ESPEN in I. Eccl. P. I. tit. 15. num. 15.



§. CXI.

## §. CXI.

Restat, aliquid de exspectativis dicamus, quæ in iis casibus a Prælatis recte conceduntur, ubi ipsam rem iterum alteri in feudum conferre possunt. Nuda tamen exspectativa cum morte concedentis extinguitur, cum Successor Clerici non sit Hæres defuncti, nec ab eo causam habeat, sed ab electione. Et textus I f. 3 expresse dicit: *Si vero Archi Episcopus, Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa investituram ejus feudi, quod alius detinebat, eo tenore alicui dederit,* ut post decessum ejus, qui possidet, habeat: *& ante decesserit Archi-Episcopus, quam ille, qui feudum possidebat, successores eorum non coguntur eam investituram facere, vel non confirmare, etiamsi Pares ejus curtis adsint testes, vel breve testatum inde sit: nisi ille, qui investituram acceperit, nomine ejus feudi in Possessionem missus sit eo consentiente, qui detinet.*

## §. CXII.

Explicat hunc textum Bœhmerus, *a*) quod Sæculo XII. duplex exspectativarum genus, aliud simplex, aliud qualificatum invaluerit; illud in nudis promissionis terminis substiterit, hoc propter investituram abusivam, seu Canonicam institutionem jus in re acquisitum fuerit; ideoque successor præbendam vacantem conferre debuerit, quam in rem adducit Alexandrum III. c. 9. X. *de præbend.* nec praxin hanc per Concilium Lateranens. sublatam fuisse colligit ex decisione Innocentii III. *c. 19. eod. tit.* Verum quidquid in eo circa beneficia Ecclesiastica sive præbendas observatum fuerit, non tamen sequitur, idem quoad feuda obtinuisse, licet hæc cum illis multum affinitatis habuisse, atque hodienum a præbendis ad feuda recte deduci argumentum dignoscatur, quod tamen non procedit, ubi contrarium quoad feuda vel consuetudine, aut lege statuitur. Sed textus I. f. 3. jam loquitur de INVESTITURA: si INVESTITURAM *ejus Feudi - - alicui dederit - - successores non coguntur EAM INVESTITURAM FACERE, VEL CONFIRMARE.* Ergo non loquitur de exspectativa *simplici,* sed *qualificata,* de *INVESTIURA ABUSIVA ejus Feudi, quod alius detinebat.* Per consequens juris feudalis dispositio claris, & disertis verbis a praxi beneficiorum Ecclesiasticorum in eo recedit.

## §. CXIII.

Si tamen Exspectativa propter merita singularia alicui a Prælato concedatur, etsi simplex sit, successor tenetur, ut graviter pronunciavit dignissimus quondam Cameræ Assessor CASPAR KLOCKIUS *a*) in casu, quo Archi-Episcopus, & Elector Coloniensis magno Germaniæ Jurisconsulto Joachimo Mynsingero in remunerationem meritorum Archi-Episcopatui præstitorum feudum promiserat; cum enim Episcopus, aut Prælatus ob beneficia sibi qua Episcopo,

ſcopo, vel Eccleſiæ præſtita de bonis Eccleſiaſticis aliquid remunerationis cauſa licite alienare, vel infeudare queat, ſequitur Succeſſorem quoque ejus omnino hoc ſervare, & cuſtodire debere.

a) T. 2. conſ. 4. num. 71. ibi: *ad feudum duntaxat promiſſum.* & num. 86. cum ſeqq.

# CAPUT IV.

## De Jure et Obligatione Domini Directi, et Vaſalli.

### *SUMMARIA.*

114. *Jura Domini directi.*
115. *An ſine conſenſu vaſalli dominium directum Tertio cedi poſſit, quod*
116. *Præjudiciis affirmatur.*
117. *An dominium directum alteri in feudum dari queat.*
118. *In alienatione Dominii directi Clypeorum ratio habenda.*
119. *Jus conſtituendi Epiſcopos, & beneficia conferendi, quod JUS REGIUM vocant, non refertur ad fructus feudi,*
120. *Illud derivant aliqui ex Lege divina,*
121. *Et obſervantia, tum apud Imperatores Eccleſiæ Orientalis,*
122. *Tum apud Reges Francorum,*
123. *Tum apud Carolingos.*
124. *Alii ex dominio directo illud deducunt,*
125. *Quæ Canonum interpretum hac in re ſententia ſit.*
126. *Jus regium argumento ab unctione, & peritia Regum deſumpto firmari volunt.*
127. *Refutantur juris regii hyperaſpiſtæ, & demonſtratur, quod primæva Eccleſiæ inſtitutioni,*
128. *Conciliis &*
129. *Obſervantiæ repugnet.*
130. *In Electionibus vix non ſemper Cleri, & populi ratio habita eſt,*

 131. Sæpe

## §. CXIV.

Jus, quod Domino in feudo competit, consistit in DOMINIO DIRECTO, seu parte proprietatis cum facultate & fidelitatem, & servitia exigendi. Unde jura Domini, *vel ex proprietate*, vel *ex obligatione vasalli* ad fidelitatem, & servitia præstanda profluunt. *Proprietatis* effectus habentur, jus protimiseos, retractus &c. & commoda Possessionis civilis. Similiter vi hujus non modo dominium directum, sed & utile vindicat, ita tamen, ut præferatur vasallus, si concurrant. Principaliora jura, quæ ex *obligatione vasalli* descendunt, ex (§. CXXXXV.) (CXXXXVI.) facile colliguntur.

## §. CXV.

An Dominus directus Dominium directum alteri cedere possit, vasallo non consentiente, dubium est; atque majus quoad feuda Imperii: utrum id soli

ſoli liceat Imperatori, & ſi olim, an hodienum; quod non audeo affirmare. Olim tamen liberiorem Imperatorum de terris Imperii diſponendi facultatem fuiſſe, norunt omnes Juris publici cultores, atque exinde ſubfeuda Imperii, Reichs Affter⸗Lehn promanaſſe, notiſſimum eſt. Exempli loco ſint metallifodinæ Comitatus *Mansfeldenſis*, & Caſtrum *Morungen* olim feuda Imperii immediata, quorum Dominium directum Fridericus III. anno 1466. in Duces Saxoniæ Erneſtum, & Albertum transtulit, atque contradicentibus Comitibus de Mansfeld, qui tamen ipſi poſthac Sereniſſimos Duces tanquam Dominos directos agnoverunt.

## §. CXVI.

Nec deſunt præjudicia, quod ſtatus etiam Imperii aliis dominium directum ſine conſenſu vaſallorum ceſſerint. Ita Fridericus Wilhelmus Dux Saxoniæ omnium feudorum, & ſubfeudorum, quorum dominium utile civitas Erfurtenſis habet, dominium Directum Electori Moguntino anno 1666. cedebat, quin vaſallorum conſenſus interveniſſe legatur. *a*) Clarius id patet ex literis patentibus Georgii I. M. Britanniæ Regis ad vaſallos in terris Luneburgenſibus anno 1719. datis; cum enim Georgio Regi, qua Electori Rex Boruſſiæ dominium directum omnium feudorum in prædictis terris cederet, id ſolum vaſallis ſequenti modo inſinuatum eſt: Demnach Wir vor einiger Zeit mit des Königs von Preuſſen Majeſt. einen gewiſſen Tractat geſchloſſen, mittelſt deſſen Uns das Dominium directum über alle in denen Chur⸗und Fürſtlich⸗Braunſchweig⸗Lüneburgiſcher Landen belegen, und von denen Fürſtenthümern Minden, Halberſtadt, und übrigen Chur⸗Brandenburgiſchen Landen relevirende Lehen cediret, und überlaſſen worden, und Wir dann nöthig finden, ſolches allen in denen Fürſtl. Wolffenbüttelischen Landen angeſeſſenen Vaſallis mittelſt dises offenen Patents kund zu machen; als wird hiemit allen und jeden vormals Königl. Preuſſiſchen, nunmehro unſern Lehn⸗Leuten ernſtlich befohlen, daß ſie ⸗⸗ ſich deßfalls einzig und allein an unſere Lehn⸗Kammer zu Hannover halten ⸗⸗ ſollen. *b*)

*a*) LUNIG *Corp. Jur. Feud. Tom. I.* pag. 1413.

*b*) LUNIG cit. t. II. p. 1375.

## §. CXVII.

Cum itaque Senior dominium directum in alium ſine conſenſu vaſalli omnino transferre poſſit, nullum ſubeſt dubium, quin eo etiam invito dominium directum alteri iterum in feudum dare, & in feudum ſubalternum conſtituere poſſit. Aliter quidam ſentiunt de caſu, ubi dominium directum per obla-

oblationem acquisitum est, ex communi regula, quod m
qui feudum obtulit, quam alterius, qui feudum accepit
hujus consensus requiratur. Verum inter utrumque n
supra (LXVII.) diximus: licet itaque æque Dominium
nem acquisitum in Tertium omnino transferre, vel alte
ferre, ac dominium directum in bonis propriis retentu
currit de PUCHOLZ a) Domino directo non debet mi
sub-infeudationem proprietatis, quam vasallo in ordine
utilis Dominii; atqui vasallus utile Dominium invito
potest, ergo.

a) *De Feud. Bohem.* differtat. quart. §. 9.

## §. CXVIII.

Et tamen in alienatione aut in feudatione Domin
manico a) clypeorum ratio habenda, quod nullatenu
passu omnino vigere vel solum diploma a JOSEPHO I
miro de WARTENBERG datum evidenter probat, i
sere Freyheit, und Begnadigung einigen gemeinen
oder Lehenrechten Gesätzen, Ordnungen, Statuten,
kommen, und Gebräuchen zuwider wären, demselben
denen Rechten und Gebräuchen, die mitbringen, da
Eigenthum ohne Verwilligung seines Lehen-Mann
mindern Standes nicht verändern möge, und daß
von einem Lehens-Herrn mindern Standes, dann d
gewesen ist, ihre Lehen zu empfahen nicht schuldig seyn
ten Wissen gäntzlich derogiret haben wollen. b)

a) c. II. *Jur. Saxon.* c. I. *Jur. feud. Aleman.* & Cod. Ju
& tit. der seinen Schild nidert §. 1. Wenne der He
schafft genidert, aller siner Manne Güt het er domit verl
ist, und die Mann sullent ir Güt von dem obern Herrn e
su Wisen an sie ungewer, und wilet er su nidre so entphol
von dem obern Herren.

b) LUNIG. Reichs-Archiv. *Part. Special.* cent. II. VI
Herren. num. 249. pag. 390. seqq.

## §. CXIX.

Præcipuus vero, ex quo pessimæ in Ecclesiam re
jus percipiendi fructus, quo Dominus directus mortuo

feudum iterum vaſallo collatum fuit. *a*) Nam ad fructus cœperunt referre jus conferendi beneficia, Eccleſiæque tum circa officia ſacra, tum circa bona providendi, quem complexum jurium JUS REGIUM appellare conſueverunt, idque ipſum multi adeo ex Jure Divino, & obſervantia deducunt.

*a*) Inde congrue Laudemii origo deducitur.

## §. CXX.

Hoc, ut demonſtrent, confugiunt *a*) ad ſtatum Hebræorum, ubi Moyſi omnis poteſtas regendæ, & defendendæ Eccleſiæ conceſſa, ab eo ad ſucceſſores devoluta eſſe, ac ſtante republica apud illos continuo perſtitiſſe legitur; nec alibi extare potuerit, eoquod Religio, atque ceremoniæ, Ordinis Eccleſiaſtici immunitas, privilegia, & bonorum ad Eccleſiam pertinentium cuſtodia ſalutem, & tranquillitatem externam reſpiciant, *b*) ideoque etiam ab Imperatoribus ad ſeriora usque tempora hoc jus tam in conſtituendis Epiſcopis, *c*) quam in diſpenſandis Eccleſiæ bonis adſtipulante lege exercitum fuerit.

*a*) Anton. FABER. *tract. de religione regend. Lib. III. cap.* 3.

*b*) Iſaiæ 62.

*c*) LEHMAN Speyrische Chron. L. 2. c. 18.

## §. CXXI.

Et, quod Cæſares jus conſtituendi Epiſcopos jam a prima Chriſtianorum Imperatorum ætate exercuerint, ipſa hiſtoriarum monumenta evincere videntur. Sic Conſtantinus M. Athanaſii electionem, poſtquam illam Populus per literas indicaſſet, confirmavit. *a*) Conſtantius Gregorium, poſtea Georgium Alexandrinæ ſedi præfecit, Paulum ſede Conſtantinopolitana dejecit, ac Euſebium Nicomediæ Epiſcopatum gerentem ad ſolium ſublimavit, Pauloque a JULIO Pontifice reſtituto, Nicodemum Eccleſiæ præpoſuit. *b*) Theodoſius M. præcepit, ut conſcripta ſibi eorum nomina ſinguli ederent, quos Epiſcopali dignitate dignos cenſerent, *ſibi ipſi unius ex illis electionem reſervans*, ut etiam elegit Nectarium Neophytum. *c*) Arcadius inter diſſidia Cleri, & Populi elegit Chryſoſtomum. *d*) Valentinianus Ambroſium denominavit, & Theodoſius Junior Maximo Epiſcopo defuncto *juſſit eos, qui aderant, Epiſcopos, ut Proclum in cathedra collocarent.*

*a*) CONRINGIUS de *conſtitut. Epiſcopor. German.*

*b*) SOCRATES L. 2. c. 5. 11. 12.

c) Sozomenus L. 5. c. 8.

d) Vid. cit. *Conring.* l. cit. TEXTOR *Jus Publ. Caf.* tit. triar. t. 1.

## §. CXXII.

Hoc ipso jure Francorum Reges nullo non temp Scriptorum fide probant. De Clodovæo testatur Gre *Undecimus Dinsius Episcopus, & ipse ex Burgundia ven. præfati Regis* (Clodovæi) *ad Episcopatum accessit; cui aliq largitus, deditque ei potestatem faciendi de his rebus, quæ* currendo singulas denominationes a Regibus factas f THRAMI NAUMBURGENSIS Episcopi verba adc bus rem indubiam pronunciat. „Longe, inquit, b) ant „pæ, ejusque Successorem, Reges, qui erant uncti: & „vestituras Episcoporum fecerunt; scil. Dagobertus, Si „Hildricus Pipinus filius Begge Major Domus, The „thronisati sunt Remaclus, Amandus, Audomarus, An „bertus, aliique Sanctissimi Præsules, cum Reges isti n „rint notabiles.

a) *Lib.* 10. *histor. cap.* 30.

b) De investit. Episcop. c. 3.

## §. CXXIII.

Atque Carolingicæ stirpis Imperatores Episcopo Caroli M & filii Ludovici Pii exempla produnt, cum Mindensi Herimbertum a), hic anno 814. Halbersta præfecerit, atque *Ricfridi obitu comperto, per Legatos suo fis Ecclesiæ senioribus, ut Fridericum sibi Episcopum deligeren mo honore ad ipsius Palatium ducerent. - - - Rex Trajecte velint habere Antistitem? pollicetur que se illum ipsis datu* Quod idem jus Lotharius, & Ludovicus Germanicus sib festum est ex literis Leonis IV apud Gratianum distinct qui cupit hac in re præjudicia, adeat Pfeffingerum d) lerum f), Glafey g), & historicos passim, ubi jus c non a Carolidis modo, sed & ab Imperatoribus Saxonica stirpis, aliisque exercitum fuisse, plurimis exemplis do

a) *Chron. Mind.* Meibon. p. 555. & Pistorian. p. 723.

b) LEUCKFELD in antiq. Halberstad. p. 28. 31.

c) *Vita S. Friderici Ultrajectensis cap. IV. V. & VI.* apud Surium 18. *Julii.*

d) Ad Vitriarium t. 1. Lib. I. tit. XV.

e) Syntagm. histor. Germ.

f) Reichs-Historien.

g) Kern der Teutschen Reichs-Geschichte.

## §. CXXIV.

Magis hæc circa Episcoporum constitutionem regia potestas ex principiis Juris clientelaris firmari videbatur. Præ cæteris hic audiri meretur Maimbourgus Jesuita Gallus acerrimus Juris regii vindex: „Episcoporum Electio„nes, inquit, summa cum libertate tamdiu celebratas, quamdiu divitiis carue„runt, nullosque alios proventus præter fidelium oblationes, & Eleemosynas „habuerunt, quod ferme per quadringentos annos duravit: pretiosa hac sua „libertate, quam paupertati acceptam ferebant, excidisse, simul ac divitiis ab„undarunt, maxime vero postquam Imperatorum, ac Regum Christianorum „munificentia ad terrenas dignitates evecti sunt, & nobilissima regionum feu„da, arces, castella, & civitates possidere cœperunt. Hanc enim terrenam „dignitatem, atque opulentiam duo consecuta sunt. Primum, quod Reges „jus conferendorum Episcopatuum sibi tribuerunt, sive ad preces Cleri, ac „populi aliquem in Episcopum postulantis benigne excipiendo; sive quem vel„lent eligere, designando; sive eum ex Concilio Episcoporum, & Optimatum „in Aula degentium per se ipsos eligendo; nonnunquam etiam ad Metropoli„tam, quem ab eo vellent ordinari, mittendo; denique rem ita semper mode„rando, ut nullus unquam Episcopus, nisi ex eorum nutu, ac præscripto nun„ciaretur -- deinde Episcopo sic ab eis designato, aut ad Cleri, populique „preces designato, feudorum aliorum Episcopatus bonorum investituram con„cedere solebant, annulum ac virgam pastoralem ei in manus dando, antequam „a Metropolitano, aliisque Episcopis ordinari posset. Quo argumento etiam AUBERY, FLORENS, & alii utuntur.

## §. CXXV.

Et jus regium ad fructus Feudi reducere demum cœperunt ipsi Canonum Interpretes *per Glossam in cap. cum olim. de Majorit. & obedient.* ibi: *Capitulum non potest conferre beneficia, quæ pertinent ad Episcopum vacante Ecclesia; quia omnes fructus, & jura Episcopatus debent fideliter custodiri, & reservari Successori -- sed collatio beneficiorum inter bona Episcopalia, & fructus computantur, & magnum fieret præjudicium Episcopo Successori per talem collationem: & ideo non potest* (Capitu-

pitulum) *conferre, nec distrahere tales fructus, sicut nec alios.* Jungatur *cap. cum inter viros. de consetud.* in antiqua collectione *cap. dilectus 3. de praebendis. cap. ex diligenti. de jure Patronatus*, in antiq. collect.

## §. CXXVI.

Ulterius argumentum desumunt ab unctione; cum enim in augurratione Reges sacro oleo delibantur, prae Laicis excellere, eorumque conditione exempti ad Sacerdotalem quodammodo dignitatem evehi illis videntur. Accedit, quod inferiores ratione fundationis jus praesentandi habeant; a fortiori ergo Reges, qui majora quotidie in bonum Ecclesiae potenti Protectione conferunt, debent habere ampliorem praerogativam, atque potestatem pleno jure beneficia conferendi, quae ideo denegatur Laicis, quia non habent peritiam discernendi capacem a minus idoneo. Principes autem ubique pleniorem notitiam habere praesumuntur.

## §. CXXVII.

Verum nec Historicorum praejudicia, aut observantia, nec Canonum decreta, nec argumenta aliunde desumpta ejus momenti esse, existimo, ut quemquam a veritatis tramite dimovere queant. Nam referente Eusebio *a)* a Petro, Jacobo, & Joanne electus fuit Jacobus cognomine justus, & Hierosolymae creatus est Episcopus; quo extincto Apostoli, & Discipuli designabant Simeonem, Cleophae filium. *b)* Post fugam Narcissi Hierosolymitani Episcopi ab Episcopis vicinis suffectus est DIUS, *c)* & S. Hieronymo teste, *d)* Alexandriae a Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiore gradu collocatum Episcopum nominabant, ita tamen, ut postea matricis, seu Cathedralis Ecclesiae Clericorum praecipua authoritas fuerit.

*a)* L. 2. c. 1.

*b)* L. 3. c. 11.

*c)* Lib. 6. cap. 9.

*d)* Epist. 85. ad Evagrium.

## §. CXXVIII.

His exemplis ducti SS. Patres desuper sanctiones fecere: *ut Episcopi judicio Metropolitanorum, & Episcoporum eorum, qui circumcirca sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem. a)* Praecipua itaque potestas erat apud Clerum, & Episcopos, maxima vero apud Metropolitas, quibus incumbebat in mores prae-

sentati inquirere, & dijudicare, cum populus inconsulto sæpe, & pro suo genio aliquem eligeret; quare in Concilio Antiocheno *b)* dispositum est: *Si quis Episcopus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat absque consilio, hic abjiciatur necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum vero concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes.*

*a) Concilium Laodicenum Can.* 12.

*b) Can.* 16.

## §. CXXIX.

Vox igitur Populi subordinata erat Cleri arbitrio, nec ipsi Principes, & Imperatores Authoritatem Cleri exsuperabant, cujus præcipua ratio habebatur, ut ex his ipsis elucescit, quæ in Regum favorem allegat Conringius. *a)* De Lamberti Lugdunensis Episcopi Electione, qui sedit anno DCLXX. ex Angrano adducit: *Defuncto S. Genesio, Præsule Urbis Lugdunensis, illico pius Rex Theodoricus, & inclytus Princeps Pipinus cum proceribus palatii salubre agentes concilium, divina utique providente jussione, in præfata Urbe,* cum unanimi *ejusdem regionis populi voto, ejusdem Urbis eum constituerunt Antistitem*: Ex Stephano Leodiensi Abbate in vita Modoald. cap. 7. *Modoaldus Trevirensis Episcopus constitutus volente Rege, Pipino Duce,* Clero, *& Populo.* Ex Pauli Verdunensis vita c. 5. apud Surium die 8. Febr. *Paulum electum esse a Palatinis,* Clero, *& Populo, ut Verdunensis Episcopus esset, se quoque illorum votis, & sententiæ assentiri.* Ex Surio die 9. Febr. in vita Ansberti Rhotomagensis Episcopi cap. 15 *cum unanimi voto sanctorum* Sacerdotum, *Regis, & Principum electus est.* En semper hic Cleri, præsertim mentio fit, nullatenus ergo ex his Episcopos denominandi facultas solis Regibus vindicari potest.

*a)* De constit. Episc. Germ. p. 358.

## §. CXXX.

Largimur tamen, quod subinde Imperatores sibi in Electionibus plus justo attribuerint, præsertim, dum populi authoritas vilescere, & ad ipsos transire creditum fuit. Aliquoties etiam connivente, & consentiente Ecclesia hoc jure usi sunt Imperatores, qui nihilominus nullo non tempore Cleri vota etiam præ oculis habebant. Sic *Theodosius LEGATORUM SYNODI* (Ephesinæ) *sententia APPROBATA, Orientales quidem condemnat, Nestorium vero exilio mulctat: illis præterea, qui ex sancta Synodo Legati venerant, injungit, ut*

*ad Ecclesiam se conferant, ibidemque sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopum creent. Illi in Ecclesiam ingressi, Maximianum Episcopum creant. a)*

a) Act. 3. conc. Ephes. P. 3. c. 14.

## §. CXXXI.

Et sane in Ecclesia Græca etiam non fuit perpetuum, ut se vel immiscerent Imperatores in Electiones Episcoporum, qui plerumque suffragante Clero ad solium evehebantur, vel ab Episcopis ad Ecclesias noviter exstructas, aut vacantes mittebantur. Ita Athanasius ab exilio redux in omnibus Ecclesiis, quas ab Arianis insessas invenit, Episcopos Catholicos collocavit, a) quorum plura exempla affert Thomassinus. b) Atque in Germania sæpissime alios constituerunt, & Successores denominarunt sacri Antistites. S. Bonifacius præposuit Willibaldum Eichstettensi anno 745. c) & Burcardum Ecclesiæ Wirceburgensi anno 751. S. Rudpertus Apostolus Bavariæ usque ad inferiorem Pannoniam moriens in die resurrectionis regimine Ecclesiæ XLIV. annis pie peracto post Missarum celebrata solennia beatum Vitalem sibi elegit Successorem. d) Virgilius Salisburgensis Præsul similiter suum denominavit Successorem; e) ex quo constat, non uniformem fuisse constitutionem Episcoporum, & subin totum electionis negotium ab Episcopis dependisse, idque conformiter primo Ecclesiæ instituto, cum Apostoli, quos Presbyteros creabant Episcopos inauguraverint. (CXXVI.)

a) Sozom. Lib. 2. c. 12.

b) De vet. & nov. Eccl. discipl. P. II. lib. 2. c. v. §. 8.

c) Gretserus in vitis Richardi, Willibaldi, Hunibaldi, & Waldburgis. De Heusler *consil. intim. Eichstettensis in templo virtutis, & honoris S. Willibaldi p.* 3.

d) Canis. Thesaur. monument. Eccles. t. 3. p. 478. edit. Banage.

e) Vid. Basnage in not. ad Canisium cit. p. 430.

## §. CXXXII.

Agnoverunt etiam Imperatores ipsi, quod contra ordinationem, & institutionem primitivæ Ecclesiæ, contra decreta Canonum, & observantiam impingerent, si propria authoritate in constituendis Episcopis quid præsumerent, alias certo certius Pipinus a Sede Pontificia hanc prærogativam singularem non impetrasset, quæ ipsi solum, non Successoribus, non jure Majestatis, sed *exposita necessitate regni, ut acerbitati temporis mederetur*, concessa est: *Pipinus exposita*

*posita necessitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ, in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis industria sibi probatissimorum decedentibus Episcopis mederetur.* a)

a) B. Lupi Abbatis Ferrariensis Epistol. 81.

## §. CXXXIII.

Privilegium, quod ab Adriano VI. Wilhelmus & Ludovicus Fratres Serenissimi Bavariæ Duces ratione visitationis, correctionis &c. impetrasse feruntur, etiam pro illis temporum calamitatibus, & ad *instantissimas preces* concessum esse legitur, sequentis tenoris: *Nos igitur, ad quos ex debito pastoralis officii nobis licet immeritis ex alto commissi pertinet super his vigilantiæ nostræ curas adhibere, cupientes in præmissis, ne deteriora parturiant, quantum cum DEO possumus, salubriter providere, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni nostræ, de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, ut si, & postquam præfati locorum ordinarii per vos* (scilicet Abbates Monasterii Tegernseensis, Wessobrunensis, Ratenhaslacensis, Weichenstephanensis, Pruseningensis, & Altaichii inferioris, nec non S. Mariæ in Monaco, in Ottingen, ac S. Castuli in Mospurg Ecclesiarum Decanos) *authoritate nostra quatenus infra competentem, quem eis ad id duxeritis præfigendum terminum, ad inquisitionem, extirpationem, correctionem, & punitionem hujusmodi procedant, moniti, in his negligentes fuerint, omnes & singulas personas Ecclesiasticas, cujuscunque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentes, & quacunque authoritate fungentes, præfatis ordinariis de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet subjectas, ac hæresi hujusmodi pro tempore infectas, in præmissis culpabiles, & delinquentes, ac quæcunque crimina excessus, & delicta perpetrantes in casu negligentiæ duntaxat corrigere, & punire, ac in eas omnem, & eandem prorsus eisdem ordinariis similem, & quam ipsi locorum ordinarii exercere possent, jurisdictionem, potestatem, auctoritatem, & superioritatem circa hujusmodi hæreses, & aliorum criminum excessum, & delictorum in casu negligentiæ hujusmodi duntaxat punitionem, & correctionem exercere, nec non illos, quos eorum exigentibus demeritis degradatione dignos cognoveritis, adjunctis, & in hoc vobis aut alteri vestrum assistentibus tribus aut quatuor hujusvis ordinis monasteriorum Abbatibus baculo pastorali, & mitra seu infula utentibus etiam nullo Catholico antistite ad hoc vocato seu requisito servatis servandis, degradare, eosque sic degradatos curiæ sæculari tradere, libere & licite valeatis, & quilibet vestrum possit, plenam & liberam auctoritate Apostolica tenore præsentium facultatem perpetuo concedimus.* Si ergo Principes, quod minus est, visitare, corrigere &c. sine privilegio non ausi fuerint, verisimile non est, illos majora circa constitutionem Episcoporum usurpasse Si

Reges

Reges tantum, *ut acerbitati temporis* consulerent, privilegium petierint, quis id ipsum illis jure quodam Majestatis, aut Advocatiæ competiisse affirmabit?

## §. CXXXIV.

Mira quidem narrat Luitprandus, quod jam Henricus Auceps Arnoldo Bavariæ Duci omne jus regium in Ecclesiasticis cesserit: *ipse vero*, inquit, *te, ut tam fortunatum, & praedivitem virum, hoc pacto bearet, animique tui feritatem mulceret, ut QUOD PRÆDECESSORES NON HABUERE TUI, tibi concedatur, scilicet, quatenus totius Bajoariæ Pontifices tuæ subjaceant ditioni, tuæque sit potestatis, uno defuncto alterum ordinare.* Verum REUBERUS, LUDEWIGIUS, *a*) & eruditissimi Viri Luitprandum sublestæ fidei arguunt, ac lectio totius capitis cit. vix aliis, quam BRUNNERO, ADLZREITTERO, Scriptoribus Bojis, regiique juris defensoribus probatur; ipse etiam Witichindus author illius temporis de his nullam mentionem facit. Et Serenissimis Ducibus Bavariæ decantata illa pacis formula, vel a Luitprando contexta, vel nullius roboris habita fuisse videtur, ad quid alias privilegium Pontificis adeo restrictum exorassent?

*a*) Differt. de Conrado I. cap. 6. §. 2. col. 242. tom. II. opusc.

## §. CXXXV.

Habuit etiam Ecclesia gravissimas rationes, cur sæpe, vel ad preces, vel ad evitanda majora mala, aut Principibus in his privilegia concederet, aut conniveret, ipsisque multum indulgeret. *a*) „Cum 1.) sanctitate florentissimi „Viri a Regibus acceperint Episcopatum. 2.) cum, quos Reges elegerant; „promoverantque in præstantissimos exinde Pastores evaserint. 3.) cum cœ„lesti non semel impulsione excitati sint viri piissimi, ut Episcopatus a Regi„bus peterent, ad quos a Clero, populisque vocabantur. 4.) cum earum „nominationum ea esset persæpe ratio, & modestia, ut nihilominus Electio„nis libertas Populo, Cleroque constaret. 5.) cum ne concilia quidem ipsi „sibi cum Regibus decertandum existimarent, ne ab eis exspectaretur, vel eli„gendi permissio, vel confirmatio electi. Imo ne certabant quidem de eo „quod capitalius erat, ne mitterentur a Palatio Principis ordinandi Episcopi „quamquam prius illi ab Episcopis, a Clero, a Populo examinandi, proban„dique. 6.) cum ipsimet quandoque Episcopi, Clerici, cives Principem su„sponte adirent, ut ejus potestate turbæ compescerentur, sedarentur compe„titorum intemperiæ, incubatores violenti sacrarum sedium ejicerentur, do„narentur Ecclesiæ Aulæ Proceres, & Palatii Optimates, sicubi ex eis elect„aliqui essent ad sacras infulas. 7.) cum Principes canonum non jam custo„de

„des, & vindices, ſed quandoque oppugnatores eſſent: cum ipſi multa pecca-
„rent Epiſcopi, Clerici, Populique, vel in eligendis præter canones ſucceſſo-
„ribus, nel nepotibus obtrudendis, aut in Epiſcopatibus prehenſandis, aut
„muneribus præter fas accipiendis: Rex ſi quis juſtitiæ zelo flagrans, ſi quis
„Eccleſiaſticæ diſciplinæ amantior rerum gubernacula capeſſeret, unus ille ma-
„lis his omnibus medicabatur; quod non poterat, niſi ſe paulo altius in ele-
„ctiones immergeret. Si vero ejus, & regni, & poteſtatis hæres, non idem
„hæres eſſet Pietatis, eæ erant rerum humanarum viciſſitudines, dolendæ illæ
„quidem, modice tamen ferendæ: cum ea ſit noſtri generis peccato ſemel af-
„flicti ſors, ut & bona non raro male vertant, & remedia in morbos degene-
„rent. *a*)

*a*) THOMASS. *de veter. & nov. Eccleſ. diſcipl. II. lib.* 2. *c.* 14. §. 5.

## §. CXXXVI.

His itaque bene perpenſis, facile eſt reſpondere ad contraria, quæ ab obſervantia non tamen perpetua, aut uniformi, imo rariori deſumuntur; nec multum inhæremus fundamentis ex ſacra Scriptura allatis, cum ea, quæ ex ſtatu Hebræorum (CXX.) adducuntur, neutiquam probata ſint; nec alibi legitur Principibus jus regendæ Eccleſiæ conceſſum fuiſſe. Demus etiam conſtitutionem Epiſcoporum indirecte externam Reipublicæ tranquillitatem reſpicere: an non ipſa Eccleſia bono communi invigilabit?

## §. CXXXVII.

Præjudicia, quod attinet Conſtantinus M. non dicitur Athanaſium elegiſſe, ſed electionem a Clero, & populo factam confirmaſſe, i. e. annuiſſe, ſuoque voto acceſſiſſe. Nec nos dicimus nullas in eo Imperatorum partes fuiſſe, quin potius ipſi conſentiamus, Eccleſiam ſemper maximam Imperantium rationem habuiſſe, dummodo nihil contra canonum decreta molirentur, quorum Conſtantinus fuit adeo tenax, ut Antiochenorum machinationes vehementiſſime exprobraverit, cum contra SS. Canones, qui translationes damnant, Euſebium alterius Eccleſiæ Epiſcopum eligerent. Conſtantii facta non negamus, ſed nemo inficias ibit, illa tanquam attentata inſolita ſeveriſſime ab Athanaſio reprobata fuiſſe: *Cur*, inquit, *cum ſe Eccleſiaſticorum Canonum curam habere pretexit, omnia contra Canonem facit? ubi enim ille Canon, ut e Palatio mittatur is, qui Epiſcopus futurus eſt? QUI POPULI CLERIQUE VOTIS POSTULANDUS EST. a*) De Electione Nectarii conſtat ex Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano I. quod tantum præſente, & ſpectante Imperatore THEO-

 DOSIO

DOSIO M. electus sit, & Concilii authoritas utique major est, quam Sozomeni. ARCADIUS tantum promovit Chrysostomum, ut violentas candidatorum conspirationes frangeret, idque ex voto Cleri, & populi: *Viri sacerdotalis quidem ordinis, sed nihil habentes dignum sacerdotio, dum meritis diffidunt suis, Pontificis solium electione fidelium adipisci desperantes, partim Palatii obsident fores, alii munera potentibus tribuunt, alii populis genu posito supplicant. Ad hæc plebs fidelis indignans Regem pia intentione sollicitat, pastorem peritum sibi dari simpliciter postulans. b)* VALENTINIANUS inter dissidia populi Clero consentiente denominavit Ambrosium, & ipse Populus divinam hanc vocationem fuisse, demum credidit. *c)* Theodosius non tam jussit, quam suasit Clero, ut Proclum in cathedram collocaret.

a) Epistol. ad Orthodox.

b) PALLADIUS *in vita Chrysost.* & licet Arcadius Chrysostomum delegerit, a Socrate tamen Cleri, Populique suffragiis electus dicitur. L. 5. c. 2. *jung.* Sozomen. L. 8. c. 2. Theodoret. L. 5. 25.

c) Socrates Lib. 4. cap. 25.

## §. CXXXVIII.

Apud Francorum Reges vix non eadem in eligendis Episcopis disciplina observabatur, & verba de constiturione Dinisii & Gregorio Turonensi (XXII.) relata in contrarium eo minus ducunt, quod vix genuina haberi possint, cum Clodovæus, qui Regis nomine intelligatur, eo tempore jam e vivis discesserit eodem Gregorio Teste *L. 2. Histor. cap. 43.* ubi ait, illum mortuum fuisse undecimo anno Episcopatus LICINII, qui fuit nonus Turonensis Episcopus. Retinenda ergo sunt, quæ antiquior editio curante Guillelmo Parvo Ord. Prædicat. Theologo de anno 1512. exemplarium impendio, i. e. diligenti manuscriptorum collatione sistit, ibi: *undecimus Dionysius Episcopus* (seu Dinisius) *& ipse ex Burgundia veniens; PER ELECTIONEM FRATRUM ad Episcopatum accessit, cui aliquid de Fisci ditionibus est largita* (Chrodildes) *deditque ei potestatem faciendi de his rebus, quæ voluisset.* Ex his elucet, nullas Clodovæi religiosissimi Regis hac in re partes fuisse, cujus major erat in Ecclesiam pietas, & in S. Rhemigium observantia, quam, ut se in negotia Ecclesiastica ingereret. Walthrami testimonium quod attinet, probaret aliquid, si sex & quod excedit sæculis prius lucem vidisset, est tamen aliunde notum, quam egregius scil. Ecclesiæ fautor fuerit, ex suo tractatu pro Henrico V. contra Gregorium VII. de *unitat. Eccles. conserv.* apud Freh. t. 1. *rer. Germ. Script.*

§. CXXXIX.

## §. CXXXIX.

Sub Carolingorum Imperio antiquam Electionis libertatem loquuntur Capitularia Caroli M. de anno 803. *Sacrorum Canonum non ignari, ut in DEI nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, adsensum ordini Ecclesiastico præbuimus*, ut scil. Episcopi per Electionem Cleri, & Populi secundum statuta Canonum *de propria Diœcesi eligantur*. Fuit etiam Pontificibus summæ curæ, ut Imperatores ad observantiam Canonum animarent, ne quid antiquæ Electionis consuetudini derogetur: *quia nunquam nos in qualibet Electione invenimus, nec invenire habemus, sed neque vestram Excellentiam optamus talem rem incumbere. a)* De Ludovico constat ex Eginhardo, quod Drogonem Metensi Ecclesiæ *Clero ejusdem consentiente* præfecerit, *b)* nec alio modo urbis ab Imperatore pientissimo ad Pontificiam sedem Ecclesiæ Senonicæ evectus est. *c)* Et si aliorum tum hujus, tum alterius stirpis Imperatorum nominationes bene examinaveris, vix non semper maximam Cleri, populique rationem habitam fuisse perspicies, licet ejus non continuo expressa mentio fiat. Aliquoties tamen in Ecclesia Græca præsertim Imperatores Iconoclastas æque, ac in Occidente nimium in eo sibi arrogasse, haud difficulter concedimus; sed caveant sibi Adversarii, ne ex uno alterove exemplo argumentum forment; hoc enim si stringeret, quæso, quæ jura sibi in Romano Imperio vindicarent Pontifices?

*a)* Vid. Epistol. ab Adrian. ad Carol. M. exaratæ apud Baron. ad an. 774.

*b)* Ad an. 823.

*c)* Lupus Abbas Ferrariens. Epist. 29.

## §. CXL.

Maimbourgius (CXXIV.) citatus omnino contra historiarum fidem docet, olim Episcoporum constitutiones a Principum nutu dependisse, probabilis tamen illius conjectura est, quod jus regium a quibusdam prætensum ex jure clientelari suam duxerit originem. Cum enim Dominus directus mortuo vasallo jus habebat, alteri feudum conferendi, facile quibusdam persuasum fuit, quod mortuo Episcopo vasallo ipsis jus competat, alium constituendi Episcopum vasallum, & cætera demum beneficia conferendi, cum hæc potestas a Canonum Interpretibus inter fructus recenseatur, fructus autem ad Dominum directum pertinuisse, donec novus vasallus feudum acceperit, explorati juris est.

## §. CXLI.

Videbatur hæc doctrina ex ipsis Canonum placitis promanare, sed quam incongrue inde hanc potestatem derivaverint, liquet; quia cit. *glossa* ad cap.

*cum olim de Majorit. & obedient.* in tantum modo inter fructus, & collationem beneficiorum paritatem statuit, quod collationem beneficiorum, ut fructus a Capitulo custodiri, & reservari debeant Successori Episcopo, neutiquam vero, quod ille etiam beneficia conferat, qui fructus habet Episcopatus clientelari nexu obstricti; cum horum quidem, non tamen juris spiritualis capax habeatur Laicus. Quæ de unctione Regum: de peritia discernendi capaciores a minus idoneis adducunt, levioris momenti sunt, atque in se ipsis collabuntur.

## §. CXLII.

Sequitur itaque nulla lege, nulla ratione inniti decantatum illud jus regium, ut nihil agant illius defensores, quam quod lites diu sopitas sufflent, jura olim a quibusdam solum usurpata iterum revocare, sicque novas inter Regnum, & Sacerdotium discordias disseminare quærant. Sed perpendant illi Petri Damiani monitum, quod anno 1062. in Præsentia Imperatoris Henrici IV. omnibus tum Ecclesiæ, tum Imperatoris Legatis dedit: „amodo, inquit, „dilectissimi illinc regalis aulæ Consiliarii, hinc Sedis Apostolicæ Comministri, „utraque Pars in hoc uno studio conspiremus laborantes, ut summum Sacer„dotium, & Romanum simul confœderetur Imperium, quatenus humanum ge„nus, quod per hos duos apices in utraque substantia regitur, nullis, quod ab„sit, partibus, rescindatur; sicque mundi vertices in perpetuæ charitatis unio„ne occurrant, ut inferiora membra per eorum discordiam non resiliant; & „quatenus ab uno mediatore DEI & hominum hæc duo, Regnum scil. & Sa„cerdotium, divino sunt conflata Mysterio, ita sublimes istæ duæ personæ tan„ta sibimet unanimitate jungantur, ut Rex in Romano Pontifice, & Romanus „Pontifex inveniatur in Rege.

## §. CXLIII.

Vidimus, quid Seniori ratione Dominii directi competat, vel non; nunc paucis etiam de illius obligatione agendum est. Tenetur Dominus vasalli secreta custodire, *a)* & exactam ei justitiam administrare *b)* alias vasallo permittitur Dominum deprædare, *c)* nisi Dominus directus judicem habeat, coram quo conveniendus esset; atque tunc agi posse, ut Dominus directus jure proprietatis privetur, docet textus II. f. 47. junct. II. f. 24. §. *item qui Domin.* Ulterius obligant Dominum directum ad præstandum alimenta vasallo inopi, *d)* ad quod tamen nec Dominum, nec vasallum casu inverso adstringimus. *e)*

*a)* II. f. 6.

*b)* II. f. 6. vers. *honestum.*

c) II. f. 22.

d) ROSENTHAL de feud. c. 8. concl. 9.

e) MASCOV. de Jur. feud. c. 11. §. 7.

## §. CXLIV.

Effectus *Dominii utilis* præcipue se exserunt in Jure libere utendi fruendi Feudo, & disponendi de eo, nisi quædam exceptio doceatur. Sic vasallus feudum locat, in eo constituit usumfructum, maritus dotalitium, & uxor dotem, hæc enim manet in proprietate uxoris, ipsaque mortua ad liberos pervenit. An vasallus sine consensu Domini aliquem subinfeudare queat, controvertitur. Negat celeber. ESTOR, a) cujus sententia secundum jus Longobardicum in Theoria præplacet, contrarium tamen in Imperio praxi receptam esse, multis subinfeudationum præjudiciis declarat ITTERUS. b) Quin & statibus, & vasallis Imperii asserunt potestatem de feudis libere disponendi, atque feuda hic ab aliis, quæ allodii jure possident, vix differre, nec non Conradi, Lotharii, & Friderici constitutiones in hoc passu nunquam quoad status Imperii receptas esse contendunt; c) quam doctrinam tamen ad quotam Principatus non extendimus.

a) Außerlesene kleine Schrifften. t. 1. cap. 3. p. 11.

b) De Feudis Imperii c. 22. §. 8.

c) Ab Andler I. decis. XI. n. 6.

## §. CXLV.

Vasallus interpellatus a) tenetur principaliter ad fidelitatem & servitia Domino præstanda, quæ ex ipsis investituræ tabulis optime dignoscuntur; cum alibi ad majora, alibi ad minora teneantur, sive, ut in feudo Franco, nulla veniant præstanda, sunt etiam sæpius Ecclesiasticis Personis remissa, quorum loco illis obsequium precum pro Principis, & Reipublicæ salute haud raro imponebatur. a)

a) *II. Feud.* 26. §. *Licet.* II. f. 28. *vers. ad hæc de consuetud.*

b) Georg. ENGELBRECHT de servit. vasall. milit. cap. 2. §. 15. ALTERSERRA ibi cit. in *tractat.* de orig. feud. c. 4.

## §. CXLVI.

Vasalli Imperii Ecclesiastici una cum Principibus Laicis in Comitiis consultant, an, & quæ præstanda sint servitia, nec in eo Longobardorum placita

obtinent, cum non semel auxilia adeo denegata fuerint, & tota res a deliberatione, ac assensu statuum dependeat. Inde multi vix nexus vasallitici umbram superesse volunt; quidquid enim opis, & auxilii status præstant, ab ipsis non qua vasallis, sed qua membris Imperii pro defensione mutua conferri judicant. a)

a) Perillustris L. B. de SENCKENBERG *prim. lin. Jur. feud.* §. 127. 371.

O. A. M. D. G.

# Animadversiones Editoris.

Ad *Cap. I. §. XXI.* Quod hic dicit Auctor, ex Protestantibus uberius illustrat JOANNES JACOBUS AB HOLTZE *Diss. de statu juribusque Episcoporum Germaniae Aug. Confess. a condita Transactione Passaviensi et Pace Religiosa usque ad Westphalicam*, *Jenae 1752.* §. X. ostendit exemplis etiam primam tonsuram Catholico ritu a Protestantibus receptam fuisse pro capacitate nimirum ad Beneficia acquirenda; Theologis Protestanticis prout nimirum et alias, ita et hic inter sese non satis concordibus, cum alii id reprobarent, alii inter adiaphora recenserent, ut patet ex Scriptoribus et Actis ab HOLZIO ibidem relatis. *Christiani Brunswicensis*, de quo etiam Auctor injicit mentionem, ad Summum Pontificem epistolam plane memorandam recitat HOLZIUS §. XII. promittit in illa se in veritatem fidei Catholicae inquisiturum, eaque agnita eandem amplexurum, quin imo in pluribus jam se convictum fatetur; spondet non solum se Religionem Catholicam in locis, ubi adhuc viget conservaturum, sed et in iis, ubi collapsa est, restauraturum; curaturum porro, ut mandata Pontificia et Archi-Episcopi Coloniensis quoad Religionem accurate effectui dentur; in spiritualia se quousque Religionem Catholicam sit amplexurus, non immixturum, demum indultum petit administrandi regendique provinciam. Porro cum Imperatores ante Confirmationem Pontificiam investituram negarent, saltem indultum ad certos annos impetrare studuerunt Protestantes tum in Episcopos electi, in quibus concedendis prae aliis liberaliorem fuisse *Maximilianum II.* ait HOLZIUS, ita *Henrico* ex Ducibus *Lauenburgicis* postulato in Archi-Episcopum Bremensem, concessum administrare temporalia ad aliquot annos, bis Seine Libden und Andacht ihre *Confirmation* von dem Stuhl zu Rom erlangt: confirmatione postea non obtenta per prorogationem horum indultorum consulere sibi allaborarunt. Quae aliaque vide

in

in lucubratione citata: qui vero nunc isthaec cum principiis Protestantium combinabis?

*Ad §. XL. Cap. II.* Quemadmodum jura secularia Ecclesiarum dicuntur, Weltlichkeit, ita et vice versa formula haec occurrit, dum bona quaedam ad Eccclesias pervenerunt, daß sie aus der Weltlichkeit genommen worden; ita apud REINHARD *de Jure circa Sacra Principum Saxon.* p. 225. de anno 1464. dicitur de ejusmodi bonis: Wir nehmen eine Sache aus der Wertlichkeit, und eignen sie der Pfarre zu *Rochliz*. Si dein ejusmodi bona denuo ad seculares pervenerunt, dicta sunt denuo in temporalitatem pervenire, daß sie widerum in die Weltlichkeit kommen; ita apud eundem p. 273. *Georgius* Saxoniae Dux consensu suo confirmat alienationem certorum bonorum a Capitulo Freibergensi per venditionem in *Rudolphum de Bünau* translatorum, dadurch sie sie in die Weltlichkeit haben kommen lassen. Confer etiam HALTAUS in *Glossario* voce: Weltlichkeit, ubi qua ratione hic dicta fuerint jura temporalia Ecclesiarum ex documentis plura offendes.

*Ad §. LXV. Cap. II.* Obscurus est textus Juris feudalis ab Auctore hic citatus. Fabulam inprimis narrat compilator textus, cum per Pontificem *Urbanum*, si Chronologiam adhibeas, certum sit intelligendum esse *Urbanum II.* atqui sub hoc Pontifice nec *in C. Claremontano 1095. nec Nemausensi 1096.* ad quorum alterutrum nihilominus textus referri deberet, ejusmodi quid constitutum fuerit, unde argumentum ex eo desumptum nullius ferme roboris esse per sese liquet. Per *Dominum plebis* quid intelligat textus, cum eundem hic inter Praelatos Ecclesiasticos referat, exinde repetendum est, quod de *Archipresbyteris plebium*, *plebibus aut Ecclesiis plebesanis* dictum *in Diss. de Archipresbyteris plebium Cl. Neller, et Diss. mea de Synodis Archibresbyteralibus in Germania* Tom. 3. *hujus Thesauri.* Per *titulos* designantur, uti cum eodem NELLERO *in Exercit. juridico ad diem 2. April. 1772. p. 29.* verius esse puto, ipsae Ecclesiae, quibus ceu titulis suis *incardinati* sunt, aut, ut ita dicam, *intitulati* Ecclesiarum Praelati.

*Ad §. LXVII. Cap. II.* Oblationem feudorum vel ex eo solo plerumque mere gratuitam non fuisse, eoquod ab eo, cui oblatio facta fuit, & ita ab Ecclesiis, si iisdem facta, onus protectionis suscipi debuerit, recte statuit Auctor: sed et sunt alia complura, unde elucet eam oblationem persaepe etiam in commodum offerentis cessisse, aut saltem gratuitam non fuisse; sic fiebat nonnunquam ex pacto, uti a bello captis, qui pro redimenta libertate partem terrarum suarum victori in feudum offerendam stipulari debebant; exempla vide apud KREMER Geschichte des Kurfürsten Friedrichs des Ersten *p. 339. 341. add.* HERT. *Diss de Lytro Sect. 2. §. 23.* KOPP *de Differ. inter S. R. I. Comites et Nobil. immed. p. 439.* Subin allodia in Feuda oblata, ut a Vasalli

 obtine

[illegible] facultas ab Ecclesiarum Rectoribus in proprio Ecclesiarum solo aedi[illegible] aut aedificia collapsa restaurandi, vel ita aedificata in Feudum recepta [illegible] de LUDOLFF *in Observ. forens. P. 3. Obs. 93.* adducit *Lambertum* Episcopum Bambergensem, qui anno. 1374. Familiae *Mareschallorum* dedit [illegible] aedificandum, ut postmodum illud ut feudum ab Episcopo [illegible]. Alias aes alienum, quo praedia allodialia onerata fuerunt, [illegible] apud SCHANNAT *Cod. prob. Client. Fuld. n. 286.* aut com[illegible] summa reddita, aliisve modis fiebat, unde frequenter in [illegible] Reversalibus occurrit: „Dadurch ich von syn Gnaden ein [illegible] und syn Gnaden deß fleißlichen Dancke. Vid. L. B. [illegible] *Beylage p. 3.* FALCKENSTEIN *Cod. diplom. Antiq. Nordgav.* [illegible] *p. 143. 222. de* LUDEWIG *Relig. MS. Tom. 1. p. 11. et alii.*

*Ad §. LXXVIII. Cap. III.* Quod hic dicit Auctor, de Episcopis ipsis [illegible] Praelatis in Germania quoad propriam quoque personam militiam se[illegible], uberius nunc illustratum est occasione quaestionis de jure succedendi [illegible] in Feuda praecipue Imperii in domo *Salmensi* controversa, de quo vide *Diss.* [illegible] *sequentem* in hoc Tomo, atque ea, quae ibidem ex PÜTTERO hoc de re in animadversionibus adjiciemus.

*Ad §. XCVI. sqq. Cap. III.* Ad ea, quae hic Auctor habet de Decimis addenda [illegible], quae *de discrimine Decimarum Ecclesiasticarum et Laicarum* in Germania, ex HORIXII *Medit. de Differ. Decimarum Eccles.* et Laicorum jam [illegible] Part. 2. §. 228., quare hic ea repetere nolo. Id vero, quod GEORG. LUDOV. BOEHMER in sua *Differtat. de Origine et ratione decimarum in Germania* de praecepto *Caroli M.* solvendi decimas habet, confutatum est a Cl. DARR *in Diss. de Parocho a Decimis Novalium in Germania excluso*, quae cum sua serie in hoc Thesauro denuo edenda sit, plura de hac re hic adjicere supersedeo.